


HISTORIA PRUSSIÆ.


Sub fortunatiſſimis Auſpicijs
CELSISSIMI S. R. I.
PRINCIPIS




ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
D. CHRISTOPHORI
IN SŁUPOW
SZEMBEK
DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI VARMIENSIS
& SAMBIENSIS,
TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSIDIS.

AUTHORE
JOANNE LEONE Decano Canonico
quondam Eccleſiæ Collegiatæ
Guttſtadienſis

Nunc primum in Lucem edita.



BRUNSBERGÆ
TYPIS COLLEGII SOCIETATIS JESU
Anno MDCCXXV.



IN STEMMA
CELSISSIMI PRINCIPIS.



HIC Rhodus, * *hic saltus, celebrata parœmia quondam,*
Mirum Præsulei Stemmatis omen erat.
Rupipetæ saliunt, semper Rosa Trina quiescit
Ales amat motum, fixa columna situm
PRINCIPIS in Ceris duo dissentanea cerne!
Æternatq; labor, perpetuatq; quies.

2.

Perpetuo motu Pennæ, statione columna
Gaudet Ibex saltu, Trina quiete Rosa.
Sanctorum motus, * *qui non capis esse quietem*
Ut capias; Nostro Præsule disce Duce.
Maxima sit magni hæc gnome, dictamenq; Columbæ
Hæc tamen in nostro, Maxima, viva, Duce est.

* Rhodus Rosa ex Græco.
* Nota maxima seu gnome S. Gregorii M. *Sancti nunquàm dulcius quiescunt, quàm dum laboribus fatigantur.*

Ad

CELSISSIMUM PRINCIPEM.



Uos hactenus Paterno complectaris favore, Pastorali foves solicitudine, Magno Nomini, & Honori Tuo suscipe tributarios. CELSISSIME PRINCEPS. Quot quantisq; titulis CELSITUDINI TUÆ obærati simus, nullo exaranda satis calamo, propensa in Nos testatur benevolentia, ut proinde, quo obli-

gationis ordine & modo tot contracta exolvamus debita, ancipites hæreamus. Verùm sic fluctuantium animos roborant identidem illæ Gratiæ, animant beneficia, quæ liberali alveo vel in immeritos profundere non desistis. Et hinc pares grati animi vices rependere cùm nequeamus, quantas suppeditat tenuitas, obsequiosa promptitudine in hoc Prussiæ Chronico admitte exhibitas. Cùm enim Prussiæ Acta referat, ad Terrarum Prussiæ PRÆSIDEM jure videtur pertinere. Addes pretium operæ, ipsum adaugebis Opus, quòdsi candido ei calculo an veriùs Oraculo non dedignaberis patrocinari. Plures namq; ante Olympiades temporum iniquitate reconditum in umbris, Tuo imprimis CELSISSIME PRINCEPS incitante favore eruderatum, in publicam prodire lucem non posse auspicaciùs existimavimus, quàm si ceu pupillum gratiosissimo TUTORIS sui conspectui sisteremus. Cùm verò probatæ duntaxat innitatur veritati, minùs vera autem excludat commenta, quantum ex eo utilitatis in publicum emanaturum videatur, non alio, quàm Tuo Sapientissime PRINCEPS judicio affirmamus decidendum. Sic enim fore arbitramur, ut efferatus Zoilorum livor, quô aliàs carperet veritatem, Theoninum contrahat ad sua la-

tibula

tibula dentem. Enimverò quomodo inimico Eum impetet auſu? qui tantæ rerum agendarum moli ita ſubmittit humeros, ingenium accommodat & prudentiam, ut non minùs ſibi quoq; vacet, & ijs, quæ majoribus cumulata jam merita exornent incrementis, operam impendat conſtantiſſimam. Profectò talem & abſolutæ omnibus numeris Sanctimoniæ, & intemeratæ in agendo integritatis, boni deniq; communis ſtudioſiſſimum vel invitus quisq; eſſe fatebitur. Et hæc eſt brevis quidem, ſed in compendio Virtutum laudumq; in *PRINCIPE* omnium vaſtiſſima Synopſis, ut proinde in humanitatis leges haud peccare videamur, dum recenſendis *CELSITUDINIS TUÆ* rectèfactis, & à ſola tantummodò immortalitate ex æquo celebrandis virtutum encomijs non immoramur. Quis enim vel tacentibus nobis eam in *CELSITUDINE TUA* bonorum Pontificum non obſervet Ideam? illud non revereatur exemplar, quod non jam perituro artis humanæ fuco, ſed Divinæ Sapientiæ ductum ingenio, æternis gratiarum ornamentis eſt adumbratum, ut æquè mortalium ac immortalium in illo figantur obtutus. Neq; in Majeſtatis Tuæ admirationem intenti poſſunt non hærere, cùm præ-

ter

ter eximiam rerum omnium cognitionem ac Sapientiam, Submiſſionis, Modeſtiæq; Archetypon, avitæ Religionis ac pietatis imaginem, nullam, quæ colorata dicatur, ſpeciem exhibeat ac repræſentet. Ea ſcilicet vitæ probitate, candore animi, morumq; integritate relucescit, ut, quàmvis illam in publica uberrimè partiatur commoda, maneat nihilominùs indiviſa; non minùs ac Aſtrorum Princeps Phæbus, qui, licet toti Univerſo de ſuo abundè communicet ſplendore, nihil tamen de proprio patitur ſibi deeſſe. Periti idcircò artis ſuæ Apellis cujuſpiam imitati genium, qui, ut umbris alioquin viſui ingratis, intuentium conciliet oculos, cum luce rerum pulchritudine innata præſtantium affabrè easdem ſociat atq; illuſtrat, CELSITUDINEM TUAM omnigenorum decorum jubare conſpicuam hujuſce Opellæ umbris adſciſcere vereremur, niſi ſingularem in Illa cœteris præeminere virtutibus humanitatem conſpiceremus, quâ, præterquam quòd recti juſtiq; tenaces, illos cùmprimis proſequeris, qui laureolâ, de qua ab ineunte ætate literaria in arena decertabant, provectioribus etiam annis inter edita ingenij & conatûs ſpecimina ritè potiti comprobantur. Ex horum Syllabo non incongruè cen-

censuerimus fuisse Perillustrem ac admodum Reverendum Joannem Leonem Ecclesiæ Nostræ Collegiatæ emeritum quondam Decanum, qui, ne exul etiam propter tumultuarias bellorum undequaq; infestationes, otiosam transigere vitam videretur, tranquillæ mentis otijs sese impendendo, ea connotavit, ex quibus non exiguus in multorum utilitatem redundaturus speretur fructus. Illa nimirùm in hanc Prussiæ Historiam congessit ac collegit, quæ bonis æquè forent stimulus & incitamentum ad meliora, ac reprobis instituendæ sanctiùs vitæ calcar & exemplum. Quia tamen haud ignoramus ejusmodi sortis homines reperiri, qui cœco quodam impetu vel in optima feruntur, ea convellere, carpere non erubescant, CELSITUDINIS TUÆ cœlitùs commissi tutelæ, has quoque pagellas ad manus fideles consignamus. Enimverò cujus præsidio tutiùs illas concredere subdereq; possumus, quàm Tuo ANTISTES zelosissime. Sustine itaq; cum tali quali gratitudinis contestatione Præsuleis acclines advolvi plantis, unanimi affectuum consensu in id unicè conspirantes, ut faventissimum optimis artibus Mœcenatem, Optatissimum

tissimum Varmiæ Præsulem, Orthodoxæ Religionis Columen, Optimum Patriæ Senatorem & Patrem Superi quàm diutissimè servent incolumem. Ita votis precamur iteratis

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Celsitudinis Tuæ

Servi humillimi & obligatissimi

Canonici Eccl. Colleg. Guttstadiensis

JOANNES STÖSSEL Præpositus.
LAURENTIUS BRAUN Decanus.
JOANNES HEINIGK.
GASPAR SIMONIS.
NICOLAUS SCHULTZ Cancell: Varmien.

Prolo-

PROLOQUIUM AUTHORIS.


Ominem non sibi, sed Patriæ (quæ eadem censetur cum Republica) nasci, à sapientissimis quibusuis semper æstimatum fuit. Quod quidem insigniter dictum, ita acceptum est, vt omnes, qui hujus vitæ vsuram accipiunt primùm maximeq́; animi ac corporis conatus viresq́; ad ea, quæ Patriæ & Reipublicæ saluti ac splendori atq́; commodo esse possunt, conferant: posterius, priuatæ vtilitati & dignitati suis vacent. Id fecisse infinitos homines, qui Patriæ grati esse voluerunt pro sententia prudentum, tam apud recentes, quàm veteres Scriptores legimus: superâsse verò longè Nobilissimus ille Juvenis Romanus Q. Curtius videtur: qui etiam interitu vitæ suæ, interitum Romæ Urbis auertere non dubitauit. Et cùm latissimè Patria prospectet plurimisq́; ad conseruationem æstimationis suæ ac fortunarum opus habeat: præclarissimæ artes in publicum prodierunt, vt nemini de Patriæ rebus occasio benè merendi desit. In eum finem Nobilissimum Philosophiæ studium natum est. Quid porrò diuersum de Jurisprudentia, arte bellica atq́; Medicina proferam? Quid de agricultura mechanicisq́; ? Quibus sana consilia in Rempublicam eduntur: lites probè dijudicantur: pax & tranquillitas tam communis, quàm priuata conciliantur: valetudo corporum integra conseruatur: atq́; necessitatibus quorumuis succurritur. Quin hisce Patriam, non solùm mirum in modum, vt dixi, adjuuari & illustrari: sed etiam ex defectu vel saltem vnius damnum ingens facilè perpeti posse, sibi quiuis nullo negotio persuaderi permittet. Quibus ac multis alijs necessarijs ad conseruandam in flore Rempublicam jure optimo additur Historia: quæ, quod actum fuit: ex quo fonte: à quo: quomodo: quando: & vbi: quóue successu, felicíne an improspero factum sit, summa fide annotat & distinguit atq́; memoriæ sempiternæ posterorum pro exemplis transmittit. Et quidem dicta adminicula nunquam visa sunt Prussiæ defuisse. Quod ad Historiam (vt de alijs taceam) pertinet, eam tam externi authores, quàm domestici prosecuti sunt. Admodùm eam nostra ætate, p. m. Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, vir sempiterna laude & gloria dignissimus illustrauit in libro, quem Poloniam inscripsit: vbi Prussiam quasi viuis coloribus theatro orbis spectandam proponit: imò & plures res ejus in libris de origine & gestis Polonorum, quæ inter ipsos & Crucigeros Prussiæ olim Dominos, acciderunt, descripsit. Unum illud auiditatem lectoris celeriter & continuè Regionis istius res ex ipso cognoscere volentis fortè impedire potuit: quod ejus non perpetuum filum instituerit, sed cum Poloniæ Regni ac comprouinciarum actis recensuerit. Verùm nec aliud facere instituti ejus ratio postulabat. Historiam enim Regni non Prouinciæ vnius descripsit. Alij authores aliam materiam de Prussia com-

mentati sunt, & in vulgus sparserunt. Aliorum lucrubrationes necdum in lucem prodierunt. Quibus accidit, vt & mihi relinqueretur occasio benè merendi de Patria eodem genere scriptionis. Nam ex istis omnibus, quicquid deseruire vtilitati publicæ vidi (præcipuè Cromero tanquam Mercuriali quadam statua vsus) descripsi, & in vnum librum, quòd fortè talis à nonnullis desideraretur, vno contextu pro faciliori lectorum ratione (cùm hoc ipsum illis non ingratum fore mihi persuaderem) composui atq; in lucem edidi. Comprehendit præsens Historia miracula præclara cùm alterius generis, tum quæ fecit DEUS in sacrosancta Eucharistia: quæ tantæ certitudinis sunt, vt eadem etiam adversarij nostri in fide, scriptis editis attestentur. Qualia sunt illa, quæ Marieburgi & Elbingæ in locis longè lateq; notissimis contigerunt: atq; deniq; illud, ob quod Judæis Prussia quondam interdicta fuit. Quæ si reticerem, non modò in Patriam, quòd ex his fides hominum multorum & animorum deuotio erga Eucharistiam excitetur: sed & in DEUM esse ingratus rectè viderer. Leguntur in ea complura exempla virorum ac mulierum: qui fortitudine animi etiam alias nationes adæquent, si quandoq; non superent. Quale est illud, quod in libro IV. de Virgine Prussa Nobili, sed paupere refertur: quæ manu sua effossos oculos suos amatori transmisit, vt pudicitiam muneribus amplis tentatam tueretur: in majori eam pretio habens, quàm lumen suauissimum cæli aut quoduis aurum probatum. Exijsset liber, multò auctior, si contigisset scribi eum in Patria, vbi vix initia (turbas enim belli, acceptis libellis mecum, declinare me oportebat) cepit. Nam plura monimenta pro voto meo mihi Bibliotheca Heilsbergensis suppeditâsset: tùm Guttstadiensis, quæ miserè direpta est. Vangroueci in majori Polonia apud Cistercienses Patres ac alibi (in tertiam enim æstatem jam exulo) augmentum accepit: Parissouiæ deniq; in Masouia apud Illust: ac Magnificum Dñ. D. Adamum Paris Capitaneum Cirnensem S. R. Mtis aulicum, Mœcenatem & Benefactorem meum maximum, finem optatum. Ille enim exilij mei misertus, afflictum collegit, collectoq; necessaria vitæ liberaliter subministrauit: recepturus à DEO pij operis suo tempore præmium amplissimum. Interim lucubrationum harum labore suscepto, tædium exilij videbar leuiùs portare. Continet præterea liber hic veterum Prussorum mores planè barbaros: à quibus & Ethnicismo operâ piorum virorum ad Catholicam Ecclesiam & mores Christianos reducti sunt: ac quomodo rursus veteri Religione Catholica ex Prussia exactâ (quod antea Hussitæ, Hieronymitæ ac Viclefitæ in ea frustra tentarant) alia, jam in veteribus hæresiarchis à Christianitate damnata, in Culmensem, Varmiensem, Sambiensem, & Pomesaniensem Episcopatus Prussiæ irrepserit, ac etiam Gedanensem vrbem Vladislauiensis Episcopi curæ subjectam, sed ad Prussiam pridem numerari cœptam, occupârit. Ubi videre licebit, quales primi ejus Religionis, propagatores: qua Apostolica modestia & integritate illi vsi fuerint: quàm immaniter classico præcentorum suorum incensi in res & perso-

nas

nas Ecclesiasticas primi Euangelici Prutheni desæuierint. Sunt deniq; (vt multa prætercam) hîc vitæ Episcoporum Varmiensium descriptæ. Qui duo vltimi tractatus, nunquam hactenus in lucem prodierunt. Guttstadij, in peruigilio Purificatæ Virginis. Anno ab ortu salutis trigesimo primo supra millesimum sexcentesimum.

MICHAEL REMIGIVS ŁASZEWSKI

Custos Canonicus, & Sede Vacante Episcopatûs, Vicarius in Spiritualibus, & Administrator in Temporalibus, Generalis Varmiensis, S. Regiæ Mtis Secretarius.

VNiuersis & singulis, quorum interest, aut in futurum quomodolibet intererit, significamus præsentium tenore; Exhibitum Nobis fuisse & esse Librum, cui inscribitur Titulus: HISTORIA PRUSSIÆ Adm. Rndi Dni Joannis Leonis, Decani quondam Ecclesiæ Collegiatæ Guttstadiensis, à multis in publico desideratum, quem præuiâ ipsius Censurâ, dignum esse censuimus, ut imprimatur, quemadmodum ad id facultatem concedimus. In quorum fidem, præsentes manu Nostra subscriptas, sigillo Administratoriali solitô muniri jussimus. Dab. ad Ecclesiam Cathedralem Varmiensem, die 26. Mensis Septembris Anno Domini 1724.

MICHAEL REMIGIUS ŁASZEWSKI
Administrator Varmiensis mpp.

Hic liber donatus e[st] Conventui Cadinensi ad S. Antonium ab Adm. R. Hasart Collegii Brunsbergensis Rectore viro vere magno Deo gratias.

Prote-

PROTESTATIO AUTHORIS.

INſiſtendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII. ejusq; confirmationi ac declarationi, obſervantiâ, ac reverentiâ, qua par eſt; profiteor haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro in laudem cujusquam refero, quod ſpeciem ſanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholica Romanæ Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nitantur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Catalogo adſcripſit.



LIBERI.

HISTORIÆ PRVSSICÆ.

Summarium Libri I.

I. PRussiam fuisse notam veteribus Romanis ac Germanis sub nomine Glessaviæ, II. Vnde Prussi & quo tempore cum rege suo Pruteno in has terras devenerint: quas munitiones excitauerint quamq; religionem coluerint: ac de quercu siue sede deorum præcipuorum Prussiæ & ministris. III. De filijs Viduuiti regis & diuisione veteris Prussiæ iuxta numerum filiorum regiorum deq; insignijs & magnitudine regionis ac difficultatibus quæ circa sacram quercum occurrunt. IV. De minoribus dijs, cærimonijs, iudicijs & moribus gentis. V. De recentioribus moribus Prutenorum. VI. De viris Sanctißimis, qui Prussos veteres à vanitate Idolorum ad Dei veri cultum adducere nixi sunt: quodq; Prussi viros illos malè exceperint. VII. Quomodo à septem regibus siue principibus Poloniæ oppugnati Prussi & armis subiecti, non tamen Christi fidem susceperint. VIII. Vita S. Stanislai martyris & episcopi Cracouiensis ex Prussorum sanguine oriundi. IX. Digreßio de monasterio Vangrouecensi. X. Prußi Plocensem episcopum Ioannem Vernerum de Rosis, Bolesta castellano Viznensi authore, occiderunt. XI. De primordijs ciuitatis Gedanensis & Crucigerorum.

I.

A Plinio prodi literis ait Erasmus Stella, Drusum Germanicum sub Tiberio Imperatore, qui imperium anno decimo sexto Christi nati adeptus est & viginti duobus annis regnauit, primum septemtrionale mare ingressum, armis Prussiam magis tentasse quàm vicisse. Quod quidem testimonium Plinij satis firmum esset pro laude prouinciæ, si eidem Strabo non contradiceret, dum negat Romanos Albim transcendisse: siq; tunc nomen Prussiæ regioni huic inditum fuisset. Vt ut se habeat relatio Plinij de oppugnatione Prussiæ à Druso facta, innotuit certè Romanis ac Germanis Prussia hoc tempore vel etiam anteà, sub nomine Glessariæ ac etiam Austrasiæ siue Austraniæ testimonio eiusdem Plinij: qui ait, in insulis Septemtrionalibus à Germanicis appellari glessum, succinum: & à Romanis Glessariam dici insulam, quæ glessum proferat. Verba Plinij ita sonant dè ortu succini. *Certum* est, inquit, *gigni in insulis Septemtrionalibus Oceani & à Germanicis appellari glessum. Itaq; & à nostris unam insularum ob id Glessauiam appellatam, Germanico Cæsare ibi claßibus rem agente, Austrasiam à barbaris*

Drusus German. An. Christi 16.

Geograph. lib. 5. Albis.

Glessaria. Plin. lib. 37. c. 3. Austrasia siue Austrania.

Glessauia.

Sambia & eius fines.

Curonens. lacus.
Habus.
Pregolla.
Deme.
II.
Axamobij.
Venedi.
Gitones.
Culmigeri.
Vlmigeri.

Prutenus.
Borusci
Claudius, Ptolemeo, lib. 3. c. 5. tab. 8
Traian. Adrian.
Anni 100. 120.

Lib. 1. c. 1. de orig. Polon.
II.
Prussi unde venerint in has oras.
Sudauia.
Galindia.
Riphæi montes.
Boruscorum in Prussiam aduentus.
Anni 523. 550.
Prussiæ termini.

Prutenorum appellationes variæ.

Primæ munitiones Prussor.

Sol. Luna.
A Borussis ad Riphæos montes pro dijs coluntur.

dictam. Hactenus Plinius. Non constat verò ad hæc tempora usq;, alibi copiosius collectum esse succinum in septemtrionalibus partibus, ut ob id aliqua insularum nomen & famam talem meritò consecuta sit, qualem Sambia, quæ est pars Prussiæ: cuius incolæ Electrilegi passim ab authoribus gloriosè appellantur. Sambia etiam (tametsi alicui insula esse non posset videri, quòd mari undequaq; non alluatur) insulæ nomine rectè insignitur, cùm versùs Septemtrionem mari & grandi lacu Curonensi: versus Occiduum Solem, itidem mari: à meridie Habo siue lacu Prussico ac Prægolla fluuio: ab ortu deniq; Deme fluuio cingatur. Quibus autem nominibus circa hæc tempora incolæ reliquæ Prussiæ appellati fuerint, non proditur literis; nisi fortè dicamus illos fuisse dictos Axamobios, Venedos, Gitones atq; Culmigeros siue Vlmigeros: quæ gentes sibi ab initio terræ istius cognitæ ab aliis atq; alijs pulsæ, successerunt: donec tandem ipsis ac earum appellationibus exactis atq; obsoletis, regio nomen, quod ad nostram usq; ætatem durauit, à quopiam magni nominis viro potestatem habente in uniuersam terram, qui Prutenus erat, de quo paulò pòst, accepisset. Boruscorum autem, qui ijdem sunt cum Prutenis, clariùs meminit Claudius Ptolemæus Alexandrinus, qui claruit temporibus Traiani & Adriani imperatorum Romanorum: quorum ille anno Christi centesimo, hic centesimo vigesimo imperare cœpit. Qua certè vetustate nominis regio hæc non solùm comprouincias plures, sed matrem ipsam Poloniam superat, quæ ante illos septingentos vel octingentos annos, authore Cromero rerum Polonicarum scriptore exactissimo, ita nominata non fuit. Vt tamen ingenuè fatear, non tribuit Ptolemæus huic terræ nomen Boruscorum (Nam hanc ille Sudauiam & Galindiam fortè vocat) sed alteram oram hoc nomine appellauit ad Riphæos montes, qui sunt Septentrionis, sitam. Ex qua tandem, postquam Borusci (qua in re Erasmi Stellæ sententiam pleriq; sequuntur) ob meliorem soli & cæli commoditatem, aut etiam pulsi ab hostibus, huc migrarunt (quod volunt nostrates scriptores circa annum Domini 523. vel 550. accidisse) ac quicquid est spatij intra Vistulam, mare Baltheum siue Sarmaticum (quod & Venedicum & Codanum dicunt ac Samagitiam, Cimbricam Chersonesum, Germaniam, Pomeraniam, Liuoniam, Curlandiam regionesq; quasdam Moscorum, Sueciam, Finlandiam ac Daniam alluit) Ossamq; fluuium & hinc vltrà versùs orientem solem bonam terræ partem occuparunt: tunc quoq; hic locus Borussia vocari cœpit: vel ut dixi ab ipso populo: vel etiam paucis immutatis literis, ab ipso rege Pruteno. Qua suppositione facta, populi hi varijs nominibus, sed celebrioribus hisce appellari à vicinis cœperunt: scilicet Borusci, Borussij, Borussi, Prusci, Prussi, Pruci, Pruteni & Prussiani. Itaq; ingressi noui incolæ in has terras, pro rege Pruteno ædificarunt munitionem Houedam, quæ est Balga: ac iterum Peylpeilo, Vangast, Vustops & Gallons. Quamuis difficilè sit dicere, ubinam locorum hæ munitiones excitatæ fuerint aut quibus nominibus nunc appellentur. Pro Viduuito, fratre regis, extruxerunt in Neringa intra mare Baltheum & Heilibo, ita lacum Habum nominabant, Noyto arcem, posteà Noytenbergam dictam. Qui volunt Prussiam à rege Bithiniæ Prusia nomen traxisse & gentem inde originem duxisse, hoc fabulosum est omninò nec refutatione indiget. Coluerant Borussi ad Riphæos montes Solem & Lunam pro dijs, prætereà nihil: sed cùm illos, quos in regione inuenissent, qui Cymbri fuisse referuntur, animadverterent alios deos

deos colere: eo in loco, qui postea Nadrauia dictus est, eosdem deos obseruare cœperunt instructa alia quercu in Ryckoiot oppido, quod esset caput & metropolis regionis. Ex quo quidem nomine, ut hoc obiter dicam, nonnulli Romoue, id est, ipsam Romam elicere voluerunt: dicereq; ausi sunt, Romanos ciues pertæsos discordiarum quarundam in has terras venisse Romamq; ad similitudinem Italiæ urbis ædificare voluisse. Quasi in Prussia non exstent communitates, quæ habeant nomina ciuitatum aliorum regnorum: sicuti in Prussia ducali Venetiæ, Roma atq; Vittenberga: cùm tamen vix audeamus dicere illas Venetos, hanc Romanos: ultimam deniq; Saxones incoluisse. Constat porrò populos Prussiæ, qui unquam in ea fuerunt, nec similitudinem, vestitûs aut morum Italorum, aut sermonis habuisse. Quod equidem contingere necessè fuisset, si Itali fuissent. Quæret aliquis, quo nomine illa regio ad Riphæos montes, post Boruscorum inde transmigrationem censeri cœpta sit? Certum est, aliam Borussiam præter hanc, non reperiri modò apud scriptores. Illam verò oram opinatur Cromerus nunc Lituanos & Moscos ultra Cherniscum amnem obtinere Riphæis vicinos. Prussia regio septentrionalis est, extra septimum clima sub eleuatione gradus quinquagesimi quinti. Diem longissimum habet septendecim horarum & decem minutorum: Noctem breuissimam sex horarum, & quinquaginta minutorum. Cujus noctis dimensionem habet dies, quando est breuissimus: nox verò longissima habet longitudinem diei longissimi. Annumeratur regio Sarmatiæ Europæ, in qua sunt Polonia, Lituania, Russia, Masouia, Samogitia, Liuonia, Semigallia & Valachia: quæ uniuersæ gentes nomen & originem ducunt ab Assarmate seu Sarmate: quem Moses & Iosephus Istri vel Iactani filium, Semi nepotem, Noæ pronepotem fuisse memorant. Suscepit Prutenus Rex religionem Cymbrorum eo libentiùs, quòd sciret gentem suam ferociorem se aliter non retenturum in officio, nisi terrore alicuius præsentioris numinis quàm essent Sol & Luna: atq; in hunc finem seruituros sibi deos in hac regione repertos. Neq; diutiùs moratus, translato regno in Viduuitum fratrem, se ipsum in supremum deorum receptorum antistitem (qui Criue Kirweito, id est, dominus post deos ac etiam os deorum vocabatur) præfecit: asscitis sibi sacrificulis compluribus, quos Criuos & Veidelotos dici volebat. Nec fefellit eum opinio concepta de nouis dijs. Nam cùm populum edicto solenni nouus antistes conuocasset ad quercum; ac eum etiam rex Viduuitus in præsentia populi honore maximo affecisset, sequenti nocte ingentia tonitrua audita, & coruscationes visæ fuerunt: deuenitq; plebs in eam opinionem, deos, ac præcipuè Percunum, cum Pruteno antistite locutos. Vbi aurora illuxisset, pontifex, rebus suis non defuturus, quid dij cuperent à cultoribus exponit, ut nimirum in obseruatione & cultu suo firmi manerent, mandatisq; inhærerent. Futurum ut vicissim à se omnia prospera assequantur: post hanc vitam ætenam risu perpetuo & cachinnationibus perfruituri. Qua re ita demùm in sua superstitione erga deos confirmati sunt, ut ab ipsis ægrè quorumuis armorum vi ac suasionibus abstrahi potuerint.

Erat quercus ad deorum cultum destinata tribrachialis & per æstatem ac hyemem æquè viridis: cuius diameter esset sex vlnarum. Densa adeò ramis & folijs, vt ne quidem gutta aquæ perstillaret. Erat illa prætereà ita instructa, vt uni concamerationi inesset imago Patolli dei: alteri Potrimpi: tertiæ Percuni. Referebat Patollus faciem pallidam senis cum barba cana oblongaq;: caput habebat obuolutum

Cymbri. Nadrauia. Ryckoiot. Romoue. Roma.

Venetia. Roma Vittenberga.

Cherniscus amnis.

Prussia situs respectu cœli.

Prussia Sarmatiæ annumeratur.

Gen. 10. Ioseph. antiq. Heb. lib. c. 14.

Prutenus antistes. Viduuitus rex.

Criue Kirweito.

Criui Veideloti.

Prutenus putatur cum dijs colloqui. Percunus.

Quercus sacræ descriptio.

Patollus.

fascia, alba. In eius honorem seruabantur hominis, equi & bouis mortuorum capita. Credebatur dominus mortis. Potrimpus putabatur imperium in aqua & terra habere: colebaturq; pro deo frugum. Referebat imagine iuuenem imberbem coronatumq; aristis ac ridentem. In huius obseruationem alebatur serpens lacte in olla aristis tecta. Statutus is quoq; erat, vt præesset bellis ac nonnullis rebus alijs. Offerebantur ei innocentes pueri. Quod sacrificium vt ei gratius accideret, oportebat sacrificulum triduano ieiunio intentum esse, humi cubare & ante omnia thus adolere.

Potrimpus. Percunus.

Percunus. Percunus qui fulmen sonat, irata facie, in modum candentis ignis, quo coronabatur, æstuabat: barba crispa nigraq;. Potrimpus cum Percuno in æquali à terra distantia sese mutuò aspiciebant erecti, quos torua admodùm facie ab infra respiciebat Patollus. Honorabatur Percunus igni perpetuo in quercinis lignis. Cuius is incuria extinctus fuisset, vita luebat. Officium Percuni erat præstare congruam pluuiam serenitatemq; ac fulmine non nocere. Conuentum inter barbaros fuit, ne his tribus idolis alibi quàm in Ryckoiot offerretur. Inter ea præcipuum reputabatur, Patolli: à quo etiam locus cœpit appellari, Patollum. Patollo idolo in sua festiuitate olla cum sebo accensa offerebatur. Quercum circumdabant tribus passibus æqualiter à trunco remotis pretiosa aulæa & satis oblonga: intra quæ nemini licebat ingredi nisi sacrificulis: remouebantur tamen velamenta introspicere volentibus. Et si præterea quandoq; de negotio graui consilia agebant & coniurationes faciebant, etiam ipsis quercum contingere manibus fas erat. Horrebat area circumquaq; cruore ex frequenti mactatione hominum & animalium. Quid viciſsim dæmones mali honoribus affecti possent, non leuibus indicijs cultoribus suis ostendebant. Et quidem Patollus homines noctu domi suæ terrebat: maximè nobiliores eosq; qui non obseruassent sacrificulorum præcepta & qui vota sibi facta non statim persoluissent, vel de mortuis iusta non rectè fecissent: & quidem adeò, ut interdum animas timore correpti relinquerent: aut satis graues infirmitates contraherent. Si superuenisset tertia nocte, facinus sanguine humano expiari debuit. Quod ad quercum aliquis sacrificulorum pro munere quopiam, aperto sibi vulnere in proprio corpore, præstitit: vnde dum sanguis flueret, si murmur quoddam in quercu auditum fuisset, placatus credebatur deus. Nec minus Percunus quid posset ostendebat. Exhibebat enim eo in loco crebra tonitrua atq; coruscationes. Quibus cessantibus, extemplò responsa petentibus dabat: vel insigne facinus populo mandabat, quod intermittere nefas erat. Quercum hanc famosam alii ponunt in Nactangia, alij in Nadrauia, alij deniq; in Galindia. De qua ac alijs difficultatibus circa hanc quercum occurrentibus commodiore loco dicturus sum. Sunt verò quæ considerationem postulare videntur quæ sequuntur.

Patollus.

Percunus.

Num poſsibile sit tantæ magnitudinis quercum fuisse uti insinuatum est. Vbi quercus hæc locorum steterit? An una tantùm vel plures? Num reuera viruerit hyemali tempore? atq; nonnullæ aliæ leuiores difficultates.

Potrimpus ne inferior alijs videretur dijs, venientibus frequentia spectra sub varijs formis obiectabat.

Veidelotti. Veidelotos qui antistiti adstabant, omnes grandioris ætatis esse oportebat & sine uxoribus viuere. Et quidem si qui contigissent mulierem, viui cremabantur. Non solùm hi ad quercum habitabant, sed

sed alibi etiam inter populum dispersi. Erant quoq; mulieres in deorum officiis occupatæ ac per regiones more virorum dispersæ: quæ recognoscebant superiorem Veidelotam: castitatem colentes, quamuis non omnes ex virginum numero collectæ. Nam si qua etiam iunior mulier viro orba esset, prostituere se illa adolescentibus poterat, & postea Veidelotam agere, ac deinceps se continere. Horum sacratorum officium fuit, assiduò deos precari: populo ac pecoribus tam sanis quàm infirmis benedicere: quem in finem utebantur cinere ignis perpetui: iubere serere campos hortosq; ac metere: pueros in precationibus instituere atq; diuinare. Viri quidem hæc viris præstabant, mulieres fœmellis: qui sibi per somnia, responsa dare deos dicebant Et cùm Veideloti varias ceremonias rebus suis adhiberent: atq; modò talibus etiam incantatores atq; incantatrices præstigiis utantur in his regionibus, meritò idem nomen consequuntur & Germanicè die Weidler atq; Weidleriner dicuntur. Infelicium illorum summorum antistitum, qui in Prussia extiterunt unquam, series hæc contexitur. Prutenus, Brudenus. Is electus fuit à Bruteno & Viduuito paulò antequam in rogum ingressi essent. Thywaito I, Deynges, Beraufto, Macco, Meruno, Goruffo, Thywaito II, Napayles I, Tallayno, Thywaito III. Mergonno, Carkoyns, Napayles II. Iaygello, Narwasso, Gyndewo, Austouo, Mollayno, Tayttó, Romoys, Darsgoyto, Mangalo, Bulloyssos, Postwo I. Marango, Laweiles, Torroto, Narges, Vilnotos, Barbaydo, Barrando, Iargello, Tippeys, Leyso, Karkoyo, Pomeloys, Postwo II. Napeyles, III. Tyrsgayto, Nadrosso, Baytonos, Tormeyso, Kyrbeido, Alleps: qui ultimus sacrà baptismatis undâ expiatus, Christo Seruatori nomen dedit. *Veidelota.*

Vixerant in his terris Prussi 36. annis, necdum tamen vicinis Masonibus, ita Masouij vocabantur, tributum more suorum prædecessorum deposuerant. Nam ij Masoni principi, singulis annis ad ipsos aduenienti formosissimos quosq; filios suos tradiderant. Antonos igitur tum temporis principatum in Masouia gerens de censu soluendo Prutenos admonuit & eius nomine pecunias, pecora ac alia consueta postulauit. Recusantibus autem Prussis bellum intulit, auxilium ei ac opem ferentibus Roxolanis qui & Russi, ac Prussos prælio commisso fudit. Victi paulò pòst animis resumptis ex consilio Pruteni antistitis ad quercum post ingentia tonitrua facto, Antonos Masouiorum ducem, rege suo Viduuito duce aggressi cum principe Russorum Czienbach dicto vicerunt & strangularunt. Ducis cæsi filius, Zangwigu nomine, metuens & sibi à Prussis vitæ periculum imminere, illud, vsus hac arte, euasit. Ad Prutenum enim sacrorum antistitem & Viduuitum regem supplex venit seq; illorum deos culturum sanctè promisit. Ac ut id facto ostenderet, omnemq; simulationem remoueret, album equum conscendit eumq; ad interitum agitatum igne cremauit. Qua ex re summam animi voluptatem dicti principes cum populo hauserunt. Pugnam hanc contigisse oportet anno Christi 5[illegible]. Si Prussi in has terras anno 550. venisse credantur, de quo supra. Pruteno deinceps res sacras & Viduuito prophanas Prussorum pacatè & feliciter administrantibus, inter filios Viduuiti graues contentiones & rixæ nomine hereditatis & successionis oriri cœperunt. Quas ut sedarent, regnum inter ipsos fratres illi duo, mactato, more patrio, hirco & largiter hausto mulso postero die post crapulam sunt partiti. *Russi siue Roxolani.* *Albus equus.* *XII.*

Nunc, qui illi filij Viduuiti fuerint, inter quos Prussia diuidebatur, mihi dicendum est. Primus Samo, siue Saymo fuit, à quo Sambia regio *Filij regis Samo.*

 gio

gio & populi Sambij & Sambienses dicuntur. Intra quos terminos hæc regio contineatur, supradictum est. Habet primariam ciuitatem, Regiomontum. Prima munitio à Samone extruebatur in monte arenoso & altissimo Gaylegaruo, posteà Geylgarben dicto. Duxit uxorem Pergollam: quæ cùm in Skarra flumine perijsset, eidem aquæ, nomen Pergollæ siue Prægollæ quod magis in usu est, dedit. Quem alij esse dicunt, Chronum. Volunt nonnulli ab eodem Samone etiam Samagitiam nomen accepisse.

Pergolla.

Sudo.

Alter filius Viduuiti Sudo regioni Sudauiæ & habitatoribus Sudijs, Sudis & Sudinis appellationem dedit. Extructam arcem, in monte arte composito Peylpilco à filio vocauit. Quanquam putem Sudonem non tam Sudauiæ nomen dedisse, quàm à regione ipsa Sudauia nomen sibi usurpasse: quemadmodum etiam Galindum à Galindia: cùm hæ terræ ita à Ptolemeo multo ante fuerint appellatæ. Præcipuum territorium Sudauia inter omnia alia fuit. Potuit enim pro sua parte sex millia equitum & plura peditum in bellum educere: cùm alia singula multò pauciora producerent. Sed unde Sudinis tanta potentia prouenerit, suo loco prodetur. De finibus veteribus eius regionis multi scripsêre, nihil certi reperiri: vastatamq; adeò à Crucigeris ob non seruatam fidem, ut non in ea, nisi octo pagi ante centum annos superfuerint. A quo tempore usq; nunc non exiguum incrementnm accepit. Volunt nonnulli eius unum limitem incipere infrà Insterburgum versùs meridiem, ubi in Angerapium fluuium Bis fluuius influit: per quem à Nadrauia separatur: ac procedere aduerso flumine usq; ad Vistiten oppidum versus Orientem: inde per lineam sensim incuruam & quæ referat frontem & nasum ac mentum hominis præterire ab orientis parte Lituaniam & Podlachiam versus meridiem: inde rursus per Nidam lacum longè extensum ac partim per fluuium dictum Angerapium prætereundo Galindiam & Bartoniam ad priorem terminum redire, quem Angerapium & Bis fluuios efficere dixi. In ea toparchia Oletzka & Leicka continentur.

Nadro.

Tertius deinde filius Viduuiti Nadro accepit possessionem, quam à Sambia versùs occidentem Deme, à Bartonia Prægolla, à Sudauia Bis fluuij versus meridem: à Septemtrione Schalanonia: ab Oriente dirimunt. Nomen regio hæc à duce suo Nadro Nadrauiæ accepit: inde incolæ eius Nadrauienses siue Nadrauij. Eam notam reddunt Tapelauea & Georgiburgum oppida. Primam munitionem quam excitarat Nadro, Staymlo appellauit.

Schalauo.

Quartus natu filius Viduuiti Schalauo siue Salauo ædificauit Posuoito deditq; nomen satrapiæ Salauiensi siue Schalauiensi. Habet hæc regio ab occidente lacum Curonensem Memelam usq; ubi quodammodo constricta sensim versùs Orientem dilabitur. Secatur bifariam à Nemene fluuio. A meridie habet Nadrauiam: ab ortu Samogitiam confines. Fuisse incolas regionis eius desides ac agrestes: somno maximè deditos ac fide fragiles, ita vt cæteris Prussis prouerbio essent, literis proditur. Vris abundabat regio, ingentis magnitudinis: cuius animalis carnes in Maio perempti, saporem carnis cum allio coctæ referunt: quem contrahunt ex comestione agrestium liliorum, quorum in americis magna copia est. Reperire licet illic etiam porcos siluestres ac altissimas alces. Nota est regio satis vel sola Memelæ fama.

Nactango.

Quintus filius Viduuiti Nactango siue Natango accepit dominatum intra Habum recentem, Prægollam, Alnam & Passariam fluuios.

Habet

Habet à Septentrione Sambiam: ab ortu Bartoniam: à Meridie Varmiam regiones conterminas. Nactangia siue Natangia dicitur à duce Nactango: in qua cum notissima sint oppida, omnia tamen antiquitate superat Balga arx fortissima.

Sextus filius Viduuiti regis Prussorum fuit Barto cuius appellationis gratia ipse etiam arcem extruxit. Ab ipso appellata est regio Bartenia, vel Bartonia siue Bartalandia & incolæ Bartenses siue Bartalandi. A Nadrauia versùs Septentrionem disterminatur Prægolla, versùs ortum Angerupio fluuijs & Nida lacu à Sudauia. Versùs occidentem habet Galindiam & Varmiam: ac deinceps à Nactangia Alna fluuio sejungitur. In qua Rastenburgum, Resla, Bartesteinum ac alia oppida comprehenduntur. **Barto.**

Galindia à Galindo septimo filio Viduuiti dicta refertur: quamuis veriùs dux is à regione sibi obueniente nomen acceperit, cuius paulò ante mentionem feci. Hinc regionis habitators Galindæ, de quibus fortè Ptolomeus, appellantur Habet versùs meridiem, Masouiam: versùs occidentem Pomesaniam: versùs Septentrionem, Varmiam: versùs partem Bartoniæ ac partem Sudauiæ. De eius finibus agetur quoq; sub annum 1373. ubi populi Galindæ Galgenses vocantur. Eius loci dominus in munitione Galindia habitasse scribitur. Etiam nunc extat pagus Galindia non procul Barteſteino in gleba sat fertili, sed præter nomen non putatur aliud commune cum Galindiæ regione habuisse vel nunc habere. Eam notam reddunt Allensteinium, Vartenburgum ac alia oppida. **Galindo.**

Viduuiti octauus filius fuit Hoggo à quo Hockerlandia regio. Appellata est eadem Pogesania à filia Hoggonis Pogia, honoris gratiâ, eò quod cælibatum coleret & Veidelotam ageret in querceto non procul Elbinga. Gyganteæ staturæ fuisse perhibetur: cuius capitis corona videbatur adhuc ante centum annos Elbingæ, habens per diametrum mediam ulnam. Vna eius sororum Mitta viro nupta in munitione paterna Tolcko habitabat: altera Cadima viro quoq; nupta in monte à nomine suo dicto. Claret hoc territorium Elbinga & Braunsberga: habetq; à Septentrione Habum recentem: ab occidente & meridie Pomesaniam: ab oriente partim Varmiam, partim Nactangiam. **Hoggo. Pogia. Mitta. Cadima.**

Nonus Viduuiti filius Varmo dedit nomen regioni Varmiæ & incolis Varmiensibus Continetur intra Nactangiam, Bartoniam, Galindiam, Pomesaniam, & Pogesaniam siue Hockerlandiam. Eam reddit notam Heilsberga Sedes episcopi Varmiensis. Cùm verò Varmo dux tempestiuè relictis post se liberis minorennibus & uxore Erminia iuuene, ex hac vita excessisset: ipsaq; diu iustè & laudabiliter populum regeret ac iudicaret, cœpit ab ea regio dici Erminia, Ermia, & Ermilandia: quibus nominibus etiamnum utimur. Eius munitio & sedes principalis Tolo vocabatur. Cùm posteà nulla ratione permitteret ut quispiam filius suus, ex gynæcæo (frauenzimmer) suo ancillam perditè amatam, in uxorem duceret, ab eadem ancilla insidijs petita, noctu clam miserè interempta perijt Ermia. **Varmo. Erminia. Ermia occisa.**

Decimus numero filius Viduuiti & natu minimus Pomeso siue Pomezo appellabatur, statura maximus: quales etiam filios progenuit. Ab eo nomen accepit Pomesania, in qua est Mariæburgum. Sita est regio intra Habum recentem Drausenumq; lacum Attingit quoq; Varmiam & Gallindiam ab ortu: Masouiam à meridie indeq; terram Lobauiensem. A terra Culmensi Ossa fluuio, à Pomerellia Vistula diuiditur. Pomeso certam Sedem non incoluit, sed ubi libuisset, in cam- **Pomeso.**

pis ſub tentorijs habitauit. In gratam tamen generi ſuî memoriam, qui Quizinus dictus fuit & à quopiam Pomeraniæ principe in venatione perfoſſus erat, Quizinum ædificauit. Cuius mortem dum vellet ulciſci, in fuga in Viſtula ſubmergitur Pomeſo. Subdiuidebantur rurſus hæ Satrapiæ in ſuas regiunculas, pauciores vel plures prout amplæ vel anguſtiores fuerunt. Itaq; Varmia habuit Glotauienſem terram. Sudauia Merouiſcam, Kimenam, Pocaimam, Siliam, Craſinam. Nadrauia Rethauiam, Cattouiam. Pomeſania Reſinam: in qua fuerunt viri gyganteæ ſtaturæ, Germanicè Riſen (unde oppidum Riſenberga) id eſt homines quinq; ulnarum alti. Sambia ſubdiuidebatur in Poletiam & Rinouiam. Bartouia in maiorem & minorem atq; Plickbarten.

Quizinum.

Addunt nonnulli Viduuito filium undecimum Chelmum ſiue Culmum à quo Culmenſem terram denominatam volunt. Sed cùm nullus ſcriptorum Polonorum concedat ullo unquam tempore iſtum terræ tractum ad Pruſſiam pertinuiſſe, gratis hoc ipſum aſſeri videtur. Cœpit tamen annumerari Pruſſiæ Culmenſis terra, quando eius potiti ſunt Crucigeri. Situs eſt Culmenſis tractus intra Viſtulam, Oſſam ac Dreuanciam qui & Vera, fluuios.

Culmenſis terra.

Alij deniq; ſuperaddunt duodecimum filium Viduuito Litalanum ſiue Litphonem non ex matre Pruſſa, ſed Gepida, (ita Lituani ante hac vocabantur) & huius cauſſa ab alijs fratribus odio habitum, ad Gepidas diſceſſiſſe & nomen genti dediſſe. Inſigne regni Pruſſiæ erat duplex corona: quarum altera recta procedebat, altera ſub priore, cuſpide verſus terram inuerſa ponebatur. Regium inſigne imago equi candidi. Quamuis alias Pruſſis albus equus aut quoduis aliud animal totum candidum in alio uſu non eſſet, quàm in ſacrificijs: aut aliàs perimeretur. Cuius rei gratia ſequens hiſtoriola poni ſolet. Habitabat in Sambia in Geilgarben Pruſſus nobilis Dorgo, pacem & amicitiam bonam cum crucigeris colens: ſed more Prutenico, nec albo equo utebatur ipſe, nec in bonis ſuis tolerabat. Vtebatur Dorgo familiariter F. Thamnone à Garsleben, quem alij Theodoricum vocant, advocato Sambienſi. Is ut doceret vanam & inutilem eſſe Dorgonis amici ſui ac aliorum Pruſſorum obſervantiam, albo vectus equo ipſum adijt. Diſplicuit res Dorgoni, tamen diſſimulauit, finem viſurus. Manè repertus eſt eqvus à dæmonio ſtrangulatus. Dorgo bene habitum & donatum alio, dimiſit, amicè flagitans ne in ſimili adequitaret, eo quòd extra ſacrificia omnipotentes dij hujus coloris eqvum aut quodvis alud animal perferre non poſſent. Sed advocatus etiam ſecundò vicinum ſuum albo vectus equo ut priùs adijt, ac iteratò quod anteà, ei accidit. Tertiùm cùm F. Thamno Dorgonem inuiſeret, de equo albo ephipium non ſemouit nec ab eo Chriſti crucifixi imaginem, quam ei appenderat, depoſuit. Conuenerat inter ipſos ut quorum Deus hac vice viciſſet, in eum alter eorum crederet. Circa verò medium noctis, adeò magnus ſtrepitus in aula Dorgonis accidit, ut crederetur interitura. Manè certatim ad ſtabulum curritur repertuſq; equus aduocati viuus & ſanus omnes in admirationem ſui rapit. Dorgo quî id accidiſſet cùm ſolicitus quæreret, ait aduocatus, Chriſtianorum Deum multò fortiorem eſſe dijs Pruſſorum: cuius vel ſola imago, quam equo appendiſſet (oſtendebat ei imaginem crucifixi) eum à violentia dæmonum conſeruaſſet incolumem. Incenſus Dorgo eius Dei videndi, rogabat aduocatum, ut voto ſuo ſatisfaceret. Ille ei ſacerdotem attribuit, qui in omnibus fidei Chriſtianæ articulis inſtru-

Litalanus ſiue Litpho.

Inſigne Pruſſor ū. Regis.

Dorgo conuertitur.

Equus albus.

Crucis Chriſti virtus.

ctum

ctum Dorgonem baptismi deniq; vnda initiauit. Inde verò consuetudo offerendi dijs equi albi manarat & antiqua consuetudine apud Prussos obsoleuerat, quòd olim, vt supra dixi, filius Antonos ducis Masouiorum albi coloris equum in honorem deorum Prussiæ immolauerit. Sed ad ea vnde paululum deflexi, redeat Oratio.

Agebat tunc cùm diuiderent Prussiam fratres inter filios & nepotes, Prutenus centesimum trigesimum secundum annum: Viduuitus decimum sextum supra centesimum: cùm in hac illi ætate, postquam antistitem summum creassent ac nouellos duces ad cultum & debitum honorem præstandum dijs patrijs ac ad obedientiam antistitis adhortati fuissent; rem solitò inauditam sunt aggressi. Nam capientes sese per manus, cum cantu more cygnorum morientium, ijs qui circumstabant vel maximè lamentantibus & orbitatem suam deplorantibus, in rogum extructum, ad quercum sacram, ingressi: sese pro incolumitate populi, pro quo se intercessuros apud deos esse dicebant, in cineres redegerunt. Vt esset mors horum honoratior & memorabilior, cum ijsdem sese duo præcipui Veideloti exusserunt, nempe Sueibratus & Vurskeitus. Si porrò longissima linea Prussiæ accipiatur à Memela oppido vsq; Toruniam, longitudinem regio habebit quinquaginta octo milliarium. Accepta verò dimensione à Pomerania vsq; ad Lituaniæ fines, erit latitudo Prussiæ milliarium triginta quatuor.

Pruteni & Viduuiti ætas.

se comburunt.

Prussiæ dimensio.

Tempus requirit à me vt explicem difficultates circa prodigiosam quercum deorum Prussorum, occurrentes, quarum superiùs mentionem feci. Et primùm quidem id quod de eius magnitudine & crassitie retuli confirmat similis quercus quæ hoc sæculo, non procul Velauia oppido vltra Prægollam fluuium ad publicam viam in villa Oppen in horto quopiam visa est. Imò fuit hæc illâ multò crassior: vtpote quæ in ambitu suo circa radicem cortice adiecto, viginti septem vlnas contineret, in qua vir quispiam (vacua enim & inanis erat) ascenso equo saltitare & se in gyrum vertere poterat: quod Albertus dux Prussiæ senior filiusq; eius Albertus Fridericus non semel fecisse scribuntur. Hæc posteà concidit propter vetustatem & plurima profundiùs inscripta nomina eorum, qui eam præsentes pro miraculo lustrabant. Concidens deniq; concisa atq; paulatim auecta & igni cremata, nullum de sua veritate dubitandi locum reliquit. Ita & quercus, de qua modò sermo est, excisa & concremata est, vt suo loco dicetur. Neq; similia miracula in arboribus ex historijs aliorum regnorum desunt. Quòd quercum diuersi authores in diuersis regionibus Prussiæ constituant: id non aufert nec in dubium reuocat relationem. Et certè illi authores qui eam in Nactangia, quæ est quasi meditullium Prussiæ: & quidem eo in loco vbi posteà Sanctissimæ Trinitatis monasterium fuit ædificatum, quam diabolus simius Dei trini simulauerat, ponunt, veritatem attingunt. De hoc monasterio posteà pluribus. Scribit nonnemo in oppido Domnauia se vidisse ingentem cantharum stanneum, quo usi essent monachi istius loci pro haustu dormitorio: quem ipse vacuum vix eleuare potuerit. Vnde colligit, fuisse monachos potatores eggregios. Sanè, si singuli singulos cantharos exhausissent, non fuit vanus coniector. Sed valeat Thraso. Duæ autem quercus in Nactangia honori deorum destinatæ erant. Vna hæc major, de qua sermo est, in Ryckoiot metropoli: qui locus quoq; Patollus vel Patolli à supremo deo dicebatur. Altera minor, semper quoq; viridis, idolo Gurchoni sacra, quod Prussi à Masouijs acceptaverant. Stabat ista, vbi modò Heilgebeila oppidum conspicitur.

Oppen villa.

Quercus magna.

IV.

Gurcho Idolum Erat Gurcho vel Curche deus obsoniorum coctorum. Conseruabant in honorem hujus ignem perpetuum in quercinis quoq; lignis Veideloti: offerebanturq; eidem primitiæ quarumcumq; frugum, farinæ, mellis & lactis: quin & piscium, qui in eius honorem, ubicunq; aderant grandiora saxa in illis cremabantur. Qui quercum Patolli ponunt in Nadrauia, loquuntur de illa vetustissima, quam coluére incolæ harum terrarum ante aduentum Pruteni. Qui deniq; illam ponunt in Galindia, decepti sunt nomine pagi Roma dicti, quem Ryckoiot putauerunt esse & non procul à Vartenburgo oppido abest. Neq; miretur quispiam homines sacrificatos fuisse à Prussis, vel ob non custoditum ignem sacrum, Veidelotum vita priuatum. Contigit id virginibus Romanis Vestalibus ob simidem neglectum, quæ viuæ sepeliebantur. Apud Germanos etiam atq; alias nationes non tantùm pecorinas sed & humanas hostias litare in usu erat. Vt eò tibi faciliùs persuadeas à talibus sibi Prussos non adeò temperasse. Apparentia umbrarum & murmur siue strepitus dæmonum potuit hîc, quasi in loco à gente sibi peculiari ritu consecrato, frequentior fuisse: ut hac præsentiæ suæ ostentatione sibi maiorem conciliaret honorem & cultum. Virentem quercum exhibere posse dæmonem etiam hieme, facilè mihi persuadeo: sicut etiam tonitrua. Num verò possit efficere dæmon malus verè virentem quercum aut quamvis arborem hiemis duræ tempore, cùm subdubitem: persuadeo quoq; mihi, illum in gratiam barbaræ gentis id facere nequaquam voluisse. Quam enim poterat cùm terriculamentis tum libertate ac voluptate corporis in seruitijs suis continere, eam non erat illi necessè miraculo exquisito confirmare. Quàm nobilis erat & Deo vero propinqua gens illa Iudæorum! ei tamen non aliam quàm vituli sine sensu formam malignus dæmon obiecit ut eam ad se attraheret, à Deo cujus magnalia in exitu de Ægypto recentissimè viderat! Quem vitulum Israelitæ obuijs vlnis atq; cum maxima gratulatione ac admiratione suscipientes dixêre: Hi sunt dij qui nos ex Ægypto eduxerunt. Quæ fuit illa natio, quæ columna vna, quam Beelzebub Iudæi, id est, virum muscarum ridiculosè non minùs, quàm verè nominabant, contenta esse debuit? Ægypti profectò populus nobilis & potentissimus, persuasu diaboli veteratoris, felibus, muribus, allio, pastinaca pro deo vtebantur: quam irridens ille ait:

Felices nimiùm quibus hæc nascuntur in hortis
Numina:

Quercus hieme frondens. Cujus gentis respectu veteres Prussi nec tantilli fuerunt. Miraculum igitur frondosæ quercus hieme æquè ac æstate, quod dæmon infernalis oculis deuotorum suorum Prussorum obtrudebat, erat phantasticum, non verum: cui similia plurima in arboribus, plantis ac herbis Antichristus in fine mundi est operaturus ad deceptionem eorum qui pereunt: cuius gratia nos verus Christus Seruator monuit. Sacratior est historia Tiliæ Marianæ hieme ac æstate æquè frondosæ in territorio Bartenlandiæ. Quæ cùm latiùs non ita pridem à viro pio & docto Michaele Friderico Ciaritio de Wartenburgo Presbytero Varmiensi conscripta sit, huc eam transferre placuit. *Tilia Mariana*

Nulla fuit unquam Orbis regio, quam cœlestis Christianæ fidei irradiauit splendor, quin in eadem vna cùm religione ritè noscendi ac colendi Deum, veneratio etiam Sacratissimæ Virginis Mariæ, effloruerit. Habet Italia sacrosanctum illud domicilium, in quo, Deus, sempiternæ Deitatis Maiestate seruata seruile cinctorium

um carnis assumpsit, & illud in æde Lauretana cernua veneratur. Gallia Ebredunensis Diuæ Virginis miraculosa imagine lætatur. Hispania Monte Serrato claret. Belgium Aspero Colle insigne est. Bauariam vetus Oetinga illustrat. Heluetia Marianam Eremum ostentat. Pannonia, adiuta patrocinio Deiparæ in bello adversùs Turcas Zellense Templum statuit. Inclytum Poloniæ regnum Claromonte ad Cęstochouiam effulgescit. Mira his in locis grandia, diuina à Deo patrantur: Dona, salutes, opitulamenta omnem mortalitatis rationem superantia indies eduntur. Votiuæ tabulæ, nauium, armorum, instrumentorumq; signa abunde testantur.

Est quoq; in Prussiâ locus celeber cui Tilia (Linde Germani dicunt) nomen dedit; ea Prouincia, cui nunc Dux beneficio Regis Poloniæ imperat, agro Rastenburgensi, proximo confinio attingens Episcopatum Varmiensem. Situs est in Conualle riuulo modico discriminata, quem lacus Verbelus euoluit, & Denous excipit, vix quingentis passibus ab Resselio Episcopali Oppido dissitus.

Steterat antiquitus eo in loco ramosa quædam, & gloriâ Frondium nobilis Tilia; rarò exemplo placita Deo, in paucis magnæ matri Mariæ Virgini accepta. In hæc à primo fermè satu Christianæ fidei in Prussia videndam se præbuit admiranda effigies Beatæ Virginis Mariæ, diuina arte & manu facta, quæ puellum IESVM, DEVM nostrum maternis vlnis gestaret. Res ea admiranda, insueta, stupenda intuentibus videri. Excitq; primum rei nouitas vicinorum cultum: at fama manans longiùs, vniuersam Prussiam stupore complens; ad venerationem S. Mariæ religiosè commouit. Ablata quidem fuerat è Tilia ea SS. Virginis imago, & iteratis aliquot vicibus ad Rastenburgense Oppidum delata, & in Ecclesia reuerenter collocata: at illa miro quodam modo diuinitùs in eiusdem Tiliæ ramis consistens, iterùm est inuenta. Constitit demùm manifestè omnibus, ex hac diuina ad eundem locum imaginis translatione, velle Deum ad Tiliam & suæ potestatis gloriam, & B. Virginis Matris honorem inclarescere. Atq; mox ad Tiliam insolita coruscare miracula, mortales raris Dei donis cumulari, Prussia cœlestibus ostentis illustrior fieri, incalueruntq; exinde pij homines diuino feruore: aream exstruendo Oratorio designant: eleganti opere structuram emoliuntur: multiplici sacrarum rerum apparatu instruunt: Tiliam simul in qua prodigiosa B. Deiparæ Imago sedem sibi legerat medio pauimento sitam parietum compage circumplectuntur: Aram erigunt, & præsentissimum ei loco Deum salutari cœlestis hostiæ immolatione sanctè colunt: Diuamq; loci Præsidem Virginem Matrem varia votorum nuncupatione celebrant, & singulari veneratione prosequuntur. Adeò ut omnibus non obscurè innotesceret, in Prussia etiam diuinæ opitulationis certum asylum conditum fuisse.

Fuit, atq; etiam nunc est, Mariana Linda (sic enim vulgò nuncupatur) in Prussia locus à Deo electus, à gloriosissima Virgine Maria dilectus, illius præsentia nobilitatus, diuinis miraculis illustratus, grata cœlestium mentium sedes. Non est aliud, quam domus Dei, Scala cœli erecta est Tilia, per quam descendentes & ascendentes Angeli, preces & vota perferunt hominum, & deferunt gratiam. Hîc meritis portæ paradisi reserantur, ligati benigniter soluuntur, soluti à DEO clementer suscipiuntur, & quem eis de-

licta

licta clauserant, iustitia donatis aditus cœlestis patriæ aperitur. Variæ hic calamitates plurimorum pelluntur, vita prorogatur, mors arcetur, morbi fugiunt, ægri resurgunt, membra restituuntur. Multiiugus idcirco ad Marianam Lindam finitimorum confluxus institui; Incolarum Prussiæ flagrantissima pietatis argumenta cerni: omnium summus in Deum, Beatamq; Virginem Mariam cultus spectari: à quamplurimis optata desideriorum beneficia reportari vsitatissimum fuit; quibus Marianæ Lindæ celebritas, & sanctitudinis maiestas latè longeq; diffundebatur: ita ut deinceps sacer hic locus nunquam cœlestibus prodigijs clarere desierit: & hac etiam tempestate diuinis operationibus mirificè indies augescat. In summis verò mirisq; illud numerandum; quod Tilia Beatissimæ Virginis matris sacra imagine præsignis Oratorij ambitu incincta, vernantibus folijs perpetuò fronduerit. Transcendebat illa tum vertice supremum Oratorij culmen omnibus iniurijs aëris exposita; attamen immortali quasi virore perennans, & æstatis ardorem, & hyemis algorem superabat, quamdiu scelerato ferro inuiolata manebat.

Et viguit id Sacellum Lindense prisca semper pietate dum Romana Catholica religio imperturbatè in Prussia floreret, & Marianus Ordo Theutonicorum Equitum eidem addictus, his in terris rerum potiretur. Nobile id est, nec silentio prætereundum, ut sit Mariani cultus ad sacram Tiliam exemplum secuturis perenne. Albertus Marchio Brandenburgicus, postremus Ordinis Theutonici in Prussia Magister, religiosus etiam tum Romanæ fidei cultor, & veterioris veriorisq; pietatis affectator (qui postmodum nomen habitumq; Magistri exuit, & primus in Prussia Ducis insignia induit) sacrum hunc locum Lindensem eximia veneratione prosequutus est. Is enim quodam tempore, vel tristi aliquâ causâ, vel spontaneâ religione impulsus, sacram hanc ædem venerabundus, & quod mireris in viro Principe, iter illud orsus est à Schippenpel Oppido pedes, (quod à Marianæ Tiliæ Oratorio quatuor passuum millibus disiungitur) & strenuè pedes peregit: aut vt Prædicans quidam in suis refert chronicis Prussicis, nudipes Regiomonto Lindam adierit: Quantò altiùs Principum culmen, tantò rarior est submissio, sed eò etiam laudabilior. Ex vno illius temporis disce omnes: Hæc tùm pietas, hæc tùm prisca fides. Quem affectum cultumq; Loco huic Sacro exhibuerint inferioris fortunæ homines (quando eundem Summates, molestâ adeò ac laboriosâ itineratione frequentauerint) cogitari forsitan poterit, dici facilè vix poterit.

Mutatur interea sincerioris fidei integritas totâ ferè Germaniâ, & in vicinioribus illi regionibus turbæ coortæ deplorandam Sacrorum funestationem invexerunt. Perstrinxit quoq; hoc lugubre malum non leuiter Prussiam: Immutato namq; Reipublicæ statu Mariani Equites Ordinis Theutonici partim à saluifica Catholicæ Ecclesiæ religione & religiosa Ordinis professione desciscunt: partim constantiores loco pelluntur, Nobilissima Prussiæ portio ad blandimenta nouellæ fidei puluillos sub omni cubito manus consuentis, & ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad decipiendas animas facientis conuertitur. Electa pietatis, religionis, sanctitudinis, monumenta plerisq; in locis mota, labefactata, prostrata, pessundata sunt.

Con-

Concussit hæc tam dira tempestas Marianum etiam Oratorium Lindense, quod velut radiantis gemmæ fulgor Prussiam illuminabat. Et tum Præfectus erat Rastenburgi è præcipuâ nobilitate vir? (nomen recepta passim fama constanter memorat) hunc grauiter offendit, B. Mariæ Lindensis apud pientiores Christi fideles & vetustioris pietatis tenaciores, in pristina sua sanctitudinis existimatione perseuerare. Excanduit itaq; homo iam à fide vera læuus, & ideò sæuus, in Deum impius, in diuam Matrem Virginem contumeliosus, in rabiemq; actus, manum conflat, aduolat, inuadit, diruit, vastat, totamq; celebris ac religiosi Oratorij faciem in miserábilem informium ruderum aceruum redigit. Admirandam illam B. V. M. imaginem ex Tiliæ ramis deturbat, in lacum Virbelum, qui proximus loco sacro adstagnat, abijcit, aquis immergit; illa autem contra vim omnem vi diuina potentior, immersabilis, impietatis conatum frustrabatur. Dumq; mergi nequit, obscuro atq; obscœno loco abditur: Ipsa nihilominus in ruderosa Lindensi area rursum se conspicuè cernendam rursumq; colendam exhibet. Postremò, dolentibus vehementer pijs, vel flammis, vel alio nefando modo penitùs est abolita. Tiliam sacratissimæ Virginis Matris incolatu venerando prænobilem, nefariorum furor stirpitus excidit. Lateres Oratorii, vt & trabes ac ligna domorum illi adiunctarum quæ eandem demolitionis cladem subierant, Rastenburgum auecta, & in substructionem stabulorum Arcis conuersa, reliqua auectione indigna iudicata, permissa ignibus in fauillas redacta sunt.

Designato hoc tam immani in locum Sacrum scelere, existimabat cœlestium rerum hostis, se quoquè omnem simul B. Mariæ Lindensis venerationem deleuisse. Verùm altiùs ipsius cultus in mortalium animis insederat, quam vt ista, truculenta licet, impietate euelleretur, quin vel ipsa rudera squalorq; inamœniter horrens dulcem pietatis sensum cunctis afflabant. Et quantò vehementiori contentione homines Deo injurij, B. M. V. contumeliosi elaborabant, vt Mariæ Linden. memoriam unà cùm puluere eraderent, & æterna obliuionis caligine obuoluerent, cultumq; sacratissimæ religionis penitus exstinguerent; tanto sui maiore gloria Deus, & B. Virginis laude locum hunc apud omnes longè splendidiorem celebrioremq; faciebat. Nam non solùm Orthodoxi fideles Christo Deo humiliùs deuoti, & arctiùs Sacratissimæ Virgini Matri deuincti, quorumq; se intimis fibris B. V. Lindensis amor, honorq; implicuerat, eandem solenni veneratione coluerunt: Sed plurimi etiam eorum qui à Romanæ fidei obseruantia temerè discessionem fecerant, necdum verò omnes pietatis antiquæ igniculos sopiuerant, aut calamitate pressi, aut votorum rei, aut diuinorum beneficiorum cupidi, piè eam venerabantur, & donarijs, vt ferebant tempora, frequentabant. Minister supradictus Regiomontanus de loci huius religione (Idololatriam ipsi nuncupare placet) in sua historia Prutenica agens hæc stomachabundus effundit: Et egit hoc venenum Idololatricum tam altas radices in multis maximè in vicinis (Acatholicos intelligit) Episcopatui Varmiensi, ut etsi templum funditus excisum, & pœna etiam suspendij ad locum hunc confugientibus imposita, imò & aliquibus ideo laqueo gula fracta sit, tamen non desistant, sed nocturnò tempore eò conuolent, cereos accendant, &c. Hoc est Prædican-

tis Luterani de feruenti Luteranorum suorum religione in D. Lindensis etiam rudera testimonium.

Dum hoc modo in desolata B. M. V. Sacelli area inueteratus Dei cultus & recepta gloriosissimæ Virginis Mariæ veneratio apud homines non senesceret, sed speciosiùs quodammodo reiuuenesceret; tulit id indignè Præfectus ille idem Rastenburgensis, qui antehac loco sacro impias manus admouerat, atq; exulcerantibus animum furiis præceps rapitur ad maiorem Deo contumeliam inferendam, & scelestiorem Virgini Dei genitrici inhonorationem irrogandam. Quocirca vt hominibus ad ædem Lindensem confluentibus horrorem inijceret, fugam conciret, & à frequentatione omninò remoueret; patibularem Crucem in religiosa loci sacri area, erigit, facinorosumq; hominem, infelici ligno suspendit.

Degebat tum Præfecti illius Filius in Gallia, regisq; militaribus Ordinibus adscriptus stipendia merebat, cum Pater in D. Virginem Linden. omne genus impietatis exerceret. Accidit verò justo Dei iudicio, quamuis occulto, vt Iuuenis castrensi licentia enorme quoddam facinus committeret. Raptus Tribuno sistitur, obnoxius crimini conuincitur, & funis nodo eliso gutture, infami arbori miser extemplò appenditur. Et quò certius acriusq; diuinæ indignationis in Patrem sacrilegum liqueret esse telum; eodem planè die, eodemq; tempore Filium infaustâ carnificis manu enectum perdidit: quo ipse sacrum hunc Diuæ Virginis locum patibulari furca violauerat, & ferali hominis morte inceftauerat. Non longè post perferuntur ad illum ex Gallijs literæ de probroso Filij interitu nunciantes: Ille mox dolore & luctu amens, qui paulò antè elato superbus collo, quasi Deo triumphato, Beataq; Virgine Matre ad rhedam ducta, incesserat; iam humi stratus, tristem domus suæ fortunam, & sempiternum dedecus ex illætabili Filij morte lugere compellitur. Hocq; illi cor mœstum violentiùs, & irrequietiùs cruentauit; quòd, cùm dies computat, & horarum momenta componit, reperisset, eodem omninò die, eodemq, temporis articulo Filium patibulari morte fuisse multatum, quo ipse piaculari cruce locum sacrum Marianæ Lindæ contaminauisset. Lenta quidem esse solet diuina vindicta; at tarditatem grauitate supplicij pensare consueuit. In hoc præpropera fuit: cùm in scelestum recenti adhuc crimine furentem tam atrociter desæuierit, pondusq; supplicio addiderit, vt exstincto Filio, quem vnicum susceperat, omni quoq; generis propagatione sit orbatus. Documentum mortalibus, ne licenter adeò impunitatis spe, in Deum, cœliq; Reginam bacchari pergant. Et quandoq; felicior est peccator, si celeri pœna percellatur: In se nimirum descendit: &, aut penitus criminosæ vitæ labem deserit: aut minimùm remissiùs delinquendo insanit. Istud hîc factum, animaduerte. Non eiecit sanè Sacri loci temerator ex animo virus illud, quo turgidus tam horrendo se facinorum reatu impiauerat, tamen pudenda Filij morte emendatus, mentiq; leniori restitutus, atq; metuens ne grauiora cœlestis iracundiæ supplicia in se concitaret, funestum illud patibulum euelli, & quantocyus è loco Sacro abijci gemebundus mandauit. Repressa fuit hoc memorabili facto, malignorum flagitiosa audacia, ne temere Deo, Virginiq; Mariæ hoc in loco essent injurij. Req; ipsa compertum habetur, neminem vnquam, qui hunc quouis modo sceleratè violasset à diuina seueritudine man-

fisse

fisse immunem. Semper enim nefasta impietatis cornua, dentatis mucronibus cœlestis asperitatis atteruntur.

Cum hoc pacto Sacra Diuæ Lindensis area nonaginta, & eò amplius, annos deserta & squalida iaceret: ac tantùm inter arenæ lapidumq; cumulos antiqua pietas reperet, & feruida commeantis illuc populi religio inter ruderosa ruinarum fragmenta in Deum, Virginemq; Matrem anhelaret; diuino instinctu motus Generosus D. Stephanus Sadorscius S. R. M. Poloniæ & Sueciæ Secretarius, vt de asserendo hoc loco, & instaurando ad morem veterem Oratorio, piam demum ac seriam cogitationem susciperet. Immenso itaque labori, studio, diligentiæ haud quaquam parsum est à Sadorscio, quin omnem moueret lapidem, vt Loci sacri fundum in suam potestatem vendicaret. Ea res etsi frequenter in actionem deducta, lente tamen sub manus ibat. Interdum illi area solùm Oratorij concedebatur: interdum alia quædam particulatim addebantur; ita vt longo tempore multisq; repetitis vicibus nihil integrè hac in causâ transigi potuerit. Tandem, (curante Deo huius rei prouentum, interpotente etiam Seren: Rege suam authoritatem sæpenumerò) Anno incarnationis diuinæ decimo septimo supra millesimum sexcentesimum voti compos factus Sadorscius, ex animi sententia negotium feliciter absoluit. Magno verò sumptû ea loci istius Tiliæ comparatio: ita vt pretij amplitudo, Lindensis fundi angustam tenuitatem, longè superauerit. Tanti tamen Sadorscio loci huius religio valere visa est, vt libenter in asserenda illa, vel multò maiora æris ac rerum impendia facturus fuisset, dummodò pressa diu eo in loco pietas, quanquam oppressa nunquam, integrior & rutilantior caput cœlo attolleret.

Postquam igitur in potestatem Sadorscij Lindensis B. V. locus venisset, nihil illi fuit antiquius, quàm vt celeriter destinatam Oratorij Mariani instaurationem maturaret, Fabros operasq; conducit, ad locum Sacrum deducit, aream eruderent; & repurgent, veterisq; structuræ fundamenta diligenter vestigent imperat. At verò fundamenta, ipsum etiam Oratorij pauimentum tam altè proximi montis arenâ Destructores, impio molimine, operuerant, vt secundum summo adhibito studio, & ingenti exhausto labore omnis tamen Fabrorum & operarum conatus inanis esset. Æstuabat animo Sadorscius, & in subsidium Deum, Virginemq; Matrem rite vocabat, adessent secundarentq; numine suo cœptorum opera, quæ ipsi mente suscipienda indidissent; darent etiam facultatem perficiendi. Confirmatis ideò omnium animis, ne quid intentatum inausumq; relinqueret, tertiò illos ad exploranda veteris Oratorij fundamenta, auspicatò producit. Atq; fortè tunc dies vigesima prima Nouembris commodum illuxerat, & SS. Virginis in templo Hierosolymorum præsentatæ festam solemnitatem vehebat.

Iubet itaque operas expedire manus, adhibere vires, & vastam arenæ aggestionem, quæ Sacro loco superiecta incubabat, strenuè amoliri. Feruent cuncta indefesso labore. Fitq; vt tantam arenæ ac ruderum molem ex huius loci area homines tantùm triginta, intra medij diei spatium egesserint, quantam aliàs vix tercentum biduo sustulissent. Manifestum erat, ipsos auxilio Dei, & gloriosissimæ Virginis ope magnificè adiutos, id efficere potuisse. Apparuit principio vetusti Oratorij pauimentum, hinc in-

de pecunia sparsa visa collucere collecta est. Pristina Oratorij fundamenta luci restituta. Altare integrum in ruinis repertum. Cuncti se in laudes Deo ac Deiparæ dicendas prolixè effundunt Sadorscius præ reliquis eximiè lætatur, & Numini & Virgini impensè gratias agit, quod optata, opinione celeriùs, ardua licet, sed veloci tamen ad miraculum operâ ipso Præsentationis gloriosissimæ Virginis festo die, sibi repræsentata fuissent.

Nec diu moratur, rem ad structuram necessariam comparat, fabris & structoribus dat negotium; vt in retectis veteribus Mariani Oratorij fundamentis nouos superstruant parietes, speciem Sacelli ad formam pristinam concinnent, atq; operi quamprimùm summam manum addant. Tantusq; fuit Instauratoris in vrgendo opere ardor, tantumq; in deproperando studium, vt intra vertentis anni decursum Lindense Oratorium antiquo splendori restitutum sit. Addidit & cætera non parca manu Sadorscius, quæ decor domus Dei & locus habitationis gloriæ illius exigebat, quæq; grata Virgini Matri, & ornandæ religioni necessaria noscebat. Insignem aram in Sacello excitat, ipsum supellectile ad litandum libandumq; Deo ornat, sacris vestibus ditat: intus forisq; ornatu vario non inuenustè condecorat. Hauriunt iam hinc Orthodoxorum mentes cœlestem quandam lætitiam. Irreligiosa Cacodoxorum impietas inde tabescit, & stupens propemodum lapidescit, quando videt Oratorium hoc in auitam maiestatem cultûs esse assertum. Cupiuerant illi, quos recentis credulitatis inflauit vanitas B. V. M. Lindensem omnibus elementis sepultam: nunc aduertunt, Deum semper de scelerata impietatis immunitate triumphare. Experiuntur B. M. V. numine Filij, pede suo, infernalis caput Draconis, & illius noxiosi geniminis tumidas ceruices potenter elidere. A Domino factum esse istud lætatur Prussia, quod instauratum cernat Marianum hoc Oratorium, tanquam singularem cœlestium miraculorum officinam: vnde se nunc copiosiùs in omne genus hominum diuinæ bonitatis exerunt monumenta, & Sacratissimæ Virginis cultus ampliora sumit incrementa.

Hoc tam pium Sadorscij institutum potentissimus vnà ac Christianissimus Princeps Sigismundus III. Poloniæ & Sueciæ Rex adeò probauit, vt illud animitus complexus regia authoritate fulciendum, & fauore prosequendum decorum sibi duxerit. Persenserat enim religiosissimus Rex cœptum instaurationis negotium Illustrissimo Electori, Duci in Prussia aduersum esse, & plerosq; illud idem exosum habere. Quamobrem ad Electorem Orthodoxè & Regiè scriptas dat literas, quibus illi locum sacrum Lindensem inchoatamq; Oratorij reparationem, & instaurati conseruationem vehementer commendat. Adnectendæ eæ sunt, vt Serenissimi Regis, & in proferenda Dei gloria ardor, & in amplificando B. V. M. cultu studium, & in prouehenda Catholicæ fidei sanctitate zelus omnibus eluceat. Hinc piorum mentes ardentiùs ad Marianam pietatem inflammabuntur: & illi etiam, quos cœcus error in deuia ducit, ad eandem prouocabuntur; quando liquidò viderint B. V. Lindensem apud gloriosissimum & religiosissimum Regem in tanta esse venerationis existimatione.

SIGIS-

SIGISMVNDVS III. DEI GRATIA REX POLONIÆ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæq; nec non Suecorum, Gotthorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex.

ILLVSTRISS: PRINCIPI D. JOANNI SIGISMVNDO Marchioni Brandenburgensi, Sacri Rom: Imperij Archicamerario & Electori, in Prussia, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassuborum, Sclauorum, nec non Crosnæ, Carnouiæq; in Silesia Duci, Burggrabio Norimbergensi, & Rugiæ Principi, amico affini vti Filio nostro charissimo, salutem & mutui amoris incrementum.

ILLVSTRISSIME, PRINCEPS, AMICE AFFINIS VTI FILI NOSTER CHARISSIME. Pium Generosi STEPHANI SADORSKI Secretarij nostri institutum restituendi & reædificandi Oratorij in fundo Lindæ, quod prisca religione semper floruit, ita comprobamus, vt locum hunc sub patrocinio nostro maiora incrementa sumere desideramus: Quamobrem amanter ab Illustritate vestra postulamus, ut nostræ quoq; causa fauere velit optimo propagandi cultus diuini studio eius Secretarij nostri, atq; ita negotium istud promouere, ut nos reipsa experiamur Illustritatem vestram quidquid nos valde velle intellexerit, eò quoq; Illustritatem Vestram libenter studium voluntatemq; suam accommodare. Cui diuturnam valetudinem à Deo precamur. Datæ Varsauiæ XXVII. mensis Martij, Anno Domini MDCXVIII. Regnorum nostrorum Poloniæ XXXI. Sueciæ XXV. anno.

SIGISMVNDVS REX.

Quibus ex literis clarum euadit, quanti S. R. M. locum hunc pendat, quamq; instauratum Oratorium illi cordi sit: vt non facilè timendum videatur, illud quandoq; superiorum temporum cladem perlaturum, quamdiu S. R. M. rebus Polonicis & Prussicis præfuerit: atq; diuturnis post eam seculis serenissima illius progenies Regale in Sarmatia sceptrum tenuerit. Magno Regi, Victori excelso, Principi pio vitam, salutem, victoriam: & excellentissimæ soboli, vt Deus ad extremas etiam mundi horas felix ac beatum imperium in Polonia proroget ex animo vouemus.

Hac itaq; tam propensa in Marianam Tiliam S. R. Maiestatis voluntate motus Sadorscius; vt eò firmiùs à se restitutum Oratorium roboraret, lociq; sacri honorem intemeratum futuro æuo transmitteret; Ius patronatus suum; quod illi ex merito competebat, S. R. M. in manus tradidit, & simul amplissimo Regno tutelam B. V. Lindensis commendauit. Non respexit hic carnem aut sanguinem Sadorscius, sed seposito omni affectu cunctas sanguinis necessitudines à Bonis Lindensib: exclusit. Maluitq; potestate Regia & Regni robore B. V. Lindensis incolumitati consulere, quam consanguineos illius fundi accessione locupletiores existere. Hoc plurimum veritus, ne temporum lapsu, cui obnoxia sunt humana, ex illorum possessione exiens, in eorum, quorum ipse maximè nollet manus iteratò relaberetur, & ludibriosæ sortis atrocia arbitria subiret.

Non cælanda hoc loco videtur, in Sacrum hunc locum Reueren. olim & pientissimi Præsulis Varmiensis Simonis Rudnicki, dum viueret, affectio. Ardescebat perpetuò flammantis illius pe-






ctoris erga eius solitudinem deuotio, pietas exundabat. Solitus erat proinde quot annis, comitante vniuersa familia, senili prouectaq; ætate nequaquam retardante, ad sacratissimam Virginem eo loci venerandam pedestre iter aliquoties instituere. Inter viam profundum, quæ diuina decet, silentium, eleuatio mentis in Deum longè à terrenis semota, interdum precatoriarum sphærularum versatio adhibebatur: interdum voce Deus, voce Mater Virgo celebrabatur, pio Antistite sacri chori duce præeunte. Postquam verò locum sacrum attigisset; senilia membra honorabilis Præsul terræ illidebat. Ex imis cordis latebris suspirabundi erumpebant gemitus, singultus geminabantur. Oculi stillantes lachrymis liquescebant, & vbertim desertum solum rigabant. Arcanas his iungebat preces, crebra condensabat suspiria, Deum ad misericordiam, aduersùm se, aduersùm alios, prouocantia: & superna abundantiùs consolatione superfusus, votorum certus, alacer se domum recipiebat. Vnum hoc ille, antequam uniuersæ carnis viam ingrederetur, summo desiderio optabat, post receptum iam & expiatum Elbingense templum, cultumq; Orthodoxæ pietatis in illud postliminio reductum: post Regiomontanum Romanæ Religionis exercitium procuratum; vt Marianæ Tiliæ Oratorium cerneret restitutum. Vidit, antequam Spiritum cœlo redderet, & immensè lætatus est, Cygneumq; illud ac diuinum acroama (in quod Simeon quondam viso contrectatoq; in infantilibus Deo proruperat) exultante spiritu pius Antistes cecinit, ex mortalis vitæ ærumnis petens dimitti. Et satis se ad eam diem vixisse rebatur, Vir immortali vita dignus, cùm non solùm B. V. Oratorium eleganter reædificatum intueri; sed etiam illud Deo Opt. Maximo solemnibus ceremonijs sacrare, & sacratissimæ Virgini Mariæ Christiano ritu addicere diuino munere illi concessum fuisset.

Sunt quam plurimi homines vtriusq; Ordinis, fide integra, vita fulgentes, qui prædicant, quoties Lindense hoc Oratorium ingressi fuissent, toties occulto quodam horrore se perfundi sensisse, & inexplicabili mentis suauitate hausta fluentibusq; præ gaudio lachrymis mirificè refectos discessisse.

Vidi ipsum anno 1802. Jun. 8. Rex Wilhelmus tertius Borussiæ Rex [illegible] visitans.

B. V. Mariæ Lindensem magnis semper, claris, cœlestibusq; floruisse Miraculis in confesso est, pauca ad nos vel iniquitate, vel malignitate hominum deuoluta; tamen veluti sapida quædam diuinorum beneficiorum analecta Prussiæ tributorum non collegit idem Ciaritius ne perirent. Nec illa prætermittenda, quæ diuina bonitate in hunc diem mortalibus benignè præstantur. Firmantur ijs mentes Orthodoxorum, & aluntur ad salutem: illi quoq; qui recentium errorum salebras amant, misericorditer ad Veritatis tramitem inuitantur, quæ videre licet apud eundem Ciaritium & R. P. Clagium S. J. unum refero.

Vir quidam Nobilis in Vicinia Sacri loci habitans (nomen consultò tacetur) præteribat squalescentem Marianæ Tiliæ aream eo tempore, quo patibulari cruce illa adhuc esset dehonestata. Solutus itaq; risu subsannans lætabatur, locum sacrum dedecoroso patibuli tormento funestatum. Cumque Chirothecis, quas manu gerebat, insultaret minabundus, conspexit subitò mirabundus Chirothecas, sibi insensibiliter ereptas, è patibulo pendere, vnaq; vocem expauescendam audijt; Ne idipsum tibi contingat, caue. Exanimatus fere metu homo gradum corripit, & cœlestibus minis edo-

edoctus, religiosiorem se deinceps exhibuit loco Sacro, etiamsi ipse veræ religionis exsors maneret.

Erat Prussis prætereà peculiaris deus pro equorum custodia, vaccarum, porcorum, ouium caprarumq;, quem Vurskeitum: pro cura anserum, gallinarum, anatum, columbarum, pauonum & cæterorum domesticorum animalium, quem Sueibratum appellabant. Nimirùm illos pro dijs talibus asciuerant, qui se cum Pruteno & Viduuito in cineres redegerant. Venebantur Prussi serpentes vti deorum nuntios, quos sub pœna capitis occidere non licebat: noctuam, & nescio quid non aliud. Habebant lucos & siluas quercinas ac aliquot fluuiolos in pretio. Illas non secabant: ex his nec pisces comedebant: nec ipsâ aquâ ad necessitates suas utebantur. Cuiusmodi fuit fluuiolus Golbe dictus in districtu Insterburgensi, pagum Narpisken prælabens: cuius veneratores etiam vno priuabantur oculo: quod sibi honori ducebant. Inter sacras siluas vna erat Pobetensis in Sambia. Inter montes sacros habebant Rambin è regione Ragnitæ ad fluuium Menemem situm. Quem impunè non nisi comptulæ & benè vestitæ mulieres ascendere potuerunt. Nudipedes & inornatæ eum conscendentes, infirmitate corporis corripiebantur. Num deas stulta ista gentilitas coluerit, non memini me apud authorem aliquem legisse. Duos annuatim festos dies celebrabant Prussi. Primus erat in vere quando ager aratro coli cœpit. Hoc festum Pergrubij vocabant, id est, diem celebrem in honorem dei istius, quem putabant herbas, frondes, aliaq; terræ germina producere. Alter dies festus agebatur peracta iam messe. Quæ si vberior prouenisset, dijs maximas gratias peragebant: sin angustior, deprecabantur suas culpas: quibus tenuitatem istam adscribebant: promittentes vitæ meliorationem. Solennitates quorumcunq; deorum, vtpote Pergrubij, tum quoq; Percuni vt pluuiam congruam daret, Sueistixti luminis dei, Pilcuti vt horrea frumentis compleat vel maximè consistebat in compotationibus & vanis precationibus Criuorum. Epotabat enim Criuus ad singulas dæmonis inuocationes phialam potabilis liquoris quam dentibus tenebat exhaustamq; sine attactu manûs per caput sub dorsum præcipitabat: quam alter à tergo manu excipiebat, ne terram contingeret. Nautæ & piscatores venerabantur Perdoytum. Commune Prussorum sacrificium pro pluuia aut serenitate siue alijs necessitatibus impetrandis, erat caper emissarius. Vnde nunc adhuc à vicinis Pruteni & maximè ij qui à veteribus Prussis descendunt, à domesticis per contumeliam Bockheiliger, id est, hircicoli vocantur. Existimabant Prussi se immolatione fæcundi animalis à dijs optima quæq; impetraturos, qui caper tali ritu immolabatur. Sacrificulus impositis manibus hirco in medium adducto, inuocabat in præsentia virorum ac mulierum congregatorum ad sacrificium, deos, vt præsentis animalis carnes & sanguinem sanctificare velint gratamq; hostiam accipere: quatenus sanctificationem suam dignè ipsis peragere liceat. Fiebant hæc conuenticula plerumq; in horreis. Tum eleuatum hircum circumibant tamdiu donec sacrificulus eius guttur cultro fregisset, sanguinemq; in phiala excepisset. Quo populum aspersit fatus hæc verba: Hæc est illa laudabilis patrum nostrorum consuetudo & memoria, qua reconciliare iram deorum nostrorum possumus. Peracta tali cæremonia decoriabatur hircus & coquebatur. Mulieres interim in area horrei ignem oblongum excitarunt & ex farina allata placentas per flammam surgentem sibi inuicem ex aduerso stantes ad manus exporre-

Vurskeitus.

Sueibratus.

Golbe sacer fluuius

Silua sacra.

Montes sacri.

Festa Prussorum.

Bibendi modus.

Immolatio hirci sacri.

Bockheiliger.

porrectas, vſq; dum planè decoctæ eſſent, iactitarunt. Coctis panibus & carnibus hilariter veſcebantur atq; bibebant choreaſq; atq; alias inſolentias per totam noctem exercebant. Diluculò reliquias ex hac ſacra ſcilicet comeſtione, extra pagum comportato tumulo ſepeliebant, ne à canibus contingerentur. Si plures pagi ad ſacrificium confluxiſſent, loco hirci taurum immolabant. Si quem furtiuè præſentem deprehendiſſent ex Chriſtianis huic aut alteri ſacrificio intereſſe, aut in exopinato ad id adueniſſet, morte illum multabant: vti contigit Simoni Grunauio ante centum annos, qui oblationem hirci cui ipſe cum periculo vitæ interfuit, paulò aliter, quàm modò deſcripſi, refert. Sic verò ait. *Ex inopinato ingreſſus domum, reperi multitudinem virorum ac mulierum congregatam. His ruſticus Veidelotus eorum, prouectæ ætatis vir vernaculo ſermone concionabatur. Quàm primùm conſpectus ſum ab ijs, arreptis cultris mihi mortem intentarunt, intuliſſentq; dubio procul, ſi vel nutu id permiſiſſet Veidelotus. In hoc inſtante periculo Pruſſico idiomate vitam deprecabar: pollicens me præſtiturum, quod mandarent. Cùm itaq; audirent me more ipſorum loquentem, lætabantur plurimùm exclamabantq; omnes, Sta noſſen rickie, rurſum illud repetentes. Debebam verò ſub nomine Percuni dei coram ipſis iurare, me id non delaturum ad epiſcopum illorum: agebamq; per omnia prout ipſi. Erexerant verò Veideloto tam altam ſedem, ut prope capite tabulatum tangeret. Loquebatur is primùm de ortu & origine illorum & quid aliquando egerint. Poſteà enumerabat decem Dei præcepta. Et certè adeò pulchro modo, quem ego in hanc horam antehac nunquam audiuerim. Poſt hæc adductum hircum ſanctificabant longa precatione ſuper eo vſi: accedenteſq; peccata ſua illi confitebantur, id eſt, id quod commiſiſſent contra inſtructionem Veideloti: qui tandem hircum decapitauit: cuius ſanguinem, qui aderant, vaſculis exceperunt, eum malè ſanis pecoribus propinaturi. Excoriarunt eum viri & in fruſta eum ſecuerunt: mulieres carnem ſuper folia quercina in clibano candente poſita, aſſarunt. Dum aſſabatur ea, quilibet genibus flexis ante Veidelotum, ab ipſo per capillos ſatis benè trahebatur, quod pro abſolutione acceptum fuit. Deſcendente verò de ſede Veideloto, in eum omnes certatim inuolabant & per capillos ipſum trahebant vt altiſſimè clamaret. Nam perſuaſum habebant, eo maiorem ſe recepiſſe veniam peccatorum, quo maiores eius eſſent clamores. Inſtruxit deinde mulieres Veidelotus, quid illas facere oporteret. Tandem fruebantur carnibus ſacri Crivei bibebantq; hilariter. Et hoc quidem vocabant illi kirvayre. Nec quiſquam, niſi potus benè à conuiuio domum recedere debuit.* Hucuſq; Grunauius. Ex qua relatione apparet, ne Chriſtianos quidem ruſticos à gentili ſuperſtitione ante circiter centum annos, ceſſaſſe. Vtebantur Pruſſi legibus nihilo mitioribus in ſe ipſos quàm in Chriſtianos, diabolo ſuggerente, qui ab initio fuit homicida. Nemo enim illorum maiorem numerum filiorum, aut ſeruorum ac ancillarum ſeruare potuit, quàm pro laboribus ſufficerent. Reliquos vel vendere vel mactare debuit. Potuit pater concedentibus legibus claudos, cæcos, vitioſos filios, ferro, aquis, igne aut aliquo alio modo tollere. Quin potuit filius parentes laboribus impares impunè mactare. Ducebat vir vxores quot libuit. Inter eas erat una obſeruantior, alias loco ancillarum habuit. Illa verò debebat obſeruari magis ab ipſo quæ ex familia eorum eſſet, qui cum Pruteno rege in regionem venerant. Reliquæ poterant eſſe ex illo genere populi, qui ante Prutenum in his terris conſederant.

Legum crudelitas

Ermia duciſſa, de qua ſuprà, ut viciſſim contineret plures uxores in offi-

in officio & obsequio viri unius, in insolentes uxores contra virum, seuerissimas leges ediderat. Prima fuit, ut mulieris quæ viro saltem mala imprecata fuerit, collo quatuor lapides appenderentur, quos de villa ad villas assignatas portaret, neq; eos absq; permissu Crini deponeret. Altera lex. Mulieri virum percutienti abscindantur nares perdatq; omne jus in domo viri præter debitum conjugale. Tertia lex. Detrahens uxor de fama viri, junior virgis cedatur, senior in loco remotiori à dijs igni exuratur. Has leges etiam alia territoria Prussiæ, quasi salutaria, recipiebant. Vir non lugebat diutiùs vitâ functam uxorem, quàm uno die naturali: quo evoluto poterat aliam in domum superinducere. Non tamen eam gratis accipiebat, sed pro ea patri pecuniam numerabat, vel pecudem aut frumentum, aut quid simile solvebat. Sponsa cùm duceretur in uxorem, consanguineas matronas è vicinia, ad domum paternam ad convivium invitabat. Quæ convenientes virginitatem sponsæ deflebant. Ipsa solicitam se esse ajebat, quæ nam in posterum loco suo, domui paternæ prospectura esset, pecora, gallinas: catos, ignem & similia domi curatura? Interim aderat currus à sponso missus invitabaturq; sponsa, ut currum conscenderet. Quod ubi fecisset, & devecta terminum loci, in quo sponsus habitabat, attigisset, ibi à matronis suis admonita denuò fuit, ut eâ diligentiâ, qua apud parentes, in ædibus quoq; viri, familiæ, supellectili & animalibus prospicere velit. In domo sponsi lavabant sponsæ pedes & eadem aquâ thalamum, hospites, convivas, granaria, horrea, stabula cum pecoribus, tanquam sacra & lustrali, aspergebant. Tegebantur prætereà sponsæ oculi fasciâ deducebaturq; per omnes januas ædificiorum: quam aliquis cum sacco frumentis onerato ponè sequebatur, eam monens, vt singula limina januarum pede contingat, addita imprecatione, vt omnia solaria domûs ac omnes anguli conmplerentur. Quàm diu mulier fæmellam enixa est, sertum in capite more virginum deportabat: si masculum peperisset,, sertum deponere debuit. Adulter vir & mulier igni vivi exurebantur. Nobilis demortuus indutus vestimentis, vt vivus ad mensam in sede collocabatur: propinabantq; ei consanguinei poculum cum exprobratione, quare, cùm haberet speciosas mulieres, decoros filios filiasq;, amicos plures & opes, tamen voluerit vitâ excedere? Posteà exurebatur cum pretiosa supellectili & cum ipso uxor, vel filius, vel equus aut quid aliud quod in viuis charissimum habuit. Colligebantur combustorum cadauerum cineres in ollis supraq; montes statuebantur ac rursus tumulis & colliculis in rotundum ex terra & lapidibus congestis tegebantur. Qui passim etiamnum in Prussia conspiciuntur. Comburebatur autem cum mortuo vivus charissimus eo libentiùs, quòd speraret se in altera vita eo quoq; fortunæ loco & gratia apud dominum futurum. Si plebeius aut rusticanus decessisset, quocunq; in loco, in terram defodiebatur: addito viatico, cereuisia & acu cum filo pro reparatione vestium in itinere ad vitam alteram facienda. Superstitiones reliquas Prussorum circa demortuos leget beneuolus lector in libro secundo historiæ hujus: vbi eis ac similibus coram legato Pontificio sacro sanctè renunciant.

Matrimonia Prussorum.

Funera.

Requisitus diuinus de fure quatuor angulos in phiala aliquo liquore plena designabat. Dejectoq; in illam denario, diligenter contemplabatur, in quam mundi plagam is decidisset. in ea quoq; jussus est fur quæri, qui comprehensus pro prima vice virgis cæsus est, pro secunda fustibus: tertiò canibus dilacerandus objiciebatur. Homicidam sine misericordia necabant.

Furis indagatio.

De

Euentus belli scrutatio. De bellorum euentu fortunam ita experiebantur. Captiuum quempiam ex hostibus ad arborem sed non quercinam alligatum sagittâ transuerterabant. Si sanguis ex corpore copiosè & procul profilijsset, erat id boni omnis signum: si versùs terram in corpore defluxisset, mala quæq; Prussi metuebant atq; ideò à bello abhorrebant. Vexillum bellicum ex alba tela, in qua idola illa tria coloribus & locis suis ut supra dixi, subscriptis quibusdam characteribus, constabat. *Prædæ partitio.* Prædam bello perceptam in quatuor distribuebant partes. Prima cessit dijs & quidem optimi quiq; equi coloris candidi: quos donec inanimes caderent, cursu fatigatos exurebant. Secunda in sustentationem Criuorum dabatur. Tertiam inter se diuidebant: ultimam inter amicos.

Potus Prussorum Fuit gens bibax: lac equinum in delitijs habens ante mellis cum aqua despumationem & cocturam cereuisiæ cognitam. Si quos hospites accepissent Prussi, illis se nihil gratius exhibituros putabant, quàm vt se pariter cum illis ad vomitum ingurgitarent.

Balneorum usus Balneorum vsu pene quotidiano lassitudinem labore vel intemperantia & ebrietate contractam depellere, indeq; calefacta corpora frigidæ aquæ immergere aut abluere hiberto quoq; tempore solebant. Victitabant ex cultu agrorum, animalibus domesticis, venationibus, piscationibus: posteriores etiam ex rapinis Peculiariter opibus studebant. Naufragos misericorditer leuabant. Neminem ostiatim mendicare permittebant: sed qui egebant, nunc cum hoc, nunc cum alio edebat prouidebaturq; de alijs vitæ necessarijs. Vestimenta lanea viri, linea mulieres deportabant. Colla ornabant circulis æreis nobiliores: aures quibusdam appendulis. *Arma* Arma eorum fustes erant quorum extremitates plumbo onerabant. Excedebat vnus fustis staturam hominis: alij sex aut plures breuiores multò, sub cingulo deportabantur. Successu temporis vtebantur arcubus ac frameis prout videbant hostes vicinos armari. *Idioma* Lingua vtebantur ea ferè qua Lituani, Liuones & Samogitæ: quæ non paucas habebat admixtas Latinas voces, corruptas ferè. Expertes literarum non credebant referentibus posse hominem homini absenti per epistolam sensa animi sui indicare. Talibus vt paulò ante dixi erroribus tenebantur Prussi: existimantes id quod luberet, licere salutareq; ipsis esse. Neq; enim nisi sensualitatem cum brutis magistram religionis & morum hactenus experti erant. Cujus causa, à vicinis Polonis, Masouijs ac Pomeranis non Prussi sed Pruti, quòd juxta brutorum animalium modum vitam ducerent & ratione humana rectè non uterentur, vocabantur. Non impunè verò id faciebant. Nam injuriam nominis vt vlciscerentur Prussi cum vicinis *Neudeburgum* calumniatoribus, in Galindia, in loco in quo Neudeburgum oppidum ædificatum est: sic dictum, quòd mercatores mercimoniorum causâ ibidem sese odio prosequerentur, bellum commiserunt. Quo cùm etiam Prussi superiores facti essent, tandem Masovijs reconciliati sunt, quòd hi dicerent, se illos Prusciences, quasi præscientes non verò Brutenos vel Brutos vocasse. Ita persuasi Prussi, Masovios bello persequi desierunt. Sed & quendam Bydgostiensem ducem eadem contumeliâ se afficientem & deprecatum injuriam venientem, cum simili insania, in proprium equum ligatum, more suo in deorum gratiam exusserunt. Tandem Deus qui solus potuit, Prussorum misertus, manum fortem errantibus porrexit & ex massa iniquitatis sibi populum acceptabilem bonorumq; operum sectatorem per prædicationem euangelij sui fecit. Cùm itaq; filius Dei, Dominus Jesus Christus, verus Deus & homo atq; mundi lux Judæam radijs doctrinæ suæ illustrasset, reliquum orbis

bis terræ per Apostolos suos illuminatum voluit. Super quo negotio illis facultatem dedit dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes.* Et quidem fecerunt Apostoli ut ipsis Dominus præceperat: sed ij ob brevitatem vitæ vniuersos angulos mundi penetrare cùm non potuerint, susceperunt hanc provinciam legitimi illorum successores, Catholici inquam episcopi de quibus paulò post dicturus sum, vbi priùs aliqua de moderno statu & forma Prussiæ, post absolutam Prussiæ veteris faciem (contraria enim contrarijs opposita, magis elucescunt) præmisero. In qua quidem relatione, quæ intermissa sunt in veteri Prussia, vt flumina, lacus, ac alia quædam vtriq; communia, etiam recensebuntur.

V Recentior Prussia.

Nunc itaq; dividitur Prussia in Ducalem sive Orientalem & regiam: saluis ex magna parte nominibus veteris diuisionis. Vtramq; incolunt Germani & Poloni, pauci, qui ex veteribus Prussis originem ducunt. Prussia regia ab occasu vlteriorem Pomeraniam confinem habet. A septentrione sinu Baltheo; ab ortu Prussia ducali cingitur. Tribus autem satrapijs distincta est: Culmensi, Marieburgensi & Pomerania. Quarum hæc occidentalis est: reliquæ duæ Vistula flumine ab illa diremptæ, orientales. Ex his Culmensis ad meridiem spectat, Marieburgensis ad septentrionem. Harum duarum satrapiarum civitates & arces sunt: Torunia, Coualouia, Rogosno, Bartenia, Bilgelauia, Culma, Culmsea, Lubauia, Fridecum, Graudentum, Golubcum, Engelburgum, Luxemburgum, Lessen, Leyps, Nouamarca, Radinum, Marieburgum, Dersauia, Christiburgum, Stuma, Gedanum, Elbinga, Tolchemita. Varmia & ipsa est Prussiæ regiæ, ad Aquilonem seu Euroaquilonem vergens, ducali vndiq; fere cincta. Marieburgensem quoq; satrapiam contingit; nec in ulla satrapia censetur, episcopo suo & sacro ejus Ecclesiæ collegio, regis Poloni majestatem agnoscentibus. Ejus episcopatus oppida & arces numerantur hæc. Varmia siue Fraumberga, Braunsberga, Vormditum, Gustadium, Melsaccum, Heilsberga, Bisteinium, Seburgum, Vartemburgum, Allensteinium, Resselium, Bisburgum. Ducalis Prussiæ præter regiam Prussiam, limes est à septentrione mare sarmaticum, cum lacu Curonensi & ora Liuoniæ. Ab ortu Samogitia cæteraq; Lituania. A meridie verò, Masovia. Satrapiam ea nullam habet, præfecturas permultas. Cujus ducatus oppida sunt: Regiomontum, Lochstet, Vargena, Girmania, Pobetia, Rudauia, Schaken, Kaymena, Cremita, Valdauia, Tapiauia, Tapelauca, Narbeta, Insterburgum, Allenburgum, Vonsdorfia, Girdauia, Angerburgum, Nordenburgum, Labia, Lausica, Tilsita, Ragnita, Rosita, Vindburgum, Memela, Brandeburgum, Cruciburgum, Fridlandia, Domnauia, Bartenia, Letzen, Balga, Heiligebeila, Cynthia, Landisberga, Ilauia, Bartensteinum, Seheften, Sensburgum, Rein, siue Regenum, Rastemburgum, Lick, Ioannisburgum, Holandia, Libstadia, Malhausum, Libmola, Salfeldium, Risenburgum siue Prabuta, Morangum, Passenheimum, Ortelsburgum, Osterrodum, Hoensteinum siue Olsteinicium, Neudeburgum, Soldauia, Liliopolis siue Gilgenburgum, Sippelbeinum, Gilauia, Preusmarca, Quizinum siue Marieuerderum, Tirenberga, Labtauia, Freistadium, Schonberga, Pouunda, Georgiburgum, Rolenberga, Gardensea, Neuhausum, Salauia, Fischusum, Bisofuerderum et si quæ alia. Prussia pleraq; omnis, excepta Marieburgensi satrapia, quà ad Habum & mare vergit, collibus molliter assurgit & vallibus ad fertilitatem amœnitatemq; commodè distincta est. Aër ejus regionis frigidior per hiem-

Varmiæ oppida.

Oppida ducalis Prussiæ.

hiemem: sed tamen non caret quoq; debito calore quo sata & alij fructus maturescant per æstatem: quamuis quandoq; in vere præcociores flores cæraſorum frigore intereant. Pomaria non sunt infrequentia & infructuosa: præsertim in suburbanis Torunensibus, Gedanensibus, Elbingensibus, Fraumburgensibus, & alibi: in quibus pirorum, malorum, prunorum, persicorum, cæraſorum & nucum bonitas & varietas certat cum Vngaricis & Italicis. Antiquitus apud Torunium & alibi vineæ non infeliciter coli cœpêre. In mari Sarmatico Prussiam alluente colligitur succinum (ambram etiam externi vocant) quod fluctibus appulsum ad litora homines nudi etiam hiberno tempore obuiam euntes paruis retibus (ubi illud maximè colligatur superius dixi) excipiunt molle, sed mox in aëre durescit, tornoq; ac scalpro variè conformatur. Legitur etiam am ejectum in maris litore, vt non sit opus ingredi aquas. In lacubus quoq; nonnullis à mari remotioribus id reperitur, vt in Pissia episcopatus Varmiensis cameratûs Seburgensis, modicum tamen. Quin & in editioribus locis fossa altius humo, fertur inueniri. Spumáne maris concreta id sit, an succus & gummi arboris, an quidpiam aliud, non est hujus loci disputare. Est sanè leue & pellucidum estq; fulvum & candidum. Candido majus pretium. Ferunt si incendatur, odore ejus venenata necari. Visuntur in nonnullis frustulis formicæ, muscæ, culices & alia insecta, non arte, sed vel opificio naturæ vel fortuitis casibus inclusa.

Pomaria. *Succinum.* *Flumina.*

Fluuijs etiam Prussia non caret. Vistula quidem in ea finit. Vbi autem hic Prussiæ fines attingit, in Septentrionem reflexus, deinceps mediam eam diuidit. Supra Marieburgum autem in duos alueos præaltis aggeribus obiectus sectus insulam insignem & fertilem, quam Germani, das grosse Werder vocant, efficit & nomen amittit. Ac sinister quidem alueus, qui maior est, Leniuuca, alter Nogatus dicitur. Quorum hic in Habum lacum tribus ostijs: ille verò duobus, partim in eundem Habum, partim in mare, infra Gedanum sese exonerat, longitudinis quidem gradu 41. latitudinis verò 54. cuius fontes etiam sunt longitudinis itidem 41. gradu, latitudinis 49. minuto 20. Præterlabitur verò Vistula ciuitates Prussiæ: Torunium, Culmam, Graudentum, Quizinum, Nouum, Gneuum siue Meuam, Dersauiam & Gedanum. Nogatus Marieburgum. Alna siue Alla & Pasſeria non longis inter se spatijs orti, versus septentrionem fluunt. Et Passeria infra Olsteinicium siue Hochsteinum (ut vocant Germani) ducale oppidum existens. Morango, Libstadia, & Brausberga oppidis præteritis, Habum lacum subit. Alla verò supra Allensteinum sacri collegij Varmiensis arcem & oppidum, cui etiam nomen dedit, oriens, præteritis Gutstadia & Heilsberga Varmiensibus: & Bartensteino, Sipelbeino, Fridlandia, Allemburgo, ducalibus oppidis, apud Velauiam Prægollæ ab ortu hiberno per ducalem Prussiam decurrenti miscetur & cum eo infra Regiomontum vrbem longit. graduum 43. latit. 54. Habo lacu recipitur. Dreuancia verò non ita longo ab illis interuallo oriens diversoq; meatu versus austrum fluens, supra Toruniam à Vistula excipitur. Nec desunt Prussiæ minores riui, qui orti ex lacubus & scaturiginibus vel se rursus in lacus vel in dictos maiores fluuios exonerant, minoribus piscibus ijsq; gratissimis abundantes. Lacubus piscosis in primis abundat regio. Qui lacus à quibusdam referuntur esse 2037. quorum minimus in se continet spacium quatuor mansorum. In his nominatissimus est Habus, quem etiam recens mare

Alna *Passeria.* *Lacus.* *Habus.*

re vulgò vocant, ad quindecim milliaria in longitudinem inter Gedanum & Regiomontum vrbes, secundùm mare patens, & ab eo angusta insula, quæ Neringa appellatur, disiunctus: in latitudinem verò duo milliaria, plus minus. Ac Elbingam quidem vrbem non longo spatio adspicit eiq; portum efficit, eiusdem nominis flumine nauigabili influente: Tolckemitum verò, Fraumbergum (cui basilica Varmiensis in modum arcis munita impendet) Balgam, Brandeburgum & Fischausum oppida & arces alluit: receptisq; vt dixi Vistula & Prægolla & alijs minoribus fluminibus, apud Lochstete arcem, mari miscetur. Hoc aliquantò amplior lacus alter est eodem nomine, cognomento Curoniensis in Prussia ducali, in quo sunt ostia Nemenis fluuij (Memelam vocant Germani) per Lituaniam defluentis. Inter duos hos Habos & mare peninsula est, quæ & ipsa Neringa, sed Curonensis appellatur. Secundùm hos est Drusnus siue Drausenus lacus in Marieburgensi satrapia, vnde Elbinga flumen profluit: Partecinus, Lubnus, Rensina & Viecininus in Culmensi. Sunt & in Varmiensi ditione non pauci. Præcipui verò Dadeius, Zainus, Vadangus, Pissia, Blancke quasi albus, Sinser, Lingenaus, Lemanglus, Ellingus, Plaucicus, Clebergus, Cosnicus, Obelus, Marangus & alij complures. Sunt & in ducali Prussia multi & grandes. In lacubus atq; etiam in piscinis & fluminibus hiberno tempore commodiores ferè sunt piscationes quàm æstate, pertusa certis interuallis glacie, retiq; per maius foramen in aquam immisso, quod longis funibus ad perticas alligatis hominum equorúmue operâ longo spatio in diuersa tractum, coeuntibus rursus piscatoribus alio foramine, piscibus refertum aut etiam pluries vacuum aduersâ fortunâ extrahitur. Sunt autem eadem genera piscium in lacubus & piscinis. Vtrobiq; enim sunt lupi siue lucei, prasmi, percæ, rhombi quos nos carassios dicimus, sumi, sendacij, cirtæ siue certæ à delitijs, ni fallor, apud Germanos nomen sortitæ, tineæ, anguillæ, ruboculi, carpoones, quos reginas vocant Itali, Latini Cyprinos, quemadmodum vult Ioannes Dubrauius Olomucensis episcopus. Tametsi minùs frequentes hi sunt in lacubus, quàm in piscinis: in quas paruuli tanquam in viuaria studiosè includuntur. Ferunt etiam lacus nonnulli eos quos saluizas & Sielauas Poloni, Germani marenas vocant. Piscis est dulcis & sapidus haleci similis. Fluuiatiles verò sunt cum ijsdem ferè omnes, tum delicati in primis, truta, barbo siue mullus (paruenam vocant) fundulus, oculata, quæ lampreda quoq; dicitur, alosa siue borbocha, cuius iecur potissimùm est in delicijs, à Polonis mientus dictus: itemq; lipien, sliz, bersana, voleia, iasdez & quæ biala riba weißfisch hoc est, albus piscis appellatur: quibus latina nomina dare non habemus. Canceris & anguillis etiam quidam lacus abundant: anguillis etiam & stinctis Habus & alij nonnulli lacus Prussici. Marinis piscibus non admodùm abundat ea regio. Haleces in Prussia pauci prehenduntur: à Cymbrica autem Chersoneso & Scandia & ex Oceano Germanico plurimi & optimi nauibus eò importantur. Pomuchlæ non desunt neq; passeres. Salmonem siue escum & sturionem inter marinosne an fluuiatiles numerem, nescio: vtrobiq; quidem prehenduntur sed è mari in flumina certis temporibus enatant, transilientes obstacula. In quibus etiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Tantò sunt suauiores, quantò longiùs à mari & Habo recesserint. Quin vniuersùm pisces ij qui tam in fluuijs quàm in mari victitant, quorum vtrinq; quidam vltra sexaginta genera numerant, sapidiores sunt

Pisces.

in fluuijs quàm in mari vel lacubus capti. Sed ab aquis & aquatilibus ad terrestres animantes transeamus.

Ferarum genera. E ferarum animantium genere fert hæc regio copiam leporum, dorsarum, sciurorum cuniculorum quoq; alicubi: ceruorum etiam & aprorum & vrsorum & luporum. Et horum autem & onagrorum atq; bisontium Prussia ducalis ferax est. Est autem bisons prægrandis, verùm pernicissima fera, magnis & introrsus leniter incuruis cornibus nigris armata, quibus equum cum sessore correptum in sublime identidem iactat & arbores mediocri crassitudine evertit. Magnitudinis eius illud quoq; est argumentum, quòd in capite eius inter cornua duo, imò tres etiam homines possint considere. Habet villosum & hispidum corium & sub mento palearia. Caro eius sale condita in delitijs est magnatibus & principibus. Cornu sonorum & ob id venatoribus in vsu est. Onager bos appellatur. Alcem hanc esse volunt. Fera est longis cruribus & auribus aliquanto maior equo, colore cesio & fusco, mas capite cornuto, cuius vngula posteriorum crurum, si autumni initio spiranti adhuc desecentur, expetitur, comitiali præsertim morbo laborantibus salutaris. Et harum quidem ferarum carnes aptæ sunt humano esui: cultui verò pelles subministrant. Martes siue Mardures, quas cunas dicimus, vulpes, lupi, rosomaci, lutræ item & castores, *Castores.* amphibia. Atq; horum, castorum, inquam, caudæ etiam inter delicatos cibos & pro piscibus habentur, reliqua carne inutili propemodùm. Extruit autem sibi hoc animal cubile ligneum in marginibus fluminum & lacuum, cameris compluribus alijs super alias distinctum ac secundum incrementum aquæ domicilium mutat: ita ut cauda natante reliquum corpus in sicco maneat. Pellem habet in dorso hispidam sed mollem: vnde fimbriæ fiunt exornandis vestibus hibernis & pileis. Vrsorum quoq; volæ cum digitis esitantur: pelles etiam stragulæ vestis usum præbent. Cuniculi, lepores & sciuri cultui iuxta ac esui apti sunt.

Auium genera. De iumentorum genere, bobus & equis abundat Prussia. Ouium item & caprarum ferax est. Auium quoq; habet copiam. Præter altiles autem, nempe gallos gallinaceos domesticos iuxta ac Indicos, anseres, anates & columbas in delitijs hæ sunt, pyrargus, quem quidam bistardam vocant eò quòd tardior sit propter molem corporis & vix à terra evolet, pauo, grus, cygnus, perdix, bonosa, coturnix, sturus siue starnus & quæ cietrzew & cieciorca & glussetz, quasi surdaster à Polonis vocatur. Et vt rapaces accipitres, miluios, vultures, nisos, ardeas & multas alias mittamus, minorum quoq; avicularum aptarum esui magna est copia. Incolæ Prussiæ cum maxima ex parte Germani aut è Germanis oriundi sint, in conscribendis actis iudiciorum Germanica lingua magis utuntur vulgo, mixtim Polonica & Germanica loquentes: quarum gratia addiscendarum Poloni cum Prussis tam fœminas quàm mares filiolos permutant.

Vrbes. Gedanum. Habet Prussia vrbes celebres & munitas. Principem locum obtinet Gedanum octogesimo ferè à Cracouia milliario. Vrbs est è tribus oppidis coagmentata, portu, naualibus & granarijs nobilis: copia & varietate mercimoniorum partim maritimorum, partim terrestrium ex diversis mundi partibus & fluuiabilium, maximè Vistulæ prælabentis opportunitate abundans, munitione firma ciuium & conuicinarum industria ac diligentia culta. Gedano proxima dignitate nunc est Thorunia, 24. milliarijs introrsum versùs Cracouiam ab eo distans & in *Turonia.* ripa Vistulæ sita duobusq; oppidis distincta. Olim emporio & omnibus

bus rebus florentior. Sed Gedani incrementa eam non paruis detrimentis affecêre & infrequentem reddidêre. Quod itidem ipſi Culmæ priùs uſu venerat. Quæ ciuitas ea dignatione fuit antiquitus, ut ab ea cætera omnis Pruſſia atq; etiam Maſouia pleraq; ius peteret. Quod etiamnum inde Culmenſe dicitur. Viguerunt in ea non ita pridem etiam bonarum literarum ſtudia. Nunc ea pro amplitudine ſua infrequens eſt admodùm. Cumq; ſuperiori tempore in ditione regia fuiſſet, nunc paret epiſcopo, qui inde nomen habet. Tametſi cathedra eius eſt in oppido Culmeſea, vno milliario inde diſtante. Elbinga etiam Pruſſiæ vrbs eſt gemina, permunita & copioſa, niſi quòd eius quoq; luminibus officiant, vt ita dicam, ab altera parte Gedanum, ab altera Regius mons vicinæ & maiore commoditate portuum copioſæ vrbes. Eſt autem Regius mons ducalis Pruſſiæ caput, tribus oppidis & arce magnifica inſignis: terreſtri quidem itineri 18. milliarium, per Habum verò aliquanto minore interuallo à Gedano diſtans, Præ̨golla flumen interſecat & vno fermè milliario infrà ea in Habum influit. Minoribus itidem oppidis frequens eſt admodùm vtraq; Pruſſia & quidem nec incultis nec immunitis. In regia primarium eſt Marieburgum, cùm ipſum per ſe mœnibus turribusq; permunitum, tum arce ampliſſima & munitiſſima nobile, ſitum ad Nogatum brachium Viſtulæ, ſexto ab urbe Gedano milliario. Propter adiacentis autem inſulæ, cuius mentionem ſupra feci, vbertatem glebæ, pagorumq; frequentiam & cultum, copioſum & frequens. Ea verò inſula in paluſtri olim reſtagnantis Viſtulæ ſolo operibus & prææalti ac firmi aggeris obiecta, ad vtrumq; fluminis brachium effecta, magno hominum labore, non ſine periculo ab inundatione defenſatur. Maior ea vocatur. Minor autem appellatur, continens ei ad occidentale latus Leuiuucæ & ad Motlauiam Gedanumq; pertinens planicies: & ipſa paluſtris olim, nunc autem foſſarum ductibus exculta & facta compaſcua. Marieburgo non multùm recedit Heilsberga, epiſcopi Varmienſis domicilium. Cathedra enim ſupra Fraumburgum eſt, quemadmodùm ſuperius attigi. Initio verò Braunsbergæ ea fuit collocata. Quod ipſum quoq; oppidum geminum, permunitum, frequens & copioſum eſt, ita vt inter primarias vrbes Pruſſiæ numerari queat. Quam vir ampliſſimus Stanislaus Hoſius S. R. E. Cardinalis & Varmienſis epiſcopus vnà cum ſacro eius ipſius eccleſiæ collegio ſtudijs literarum atq; doctrinæ nobiliorem reddidit, & in religione catholica conſeruauit, collegio religioſorum virorum, qui de Societate Ieſu vocantur in eo collocato. His oppidis non multum cedunt Gutſtadium, Allenſteinium, Reſſelium, Vormditum, Melſaccum, Vartenbergum, Seburgum in eodem tractu ac diœceſi Varmienſi. In reliqua Pruſſia Neimarcum, Brodnicia ſiue Strasburgum, Stuma, Graudentum, Lubauia, Razinum & inter hæc interiectum Quizinum, non ita pridem ſedes Pomeſanienſis epiſcopi, cuius diœceſis inſulam quoq; maiorem & Stumenſe territorium complectebatur. Nunc ea caret epiſcopo. Pagi pleriq; omnes ad lacus, rivos & flumina ſiti ſunt, ſparſim duplici vt plurimùm, ordine disiectis agreſtium domicilijs. Germani ruſtici minùs incultè habitant, quàm Poloni facileq; dignoſcuntur. Balneorum in ciuitatibus eſt vſus ad abluenda & leuanda ſudore corpora. In quibus mares ſeorſim lauant à fœminis. In pagis ſibi agreſtes (quod & ciues priuatim faciunt) balneum inſtruunt in cadis tectis, quod candentibus lapidibus temperant. Fit cereuiſia in Pruſſia ex hordeo. Nec mel deeſt Pruſſis qui & ipſi itidem id decoquunt more Lituanorum, licet non tam

Culma.

Elbinga.

Regius mons.

Marieburgum.

Maior & minor inſula.

Braunsberga.

Collegium non collocavit nisi Restauravit Conventum Ord. Mini. S. Francisci Fratrum Jesuitis tradidit.

Pagi.

Balnea.

Cereuiſia.

tam

Mulsum. tam præstans, *Medonem* vulgò vocant. Vinum non fert regio, vt di-ctum, sed infertur per portus Rhenense, Gallicum, Hispaniense, Canariense & Creticum nauibus. Aliquantò posteriùs Polonis Christo nomina dederunt Prussi. Citiùs autem & cupidiùs Lutheranum dogma amplexi sunt vrbani præsertim & qui sunt Germanici sanguinis propter mercatorùm & opificum Germanorum frequentiam & lectionem librorum hæreticorum è Germania importatorum. Nec desunt frequentes Caluini veneno imbuti ac etiam Anabaptistæ.

Habitus. Vestitus simplicior erat virorum & mulierum in Prussia ante illos 40. annos: qui adeò nunc mutatus est, vt ne vmbram quidem veteris (quod ex antiquis imaginibus haberi potest) à longè referat. Importarunt eum exteri, tum illi qui ex nostratibus vel studiorum vel mercatûs gratiâ apud alias nationes peregrinati sunt.

Ius. Vtitur autem omnis fermè Prussia ducalis juxta ac regia jure municipali, quod Culmense vocatur. Quod tamen non certum est in hanc vsq; diem. Eruitur id quidem è tenebris & colligitur, sed nondum in lucem prodit. Solæ Elbingensis & Fraumburgensis ciuitates Lubecense amplexæ sunt vel secum fortassis attulêre. Et quoniam vtrumq; id paucis capitibus continetur, in cæteris recurritur ad Saxonicum & Magdeburgense: indeq; ad Romanum, quibus de rebus neq; Culmensi aut Lubecensi neq; Magdeburgensi & Saxonico jure neq; plebiscitis ciuitatum aut constitutionibus regijs cautum est. Dedit enim constitutiones & leges quasdam sapientissimus rex Sigismundus senior partim toti Prussiæ regiæ, partim Gedanensi ciuitati peculiariter. Easq; auxit optimus ejus filius Sigismundus Augustus, cùm in ea vrbe esset anno post Christum natum 1552. Quibus conscribendis Cromerus adfuit. Non ita pridem etiam cùm idem rex coitiali decreto clarissimos & prudentissimos aliquot Senatores ad Elbingensem & Gedanensem ciuitates corrigendam quorundam errorum & abusuum causâ cùm summa potestate delegasset, condiderunt illi leges nonnullas rebus, locis atq; temporibus accommodatas. Quas is, qui fuit princeps ejus legationis vir amplissimus Stanilaus Carncouius Vladislaviensis episcopus in lucem edidit.

Vectigalia regia. Vectigalia regia non ampla sunt in Prussia eaq; proueniunt potissimùm è ciuitatum pensionibus, agris & prædijs insulanis & præfecturis. Quarum tamen pleræq; donationibus, venditionibus & hypothecis in impendia bellorum superioribus temporibus accisæ aut prorsus alienatæ sunt. Quod itidem alijs quoq; vectigalibus in ciuitatum jus translatis factum est. Verùm ea detrimenta crebris tributis populariter in gratiam regis scitis vel decretis superiori tempore compensabantur. Metallorum ea regio ferax non est.

Fruges. Fruges non malignè profert & linum & lupulum, easq; merces trans mare mittit. Mittit & materiam fabricandis nauibus & vasis exornandisq; domibus aptam & ceram & cinerem & bubula coria, immò & carnes. Sed hæc ei ferè suppeditat Russia, Samogitia & Lituania. Quin & frugum & aliarum rerum ad victum pertinentium majorem copiam eædem regiones & Masouia cæteraq; Polonia ratibus & nauibus fluuiatilibus subministrant. Accipit autem ea vicissim transmarianis commercijs vina, oleum, aromata, saccarum, salem & alia condimenta mensarum, telam item & pannos laneos juxta ac sericeas & quas prætereà mittit Lusitania & India diuites cupedias. Eaq; omnia Polonis & Lituanis Prussia transmittit. Hinc est vulgo simul & nobilitati res lautior vestitusq; & habitatio cultior. In victu

qui-

quidem frugalitas prisca adhuc fermè retinetur: vtinam compotationes essent moderatiores, sed est id commune vitium septentrionalium populorum. Distinguuntur Prussi itidem ac Poloni sacro & prophano ordine: nobilitate ac plebe. Sed paulò meliore est conditione plebs in Prussia quàm in reliqua Polonia. Eodem quidem cum nobilitate, jure & ijsdem legibus vtitur, prærogatiuis modò quibusdam inferior, per quas tamen plebeij neq; à bonis terrestribus neq; ab honoribus & magistratibus neq; à sacerdotijs, neq; à consilio publico arcentur. Nec nobilitas modesta & frugalis eos dedignatur. Quin decedit ea quoq; vnà cum sacro ordine nonnihil de immunitate sua reipublicæ & concordiæ gratia. Sacerdotibus justus honor habetur, à Catholicis præsertim.

Monachi & monachæ cùm isto seculo præsultore Luthero domicilia sua reliquissent, manent etiamnum ea vacua in quibusdam locis. Et quidem Toruniæ Franciscanorum, pro quo locum dederat Popo Provincialis Prussiæ, quo in loco quondam ante extructum monasterium, capella B. Virginis Mariæ steterat: in qua multæ sanitates eam visitantibus à Deo Opt. Max. concedebantur. Salfeldiense à Ioanne Tieffen & F. Erasino Gebelsatel Maresalco ordinis pro Bernardinis ædificatum, destruxit Albertus dux Prussiæ anno Christi 1524. cum Erhardo episcopo Pomesaniensi sublata inde omni Ecclesiæ supellectili. Ioannes IV. ejus nominis episcopus Pomesaniensis Risenburgi siue Prabutæ pro Carmelitis excitarat. Sed ijs dimissis Iobus à Tobeneg successor ejus in episcopatu, in eam ecclesiam sodales S. Spiritus introduxit. Direxit id monasterium Iacobellus de Lapide Silesita tribus annis, deinde benè nummatus discessit: quem secuti alij monachi ductis uxoribus in diuersa abierunt. Lebenecense Regiomontanum monasterium à Vinrico Cniperode ex voto extructum, de quo alibi plura, perijt quoquè. Velaviæ Bernardinorum erat monasterium. Sed inde ejecti monachi ab Alberto tempore belli, alium locum Regiomonti nempè ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ ad arcem impetrarunt. Cùm etiam hic strepitu bombardarum, clangore tubarum ac canum ululatu in exercitijs pietatis, vt dicebant, impedirentur, ab Alberto demum granarium in Lebenich pro devotione peragenda acceperunt. Inde ab eodem pulsi sunt anno 1524. Proditur literis Regiomontanos admodum liberales & benignos in monachos fuisse. Bernardini Tilsæ ædificauerunt monasterium anno Christi 1519. Sed id vix natum, ad exortum hæresis Lutheranæ sicut ad Turcismum euanuit. Ita etiam Elbingæ S. Birgittæ & Dominicanorum, Girdauiæ quoq; Dominicanorum, Patolli S. Augustini. Heiligebeilæ duo Minorum. Velauiæ vnum Bernardinorum, aliud Martinianorum. Fraumburgi Antonitarum de quibus alibi. Braunsbergæ Franciscanorum, Vartenburgi Bernardinorum, Resselij Augustinianorum. Sed hæc hactenus.

Monasteria deserta.

Regis potestas in Prussia minùs est restricta quàm alibi. Senatus constat duobus Episcopis, tribus Palatinis, totidem Castellanis, totidem Succamerarijs de tribus primarijs civitatibus: quarum non mediocris est potentia. Earum verò bini consules legati siue nuncij pro singulis habentur & alternas dicunt sententias. Princeps senatus & moderator est Varmiensis Episcopus, huic proximus Culmensis, qui olim eum anteibat. Quorum hic Crucigerorum operâ quodam tempore de Gnesnensi prouincia detractus, Rigensi addictus fuit: vt suo loco dicetur, vehementer accisus redditibus & episcopatus ecclesiaq; indi-

Culmens. Episcop.

Varmiens. Episcopus. in ditionem ordinis ipsius redacta. Ille verò, Varmiensis inquam, initio quidem Rigensis Archiepiscopi metropoliticam authoritatem agnouit, nunc verò multis annis in nulla prouincia censetur & soli subest in rebus ecclesiasticis Romano Pontifici. Magistri & Ordinis dominatum nunquam agnouit; amicitiam & societatem, cùm & ipse plerumq; Germanici Sanguinis, libenter coluit: nec sine malo ac detrimento suo & Ecclesiæ suæ. Ad regnum verò Poloniæ post reliquam Prussiam peculiaribus pactis cum Rege Casimiro initis sese adjunxit. *Vladislauiensis Episcopus.* Vladislauiensis Episcopus habet non contemnendas possessiones in Pomerania. Atq; ea tota fermè in Diœcesi ipsius est, indeq; Pomeraniæ quoq; Episcopi titulum is usurpat, sed ad Prussicum consilium non pertinet. *Palatini.* Palatini sunt Culmensis, Marieburgensis, qui ante hac Elbingensis dictus fuit & Pomeranicus. Castellani, Culmensis, Elbingensis & Gedanensis. Succamerarij itidem atq; Palatini ciuitatis Torunensis, Elbingensis & Gedanensis in singulis satrapijs siue palatinatibus singulæ eundem ordinem seruantes inter se in consilio quem sui Palatini. *Consiliarij.* Hoc est consilium Prussicum. Consiliarios terrarum Prussiæ vocant, quos & ipsos more aliorum juratos esse oportet. Varmiensis tamen Episcopus, diuersam ab alijs jurisjurandi rationem & formulam pacto præscriptam habet. Nam is, si Rex est in Prussia, ipso præsente: sin minus, nonnullis magistratibus Prussicis ad id delegatis in arce Marieburgensi, præeunte verba aliquo Episcopo, jurat. Ciuitatum delegati injurati ad consilium admittuntur, aliquóne priuilegio, an per abusum, nescio. Habent autem Consiliarij Prussici sua loca & jus dicendæ suæ sententiæ in amplissimo totius regni Polonici consilio. Verùm ea loca ante aliquot annos, post auctum Lituanorum accessione senatum aliqua ex parte variata sunt: ita tamen, vt nihilominus Episcopi inter Episcopos, Palatini inter Palatinos, Castellani inter Castellanos considеant. Palatinorum Jurisdictio & authoritas in Prussia major est, quàm in cætera Polonia. Penés eos sunt mulctæ & supplicia delinquentium, rerumq; judicatarum executio. Tranquillitatem quoq; publicam in agris & extra urbes ij præstant. Castellani & Succamerarij eodem sunt jure, quo in Polonia. De Episcopis paulò pòst dicetur. *Thesaurarius.* Præter hos autem magistratus, habent Prussi Thesaurarium, præfectos arcium siue Capitaneos, gladiferos, judices & scabinos. Verùm ij non pertinent ad consilium. Thesaurarius est qui pecuniam omnem & rationes à Præfectis & administris regiorum bonorum & prouentuum atq; etiam tributorum publicorum exigit, & vel ipse administrat, vel thesaurario Regni tradit. *Gladiferi.* Olim is Oeconomus fuit seu procurator Marieburgensis. Gladiferos singulos habent Culmensis & Pomeranicæ satrapiæ. Judices nouem sunt. In Culmensi quidem & Marieburgensi satrapijs singuli: in Pomeranica verò septem, nempè totidem, quot territoria. Sunt autem ea: Slochouiense, Taucholiense, Suecense, Dersauiense, Zucouiense, Puscense, & Mirachouiense: habentq; singuli Judices in consilio Scabinos juratos aliquot. *Præfecti arcium.* Præfecti arcium & redituum Regiorum in sua quisq; Præfectura, curam & administrationem habent: Jurisdictionem fermè nullam habent, præsertim in nobilitatem, neq; in oppidanos amplam: In agrestes, ampliorem. Solus Marieburgensis neq; redituum Regiorum curam agit, neq; in agrestes Jurisdictionem habet: arci modò præest, ejusq; præsidio: quod perpetuum est. Cæterum constitutione quadam, ampliores is cæteris præfectis & magistratibus prærogatiuas habet, velut generalis locum tenens Regis in Pruss-

Prussia. Reddituum verò subditorum Regiorum & sartorum tectorum ejus ipsius arcis curationem habet thesaurarius. Igitur primaria totius Prussiæ præfectura Marieburgensis est, cui Polonus antiquitùs præficitur.

Secundùm hanc in eadem satrapia sunt hæ præfecturæ, Stumensis, Meuensis, Nouensis & Stargardensis. In Culmensi, Brodniciensis, Graudentina, Radinensis, Golubensis, Rogoznensis, Bratianensis, Coualiensis, Copriuunensis, Dersauiensis & Purcensis. Torunensem verò, Elbingensem & Gedanensem præfecturas ciuitates ipsæ sibi Regiâ Indulgentiâ & ex pacto vendicarunt, & per magistratus vrbanos administrant.

Episcopi cùm Collegijs suis, suos & ipsi habent arcium atq; territoriorum præfectos & Burgrabios, suosq; Judices & Aduocatos, & oppidanos Magistratus. Habent & Cancellarios & officiales suos in causis Ecclesiasticis vterq; Episcopus. Habent enim vtramq; Jurisdictionem & amplissimam potestatem in suos. Varmiensis quidem Episcopatus, vno & non interpolato ambitu in modum Principatus bona certis finibus peculiariter circumscripta & arcibus atq; oppidis exculta habet: Eaq; sic diuisa, vt duas partes Episcopus, tertiam Collegium siue Capitulum obtineat. In his utriq; subiectam Nobilitatem habent & liberam Jurisdictionem, ab omni Regiorum Magistratuum Jurisdictione exemptam. Præterea pertinet etiam Elbingensis ciuitas cum suo territorio, ad Varmiensem diœcesim: Quamuis jam aliquamdiu hæretica labe infecta conniuentibus Regibus & suffragantibus nonnullis Magistratibus ab Ecclesiastica Episcopi Jurisdictione sese subtrahere nitantur. Bartena quoq; terra & Nactangia ante ducentos annos ejusdem Episcopi Jurisdictioni subjectæ fuisse & supra sex millia mansorum tunc Episcopo Varmiensi per fraudem & injuriam Crucigerorum detracta esse memorantur. Subditi Episcopi & Collegij Varmiensis eodem quo cæteri Prussi jure municipali vtuntur. Sed habent etiam peculiaria, inter se autem communia instituta, quæ Landsordnung, hoc est, terræ constitutiones vocant. Conuentus autem communes habent. Ad eos autem Nobilitas, Ciuitates, & Sculteti cum Liberis, (de quibus postea dicitur) euocati, pro se quisq; binos vel plures, etiam ex singulis territorijs procuratores siue legatos mittunt, ijs de rebus, quæ in consultationem veniunt cum Episcopo & Legatis Collegij constituturos. Cæterùm ea nobilitas omnis & Aduocatus & Ciuitates, præter Jusjurandum, quo partim in Episcopi, partim in sacri Collegij verba jurant, nouo quoq; Regi ac deindè decimo quoq; anno ei ipsi ex pacto fidem suam obstringunt. Tametsi de decimo anno in desuetudinem abijt, sublata causa, hoc est, pacatis prorsus rebus Prussicis, & extirpato ordine Teuthonicæ militiæ. Jurant etiam Sacerdotes, quando certum aliquod Sacerdotium adipiscuntur. Primarij tamen, qui prælati & Canonici Cathedrales appellantur, intra mensem, posteaquam in Collegium cooptati sunt. Eos autem Pontifex quidem Max. creat, Collegium verò una cum Episcopo eligit: excepto Præposito, qui à Rege editur siue præsentatur, ab Episcopo præficitur. Habet verò summus Pontifex menses impares: Capitulum pares. Sed neq; Præpositus, neq; cæteri tres Prælati locum & suffragium habent in Collegio, nisi sunt etiam Canonici. Culmensis Ecclesiæ Collegium ad quatuor Canonicos redactum est. Qui singuli à cæteris una cum Episcopo cooptantur. ipse autem Episcopus à solo Rege designatur, à Pont. Max. creatur. Cæterùm

Varmiensis Episcopus.

Landsordnung

Iuramenta.

Episcopi Varmiensis electio. terùm Varmiensis ex pacto recentiori è quatuor Canonicis indigenis à Rege propositis, vnus ab ejus ipsius Ecclesiæ Collegio deligitur: deinde hic quoq; à Pontifice renunciatur & confirmatur. Ac tùm demùm sacris Pontificalibus ad præscriptum Ecclesiasticorum Canonum initiatur. *Magistratus terrestres.* Magistratus terrestres in Prussia quoq; itidem ac in Polonia à Rege creantur: Judex tamen ex aliquot à Palatino cum Dignitarijs & cætera Nobilitate de consessu Scabinorum delectis, ab eo editur. Scabini soli à Palatino cum cæteris dignitarijs illius loci creantur. Sunt autem & Prussici Magistratus omnes perpetui, præter Præfectos, qui Regis arbitratu mutari possunt, nisi beneficio ac diplomate Regio sibi prospexerint. Ciuitates à Decurionibus seu Consulibus, & quidem Germanicæ linguæ & sanguinis, (Polonos enim pro externis habent, & neq; ad artes Mechanicas perdicendas admittunt) reguntur: quorum non idem vbiq;, certus tamen est numerus. Et ipsi jus habent cooptandi, quos volunt, in sua Collegia, quoties vacat locus, eoq; majore sunt dignatione & authoritate, quando volunt, & obsequentiorem habent plebem. His præsident magistri ciuium, à Decurionibus ac de numero ipsorum delecti, & ipsi itidem atq; Decuriones perpetui, in primarijs quidem urbibus quaterni, in cæteris verò oppidis bini per vices annuum gerentes Magistratum. *Iudices.* Habent item singulæ Ciuitates juratos Judices, siue Scabinos, qui à Decurionibus siue Consulibus leguntur. Et ipsi autem perpetui sunt, nisi fortè in numerum Consulum cooptentur. Neq; enim eundem Consulem & Scabinum esse licet, præter Elbingam & Brunsbergam: ubi pars Consulum loco Scabinorum judicia exercet. Cæterùm unus ex Consulibus eis præficitur, quem Scultetum vel Judicem vocant. Primariæ tres Ciuitates etiam Præfectos habent singulos, ut dudum memorauimus, quos vocant Burgrabios, & eos quidem annuos ferè: qui tranquillitatis vrbanæ, ac totius territorij curam gerunt, causasq, priuatarum injuriarum & sanguinarias judicant, & pro ijs mulctas irrogant. Hunc solum Magistratum Rex in Ciuitatibus creat, sed non nisi unum è sex vel octo è numero Consulum ejusdem Ciuitatis, ab ipso Collegio delectis; ijdem autem Consules ex omni ciuium numero, Gedani quidem centumuiros, alibi verò pauciores, deligunt, qui sint capita multitudinis, & quasi Tribuniplebis, cum quibus communicant nonnunquam consilia de Republica, & ex ijs cognoscunt postulata plebis. Vitantur enim coitiones multitudinis propter externorum omnis generis hominum frequentiam, ne quando in seditionem erumpant, ut nonnunquam factum est. Judicia Nobilitatis judices terrestres cum suis Scabinis, præsidente Palatino, bis quot annis exercent in certis oppidis. Infamiæ tamen causa & stâtus controuersia, itidem ac in Polonia, ad Regis judicium pertinet. *Appellationes.* A terrestribus judicijs provocatio est ad Consiliarios Prussiæ, indè verò ad Regem. In oppidis verò judiciaria potestas ferè omnis est penes Consules, exceptis paucis causis, quarum mentionem dudum fecimus, & si quæ sunt aliæ ad Burgrabios vel Palatinos pertinentes. Sed eam ipsi Consules, quod ad priuatorum hominum inter ipsos controuersias attinet, cum jurato Judicio, cujus mentionem dudum fecimus, communicarunt. Ab eo verò Judicio in primarijs quidem Civitatibus ad Consules ciuitatis cujusq;, in cæteris autem oppidis, ad consilium totius Prussiæ: indè porrò ad Regem prouocatur, Rex verò de quibusuis prouocationibus vbilibet & cum quibus vult cognoscit: plerumq; etiam cognitionem delegat Cancellarijs,

&

& Jureconsultis. Alioqui priuatum neminem è Prussia Regi euocare licet, exceptis ijs causis, quæ sunt Fisci, & Judicij Regij propriæ. Magistratus terrestres juxta ac urbanos, euocat de ijs duntaxat, quæ in Magistratu perperam & præter officium suum egerint: vel si mauult, consiliarijs Prussicis eas delegat in comitijs cognoscendas. Delegat etiam vel ijsdem vel quibus vult, causas Fisci sui, finium regendorum cum suis bonis ac diuidendæ inter fratres & cognatos hæreditatis. Quasuis item alias ab alijs ordinarijs Judicibus per prouocationem ad se deuolutas.

Comitia Prussiæ. Comitia bis quotannis habentur in Prussia statis temporibus: Majo quidem mense Marieburgi, Septembri autem extremo Graudenti. Ex justis tamen causis ea quoq; loca mutari possunt. In ijs Comitijs à Consiliarijs de Repub. in commune consultatur, siue vltrò siue ex præscripto Regio: de prouocationibus terrestrium & oppidanorum Judiciorum cognoscitur: & omnino Judicia vel à Rege delegata, vel si qua sunt alia, exercentur. Cum Ducalibus quoq; Prussis, seu Ducis ipsius Legatis nonnunquam Elbingæ ex fœdere, vel Marieburgi, constituta certa die conuentus habentur & consultationes de Legibus & alijs rebus communibus & controuersi s. Pridem in Prussia quoq; Nuncij Nobilitatis, & minorum Ciuitatum in Comitijs adhiberi cœperunt, Tributi sciscendi causa: cujus decernendi potestatem, neq; Rex neq; Consiliarij soli usurpant. Ad Regni quoq; Comitia Nuncij mitti cœperunt. Sciscitur autem Cereuisiarium Tributum plerumq; in usus publicos vel in gratiam Regis: vocaturq; vulgò id Cisa vel accisa. Nonnunquam etiam de Censibus, agris, Domibus, Bonis & facultatibus, æstimatione facta, certa portio pensitanda decernitur. Varmiensis Episcopatus subditi nihil habent negotij cum Comitijs. Solus illis iuterest & præest Episcopus (tenet is inter duos Archiepiscopos & tredecim Episcopos Poloniæ octavum locum, quem tamen alternatim cum Episcopo Luceoriensi cummutat) ac deinde de ijs, quæ ibi constituta sunt, ad peculiarem Conuentum suorum refert, de Tributo præsertim. Nec temerè ij dissentire solent ab Episcopi sui, & conuentus Prussici sententia. Nihil tamen vetat, ipso quoq; arbitratu suo, authoritate Episcopi & Capituli præeunte, peculiares Leges, & ut vocant Ordinationes sibi condere, tributumq; sciscere. Quin etiam Magistratus Ciuitatum non rarò imperant Ciuibus suis Tributum peculiare, & operas aliaq; onera in vsus publicos Vrbium suarum adhibitis Capitibus plebis.

Portus Portus maris tres habet Prussia. Regia quidem Gedanensem & Elbingensem: quorum hic in Habum lacum, ille rectà in mare procurrit. Ducalis verò Regiomontanum, qua Prægela fluuius in Habum influit. Atq; hic quidem cum portorijs & omni Jurisdictione & omnibus impendijs in Ducis: duo verò reliqui in ipsarum Ciuitatum, quibus adjacent, & Magistratus potestate sunt. Verùm is tamen, Magistratus inquam, sine permissu vel mandato Regio, claudendi & aperiendi portus potestatem non habet Quod de Tributo quoq; decernendo itidem nuper constitutum est.

Belli ratio. Quod ad bellum attinet, si qua vis hostilis ingruat Prussiæ, domesticis communibusq; plebi cum Nobilitate viribus depellitur. Ac *Sculteterum immunitas.* Nobilitas quidem cum proceribus Equestris militat; Sculteti item & liberi (quos ita vocant, quòd & ipsi ab operis & laboribus, quos Rusticani Dominis suis præstant, gratuitam immunitatem habent, medij quodam modo inter Nobiles & rusticanos agricolas: Ferunt tamen

tamen nonnulla onera extra ordinem) ciuitates Equitatum atq; Peditatum suppeditant: rusticani peditatum tantum. Atq; hæc de forma & statu Prussiæ hujus temporis: qui in Religione, ac eo quod ad Politicam rationem pertinet, tùm in munitionibus, vestitu ac cæteris, plurimùm ab illo veteri distat, dicta sufficiant. Si quæ adhuc restant aut desiderantur, ea decursus Historiæ quam nunc prosequor, facilè supplebit.

V De Apostolis primis Prussiæ.

Susceperam verò Prouinciam in initio Historiæ, agendi, de viris sanctissimis, qui Prussos veteres à vanitate Idolorum ad DEI veri cultum reducere conati sunt, & quod ijdem malè ab illis excepti fuerint. Quod quidem modò necessitas ac ordo à me efflagitat. Et quidem qui primus in Prussia Euangelium Christi prædicavit, quantum constat, fuit S. Suitbertus. Cujus vitam satis prolixè descripsit, S. Marcellinus Præsbyter ejus coætaneus: ex quo breuiter quæ ad institutum meum pertinent, huc adfero. Fuit S. Suitbertus Anglus, nobilitate generis clarissimus, natus anno Christi. 647. ex patre Sigeberto comite Montigramensi in Notumbria: & matre Berta ex Ducum Anglorum familia præcipua. Is igitur ex Abbate Daconensi Episcopus factus à S. Egberto cum alijs undecim clarissimis, inter quos Adelbertus Deidorum Regis filius, qui ob Christi amorem regnum terrenum reliquerat, fuit: diuinæ prædicationi institit. Postquam verò plurimas Regiones peragrasset, in senili sua ætate Brunsuiga in Prussiam primus venit. Et quamuis in initio grauiter à Barbaris exciperetur (nam illum palmis & incuruis baculis percusserunt) non tamen deterritus est à prædicandi officio: sed per biennium suauissimis suis concionibus permultos ab enormi idololatria liberauit. Quod sine miraculis non est factum. Hinc Coloniam ad Principem Pipinum profectus, ab ipso honorificè excipitur. Moritur verò S. Suitbertus post natum Christum anno 717. circa quod tempus Cracus apud Polonos rerum habebat principatum. Post hæc de Prussorum actis nihil constat, quantum scio, vsq; ad tempora Ziemouiti Principis Poloniæ apud Cromerum in vita Lesci quarti: Vbi author memorat Ziemouitum patrem Lesci obijsse circa annum Domini 906. vel, 913. qui repetijsset à Prussis bello, quæ ij superiori tempore de Polonis ceperant Lesco verò successit Ziemomislus, Anno, 964. Hic permisit quibusdam Benedictinis Monachis, vt prædicarent Euangelium Polonis, Masouijs, ac Prussis. Et quidem ex illis nonnulli Christi nomen receperunt, at ex Prussis nemo. Ziemomislo successit Miecislaus: cui natus est filius Boleslaus, qui dictus est cognomento Chrabry, ab Heroicis virtutibus, id est asper, anno redemptionis humanæ, 967. Post S. Suitbertum & dictos Benedictinos, venit in vindemiam Prussiæ S. Adalbertus; non solùm cum bona venia & permissu Summi Pontificis Benedicti sexti, sed etiam visione cœlesti admonitus. Quomodo hoc acciderit, cum alijs ejus vitæ actis mihi nunc commemorandum est.

S. Suitbertus. — *Anno. 647.* — *Adalbertus.* — *Anno 717. Cracus.* — *Ziemovitus* — *Anno. 906.* — *Anno. 964. Ziemomislus.* — *Boleslaus Chrabry.* — *S. Adalbertus.*

S Adalbertus Episcopus & Martyr.

S. Adalbertus nobilissimo Bohemorum ortus sangvine Patrem habuit Slawnicum Comitem Libicensem nepotem Henrici Aucupis Imperatoris ex filia, vel sorore, Matrem verò Strzezislawam sororem S. Wenceslai Regis & Martyris. De utroq; hoc Vaticinata videtur tanquam Sybilla Lybussa Dux Bohemiæ, dum anno 723. arcis Pragensis fundamenta jaceret in hac vrbe plantatum iri duas oleas, quarum odor septimum penetratura esset cœlum, & fama

fama orbem impletura, alteri earum nomen futurum Major gloria, alteri autem consolatio bellica, nam horum primum bene servit S. Wenceslao, qui à Bohemis dicitur Wacslawo id est major gloria, alterum autem S. Adalberto, qui in baptismo Wotiech seu Woitechus, id est belli solatium dictus est. Puerulus adhuc Adalbertus graui morbo prope ad extrema deductus est, quem cùm parentes vererentur moriturum, multis eum DEI ac Deiparæ patrocinio commendarunt, aræq; Marianæ impositum honori Diuino deuouent, si sospes evaderet. Redditus sanitati solicita piorum parentum cura ad omne bonum primum domi, è qua non abijt ante integrum psalterium memoriæ mandatum, eductus est, tum Parthenopolim, quæ hodie Magdeburgum dicitur, ad Adalbertum loci Episcopum, à quo & nomen Adalberti in confirmatione accepit, missus, liberalibus inibi disciplinis sub Magistro eius temporis facundissimo Ottrico integro novennio eruditus est. Redux exinde domum, cum non nihil juxta ætatis ac sæculi genium licentiosiùs ageret, morte Dithmari Pragensis Episcopi (*autor vitæ S. Adalberti coævus ipsi apud Bollandum vocat Tetharatum*) territus licentiam posuit. Devenerat Episcopus hic ad extrema cum lamentabili ejulatu malè perditos dies, vitamq; indignam animarum pastore voce ferè desperabunda defleret. *Heu me miserum!* verba sunt ejus apud dictum autorem coævum, *perdidi dies meos, jam pœnitentiæ fructus nusquam. Perij! vbi nunc error meus & inanes divitiæ? O caro putribilis & esca vermium! vbi nunc gloria, & pulchritudo vanitatis tuæ? Decepisti me, decepisti fallax sæculum promittens mihi annosam ætatem! Sed meum scelus utcunq; veniale foret apud pium Dominum, nisi commendatæ plebis scelera ad cumulum miseriarum accederent, voluptates enim & desideria eis pro lege erant, nec prohibui furentem populum. Væ mihi! quia silui. Hoc est, quod dolet & dolebit in ævum; nam ecce diræ mortis victima in infernum rectâ viâ proficiscor &c.* Extincto his in lamentis Episcopo Adalbertus, qui morienti aderat, attonitus, & compunctus saniora eligere maluit. Itaq; sacco indutus cilicino, caputq; aspersus cinere profusis in pauperes opibus obire vrbis Ecclesias; vitæq; præteritæ errata deflere, ac futuræ rationes ponere.

Sub hæc cogitur Concilium præsente Boleslao II Bohemorum principe Pio dicto super eligendo in locum defuncti successore, in quo vnanimi omnium sensu Adalbertus dicitur Episcopus: & quidem cum gaudio omnium hæc electio accidit, vnius tantum stygis dolore, quem sat prodidit ex energumeno eo ipso tempore ad deferendum hospitium solennibus Ecclesiæ precibus sollicitatus malus hospes, cum exclamaret. *Quid mihi molesti estis? væ satis est mihi, amplius hic stare non possum, quia hodie electus est populo terræ Episcopus quem valde timeo, Christicola Adalbertus.* Nullâ deinde morâ interpositâ Italiam petit Adalbertus, Othoni II. Imperatori, qui tum Veronæ morabatur sese exhibiturus, & ab eo pro more illius temporis accepta virga pastorali possessionem, quam investituram vocant, percepturus: quod quidem cùm annuente benignè Imperatore factum fuisset, non multò pòst à Willegiso Moguntino Archiepiscopo in die Apostolorum Petri & Pauli, qui tum in feriam tertiam incidit in Episcopum consecratus est: à quo tempore statim visus est cœlesti gratia inundari, Divinoq; indui Spiritu, & in alium virum mutari. *Inchoffer annal. Eccl. Hung. anno 981.*

Redux

Redux in patriam in ſplendido plurium comitatu humilis ipſe equum cui inſidebat ruſticum in morem torta canabe regebat, è quo Pragæ vicinus deſcendens nudis pedibus Cathedram ſuam ingreſſus eſt. Laudabatur ab omnibus paſtoris ſui ſanctitas, ſed, quæ erat temporis iniquitas, paucos habuit imitatores, plures adverſarios, in quorum correctione cum nihil proficeret, ſponſam ſuam Pragenſem Eccleſiam, vt paulò pòſt videbimus deſerere coactus eſt. Cæterùm in Epiſcopali munere perquam ſolicitus fuit. Reditus Eccleſiaſticos quadrifariam partitus, vnam Clericis & Eccleſiæ, alteram pauperibus, tertiam captivis redimendis, quartam deniq; ſibi ſuæq; familiæ alendæ tribuebat. Crebro jejunabat, ſuumq; corpus affligebat vigilijs, humi cubationibus, lachrymis, fervidiſq; precibus ſuorum peccatorum, populiq; veniam impetrare contendebat. A Completorio ad primam diei, aut miſſæ ſolennis ſacrificium inſtar monachi ſilentium ſervabat altiſſimum, poſt quod cauſæ pauperum, peregrinorum ac viduarum aures dabat. Luſtrabat etiam carceres, detentosq; in ijs ſolabatur, viſitabat domos infirmorum ac noſocomia, ſciſcitabaturq; ſedulò, quis, quo nomine, & qua in parte cubaret infirmus, vt vel ægro aſſiſtere, vel morituro præſtò eſſe poſſet: tum ſi quod tempus ſupererat ab obſequio charitatis, Diviniſq; laudibus labori manuum impendebat. Quotidie duodecim mendicos in honorem duodecim Apoſtolorum menſæ adhibebat: feſtis autem diebus, pluribus opera miſericordiæ impertiebatur, cùm tamen ipſum raró ſol meridianus extra feſtum diem manducantem viderit, & nunquam media nox ſomno indulgentem. Contigit ut concubia nocte præ foribos Domus Epiſcopalis mendicabulum, quod ſe à latrone omnibus exutum lamentabatur, ſtipem peteret, cui cùm quod largiretur reſpiceret Epiſcopus, nec erogatis alijs quidquam ſupereſſet, detractum è pulvinari ſuo ſericum per rimas januæ tranſmiſſum donavit: poſtera die præpoſitus domûs plumis circumquaq; per domum disjectis furtum ſuſpicatus, cùm aſperiùs in pueros inquirere vellet, vetuit eum miſericordia Epiſcopi dicentis: nequaquam id furto ablatum eſſe, ſed indigentem tuliſſe quod ſuum erat. Sed nec Verbi Diuini ſementem omittebat, ut corruptos populi mores reformaret; quantò tamen ipſe in corrigendo erat magis ſedulus, tantò populus duræ ceruicis fiebat pertinacior, & in omne genus vitiorum diſſolutior. Dolebat pium Patrem filiorum interitus, contriſtabat ovium in lupos efferatarum rabies, ideoq; verbo & exemplo peccatores revocabat ad frugem: quibus tamen omnibus nihil ampliùs profecit, quàm apud phreneticos & furioſos ſalutaria ſuadentes proficere ſoleant. Videbat plebem ſibi creditam cum cognatis commiſceri mulieribus ijsq; contra legem DEI multiplicatis, mancipia Chriſtiana perfidis Judæis vendi, dies feſtos confuſa religione, & ritu gentili tranſigi, dies jejunijs dicatos voluptatibus traduci, deniq; quod Religionem Chriſtianam maxime deformabat, Clericos caſtitatem proculcantes palàm ſacrilegis nuptijs contaminari: & tamen quantumcunq; his omnibus obviàm iret Epiſcopus, cùm in populum contradicentem ſibi incidiſſet; nihil aliud agebat, quàm qui ſpinas conſerit, aut litus arat. Accedit quod ij, quorum tangebat vlcera in rabiem acti, principes juxta ac populum contra virum DEI concitârint, vt quidquid ageret, in ſiniſtriorem partem acciperetur, milleq; paratis

inſi-

insidijs saluberrima ejus monita everterentur.

Perpensis his omnibus Sanctus Præsul cùm se actum agere videret, vereretur q; ne una cum obstinatis ovibus pastor interiret, loco cedere decrevit: huic suo proposito promovendo stimulum addidit nupera visio, qua per quietem Christum specie, qua olim venditus fuerat, sibi soporem exprobrantem viderat. *Ego* inquit, *JESUS Christus, qui venditus sum, & ecce iterum vendor Judæis, & tu stertis?* quod cùm ei de Christianorum venditione Judæis eo tempore facta accipiendum esse exposuisset Viculo Præpositus, nec Vir DEI venditos omnes redimere potuisset, è medio nationis pravæ exire maluit. Romam igitur capturus consilia à Sede Apostolica accedit: sedebat tunc in Sede Petri Joannis XV. Pontifex, à quo, cùm ei exposuisset statum ovilis sui, hoc responsi loco tulit. *Fili, quia te sequi nolunt, fuge quod nocet, operæ pretium est enim, si cùm alijs fructum facere non potes, vel te ipsum non perdas.* Hoc velut Divino oraculo accepto loca quæ Christus Jerosolymæ stigijs suis consecraverat benedicente Pontifice adire constituit. Degebat tunc Romæ Theophania Imperatrix relicta Othonis II. consors, hæc ubi de proposito Adalberti inaudijt, vocato ad se, vt pro anima defuncti Imperatoris DEUM exoraret, ingentem argenti massam in subsidium itineris contulit. Sed Vir DEI citò se eo onere liberum fecit distributo sequenti nocte eo omni argento in pauperes.

Egressus Româ Jerosolymam versùs ad montem Cassinum pervenit vbi cum Abbati & Fratribus votum suum explicuisset, ab ijsdem castigatus, & ne inutili vagatione tempora tereret monitus, salutare consilium admisit, sibiq; profectionem inhibuit. Ne tamen inibi monastica lege viueret, incautius dictum, quo se eum non tanquam monachum, sed tanquam Episcopum obseruaturos promittebant, eo maximè, quod Ecclesias Ordinis dedicare, & Clericos ad sacra promouere posset. Moleste id tulit Vir DEI, nec cum habitu monastico consistere posse existimans munus Episcopale loco excedens ad S. Nilum Abbatem Ordinis S. Basilij non procul inde in loco, qui dicitur Vallis Lucis commorantem se contulit, ac vt in numerum discipulorum referretur, impensè rogavit. Verum Nilus, quod vereretur ne Cassinates ab Adalberto deserti, sibi quod eum suscepisset, succenseant, adeoq; se cum suis loco, quem eorum beneficio possidebat, excedere jubeant, virum DEI inter suos adlegere ausus non est. *Et suscepissem te,* ait, *nisi hæc receptio mihi, meisq; nocitura, tibi autem minimè esset profutura. Græcus homo ego sum, melius id genus officij ex monachis Latinis exigas. Accipe Patris consilium, & unde digressus es, repete vrbem Romam, cumq; Angelo bono ductore eo perueneris, Abbatem Leonem amicum nostrum accedens dic te rudem discipulum à me missum ad talem Magistrum: eo Duce ad prælia Domini securus accesseris, & majori in dies perfectionis incremento ad metam pertigeris.* Paruit Adalbertus, & Romam veniens ad S. Bonifacium & Alexium à Leone Abbate priùs consulto Christi in terris Vicario, vnà cum Gaudentio Fratre admissus monachum induit die cœnæ Dominicæ, cœpitq; statim ad omnem perfectionis normam sese exercere tanto pietatis ac modestiæ affectu, vt suæ dignitatis oblitus culinam everreret, lances ablueret, abjectissima mediastinorum officia alacer obiret. Suas Abbati tentationes revelabat, multas è sacro codice quæstiones proponebat, multa de

Leo Ostiensis lib. 2 cap. 27.

virtutibus, vitijs, pugnis ac victorijs ſpiritualibus interrogabat, & in omnibus Spiritualis inſtar tyronis ad perfectionem anhelantis ſeſe gerebat. Sed nec tentator partes ſuas deeſſe voluit, victus ſemper novas & novas artes confundendo ſervo DEI adinvenit: non poſtrema fuit, quod ſervientem menſæ fratrum in ruinam impelleret, vaſisq; lapſu hoc confractis rubore ſuffuſum ad petendam publicè veniam daret occaſionem: quod quidem cùm repetitis vicibus fieret, novæq; ſemper humilitatis ac patientiæ autorem ſe doleret, callidus quidem hoſtis ab omni ejus infeſtatione deinceps abſtinuit, DEUS autem viri virtutem miraculo comprobavit, nam ſic prolapſo eo cum vini amphora in pleno fratrum conſeſſu, cùm omnes in mille partes confractum vitrum arbitrarentur, levatum ille ne guttulâ vini effuſâ integrum exhibuit. Nobilitavit eum & alijs DEUS ibidem miraculis. Mulierem quandam nobilem, quæ à ſeptem annis panem guſtare non poterat, facto ſuper panem Sanctæ Crucis ſignaculo eidem manducando fecit habilem, filiamq; Joannis Præfecti vrbis atrociſſima laborantem febre attactu manus priſtinæ reddidit ſanitati.

Sub hæc pertæſi orbitatis ſuæ Pragenſes, interpoſitis etiam Moguntini Archiepiſcopi precibus Romam mittunt ad Pontificem oratum, ut ſuus ſibi Paſtor reddatur, ſentire ſe ab eius abſentia diſpendia rei tum temporalis, tum ſpiritualis, ſanctè ſe polliceri morum vitæq; emendationem, modò tam pius Paſtor gregi reddatur. Permotus hac legatione Pontifex indicta Romæ Synodo, nequicquam in contraria ſciſſis Patribus tandem poſtulatis Oratorum annuit, inquiens: *Reddimus, quod juſtè quærunt malè merentes filij, ſed damus hac lege, vt ſi eum audierint, teneant cum benedictione DEI, & faciant ſub eo fructum centuplum; ſi autem à conſveta iniquitate recedere noluerint, malorum conſortia declinet.* Movere igitur coactus Româ Adalbertus Pontificis, ſuiq; Abbatis imperio ad Epiſcopatum ſuum viam relegit; quem quidem vix attigit, cum in campo quodam Juſtenſis regionis (Juſta ſeu Domazlicium civitas Bohemiæ ad fines Bavariæ ſita eſt) feſſo ac ſopito, Sancto Præſuli illuſurus paſtor ex pago Milawecz dicto ſuſpenſo adrepit pede, tubamq; paſtoritiam auribus dormientis admouens ſubitò quantum maximè valuit clangorem excitat. Territus Adalbertus ſomnum quidem abrupit, pœnam autem petulantiæ intulit dicens: DEUS faciat, ut qui hæc agunt, obſurdeſcant: ad quod verbum non ille modò paſtor obſurduit, ſed & omnes eius pagi paſtores pari pœna plectuntur, ſi tubam inflent. Quare apud Milawecenſes pro lege eſt, vt paſtores flagrorum ſtrepitu pecora pellant, & tuba abſtineant, quam legem qui aliquando petulanter transgredi auſi fuerunt, repente ſurdi ſunt reddidi, nec unquam curari potuerunt. In eodem pago Milawiecz fontem aut conſecrat, aut elicit S. Præſul, qui hodie fons Albertinus, Bohemis Woyteſka dicitur, eſtq; mirifica virtute adverſùs omnis generis morbos pollens: cuius nominis eſt & alter fons è petra ſaliens, & ipſe beneficio ſanitatum nobilis, ad quem Dominica in albis cum vexillis templorum, ſupplicationes cleri & populi ducuntur, agunturq; ſolennes D. Adalberto gratiæ ritu ab immemorabili à Nepomucenſibus, quo pariter tempore Dominus arcis ſeu caſtri eleemoſynam pauperibus diuidit, quod niſi faciat, nocturnis terriculamentis & ſpectris arx infeſtatur. Inde digreſſus Adalbertus ad cænobium quoddam in monte altiſſimo ſitum vnde campi Bohemiæ ſubjecti ſpectari po-

Hagecius in annal. Bohem.

terant,

terant, deflexit. Suscepit eum Brzimota eremi illius superior cum fratribus, & in ædiculam DEIparæ sacram hymno Ambrosiano decantato inductum amantissimè complexus est: quo occursu delectatus vir Sanctus post fusas DEO preces in vertice montis consistens supra lapidem (qui hodieq; in Ecclesia ibidem elegantiori opera extructo ab cornu Evangelij vestigijs hujus Sancti impressis monstratur) subjectam respiciens Bohemiam ab excommunicationis vinculo ad omnes quatuor mundi plagas cruce formata absolvit, quam ex ea abiens contra eandem tulerat: qua absolutione impertita, optatissima statim pluvia consecuta est, quam toto biennio ab excessu viri sancti, frustra, etiam adhibitis Sanctorum precibus, susceptisq; in hunc finem ad loca sacra peregrinationibus, expectârant, & in Basilica S. Viti voce delapsa de cœlo non habendam didicerant, nisi Sancto Præsule domum revocato, & per eum sublato anathemate. Hujus miraculi occasione nomen loco adhæsit Zelena hora, Grunberga Germanis, id est Mons viridis, quod ab eo monte primum pluvia descenderit, primusq; virescere sit visus. Spectantur insuper hodieq; jacentis Divi lineamenta, & fila membrorum omnia in petra durissima medio à Viridi Monte milliario Pragam versùs, in qua fessus de via somnum cœperat, quæq; ut incolæ credunt, Sancto Præsuli cessit, aut certè quam antiquitas in memoriam Sancti signauit. Venit deinde Pragam Adalbertus duce Boleslao Pio, Clero, & populo in occursum ejus effuso, vbi in Cathedrali Ecclesia S. Viti populum officij admonuit, & in fine exhortationis, ne, inquit, in posterum cœlum vobis sit æneum & terra ferrea, hymnum adfero à DEO & eius Vicario in terris approbatum: quem si conscientiâ à delictis purgatâ cantaveritis, spondeo fore, vt DEUM propitium, & cœlum semper ad gratias cœlestes, & imbres tempestivos apertum habeatis. Simul ex pera membranam protulit notis musicis conscriptam. Cantilenæ hæc sententia est. *DEVS qui gubernas omnia, miserere nostri! JESV Christe miserere nostri! servator omnis creaturæ salua nos, audi nos, vocesq; nostras Domine. Da omnibus Domine fœcunditatem terris & pacem? Kyrie eleyson, Kyrie eleyson, Kyrie eleyson.* Canitur præsens hymnus hoc etiam nostro tempore in multis Ecclesijs præcipuè tempore siccitatis.

Dubravius lib. 6

Hagecius Annal. Bohem.

Et quidem initio festis populi exultantis, vitæq; emendationem spondentis plausibus exceptus est S. Adalbertus, sed ut varium est, ac mutabile vulgus inveterata consuetudine antiqua brevi flagitia Episcopo nequicquam reclamante, ac saniora suadente repetijt. Non deseruit tamen aliquot annos ovile suum quantum vis scabiosum pius Pastor, sed in id vnum erat intentus, vt cœlestibus monitis, legibus vtilissimis, ac sanctissimis ceu præsentissimo singulis andidoto mederetur: hæc est vestra promissio? ajebat quibusdam festo die mercatum exercentibus, hæc emendatio? alijs voluptati studentibus, nec quidquam omisit, quod corrigendis moribus servire potuit. Sub tempore hujus mansionis suæ rogatu carnalium parentum suorum perrexit Libicium ad consecrandam Ecclesiam admonitu suo ab ijs excitatam, perrexit autem dissimulato habitu nudis pedibus longam togam & cucullum indutus, quod per infesta ethnicis loca sibi transeundum esset: vbi consecratâ Ecclesiâ triduum permansit. Quarto die vale & benedictione suis data, dum occultis pariter itineribus regreditur, aberrans

 errans

errans ad pagum Zelenkam in manus Paganorum incidit, hi percontati, quis, vnde, & quo festinet cucullo pertractum Preroviam rapiunt. Habitabat in ea villa Brodislaus vir potens è nobilissimo genere Tunakkiorum, hic multis fatigatum interrogationibus cùm adverteret esse Christianum, vocatis famulis, quid eo fieri vellet ostendit: hi detracto cucullo Sancto Præsuli verbera plurima infligunt. Dimissus Episcopus converso ad villam Brodislai vultu: Hoc, inquit, loco capitio spoliatus sum, atq; innocens verberatus: DEVS faciat, vt hujus villæ Domini semper debeant, & quod debuerint, nunquam persolvant. Vaticinij huius veritatem sequentia probarunt tempora: onerati enim ære alieno Domini ditione illa cedere sæpius sunt coacti, rursusq; alij depulsi alijs succedentibus, donec post plura tempora Regiæ Cameræ Prerovia adjungeretur. Geminum huic est, quod alio in loco contigit. Iverat Pragâ Boleslauiam Sanctus Præsul, vt in loco, vbi sanguinem fuderat S. Wenceslaus DEUM adoraret. Tota nocte in oratione absumpta, cum pietati suæ fecisset satis, gustato pauculo cibo viam penes Albim tenuit, & ad spatium milliaris progressus ad pagum Neratowice pervenit. Ibi DEI amore vt transveheretur, oravit. Transvexêre nautæ, at simul naulum poposcêre. Respondit Sanctus Antistes! Filioli aurum & argentum non est mihi, sed pro omni pretio erit Christi fides, quam vobis annuntiabo, & animabus vestris salutarem benedictionem impertiar. Illi talibus se nihil teneri vociferantes, sanctum virum humi dejiciunt, & per vim calceis despoliant. Surgens verò Episcopus; pro benedictione, inquit, erit maledictio: DEUS faciet, vt hoc loco nunquam panis abundet, semper eius egentes sitis. Ex eo usq; ad hodiernum diem (ait Hagecius) qui ex nautarum illorum stirpe superiunt, omni anno ante messem panis defectu laborant, nulliq; ad alteram messem frumenta servare possunt, nam etiamsi copiosam inferant messem, nullo sentiente amittitur in horreis & vanescit. Itaq; mox ut metunt, triturant, venduntq; cum sciant, ante novam messem, panem sibi necessariò emendum. Et hæc fere circa Ethnicos facta sunt; cæterùm cum & populus ejus fidelis obfirmatus in malo plene jugum excuteret, ac ludibrio haberet sancita omnia, videns Præsul sanctus cassa omnia, promissionemq; veterem summis tantùm in labris natam vanam fuisse, iteratò plebem, quæ sibi dorsum verterat, credens animæ suæ stationem hanc obesse, deserere cogitat.

Accidit interea, ut matrona quædam ingenitæ nobilitatis oblita contra fidem matrimonij scortum fieret, quam dum ultor violati thori maritus ad necem quærit, accurrentem ad se opis causa Adalbertus ad cænobium Sanctimonialium in ipso oratorio S. Georgij retro altare abscondit, credens fore, ut clave Ecclesiæ custodi fideliter commendata, fœmina inter fœminas solatia doloris, & sub altaris defensione vitæ securitatem haberet. Fit super hoc motus ingens, armatâq; manu mulier repetitur, intentantur minæ necis Episcopo inferendæ, nisi ad meritas pœnas scortum reddat. Et quidem Episcopo in tam pulchra causa mortem oppetere in votis erat, ideoq; furenti multitudini seipsum objecit inquiens: Si me quæritis præstò sum, sed alibi quam in patria sua tam bonæ mortis ei lauream præparavit Dominus. Igitur dum cum furente multitudine altercatur, uni impiorum subolet, quo loco

tene-

teneretur depositum: hoc duce frangitur templi ostium, infelix mulier frustra prehensis altaribus asylo per vim eripitur, minuitur capite. Exhorruit ad tantum nefas Adalbertus, ideoq; apud suos morari amplius non sustinens rursus Romam ad pristinam religiosæ asceseos dulcedinem cum modica suorum manu remeavit. Erat inter viæ comites Astericus quidam Clericus, qui quod molestijs itineris assvetus non esset, multis contra virum DEI jactis opprobrijs eundem indignabundus deserere parabat, jamq; abiens magnam diei partem discedendo absumpserat, cum in via alias sibi notissima erronem se continuum advertit. Quare redux ad cor & ad urbem (vnde discesserat) sub vesperum supplex accidit Viro DEI, quod eum tam temere reliquisset. Hic est ille Astericus, seu Astricus, quem alibi Anastasium vocant, qui postea primus Breunoviensi cœnobio in Bohemia, rursusq; monasterio SS. Martini & Benedicti in Vngaria à S. Stephano Rege ædificato Abbatis nomine præfuit, ac dein Episcopus Colocensis factus, in vrbem legatus eidem S. Stephano regiam coronam Româ attulit: deniq; suscitato à morte discipulo, alijsq; miraculis ac meritis clarus obijt in Domino. Hoc etiam in itinere prope Ravennam fertur admonuisse virum DEI Durans quispiam, quod sine virga pastorali pro more sæculi eius viam legeret: cui ille: *Vivit* ait, *DEUS, in cujus conspectu sto, facile est gestare pedum, sed difficile erit reddere rationem, cum venerit ad judicium, qui non errat districtus judex vivorum & mortuorum.* Hoc deniq; in itinere obvia ei mulier vidua stipem petijt, quam cum Episcopus, quod nihil elargiendum ad manum esset, ad civitatem postera die adeundam remisisset, assecurassetq; se inibi ei provisurum, quo opus haberet, dimissam illico acciri fecit inquiens: *Voca mulierem, quis scit si usq; mane vivam, hodie compleat acceptio datum, ne ego judicium, illa sentiat damnum:* accedentiq; data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum non tardæ charitatis.

Surius in vitâ S. Adalb.

Dubrav. hist. Bohem. lib. 6.

Inchoffer annal. Eccl. Hung. anno 1034.

Surius in vita.

Ingressus Romam Episcopus est paulò ante Ottonis III. adventum, & in eodem cænobio rursus pietatis obsequijs totum se impendit: ibi per visum ostendens ei Dominus duos in cœlo ordines, unum purpureo, alterum niveo amictu quibus sub diversa specie singulare meritum, & propria merces data est, ambobus autem una erat occupatio laus perpetua Creatoris, dixit inter utrosq; ei locum præparatum: quam quidem visionem dum Abbati suo exponeret, doctorem gentium imitatus: scio hominem, ait, cui hæc per visum Dominus ostendit & daturum promisit. Ostensa ei fuit per quietem & altera visio in specie duorum lectorum, unius purpurei ac pretij incomparabilis, ad cujus caput auro scripta legebantur sequentia: *Munus hoc donat tibi filia Regis*, alterius autem fratribus ejus destinati: cujus quidem visionis ordinem dum quibusdam familiarius exponeret, Leo Episcopus, *Citò* inquit, *invenies quod quæris, dono Virginis Martyr eris.* Ibidem præsente Christi in terris Vicario sacris operans Adalbertus Divina patitur, ipse eo tempore, quo in Missa fit commemoratio (memento vocant) defunctorum, quem dum admoneri de mora jussisset Pontifex, ac dein re Divina absoluta de somnolentia increpuisset, respondit Adalbertus: Sanctissime Pater, de somno nihil ego quidem scio, at aliquid me Divini passum diffiteri non audeo. Quippè heri Fratres germani mei pro Christi fide ab

Ethnicis necati adhuc insepulti jacuerunt, Divino imperio jussus sum eorum interesse funeri & Christiano ritu sacra illa corpora sepelire, in Bohemia esse me oportuit, ut fratribus meis uterinis supremum hoc præstarem officium. At quia me trahendo nimiùm citò interturbastis, dum propero, in Ecclesia Libicensi, in ara DEI Matris chyrothecam alteram reliqui. Pontifex his auditis, ut rem exploratam haberet, in Bohemiam misit rogatum, an & quo die ab ethnicis perempti sint Adalberti fratres, & quis eorum procurarit funus? cognitumq; est illam ipsam cædis diem, quam Adalbertus nominarat, fuisse, insuper eundem adfuisse, & universo populo Libicensi in Ecclesia B. Virginis spectante funus esse comitatum: ad hæc attulêre chirothecam è Bohemia, quam cum alteri Romanæ comparassent, agnovêre omnes illam esse alteram, quam Romæ antea habuisset: qua ex re Pontifex Adalberti Sanctitatem didicit æstimare. Porrò fratres ejus hos fuisse quinq; cæsos ad oppidum Libicz à sceleratis volentibus vltionem repetere, quod putarint Adalbertum laborare apud Pontificem pro coërcenda Bohemorum libertate. tradunt antiquaria Bohemiæ, nomina autem fratrum horum quos ut Martyres haberi tradit Balbinus fuisse Sobiebor, Spitimir, Bohuslaw, seu Sobroslaw, Borreum, cujus loco alij ponunt Zimiszam, & Czaslau, translata autem eorum corpora Pragam in arcem ad S. Georgium anno 1216, prædictam autem Chyrothecam servari ad hæc usq; tempora Boleslaviæ in Bohemia. Servati sunt tunc ejus fratres duo, Gaudentius, qui tunc cum D. Adalberto Romæ fuerat, & Poravius, qui in Polonia apud Principem Boleslaum Chobri agebat, à quo etiam, cum Bohemiam repetere non auderet, possessionibus donatus est. Ex ejus stirpe deinde propagati sunt per Poloniam nobiles, quorum insignia sunt rosa candida in area rubra, vulgo Porray, quod autorem stirpis denotat.

Inchoffer annal. Eccl. Ungar. anno 985.

Post hæc judicij postulat Adalbertum Willegisus Moguntinus Archiepiscopus, quod propriam deseruisset Ecclesiam, & connubium Spirituale cum ea velut sponsa contractum dissolvisset: causa pleno Episcoporum Romæ ventilatur concilio, pluriumq; fuit sententia etiam sub anathematis comminatione pastorem dimittendum ad Episcopatum suum: assentitur Gregorius ipse Pontifex, & Pontificio decreto reditum ei imperat: quem tamen ne omni vacuum consolatione dimitteret, copiam ei facit, ubivis & apud quosvis barbaros Evangelium prædicandi, si forte grex Bohemicus dictis ejus non obsequeretur. Abijt ergo non sine multis suis, suorumq; lachrymis Adalbertus unica spe martyrij obeundi, quod nunquam non ardenter desideraverat animum erigens: Quia vero Otho III. Imperator constitutis Romæ rebus in Germaniam revertebatur, comitem sibi viæ volebat esse Adalbertum, cui quidem ejus voluntati hic tantò libentiùs accessit, quantò commodiorem videbat copiam Imperatorem ad omne bonum inducendi. Inculcavit tunc ei ne magnum putaret Imperatorem esse, cogitaret se hominem moriturum cinerem, ex pulcherrimo putredinem, & vermium escam esse futurum, viduis, pauperibus & pupillis monstraret se patrem, timeret DEUM ut justum ac districtum judicem, amaret ut pium veniæ largitorem, ac misericordiæ fontem: solicitè pensaret, quam angusta sit Via quæ ducit ad vitam, & quàm perpauci, qui intrant in eam: bene

agentibus esset per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus. Ad hunc modum plura subnectens, monet præsentis vitæ bona despicere, æternitatis electionem desiderare, mansura quærere, in rebus temporalibus & transitorijs fiduciam non habere. Cæterum ipse Adalbertus hoc in comitatu humilitatis exemplar factus ad infima obsequia sese demittebat, adeo ut noctibus clam calceos dormientium luto mundaret, sicq; mundatos suo loco restitueret: quod quidem stupentibus omnibus, unde hæc munditíes proveniret, tam diu præstitit, quo ad Volpharius cameræ cæsareæ aulicus rem prodidisset. Eodem tempore approbante Othone Imperatore Breunoviense cænobium Ordinis S. Benedicti assignato suo patrimonio, ut ex literis fundationis constat, videtur cœpisse S. Adalbertus, quod postea jussu Divino Boleslaus Pius Dux amplius dotavit.

Ab Imperatore digressus Adalbertus per Gallias iter arripuit, ac primò Turonis S. Martinum, dein Parisijs S. Dionysium Areopagitam, tum Floriaci S. Benedictum alibiq; alias Sanctorum reliquias invisit, ut tantorum patrocinio Sanctorum cœlestes favores expeditioni suæ necessarios faciliùs impetraret. Tum propinquus Bohemiæ factus, cum aditum sibi præclusum didicisset, edicto publico, quo citra capitis periculum in suam redire Ecclesiam vetabatur, ad Boleslaum Chobri tunc adhuc Ducem Poloniæ amicum in paucis charum, sibiq; inprimis devotum contendit: hujus operâ legatos in suam diœcesim misit sciscitatum, num se tanquam patrem, pastoremq; agnoscere vellent. Sed eis legatio displicuit, sicut & legati, quos, cum probris affecissent, probrosiùs Episcopo responderunt, Quare hic se jam gregis illius pascendi curâ solutum ratus & potestate sibi à Summo Pontifice usus, desiderio martyrij accensus alio curam convertere decrevit.

Ajunt alij prius eum deflexisse in Vngariam, ibiq; à Geyza Duce de adventu Viri DEI Divinitus præmonito honorificè acceptum, Apostolatus sui S. Stephano postea Vngarorum Rege baptizato, aut quod verosimilius est, confirmato, cœlestibusq; monitis instructo cœpisse primordia, imò & primum Archiepiscopum Strigoniensem dictum, prout testantur tabulæ Archiepiscoporum Strigoniensium ab Vngaris editæ. Porrò in Polonia novellum Christi gregem in fide confirmat S. Adalbertus, pluresq; sacris undis tum alibi, tum Gneznæ abluit, ubi etiam Roberto Gneznensi Archiepiscopo defuncto, rogatu Principis successor cathedram eam metropolitanam regendam suscepit. Non multò tamen pòst instinctu Divino monitus in Prussiam tunc adhuc idolis servientem navi descendit: ac prima quidem ejus statio Gedani fuit, ubi prosperante DEO pluribus Sacro fonte ablutis, Sacrosancta hostia oblata, Neophytisq; Sacro refectis epulo in ulteriorem navigat Prussiam, factaq; excensione in terram Sambiæ ad oppidum Fischhausum sinui Venedico adjacens, naviq; remissa opus Apostolicum orditur. Verum barbari noctuarum instar lucis impatientes Sanctum Evangelij præconem probris affectum protinus facessere jusserunt, vnusq; ferocior validum remo quem manu tenebat ictum infligens inter scapulas virum DEI prosternit exclamantem. *Benedictus DEUS, benedicta misericordia DEI si plus non accipiam pro Crucifixo meo, saltem vnum pretiosum ictum habeo.* Stetit Sanctus Vir in ea vicinia Sabbatho,

Chartuitius in vita S. Stephani Regis.

batho, cum vespere ejus in villam traductum Loci Dominus, causam adventus sciscitatur, qua exposita, legeq; Euangelij explicata fit fremitus barbarorum, baculisq; more gentis cum indignatur terra percutitur, aërq; rugitibus impletur. Propter tales homines, ajunt, terra non dabit fructum, nova non nascentur animalia, vetera morientur. Expulsum ergo Loco cum Socijs aliò migrare jubent. Et cogitaverat quidem Adalbertus Litvanos adire, ac inter eos mutato habitu clericali fidem disseminare: sed benignitas DEI meritam martyrij lauream diutiùs differre noluit. Postera die Gaudentio Sacris operato, barbari quos pœnituerat, quod abire sivissent illæsos magno impetu insecuti Adalbertum cum comitibus retrahunt, & instar furis vinctum, & in apicem montis raptum duce Kriwa seu Siggone Sacrificulo orantem pro sua & persecutorum salute septem lanceis obtruncant. Porrò postremam S. Martyris orationem hanc fuisse tradit Bzovius. *Domine DEUS omnipotens exaudi propitius Orationem meam, & ne attendas illorum facinora, quæ in me indigno propter nomen sanctum tuum commiserunt, quia nesciunt quid faciunt. Sed aperi januam cordis eorum, ut te factorem omnium agnoscant & intelligant, & ad te revertantur & passio mea non sit infructuosa, nec istis nec alijs qui mei memoriam fecerint, sed concede omnibus in præsenti sæculo quietem & pacem & in futuro vitam æternam condonare digneris Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto cuncta gubernas in secula seculorum Amen.*

Sic occiso Sancto barbari caput avellunt, & conto præfixum in ludibrium Christianorum per pagos & oppida circumferunt, cadaver autem sacrum dilacerandum bestijs eo in loco dimittunt, quod per triginta dies ab aquila custoditum ferunt, ne ulla fera aut volucris ei quidquam detrimenti inferre posset. Alij volunt à Sacrificulis, quos Waydelotos vocabant corpus frustatim concisum fuisse, sed postera die cùm à quibusdam rusticis frusta colligerentur ad sepulturam, corpus Martyris redintegratum surrexisse, induisse se sacris vestibus & sumpto capite ante pectus per terras & aquas ad quindecim milliaria Germanica perrexisse ad locum uno milliari Gedano dissitum, nunc ad S. Adalbertum nuncupatum, ibiq; in altari se unà cum capite recondisse, jacuisse autem ibi totos tres annos sine honore, donec apparens Sanctus vectori cuidam Masovitæ postulasset, ut se Gneznam veheret quod in Masoviam avecturus in cava quercu fertur deposuisse: sed ob fornicationem inde movere nequiverit: unde à Prussis detentum fuit, donec à Boleslao Duce Poloniæ redemptum non auro, quod tantum pro eo licitati fuerant barbari, quantum corpus Sacrum ponderaret, sed duobus obolis inopis viduæ, aut ut alij volunt, Ducis annullo æquè ac corpus ponderante, & Tremesnam primùm, tùm Gneznam translatum esse. Sic redijt S. Adalbertus ad sedem suam, juxta promissionem Boleslao factam, si non vivus saltem mortuus. Obtigit Viro DEI mors gloriosa ac invidenda anno Christi 997 die 24 Aprilis.

Ex Archivo Varmiensis Ecclesiæ.

Hieronymus Camaldulens. in vita S. Romualdi num. 47.

Mortem ejus pretiosam pro Christo vidit eadem hora S. Nilus Abbas, eamq; in exhortatione sua fratribus promulgavit: vidit & alter presbiter, cui cum Missam diceret, dictum est Divinitus ut Beati Adalberti suffragia laboranti mundo imploraret. Vidit & quidam Conversus Romæ Joannes Campanarius dictus in

specie

ſpecie duorum linteaminum candidiſſimorum de cœlo deſcendentium, quorum vno S. Adalberti tunc pro Chriſto cæſi cœleſtè convivium denotari dictum eſt ei, quid autem alio portenderetur, nihil unquam ab eo reſciri potuit. Sed & Gaudentius frater & Comes peregrinationis ejus nocte martyrium præcedente vidit in altari calicem aureum plenum vino, quem dum libare conatur, accurrens altaris cuſtos prohibuit inquiens: totum eum bibendum eſſe ab Adalberto: quod ſomnium dum poſtera die referret Epiſcopo. *Mi frater*, ait, *ſomnium tuum proſperos habeat progreſſus, peccans caro peccati donum DEI non impediat, miſericordia Creatoris victoriam obtineat.*

Miraculis etiam pluribus à morte honoravit Martyrem ſuum DEUS, ſtatim quoq; pietas Chriſtiana erga Martyrem excitata eſt, aræq; & templa ei erecta ſunt: templorum enim primum ferunt in ejus honorem erectum à S. Stephano Rege Vngariæ in arce Strigonienſi, Aliud Aquiſgrani cœpit Otho III. Imperator, conſummavit autem Henricus II. Imperator adjecto Canonicorum collegio, ut ex tabulis fundationis patet. Templa pariter ejus honori erexit S. Otho Epiſcopus Bambergenſis Pomeranorum Apoſtolus, alijq; longè plurimi, in quibus & in Martyre ſuo ſit benedictus DEUS in ſæcula. *Damalewiczius in elogio S. Adalberti.*

Quod verò aliquis Geometer ſcribat, Simonem Grunavium Monachum Dominicanum Dantiſcanum prodere, Tract. 9. de Epiſc. ſecurim, qua fuiſſet S. Adalbertus conciſus, per Habum Heiligebeilam adnataſſe, vndè oppidum nomen ſortitum eſſet, id minimè pro veritate accipiendum eſt. Non verò ſemel ità ipſe Catholicis imponere ſolet. Occiſo verò S. Adalberto, comites peregrinationis ejus, Benedictus, Joannes, Matthæus, Iſaac, & Chriſtinus fratres Eremittæ Poloni, etiam Pruſſis prædicare Chriſtum cœperunt, ſed illi ab ijsdem multis contumelijs diuexati, & ſuis finibus ejecti, in majorem Poloniam redierunt. Fama autem miraculorum S. Adalberti motus Otto Ruffus tertius ejus nominis Imperator Romanus, ab Italica ſive expeditione ſive peregrinatione revertens, cum permagno & ſplendido comitatu, pacatus in Poloniam ad ſepulchrum noui Martyris (quem viuus amabat, & cum quo aliquando conuerſatus fuerat) exoluendi voti cauſa, quod graui morbo implicatus vouerat, venit. Principi Boleslao, pro munere hoſpitali lanceam D. Mauritij, & coronam Regiam donat, Regemq; fieri jubet. Viciſſim brachium Diui Adalberti, à nouo Rege accepit, quod Romæ in Inſula ad Diui Bartholomæi ædem ab eo depoſitum, hactenus conſpicitur. Annus autem, quo hæc acta ſunt, & Boleslaus Rex appellatus eſt, 1001. à Chriſto Seruatore noſtro nato, fuit. His ita peractis, Otto Romam rurſus ad ſedandos nouos motus contendit: ijsq; compoſitis, ſequenti anno cum Gregorio ejus nominis V. Pont. Max. propinquo ſuo, cui Bruno prius nomen fuerat, conſtituit, vt penes certos Germaniæ Principes ſemper deinceps libera electio Romani Regis ſiue Cæſaris eſſet: nimirum, tres Archiepiſcopos, Moguntinenſem, Colonienſem, & Treuirenſem: comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgenſem: quibus poſtea Rex Bòëmiæ ſeptimus à Rudolpho Imperatore adjunctus eſt, qui paribus illorum ſuffragijs controuerſiam dirimeret. Nec tamen prius is, qui electus eſſet, Imperator appellaretur, quàm à Pont. Max. confirmaretur, & ritu ſolenni vngeretur atq; coronaretur. Conrado

Socij S. Adalberti

Otto Imper. ſepulchrum S. Adalberti inviſit.

Anno 1001.

Electores imperij conſtituti.

rado autem Sueuo Imperante, quemadmodum scribit Blondus, illud quoq; his legibus additum est, vt Imperator designatus priusquam Romæ confirmaretur siue inauguraretur, Modoëciæ primum palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Non multò pòst Otto cum ex Italia in Germaniam reuerteretur, venono, vt creditum, extinctus, Henricum Bauarorum Ducem nouo instituto electum, successorem accepit, Anno Christi, 1003. Aliquot annis post mortem S. Adalberti, misit DEUS Opt. Max. (Est enim similis patrifamilias, qui primo manè, horâ tertiâ, sextâ, nonâ & undecimâ exit conducere operarios in vineam suam) Sanctum Brunonem in Prussiam, prædicationis Euangelicæ gratiâ. Bruno verò, Apostolus inclytus, Episcopus & Martyr in Prussia, oriundus erat ex Germania, ex antiquo & nobili genere. Quod clarius effecit luce virtutis & zelo DEO animas lucrandi, effusioneq; sanguinis sui, propter fidem Domini JESU Christi. Ida mater, educatum innocentissimè Guidoni Philosopho in literis erudiendum tradit. Electissimus juuenis piam mentem in DEUM gerebat, nec aliud ex eo, quàm timor DEI elucebat. Colludentibus aut otiantibus coætaneis, oratione Bruno occupabatur & modestia; refrænabat sensus suos & linguam: his mirificè delectabatur. Vocatus ad aulam ab Imperatore Ottone III. inde se statim expediuit, usus prudenti consilio in tam periculosa re seq; tradidit quieti vitæ monasticæ sub regula S. Benedicti, quam quoq; senescenti patri suo persuasit. Vt paulò antè memini, ardebat Bruno zelo animarum DEO lucrandarum. Itaq; cum permissionem à summo Pontifice gentilibus Euangelium prædicandi impetrasset, in Episcopum à Tagmone Archiepiscopo Magdeburgensi consecratus est. Itaq; proficiscitur in Prussiam. Cumq; incolis Prussiæ, qui fraude Dæmonum delusi, nullam Creatoris sui cognitionem habebant, Christi Domini cognitionem solerter infunderet, doceretq; eum Saluatorem & venturum judicem hominum, in se iram & odium Barbarorum conuertit: qui eum mirum in modum in prædicatione turbabant, concitantibus plebem Sacerdotibus & Dæmonijs. Ipse vorò non solùm furentis populi impetum atq; minas contempsit, sed eo animosiùs prædicabat Euangelium commissum. Ob quam causam ab incredulis capto, præcisi sunt sanctissimi pedes, & manus, ac caput. Passi sunt cum eo, octodecim socij ejus, decimo sexto Calend. Martij. Hi sunt viri illi sanctissimi, qui leguntur his temporibus in Prussiam docendi Euangelij Christi ergò, cum socijs venisse: quorum tamen magna ex parte nomina in terris ignorantur, sed in Beatorum patria durant.

Anno 1003. *S. Bruno.* *Ida,*

Placet hic adscribere id quod Cromerus narrat, de inclyti Martyris Prussiæ Adalberti corpore: nimirum id à Prædislai Boëmiæ Principis militibus, dum Gneznam diriperent, non fuisse sublatum. Erat enim illud in adyto templi à ministris ejusdem clàm defossum. Gaudentij verò corpus pro Adalberti ijdem pio mendacio, illis ipsis prodiderunt. Quamuis Boëmi S. Adalberti reliquias habere se jactent. Missi quandoq; Prophetæ ad populum Israël, & ad domum Juda, monebant eos nomine DEI, vt ab idololatria & vita pessima recederent, pœnitentiam agerent, & virtutem deinceps colerent: cum comminatione ni facerent, venturos hostes non quosuis, sed teterrimos & immanes, qui non solùm eorum Regnum longè lateq; vastaturi essent, sed ipsos quoq; in miserrimam seruitutem abducturi. Refractarij Judæi, non solùm hos non audierunt monitores, sed suppli-

S. Adalberti corpus vbi? *S. Gaudent.*

supplicijs etiam affectos, miserrimè necauerunt. At non tulerunt impunè talia facinora ad priora adjecta, imò grauiora flagella irati DEI prouocauerunt. Contigit enim ipsis juxta prædictionem sacrorum vatum. Quales historiæ sacram scripturam legentibus passim occurrunt, vt easdem huc adscribere opus non sit. Ita quoq; Prussi, cum viris à DEO ad se missis progressi, quid aliud ab eodem expectarent, nisi certas plagas perpetratæ malitiæ? Neq; enim ille cùm alia facinora tùm cædes in nuncios suos commissas, inultas abire vnquam visus est. Proinde excitauit in eos vltorem gladium Regum Polonorum Christianorum. Iis ergò Boleslaus Rex, vindicaturus necem Diui Adalberti & fidem Catholicam in his partibus propagaturus, atq; gentem illam suo adjecturus Imperio, primus Regum Polonorum Christianorum infra annum Christi suprapositum & 1018. *Anno. 1018.* bellum intulit, & per Culmensem Tractum, qui Polonicæ ditionis erat, hostiles terras ingressus, agros vastat, Razinum Romoue vel Romeuo vel Richoijot & Balgam arces, nullo negotio capit & incendit, vicos & pagos diripit. Oppida enim pauca, eaq; ferè natura locorum, non arte manuq; munita tunc Prussi habebant. Sed in siluas atq; paludes ad primum aduentum hostilis exercitus sese occuluerant. Ex quibus, cum Regionem suam vastari longè lateq; prospicerent, supplices à Rege pacem petunt, & impetrant: tributum pendunt, & pensuros, se deinceps quotannis promittunt. Præcipuè desæuijt Boleslaus in quercum illam, Deorum habitationem, nam eam demolitus est & imagines excussit, Criuorumq; ædes subuertit: quod quidem accidisse scribit Grunauius Anno Christi, 1113. *Anno. 1113.* Ipse etiam Vustopolo, quæ posteà Regiomonti nomen accepit, ædificauit, ac Radzin firmauit, relicto ibidem præsidio Polonico. Dimittit ibidem quoq; Rex, qui barbaram gentem rationem & ritus Christianæ Religionis docerent. Ipse victor recedens, in Ossa flumine ferream columnam ponit, mille passibus à Rogosno oppido Ossa verò fluvius oritur ex lacu ejusdem nominis, & uno milliari à Zakrze in Vistulam dilabitur, & terram Culmensem à Pomesania discernit. Anno postea Christi, millesimo vigesimo quinto, mortuus est Bolelaus Chrobri.

Alter Regum Poloniæ qui bellum Prussis intulit, fuit Casimirus I. *Casimirus I.* Mieceslai filius. Hic Casimirus primùm ad persuasionem Rixæ matris, *Rixa.* Lutetiam proficiscens liberalibus artibus operam dedit. Annis aliquot elapsis, in Italia visitavit Sanctum Romualdum Abbatem: *S. Romualdus.* exin, mundum & voluptates ejus reliquit, & Monachus factus Cluniaci in Gallijs se seruitio diuino (namq; DEO seruire, regnare est) totum mancipavit. Interim Polonia Rege carebat, omniaq; vt fit in Republica capite orbata, sursum ac deorsum ferebantur. Inter alios, Maslaus, dictus etiam Masos, vir ambitiosus, pocillator quondam *Maslaus.* Mieczeslai, hanc prouinciam, nempe Masouiam inuaserat dominatu. Quibus malis Polonorum magnates, sine Rege rectè occurrere nequibant. Edocti verò, de Casimiri superstitis instituto & professione, illum, jam alio nomine Carolum dictum & Diaconum magnis laboribus, ab Benedicto ejus nomine nono, vel à Clemente secundo ad Regni gubernacula poscunt & impetrant. Is itaq; insequenti æstate Masouios infesto exercitu (in quo sexcenti Germani Equites erant, quos præsidij sui causa ex Germania secum duxerat) adoritur. Nec segniùs Maslaus tyrannus, non parua suorum manu raptim coacta, aduenienti Regi occurrit. Nec mora, pugnæ copiam facit, Prusso-

Prussorum quos in societatem belli asciuerat, auxilijs non expectatis. Fit acre prælium, hinc justâ irâ, illinc veniæ desperatione pugnante. Franguntur tandem funduntur q; Masouiorum acies: dant manus victori Regi. Dux ipse & author belli Maslaus, nihil sibi tutum fore inter suos ratus, ad Prussos fugit. Ab his simul & à vicinis Slonensibus & Jazigibus siue Jazuingis facilè non modò auxilia, sed validos exercitus contra Regem, varijs vsus argumentis, impetrat. Erant verò Jaziges & Slonenses bellicosissimi populi, qui inter Poloniam, Russiam atq; Prussiam habitabant: quorum aliquæ reliquiæ superesse in Lituania & Russia dicuntur. Hi ergò cum Prussis pariter ad inuadendam Poloniam exciti, publico consensu belli totius administrationem Maslao mandant. Æstate insequenti Maslaus cum ingentibus barbarorum copijs in fines Masouiæ ingressus, facilè eam recepit: carebat enim præsidijs & munitionibus. Nec multò pòst Casimirus de aduentu hostium certior factus, adest & ipse, auctis numero & robore militum superioris anni copijs. Venientem apud Vistulam Maslaus spei & animorum plenus, operitur. Conferuntur propemodum castra castris; Rex ubi copias hostium suis longè majores vidit, concidere animo, pœnitere præsentis fortunæ atq; regni: pristinam monasticæ vitæ quietem atq; tranquillitatem animo requirere. His curis atq; cogitationibus fatigatum sopor opprimit. Ibi per visum diuinitus recreatus & confirmatus, postero die pro concione militibus visum exponit: & repletos fiducia diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hostes pugnam detractarunt; canunt signa: clamor utrinq; attollitur: nusquam deest suis Regis prouidentia & adhortatio, vt Duce DEO certam victoriam amplectantur. Et ferunt, conspectum esse in àëre juvenem augusta specie corporis, veste candida, candido equo insidentem, & in hostiles turbas vexillum ferentem. Nec mora, terga vertunt barbari: instant acriùs Poloni fugientibus. Fit strages maxima. In eo prælio cæsa feruntur hostium quindecim millia: capta duo, è Regijs pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Cæterùm Maslaus ex fuga perpetuo cursu in Prussiam contendit. Ibi à barbaris cognito euentu prælij excarnificatus, in crucem actus est: insultantibus vt alta teneret, qui alta petiuisset. Sic mali consilij author, malè perijt. Prussi clade suorum permoti, & veriti, ne statim sibi Casimirus victricia signa inferret, missis legatis, culpam rebellionis deprecantur: Regi se & sua subijciunt: tributa debita persolvunt, ac deinceps quotannis soluturos se esse recipiunt. Ita pax eis data est, & captiui dimissi. Mortuus est Casimirus Rex, Anno Christi, millesimo quinquagesimo octavo, & cum eo ferè pax cum Prussis stabilita. Nam Prussi contemnentes Boleslai, qui patri successit adolescentiam, & quòd eum Boëmico bello distineri sciebant, rebellarunt. Pomeraniam finitimam transmisso flumine Vistula, repentina excursione populantur: arcem Grodecum, quo se cum præda recipiant, muniunt: indè crebrò in adjacentes oras Poloniæ, nemine prohibente, grassantur. In eos igitur Boleslaus, ab hæroico animo Audax dictus, pace cum Boëmis facta, duxit exercitum: Grodecum oppugnare adoritur. Verùm difficultate ejus oppugnandi deterritus, eò quòd naturâ munitus esset locus, egregieq; à Prussis defenderetur, soluit obsidionem, in qua plusculum temporis frustrà consumpserat: fremensq; quòd siluis & paludibus & munitione illa sese tenerent hostes, nec vllam pugnandi copiam facerent, & se aliò festinantem distinerent, arte sibi domandos esse, quos aperto Marte non

Slonenses, Jaziges.

Maslaus suspensus.

Anno. 1058. Boleslaus audax bella gerit cum Prussis.

non posset, existimauit, reducere se exercitum simulat: cæterùm in insidijs latebat. Prussi abijsse hostem rati, è latebris prodeunt, & in Poloniam excursionem facere parant. Quod cùm Boleslaus ab exploratoribus accepisset, ducit in hostem alacer. Priusquam ad hostes veniretur, transmittendus erat Ossa fluvius, qui Poloniam à Prussia dirimit. Hunc primi armati incunctanter aggressi, pondere armorum & altitudine aquarum, quæ imbribus tunc fortè excreuerant, absorpti sunt. Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebant antiquitùs, minori periculo tranarunt, hostesq; securos & nihil tale suspicantes opprimunt, & ingenti strage concisos, in potestatem suam redigunt. Gallus in Pomeranico bello id vsu uenisse memorat, nec fluminis nomen prodit. Et sanè Grodeci nomen, non Prussiacam sed Polonicam, vnde Pomerani oriundi sunt, sapit originem. Ex illo autem tempore Poloni grauioribus armis & loricis minùs vtuntur. *Ossa fluvius.* *Grodeçum.*

Prussicum bellum excepit Vngarica expeditio: hanc rursus secuta est Russica: vbi victor Rex voluptatibus huius vitæ irretitus turpiter Kjouiæ lapsus fuit. Neq; is solus, sed totum Polonorum illecebris opulentæ, luxuriosæ & Græcorum commercijs corruptæ ciuitatis, ut Pœnorum olim apud Capuam robur elanguit: per septem ferè annos quibus Rex à Polonia absuit. Neq; vacat mihi enumerare libidines exercitus eius quibus ibi assuevit, sed Regis vitia, neq; ea singula, sed pauca. Quod quidem facio ea de causa, vt Diui Stanislai virtus, excelsusq; animus: qui solus inter tot Episcopos & Prælatos Poloniæ, vt alter Nathan Propheta Dauidem, de exorbitantijs Regem Boleslaum tot barbarorum victorijs insolescentem & ferocientem, sit ausus monere. Quamvis verò alicui nec narratio istius rei, nec enumeratio vitæ S. Stanislai ad Historiam Prussicam, cùm sit Polonus, pertinere possit videri: rectè tamen à me suscepta est, quod de sanguine Prussorum sit. De quo Prussiæ non parua datur gloriandi materia. Nam patrem Vielislauum ex eorum Prussorum progenie habuit, qui pro insigniis gerunt unam Crucem albam cum dimidia, in rubra area: quiq; in Poloniam venerunt illo tempore, quo, vt apparet, Prussia adhuc Idola coluit, & Sedem in Palatinatu Cracouiensi in pago Scepanouia fixerunt. Accusabatur autem Rex sæuitiæ in primis, in mulieres Nobilium: quarum aliquæ propter diuturnam in bello Russico maritorum absentiam, vel alijs nupserant viris: vel aliàs contra pudorem peccauerant: quibus jam etiam misericordia & indulgentia coniugum pepercerat, & quidem inaudito modo. Abstractis enim & abjectis infantibus, quos è stupris & adulterijs enixæ erant, catulos ad vbera earum admouisse dicitur. Ad hæc vulgus atq; plebem novis & grauibus exactionibus premebat, ius non dicebat, nec injurias tenuiorum vindicabat, impeditus consuetis voluptatibus, fœdisq; & abominandis libidinibus, de quibus nihil remittebat. Quin Christina nobili fœmina à Mecislao marito abducta, palàm per adulterium abutebatur. His commotus, ita ut decuit, Stanislaus Cracoviensis Episcopus, vir pius & nobilis, qui Lamperto defuncto paulò antè suffectus erat: vidensq; iniurias & exempla Regiorum flagitiorum ad multos pertinere, Regem adit, & semotis arbitris blandè admonet, orat, & obsecrat, vt illis moribus & corruptelis finem statuat, ne quod grande malum sibi suisq; & universæ Poloniæ accersat. Peccata per se maxima, longè tamen majora in Rege, quàm in priuato homine: cum ea quoq; quæ in aliis læuia sint, in eo, qui loco & honore eminet, *Boleslai vitia.* *Christina.* *Lamperto Successor S. Stanisl.*

net, grauissima esse videantur: propterea quòd vltrò hominum oculis sese ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quò sublimior sit & fortunatior, hoc majore vitæ puritate & innocentia eum niti, Deiq; beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina vltione de summo gradu in imum deturbaretur. Neu deniq; falsas & momentaneas voluptates, diris sempiternisq; cruciatibus commutaret. Hæc dicta Rex iniquiori animo pati: & ira odioq; inflammatus, conuicijs & maledictis Sanctum Antistitem incessere: quærere, quo pacto authoritatem eleuaret, linguæq; libertatem comprimeret: neq; tamen quicquam eiusmodi in vita & moribus Stanislai, quod opportunum esset crimini aut reprehensioni comperiebat Emerat fortè Stanislaus pagum Petravinum in tractu Lublinensi à Petrico quodam equite. Atq; is Petricus accepto pretio jam obierat: nec tamen satis Stanislaus propter perpetuum bellum & iustitium, actorum publicorum monumentis de jure suo sibi Ecclesiæq; suæ cui pagum illum adjungebat, cauerat. Eius rei Boleslaus ab assentatoribus submonitus, Petrici agnatos subornat, qui de interuersa hæreditate sua legitima, Stanislaum in ius vocent: auxilium suum ipsis pollicetur. Illi tùm authoritate Regis, tùm insperati compendij spe adducti, iussa faciunt. Fortè tunc iudicia, quæ Poloni vulgò colloquia & generales terminos vocant, in pratis inter Soleciam & illud ipsum Petrauinum in papilionibus, ut moris erat antiquitus, à rege exercebantur. Comparet Stanislaus citatus, emisse se pagum & soluisse pretium affirmat: testes eius rei nonnullos citat. Qui cùm à Rege deterriti, testimonij dictionem subterfugerent, ibi Stanislaus non tam pagi retinendi, quàm criminis depellendi causâ anxius, tandem facinus aggreditur, humanas vires atque cogitationes fidemq; excedens. Tridui dilatione à Rege impetrata, Petrauinum contendit: ibi peracto cum Sacerdotibus & alijs pijs hominibus, quos in comitatu suo habebat, ieiunio, Deiq; ope peruigili oratione & perpetuis lacrymis implorata, detectum Petrici putre cadauer, pedo, quo utuntur Episcopi, tangit: magnaq; fiducia exurgere Petricum à mortuis, in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, jubet. Nec mora, attollit ille sese, quasi ex somno expergefactus, & à Stanislao per manum ductus, ad tribunal Regium sistitur. Rei miraculo, Rege, & omnibus qui aderant obstupefactis, Petricius vendidisse se pagum, & pretium omne accepisse, fatetur. Regem ac deinde propinquos, quòd injuste innocenti & Sancto Episcopo negotium facessant, liberè obiurgat. Ita inuito Rege vicit causam Stanislaus. A tribunali discedens, optionem dat Petrico, reuertíne ad sepulchrum, an diutiùs hac vitâ frui malit. Æternam ille cœlestemq; malle, à qua non longiùs abesset, si exiguum id quicquid esset reliquum supplicij, quo anteactæ vitæ suæ maculas eluere adhuc deberet, ipso petente, sibi remitteretur. His dictis, & annuente postulatis eius Episcopo, sepulchrum subiens, animam iterum exhalauit. Non deterruit ea res Boleslaum Regem, à contaminatis moribus & libidinibus. Quin is iterum atq; iterum monitus, & acriùs obiurgatus ab eodem Stanislao, adhibitis etiam secundùm præceptum Christi gravibus aliquot viris, furere, cædemq; minari ipsi cœpit. Nec segniùs Stanislaus, vbi non resipiscere Regem animadvertit: gravi anathemate eum percellit: vetat sacra fieri tota vrbe, quo ille detestatione & conuicio populi, qui sacris arcebatur, ad saniorem mentem reuocaretur. Ipse ad Diui Michaëlis ædem, in rupe prærupta supra

Petrauinum pagus.

Mortuus resurgit.

Purgatorij ignis

pra Vistulam è conspectu arcis sitam, ad faciendam rem diuinam clàm cum paucis Sacerdotibus commeabat. Quod vbi Boleslaus à suis certior factus cognovit, quodam die correptis armis, amens cum compluribus asseclis & satellitibus eò contendit. Præmittit, qui Stanislaum sacris operantem ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. Qui introgressi erant subitò & insolito fulgore perculsi, supini cadunt: inde manibus pedibusq; reptantes sese proripiunt. Submittit Rex alios iterum atq; iterum: idem & ijs, quod primis, accidit. Ille, moræ impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignauia & formidine, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethalique ictu, sacrosancti Episcopi verticem ferit: ita, vt cadens cerebro parietem proximum aspergeret. Ibi satellites cohortati sese mutuò, corpus humi procumbens templo extractum, minutatim concidunt, morem gerentes furori Regio: & in subiectis pratis, canibus & volucribus laniandum disjiciunt. Dies quo hæc patrata sunt, fuit octauus Maji, anno Christi, millesimo septuagesimo nono, cum Stanislaus vix triennium Episcopus fuisset. Rege cum sceleratis satellitibus post perpetratum parricidium abeunte, quatuor aquilæ inusitatæ magnitudinis apparuisse feruntur circum eum locum volitantes corpusq; sanctum à laniatu canum & rapacium auium defendentes, toto biduo: donec moti ea re pij quidam Sacerdotes, resumptis animis, membra disjecta collegerunt, & suo ordine composuerunt, quæ è vestigio mirandum in modum coaluisse dicuntur. Ita corpus integrum præ foribus ædis illius, vbi Martyr Dei cæsus est, in vrna venerabundi condiderunt: quod decimo post anno in arcem Cracouiensem illatum, in medio Basilicæ reconditum est. Quin & lucernæ permultæ in äére supra eum locum, vbi disjectum erat corpus Stanislai, nocte proxima, quæ cædem consecuta est, ardere à nonnullis visæ esse memorantur. Fertur etiam pijs quibusdam hominibus, diuinitus revelatum esse, regnum Polonum in sequenti tempore in multis partes discerptum iri, quemadmodùm corpus Stanislai, sectum fuisset: itaq; per multum tempus mansurum. Hæc vbi Romæ nunciata sunt, Pontifex Max. Gregorius eius nominis septimus atrocitate rei commotus, toti Poloniæ sacris interdixit. Boleslaum diris deuouit, regnumq; ipsi solenni ritu abrogauit. In posterum quoq;, ne quem Episcopi Regem injussu suo vngerent, & coronarent, edixit. Qui verò socij sceleris fuissent Regi, eos simul & posteros eorum vsq; ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium Magistratuum Ecclesiasticorum functionibus & emolumentis alienos esse iussit. Erant autem ij satellites equestribus & honestis quatuor ferè familijs, quæ in hodiernum diem in Polonia durant, orti: nempè Stremenij, Srenauij, Drusinij & Jastrembecij. Nihilominus tamen annum & amplius Boleslaus postea regnauit, sed inuisus omnibus, & externis etiam contemptibilis: ita vt iam Russorum Principes ab eo subacti, imperium eius detrectarent. Conspirarunt deinde in necem eius Nobiles & Proceres nonnulli: qua conspiratione detecta, veritus ne ad plures etiam ea pertineret, in Vngariam cum filio Miescone & paucis comitibus fugit: quem quidem aliqui dicunt obijsse, Anno Christi, millesimo octogesimo primo. Tertius hic erat Polonorum Christianorum Regum: qui Prussos bello afflixit.

Anno 1079.

Aquilæ custodiunt corpus S. Stanislai.

Interdictum.

Fuga Boleslai.

Post hunc in Principem Poloniæ electus est Vladislaus primus Hermannus dictus, Boleslai Audacis frater. Cum ipso Prussi non diu quoq; pacem coluêre, sed cum Pomeranis conjuncti rebellarunt, occasio-

nem fundendi sanguinis sui subministrantes. Nisi fortè scriptores Poloni per Prussos hoc loco Cassubios, qui posteriùs cum Prussis censeri cœperunt, intelligant. Sed credibile est has vicinas gentes, Pomeranos, Cassubios atq; Prussos sibi inuicem contra Polonos tam frequentia & valida præstitisse auxilia, ut eos æquale bellum sustinere necesse fuerit. Hos ergò Vladislaus bello persecutus & Pomeranorum fines depopulatus est, arcesq; & munitiones aliquot primo suo aduentu recepit. Nec sibi Barbari defuerunt, sed adunatis viribus magno impetu Polonorum castra die decimaquinta mensis Augusti, adoriuntur. Nolebat eo die Vladislaus cum hoste manus conserere: Habebat eum honorem Virgini matri, cuius Assumptionem in cœlos dies ille Anniuersaria celebritate repræsentabat. Verùm lacessitus & iusta penè necessitate adductus, eduxit suos in aciem. Atrox prælium in magnam diei partem, utriusq; dubio euentu pro victoria contendentibus, committitur. Incipiunt deinde pedem referre hostes, Poloni cohortati se inuicem, instare cedentibus. Nec mora, illi effuso cursu diuersi diffugiunt, quos Poloni irâ elati longiùs prosequuntur magnamq; in fugientibus stragem faciunt. Qua fusi fractiq; Principis potestati & Clementiæ sese suaq; omnia permiserunt. Facile dedit ille veniam victis & supplicibus, arces tamen & munitiones opportunas, quæ illis rebellandi ansam dare possent, in potestatem suam redactas partim præsidijs firmauit, partim demolitus est. Nec diu quieuêre hostes, sed præfectis à Vladislao sibi datis, partim dolo necatis, partim pulsis, rebellant iterum. Sed malo suo. Nam ex prælio quod cum ijs Vladislaus cognita rebellione illorum, habuit, pro victis discessêre nocte id dirimente. Dies, quo hæc acta sunt, non procul à Dreno arce, quam Naclus amnis circumfluit, fuit pridie eius diei Dominici qui Christianis Palmarum nomine celebris est. Quo scilicet tempore in parua æstimatione jejunium illud solenne, quod Pascha præcedit apud Catholicos, Poloni habuerunt: dum contemptim carnibus & lacticinijs contra Ecclesiæ consuetudinem vescerentur. Qua re sibi fundamentum futuri mali, scelus hoc modò oculo Dei dissimulante, & ultionem in aliud tempus differente ponebant. Nam cùm habito consilio, discessissent inde, recreatisq; ab illa hyberna expeditione jumentis, auctisq; tùm domestico tùm externo milite copijs, Vladislaus Princeps Pomeraniam rursus ingressus, hostem quæreret, ac ipso nusquam in apertum prodeunte, agros, pagosq; & oppida quàm acerbissimè vastaret: Naclum arcem inprimis munitam, operibus vallare instituit. Vbi res mira & prodigij similis accidit. Nocturnis enim temporibus lucente Luna, crebrò visebantur ab excubitoribus, quasi armatorum hostium acies ex apertis campis ad statiua Polonorum adequitantes & incursantes: quas Poloni exciti raptimq; correptis armis, satis habebant à fossis castrorum propellere, veriti nocturnas insidias. Cùm id sæpius accideret, indignari Poloni inquietari sese, nec usquam in apertum certamen prodire hostes. Itaque nocte quadam, cum itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese proripuêre, diffugientesq; casso labore longiùs persecuti sunt. Obsessi tumultu Polonorum exaudito, & excursione ex castris animaduersa erumpunt subitò, & ignem in opera atq; tuguria militum, stramine arundineq; contecta, injiciunt: quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis qui in castris remanserant defendentibus, facilè opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas vmbras illas fuisse autumant, qui hostiles exer-

Prussi cæsi

Naclus amnis.

Jejunij Quadragesimalis violatio

Naclum arx.

Vmbrarum apparitiones.

exercitus speciem ostentantes, Polonos ita diuino permissu exagitarunt: propterea, quod solenne omnibus Christianis quadraginta dierum Jejunium priore expeditione promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum moribus & institutis ecclesiæ Catholicæ contemptis, temeraverant. Aliquis referens historiam de elusis Polonis à phantasticis Spiritibus, causam eius negat fuisse jejunij transgressionem, quam nihili censet: Grande enim inquit ironicè, nefas & scelus, ouorum & similium in Quadragesima comestio! Irrisor. Quid fuit illud tàm grande, quod comedit Adam protoplastes, cuius rei causâ ille Paradyso propulsus fuit, & vniuersus mundus etiamnum pœnam luit? Quantum fuit illud mellis, quod Jonathas comedit vel potiùs degustauit, ob quod nisi populus pro eo intercessisset, mori debuisset? Parum itaq; vterq; comederat: sed quia ille istud contra Dei præceptum: hic contra Patris fecerat; grande facinus vterq; commiserat in paruo. Itaq; & Poloni temerè transgredientes mandatum Ecclesiæ matris: quam non audientes fiunt, dicente Christo, sicut ethnici & publicani, justam pœnam tulisse referuntur à Cromero & alijs. Insequente æstate rursus in eosdem Pomeranos & mox in Prussos infestis animis impetum Poloni faciunt, Regionesq; eorum, quæ quidem cultæ erant, quoquo versùs, quàm crudelissimè vastant, nulli neq; sexui, neq; ætati hominum parcunt. His itaq; fatigati fractiq; malis hostes, publico consilio deditionem fecerunt, & misericordiam Principis supplices implorarunt. Ille populariter adesse jussos grauiter castigat, authores rebellionis edere imperat, & in eos supplicio capitis animadvertit: cæteram multitudinem metu soluit, & jusjurandum conceptis verbis dare sibi jubet. Ita perdomiti Prussi & Pomerani ad tempus quieuerunt. Mechouius scribit sequenti anno, 1089. Die 28 Aug. ingentem multitudinem Prussorum Russiam ingressam, eam longè lateq; vastasse: ac postea cum Sbigneus Vladislai primi Nothus cum fratre bellum gereret, contra eum Prussos cum Pomeranis ac alijs asciuisse. Anno 1100, recuperarunt Christiani à Turcis Ierosolymam vrbem, quam anno, 1012. hi occuparant. Anno postea Christi 1102. mortuus est Vladislaus, post quem regnum administrauit Boleslaus III. Criuiostus ita ab ore retorto, quod ex morbo contraxerat appellatus.

Jejunij violatio.

Anno 1089

Anno 1100

Anno 1102

Tentauit optimus hic Princeps Prussorum animos primùm submissis Canonicis quibusdam, vt inquit Grunauius, qui eis Christum rursus, de quo jam priùs inaudierant, prædicarent. Hi constitutis mansionibus in modum Anachoritarum, in terra Culmensi, per vices excurrentes prædicabant Prussis. Et certè non sine fructu. Nam conuertebantur passim illi ad Christi fidem. Sed non absq; inuidia summi Antistitis. Hic enim Prussis conuocatis, exposuit, non esse mentem Polonorum & Sacerdotum istorum, quærere salutem æternam, vt prætenderent, animarum, sed vt Regionem sibi hoc modo subijciant, eisq; tanquam mancipijs utantur. Christum si quempiam alium, quem Judæi occidissent, maximè reum fuisse mortis, hunc sibi pro DEO colendo, obtrusissent. Quibus verbis ille apud barbaros tantum effecit, vt non solùm Christi fidem desererent, sed etiam ejus sacerdotes & prædicatores morte tollerent, aut vehiculis impositos abducerent. Itaq; cum hac via & lenitate Criuioustus se nihil efficere videret, Anno Christi, 1108. per hyemem concretis glacie lacubus & paludibus, quibus ea regio impedita, difficilem præbet aditum, alijs temporibus Prussos adortus est, peruastataq; ferro & igni regione, magnam hominum & pecudum prædam abegit,

Canonici prædicant Prussis.

Anno 1108

git, nemine obſiſtente, aut pugnæ copiam faciente. Hujus deinde Principis tempore Pruſſi cum Pomeranis excurrerant prædabundi in Maſoviam, vaſtatiſq; raptim agris & pagis permultis, celeriter ſe cum præda domum recipiebant. Præerat tunc Maſouiæ Magnus Comes, qui à Vradislauienſi Præfectura amotus fuerat per Vladislaum. Is tumultuaria manu facta, reuertentes barbaros perſecutus, & prima luce inopinantes, & poſt populationis laborem, largioresq; ex præda epulas, altum dormientes, adortus, ad internecionem, illam hoſtilem manum deleuit, nullo de ſuis deſiderato. Hoſtes autem ſexcenti interfecti ſunt, capti mille ducenti. Cæteri qui in proximas ſiluas effugerunt, ſequentibus aliquot diebus ab egreſtibus excepti ſunt ac trucidati. Quin & à mulieribus duabus fraga legentibus vnus captus, & reuinctis poſt tergum manibus, adductus eſſe memoratur. Atq; hæc victoria quæ contigit anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, vndecimo de barbaris, Simoni Epiſcopo Plocenſi, pietate & ſanctimonia vitæ venerando ſeni refertur accepta, quod is & Maſouios in hoſtem excitauerit, & pugnantibus ijs, DEI opem implorare non ceſſauerit: Moyſen populi DEI Ducem imitatus, cujus precibus & extenſione manuum magis, quàm armis atq; viribus Amalechitas profligatos eſſe, ſacris Hebræorum literis proditum eſt. Non ſatis autem pœnarum Pomeranos atq; Pruſſos dediſſe ratus Boleslaus, æſtate ſequenti expeditionem in Pomeraniam ſuis induxit. In qua dicuntur cæſa viginti ſeptem millia barbarorum. Lacubus etiam & paludibus multi hauſti memorantur. Capti fuêre, bis mille. Cadauera comportata & humo, ne tetro odore aërem inficerent, operta, tumulum inſtar collis effecêre. Naclenſes quoq; deditionem fecerunt, & eorum exemplo, ſex alia oppida. Quibus omnibus Boleslaus Suentopelcum vnum de Proceribus & conſiliarijs ſuis præfecit, de Gryphonum ſiue Gryphium familia, hominem non tàm opibus aut natalium ſplendore, quàm virtute & ſcientia rei militaris clarum. Iterum Boleslaus Anno Chriſti, 1114. Pruſſiam ingreſſus, vicos, pagos & oppida longè lateq; extenta populatione, ferro & igne vaſtauit: & nuſquam prodeunte hoſte ad dimicationem, magnam prædam abegit, captiuos quorum ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diverſa loca diſtribuit: extantq; etiamnum nonnulli pagi, qui ex eo tempore Pruſſorum nomen retinent. Statuerat Boleslaus Anno ſalutis milleſimo centeſimo decimo octavo Pruſſos & Pomeranos fractos jam atq; debellatos magna ex parte, ad extremum perdomare: verùm imbres anni illius perpetui & ingens aquarum vis, atq; inundatio, quæ neq; ſeri agros neq; meti paſſa eſt: neq; id in Polonia modò, ſed in vicinis quoq; regionibus, quieſcere eum coëgerunt. Præceſſerat autem eos imbres tale prodigium, ut cœlum totas tres horas poſt occaſum Solis ardere viſum ſit. Sedatis verò tempeſtatibus, Boleslaus, per quadriennium, Pruſſicum & Pomeranicum bellum proſecutus eſt. Extremam autem vaſtitatem timentes barbari, juuentutem omnem opificumq; & agreſtium multitudinem armarunt, & Boleslao cum exercitu advenienti occurrerunt: ultimam prælij fortunam tentaturi, & viam ipſi ad interiora ditionum ſuarum corporibus ſuis præcluſuri. Nec Polonicus exercitus cunctatus eſt, quin cum hoſte, quamuis numeroſiore, manus conſereret. Pugnatum à primis eſt Marte dubio. Ibi enim robur omne exercitus ſui hoſtes collocarant. Vbi cedere loco ij cœpêre, immittit Boleslaus perculſis nouas aliquot cohortes, quæ mox totam aciem convertêre. Primis enim partim cæſis, partim

pertur-

Magnus comes

Anno 1111

Simonis episc: Plocensis pietas

Suentopelcus

Anno 1114

Anno 1118

perturbatis, reliqua multitudo imbellis: in fugam effusa est. Parcere jussit Boleslaus fugientibus, ne Regio cultoribus prorsus vacua redderetur. Itaq; multò plures capti quàm cæsi: reliqui, flore omni Juventutis amisso, cum oppidis & munitionibus & rebus suis omnibus Boleslao sese dedidêre. Volunt nonnulli Boleslaum post hæc tempora, cum in Daniam nauigasset, & negotium Regni istius juxta animi sententiam reiq; necessitatem prosperè composuisset, in reditu eadem classe in Sambiam nauigasse, ut rebelles rursus coërceret. Qui Polonis tumulatuariè occurrentes, non paucos ex eis trucidarunt. Sed cùm hanc injuriam, tùm proximam rebellionem mox satis superq; vltus est Boleslaus. Nam collectis viribus additisq; animis, exercitus penè omnes Sambienses contrucidauit, regionemq; deprædatus est. Post victoriam securè agebant victores, sibiq; indulgebant insidias aliquas aut quempiam apertum hostem non timentes. Sed non optimè Polonis hæc securitas tùm corporum indulgentia cessit. Aderant enim Sambiensium vicini summo manè, occasioneq; optata utentes, Polonos imparatos cædunt, Itaq; excitati illi partim armis hostium, partim classico ad defensionem suam hostibus vim inferendam redeunt: cumq; non segniter agunt, cedunt retrò Prussi, fugamq; capessentes perimuntur. Cùm victoriam prosequi Rex non posset ob saucios milites, exercitum Gedanum deduxit, vbi ipsi debita cura impensa est. Exhilarabat plurimùm animos Prussorum abitus Regis, festosq; dies agebant. Sed nec ipse ampliùs eos bello lacessivit. Adijt verò Boleslaus, anno, 1131. Gnesnam ad Diui Adalberti reliquias, paulò antè, Jacobi Archiepiscopi operâ in propatulum prolatis è latebris, in quibus diu post captum & vastatum à Boëmis exulante Casimiro Rege, id oppidum, paucis conscijs, delituerant, & 80. marcas auri & multas gemmas in vrnam Diui contulit. Moritur Boleslaus Criuioustus Princeps quartus Christianorum, qui Prussis bellum intulerant, postquam res suas disposuisset, ac Dobrinensem & Culmensem terras Boleslao Crispo filio attribuisset, anno redemptionis, 1139. Post cujus mortem Prussi rursus jugum Polonorum excusserunt, instructa rursus quercu alia pro cultu Deorum, & electis Criuis nouis. Criuiousto verò post aliquot tempora successit in Regno Boleslaus quartus, Crispus, à contortis capillis dictus.

Sambienses cædunt Polonos & cæduntur vicissim

Anno 1131 Boleslaus Criuioustus honorat S. Adalbertum

Moritur

Anno 1139.

Anno deinde millesimo centesimo quinquagesimo tertio, fundatum est in majori Polonia Monasterium sacri Ordinis Cisterciensis, propè Lucnam oppidum, quod distat itinere vnius diei à Posnania, à comite quodam Zbilud in Pangrodi, conjuge ipsius & duobus filijs. Sed istud Monasterium ex Lucna translatum est ad unum millliare, Anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo sexto versùs occiduum solem, Vangrouecum: melioris commoditatis gratiâ, vt putatur. Visuntur adhuc modò ruinæ veteris templi in Lucna. Quin & fundatorum ossa Vangrouecum traslata sunt, & recondita post altare majus, præter ossa vxoris, quæ alibi sepulta fuit. Omnium horum documenta clarissima habentur palàm exposita, tàm in scriptis, quàm in imaginibus, in capella Ecclesiæ Monasterij, in honorem sanctæ Mariæ Deiparæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecrata. Computato tempore translationis à tempore fundationis, reperiuntur ducenti quadraginta tres anni, quibus Patres Cistercienses in Lucna habitarunt. Deducto verò tempore traslationis usq; ad præsentem Annum 1627. quo hæc scribuntur, inveniuntur Patres Vangarouecí habitasse annis ducentis viginti octo: Vtrouis locorum 471. annis. Refertur

Anno 1153.

De monasterio Vangrouecensi.

fertur à fide dignis, nunc adhuc in deserto loco Monasterij & Ecclesiæ, quibusdam anni temporibus de nocte accensas candelas videri, quid velint aut indicent, nondum sciri. Hæc breuiter hoc loco annotare debui, pace tamen Reuerendissimi Domini Cromeri, qui de fundatoribus & tempore fundati Monasterij paulò aliter sentit, quod patet ubi scribit de Mieceslao Rege sene tertium. Habet modò Monasterium hoc patres canicie & ætate venerabiles, pietate & doctrina præditos. Vnus inter illos centum viginti quinq; viros hucusq; suis manibus post mortem abluit & sepeliuit. Alter pluribus artibus mechanicis, quas quotidie etiam exercet, juxta D. Pauli doctrinam & exemplum, claret: scilicet architectura, arcularia, tornatura, vitriaria, restiaria quoq; & alijs. Parat namq; idem Musica instrumenta: vtpote, regalia vt vocant, Clauicordia, cornetas, fidiculas: horalogia lignea sonantia: à nullo vnquam edoctus quæcunq; profitetur. Nec est ignarus in organis aut alijs Instrumentis ludere: aut etiam Græcè, Hebraicè, Germanicè: taceo linguam Latinam & natiuam Polonicam fari. Egerat hic aliquot annis Parochum in pago: inde se ad Monasterium transtulit, expeditius DEO sine curis terrenarum rerum seruiturus. Hæc de Monasterio patribusq; Vangrouecensibus, cum eorum bona venia mundo testari debui, vt gratitudinem eisdem ostendam, pro benevolentia qua in me usi sunt, dum me (cùm injusta arma Gustaui Ducis Sudermanniæ quæ in Prussiam ex inopinato induxit declinare debui) benignè collegerunt, & collectum aliquot mensibus, necessarijs, hospitalitatis amantissimi prouiderent: neq; me solùm, sed & plurimos fratres ex Pelplin & Oliua sui Ordinis Monasterijs, qui eadem de causa huc iter susceperant. Ipsum verò oppidum Vangrouecum pane & Cereuisia albis insigne est. Illud etiam quod me præsente, quamuis duriùs contigit, posteritati transmittere necesse est, ob id, quod fortè ægrè alicubi gestum sit tale.

Cistercienses senes

Cisterciensium hospitalitas.

Casus miserabilis cujusdam juuenis

Seruierat adolescens Nobilis Polono Nobili non procul Vangroveco in itinere Posnaniam versùs, aliquot annis. Is dimissus, obuiàm venit his diebus Vangrouecì, Domino à cujus seruitijs fuerat, & ab ipso pretium deseruitum justè petijt. Sed nihil percepit, quin ab irato Domino duobus globis bina vice ex sclopeto transfixus, & grauiter in facie præterea læsus frameâ, ad monasterium in equo venit: ex quo descendere non potuit. Sublatus ex sella equina manibus sacerdotis cujusdam, qui benè vestem suam candidam purpuravit, depositus est, & optimè habitus, donec ægri balneator oppidi, curam suscepisset. Hic deinceps operam suam qua potuit dexteritate infirmo contulit, breui prefectam sanitatem saucio pollicitus. Inaudiuerat nobilis de statu meliore famuli, & se ad ipsum de multa nocte confert, familiariter alloquitur, de sanitate interrogat, & num sibi adhuc irascatur, & culpam non dimittit: Respondet ille, se non irasci, culpam dimittere, & cum diuina gratia & Magistri Balneatoris opera & studio breui ad pristinam valetudinem rediturum. At non surdo fabulam: Nam vt hoc nobilis audiuit, recedens à lectulo, cor jacentis, nec quicquam mali suspicantis globo trajecit, necauitq; simul & abijt. Hoc fecit scilicet, ne fortè teneretur, si famulus superuixisset, eidem pretium emeritum soluere: aut potiùs, ne sibi simile periculum vitæ à sanato subeundum esset.

Sed redeundum est ad intermissas res Prussorum, qui iam inde à Boleslai Criuiousti morte, à Religione Christiana & fide Polonorum

defecerant. Boleslaus igitur (fuit is sextus in ordine, qui ex Principibus Christianis, bellum Prussis intulit) ex fratrum & fratris filiorum consilijq; totius sententia, contra hos bello suscepto transductoq; per Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit, ferro & incendijs omnia miscens & magnas prædas agens. Ea vastatione moti Prussorum primores, cum vires suas impares tanto bello esse animaduerterent: quippe qui non plus decem millibus, & sexdecim equitum facere possent, pacem supplices à Boleslao petunt, imperata se facturos pollicentur. Negat se ijs pacem daturum, ni stulta & vana multorum Deorum superstitione se abdicent, & Christianam Religionem populariter recipiant. Durius Prussis videbatur: sed tamen præsentibus juxta ac impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem: demoliuntur fana, & simulacra falsorum Deorum, vni verò DEO, quem nos colimus, dejecta aut desolata pridem instaurant: liberos post desertam Religionem sibi natos, ritu Christiano initiant. Et quo celeriùs Religio Christiana in tota Prussia coalesceret, tributum quidem exiguum Boleslaus genti imposuit: edixit autem: Quicunq; ad certum tempus Christiani facti non essent, vt in seruitutem abducerentur, & sub hasta venderentur. Et certatim quidem omnes nomina dabant Christo, sed magis deuitandi præsentis periculi metu, quàm ex animo, & lingua quidem jurat, quemadmodum inquit Poeta quidam, mens injurata manet. Itaq; indè deducto exercitu & amoto metu, citò ad ingenium redeunt. Neq; enim firmam atq; stabilem sedem habere potest Religio vi & metu expressa: quæ quamlibet foris necessitati seruiat, intus quidem in animo liberrima est. Vix dum circumacto anno Prussi in pristinum errorem apertè relabuntur, ritus Christianos explodunt: Sacerdotes, cæterosq; qui constantiùs Christianam Religionem retinebant, eijciunt, partim curribus impositos in Poloniam remittunt, templa profanant. Veriti autem, ne extrema quæq; pro his quæ patrarant paterentur, ad Boleslaum Principem legatos mittunt, cum donis magni pretij: profitentur se in fide ejus permanere cæteraq; omnia ejus jussa facturos esse, Religionis modò Christianæ necessitatem vt sibi remitteret: multitudinem patrias & auitas Religiones neutiquam velle aut posse abijcere: & omnia priùs malle perpeti, quàm ab inveteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leviùs quàm par erat Christiano Principi violatam & neglectam ab ipsis Religionem Boleslaus ferre visus est, cùm ij de fide erga eum sua nihil remitterent. Itaq; sic tunc legatos eorum dimisit, vt factum eorum approbasse videretur: pluris faciens suam quàm Dei Maiestatem: siue adeo muneribus, quæ sapientum quoq; mentibus caliginem offundunt, delinitus. Neq; cogitabat, non habere modum neq; finem temeritatem, cui semel habenæ impunitate relaxatæ sint. Offendunt autem plerumq; homines in eo, quod causæ Dei præposuerint, vt tunc accidit. Nam Prussi videntes impunè sibi accidisse prima ausa, sublatis animis haud ita multò pòst, exactores Principis propellunt: factaq; manu valida, è promiscua hominum multitudine, Culmensem tractum & Masouiam nec opinantibus Polonis ingressi, crudeliter vastarunt ac diripuerunt, ingentesq; pecudum & hominum prædas abegerunt. Qua de re certior factus Boleslaus, nihil sibi fecit reliqui ad celeritatem: quin cum paucis, quos circum se habebat, & quos proficiscens sibi adjungere potuit, militibus, auxilio suis accurreret. Sed jam Barbari abierant, nec eos longiùs ille cum paucis cursu

Boleslaus contra Prussos.

Culmensis terra vastatur.

cursu defatigatis persequi ausus est. Verùm fremens & sibi ipsi ob superiorem conniuentiam displicens, tunc quidem ditionis suæ fines qualiqualí præsidio adversùs repentinas barbarorum excursiones muniuit. Cæterum anno sequenti, qui fuit post Christum natum, millesimus, centesimus sexagesimus septimus, majore vi & apparatu expeditionem in eos fecit. Aderant & fratres cum instructis suorum copijs. Barbari sceleris & perfidiæ suæ sibi conscij desperabant veniam, nec satis virium ad sustinendos Polonos habere se judicabant. Itaq; in remotas siluas & inuias paludes se cum gregibus & armentis abdunt: nihilominus exquirunt, quomodo Polonos dolis & insidijs circumueniant. Erant apud Boleslaum in castris Prussi quatuor perfugæ, baptismate initiati, non ignobiles, qui sic jam probarant fidem suam Boleslao, vtijs ducibus & consultatoribus in expeditione illa maxima vteretur. Erant enim periti Regionum & rerum Prussicarum. Eos Prussi clàm per certos homines, qui & ipsi transfugas se simularant, magnis donis, majoribus promissis ad proditionem pellexerunt. Tempus & ratio proditionis constituitur. Magnam jam Prussiæ partem Poloni depopulati ad siluestria quædam, palustria & vliginosa loca peruenerant, quæ in speciem herbida & compascua, limosos abscessus & voragines occultabant: circum hæc, vti conuenerat, latebat Prussorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamq; multitudinem hominum cum rebus & facultatibus suis se recepisse affirmant: persuadentq; Principi, ne prædam illam contemnat. Vbi primum agmen, quod Henricus Sandomiriensis Dux Boleslai Frater ducebat, ægrè aliquantulum progressum est, dictitantibus transfugis perbreuem esse istam difficultatem, ibi signo dato subitò Prussi pedites vndiq; è latebris prosiliunt, & sagittas ac omnis generis tela eminus in impeditos conijciunt. Poloni neq; progredi jam aut consistere ex adverso hostium neq; regredi poterant, terra abscedente, & equites ac pedites armatos devorante, & à fronte quidem & à lateribus acriter instabant hostes, à tergo verò Poloni extremi primorum receptum implicabant, ita vt nihil omninò virtuti loci esset, neq; submitti subsidia laborantibus possent: quin vt quisq; suis opem laturus, aut hostem exultantem in cæde, ulturus præcurrerat, ita & ipse se, & illos quibus succurrebat, magis etiam impediebat. Eratq; miserabile spectaculum cùm Poloni sine ordinibus progressi, & inopinato hostium occursu aut impulsi, aut perterrefacti, terga vertebant, seq; inuicem proterebant & proculcabant. Multi ibi mortales cæsi, longè plures voraginibus absorpti sunt. Pauci per cæterorum corpora salui ad extremum agmen, quod firmiori loco substiterat, sese recepêre. Ibi Henricus Dux, inter primos pugnans, fortiter occubuit. Ibi omne penè robur Polonorum afflictum & debilitatum est. Reliquas copias Boleslaus Princeps cum Mieceslao fratre nihil cunctati in Poloniam tumultuariè reduxêre, ne Henrici quidem fratris corpore recepto aut requisito. Hæc nunquam satis laudatus ille Polonus Poëta versibus sequentibus ita graphicè depinxit.

Anno 1167.

Proditio.

Henricus Sandomiriensis dux.

Dum cogit Prussos ad Christi dogma, Polonus,
Amisso euertit milite Crispus, opes.
Transfuga ducebat nostros malefidus, iniquum
Transgressos Ossam pertrahit inq; locum:

In

In conuestitum viridanti cespite cænum.
(A tergo in siluis abditus hostis erat.).
Insilit: inclusos cœno suffocat in illo.
Vix pauci incolumes se eripuêre fugâ.
Mens generosa dolo quia nil agit, ipsa malignis.
Opportuna dolis, insidijsq; capi est.
Et quia metitur proprijs virtutibus omnes.
Est in perniciem credula sæpè suam.

Prussi mortuorum spolijs potiti, ea more suo partiti sunt.

Præerat tunc quartum decimum annum Plocensi Ecclesiæ Episcopus Vernerus, Equestri Rosarum familia, integritate & sanctimonia vitæ clarus & eleganter eruditus: ei per vim & injuriam Bolesta vir potens & violentus Carscum pagum ademerat. Erat autem is Castellanus Visnensis, & oram illam Prussis finitimam pro Boleslao Crispo administrabat. Eum igitur comiter & blandè Vernerus per se & per amicos orat & admonet, ne vim faciat Ecclesiæ. Vbi nihil proficit, in jus vocat, causam obtinet, in possessionem reponitur. Molestissimè id ferebat Bolesta, multaq; maledicta in mansuetum Episcopum ingerebat, & necem ei machinari cœpit. Erat ei non modica cum vicinis Prussis consuetudo: qui cùm non pauci fortè ad eum vel jus petituri, vel compotaturi convenissent, acceptos lautè & benè potos, promissis etiam oneratos, nocte ad obtruncandum Vernerum, qui tunc fortè ad Biscupice villam suam venerat, cum Benasso fratre suo Germano misit. Peragunt illi iussa effractisq; portis in cubiculo dormientem Episcopum cum fratre Benedicto Monacho Benedictensis Ordinis trucidant. Delituerat per eum tumultum sub lecto Episcopi puer cubicularius. Is igitur authores sceleris prodidit. Bolesta in foro Gnesnensi extructo rogo iubente Boleslao est crematus, Benassus post patratum istud scelus, nunquam posteà comparuit. Creditum est vulgò, eum terræ hiatu absorptum, Sancto Episcopo supplicium expendisse. Verneri corpus Ploccum delatum honorificè sepultum est. Nec ita multò pòst varijs & salutiferis hominum generi miraculis cœpit sepulchrum eius celebrari.

Vernerius Episcopus Plocensis occiditur.

Bolesta.

Benassus.

Bolesta crematus.

Circa hæc tempora vixit Helmoldus presbiter, qui Slauorum Chronica scripsit. Extat insigne ejusdem testimonium de crudelitate Prussorum in sacerdotes Christi, multa quoq; attestatur quæ suprà de gente hac scripsi. Sed ipsum dicentem audiamus. Sic ergò inquit: Pruci necdum lumen fidei cognoverunt, homines multis naturalibus bonis præditi: humanissimi, erga necessitatem patientes: qui etiam obviàm tendunt his, qui in mari periclitantur, vel qui à piratis infestantur, & subveniunt eis. Aurum & Argentum pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum nostro orbi superbiæ venenum propinauit. Et illi quidem vt stercora hæc habent ad nostram credo damnationem, qui ad marturinam vêstem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem. Itaq; pro laneis indumentis, quos nos appellamus foldones, illis offerunt tàm pretiosos martures. Multa poterant dici de hoc populo laudabilia in moribus, si haberent solam fidem Christi, cujus prædicatores immaniter persequuntur. Vsq; hodie profectò inter illos, cùm cætera omnia communia sint cum nostris, solus prohibetur accessus lucorum & fontium, quos autumant pollui Christianorum accessu.

Helmoldus de Prussis veteribus.

Carnes

Carnes jumentorum pro cibo sumunt: quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Hactenus Helmoldus.

Anno 1170. Subislaus Pelplinense monasterium ædificat. Anno 1170. ædificauit Subislaus senior Dux Pomeraniæ Monasterium Pelplinense, in gratiam Monachorum Ordinis Cistercienſis, Is primus fidem Catholicam ex principibus Pomeranis susceperat, Moritur verò Boleslaus Crispus Princeps, Anno salutis *Anno 1173* 1173. cùm Principatum Poloniæ annos 27. tenuisset. Post *Anno 1174 Oliuense monasterium.* eum in Principem Poloniæ creatur Mieceslaus senex. Anno 1174. ædificatum fuit monasterium Oliuense. Mieceslao secutus est in *Anno 1177* Principatu Anno Christi, 1177. Casimirus II. Posteà dedit Prin- *Anno 1185 Gedani vrbis initium* ceps idem Subislaus, nempe, anno Christi 1185. vrbi Gedano (quæ à Getis & Danis, à doctioribus authoribus dicitur) initium, & quidem ex sequenti occasione.

Incolæ qui piscatores fuisse perhibentur, ejus loci commoditate delectati, ciuitatem ibi constituere cogitabant. Ne verò repulsam à Domino Regionis paterentur, apertè tale jus petentes, ad astum conuertuntur, concediq; sibi ab ipso postulant tantum agri pro vrbe condenda, quantum vlnis possit comprehendi. Jocum esse ille non fraudem ratus, haud grauatim petitum concessit. Sic congregati viri & fœmellæ, domestici & hospites, junctisq; manibus vnius ad manus alterius prout quisq; fortuitò obuenisset, circumdederunt hoc totum spatium, quo antiqua Ciuitas Gedanensis continetur. Non ægrè tulit Subislaus hunc jocum suorum, quin eum benignè prosecutus, fossis ac plancis cingi jussit pro munitione ciuium nouorum. Ex his exiguis initiis si nunc, ô Gedanum, in tantam amplitudinem, decorem, potentiam & abundantiam, etiam Regibus admirandam te surrexisse videret, quantum obstupesceret primus tuus ille fundator? & quàm vehementer gauderet sibi de fælici plantula sua? Quam doleret quoq; tuis majoribus non ampliora se dedisse spatia, vt per ea majora sumeres incrementa? Tu vicissim omnem ei grati animi significationem exhiberes. Sed quando alia gratificandi ratio, authori tuo non superest, saltem vt tui conditoris ossa, in Oliua, vbi judicem extremum expectat, molliter cubent, ex animo precare. Vt pietatem *Capella S. Nicolai* Christiani nouelli & ciues rectè colerent, capellam in honorem S. Nicolai ædificauerunt. In quo loco posteà Suentopelcus Dux Pomeranorum Monasterium Dominicanis extruxit. Anno Christi *Anno 1183* 1183. Casimirus vnâ cum Gedeone Episcopo Cracouiensi ad Lucium III. Pontificem Max. miserunt: precantes vt alicuius è Sanctis Martyribus ossa impertiatur, qui genti & vrbi contra Prussos, Tartaros, aliasq; Barbaras nationes pro muro & vallo esset. Mittun- *S. Floriani ossa.* tur ergò per Ægidium Episcopum Mutinensem sacra ossa S. Floriani militis & martyris Laureacensis. Polonorum proceres cum Rege suo ad septem milliaria tanto hospiti obuiàm effusi prodierunt. Cuius corporis pars in templo à Casimiro extructo ponitur: altera in marmoreo altari primarij templi includitur. Subi- *Mestuini filij.* slao verò extincto, anno 1187. in Principatu Pomeraniæ Mestuinus frater successit. Genuit is quatuor filios ex Maria, Regis Mie- *Suentopelcus, Samborius, Ratiborius. Vartislaus.* ceslai in Polonia filia: Suentopelcum, Samborium, Ratiborium & Vartislaum. Inter quos illustrior extitit Suentopelcus. Si autem vixerat is, 97. annis, vt de ipso proditur, & anno Christi 1266. mortuus est, sequitur illum natum fuisse anno 1169. ipsumq; iam, cum pater eius principatum acciperet, 18, annorum fuisse. Cum de Suen-

topel-

topelco isto plura dicenda sint postmodùm, de eo hæc initia ponenda erant. Necesse est etiam incunabulorum & primordij Crucigerorum, qui terram Prussiæ subiugarunt, & cum dicto Suentopelco multa negotia habuerunt, meminisse. De his namq; paulò pòst crebriùs agetur, si non veriùs continua narratio sit futura.

His temporibus Sultanus Ierosolymam, quæ per Saladinum potentem & bellicosum Saracenorum Regem capta erat, post octogesimum octauum annum ex pacto Friderico Imperatori reddidit: qui Fridericus eius vrbis se quoq; Regem ritu solenni appellari curauit. Habebant verò Saraceni adhuc Ptolemaidam, quæ etiam Acona dicebatur: ex qua vicinia varijs excursionibus ijdem terram sanctam infestabant. Quamobrem Balduinus Rex Ierosolymorum vndequaq; exercitus colligens, Saracenos è loco vicino ejicere cogitabat. Et quidem Longobardi sexaginta galeras ei, & in his, 50000. virorum in subsidium miserunt: cum quibus multi homines probi, piæ peregrinationis causa in terram sanctam profecti sunt. Erantq; horum 500. partim ex Saxonia, partim ex alijs Prouincijs Germaniæ, qui omnes in vnam nauem congregati, Ptolemaidam vsq; salui peruenerunt. Obsidentibus itaq; Christianis anno post natum Christum 1190. Ptolemaidam vrbem (erat hæc in prouincia Phœnicia, habens ad Austrum montem Carmelum quatuor leucis distantem) afflictari cœperunt morbo, qui vulgò profluuium sanguinis vocatur, milites. Et horum nulla cura habebatur. Quorum demum Lubecenses & Bremenses ciues, qui piæ peregrinationis causa ad sacra loca in Syriam nauigarant, miserti, vela nauium consciderunt: factisq; de ijsdem tentorijs, milites cùm morbo dicto infectos, tùm ab hoste vulneratos in locum vnum coëgerunt, à Solis ardoribus defenderunt, & eorum, impetratâ à Principibus belli, bonâ veniâ, curam & sollicitudinem habuerunt: adeò, vt quisquis ciuium studium erga infirmos in belli periculis & tumultu vidisset, illud summoperè collaudare deberet. Præcipuè hoc opus pium mirabatur Fridericus Dux Sueuorum, supremus Campiductor, vt non omitteret alloqui Regem Henricum, Ducem Brabantinum, Ducem Austriæ Leopoldum, Ducem Bauariæ, Brunsuicensem, & Saxonem: insuper Landigrabium Turingiæ, Hassiæ & Misniæ: ac deniq; Marchionem Hollandiæ, Geldriæ, Cliuiæ, Iuliaci, Montium, Nassouiæ, Hennenbergæ Spanheimb, aliosq; Principes ita commemorans. Quod modò isti ciues præstant, nos oportuit jam multò antè fecisse, quandoquidem Deus Opt. Max. largiùs sua bona nobiscum quàm cum ipsis diuiserit. Sed nos hactenus grauibus Reipublicæ Christianæ distenti negotijs, hoc opus perficere nequiuimus. Attamen ne quoq; in posterum, optimum Christianæ Religionis exercitium intermittatur, curemus impensè. Quod cum per nos ipsos expedire non possumus, ad id famulos nostros fidelissimos destinemus: qui non modò in præsenti, sed & in omnibus futuris obsidionibus & bellis curam ægrorum, exemplo istorum ciuium in se suscipiant: & nihilominus contra hostes Christiani nominis præliari sint obstricti. Tale consilium non potuit non placere omnibus Principibus congregatis: neq; defuit votis sanctis DEUS. Nam pro initio inuestiebantur in hunc ordinem adhuc in castris ad Ptolemaidam 40. (quamuis velint quidam illorum fuisse 24 sæculares, & septem sacerdotes) numero fratres Nobiles: primum

IerosolymaChristianis reddita.

Friderico Imperator.

Ptolemaida siue Acona.

Balduini expeditio in Saracenos.

Anno 1190.

Fridericus dux Sueuorum.

Crucigerorum initium.

Dei Opt. Max. instinctu interno: deindè maximis pollicitationibus & promissis dictorum Principum exciti. Nam promittebant Principes se non modò futuros adjutores, sed etiam fratres eorum. Interim contigit capi Ptolemaidam, die S. Antonio dicato, postquam Anno uno & mensibus septem obsessa fuisset. Quæ Ciuitas commendata fuit curæ Templariorum. Hi in usum infirmorum novitijs Religiosis dederunt Ecclesiam ibidem S. Nicolai, olim à Christianis extructam. Sed & pro ijsdem infirmis, non diu post emptus fuit Eleemosynâ Principum hortus olerum jacens ad dictam Ecclesiam. Jerosolymis etiam Hospitale, quod Imperatrix S. Helena in monte Sion in gratiam Germanorum ad sepulchrum Christi pietatis ergo confluentium, ædificari fecerat, & amplis reditibus dotauerat, ac Teutonicam domum Dominæ nostræ in Jerusalem appellari voluerat; ex Balduini Regis Jerosolymorum liberalitate noua plantatio accepit vitæ necessaria. A Patriarcha verò Jerosolymitano dicti fratres 40. vestiebantur pallio albo quod haberet cucullum. Pallio anteriùs ex utraq; parte assuta erat crux nigra in areola seu scutulo albo. Et cum nulla hominum societas sine capite & rectore possit subsistere, de eligendo superiore sodalitij dicti Principes negotium suscepêre: constitueruntq; eodem tempore pro rectore primo communibus suffragijs Henricum Valpach siue Valpot à Passenheim. Erat is Nobilis ex Episcopatu Bremensi, vnus ex 40. primis socijs qui nomina sua fraternitati dederant, pietate & ætate florentissimus. Hic certis legibus, de quibus paulò pòst dicturus sum, fratres astrinxit. In eo fuit Principibus commendatissimus, quòd non solùm fratres suos ad diligentem curam ægrorum verbis inuitauerit juxta vocationem, sed & ipse eisdem exemplo præluxerit. In quem finem ille quoq; ex eleemosynis Principum ægris medicinæ Doctores, Apothecarios, & Chirurgos adhibuit. Deerat pio Instituto authoritas Pontificis Max: sine qua pleræq; in auram res abeunt. Sed eam tanti Patroni non difficulter Ordini nouello impetrarunt, vt ex sequentibus literis patet. *Episcopus Cælestinus seruus seruorum Dei, dilecto filio nostro Henrico Valpach Magistro Hospitalis sanctæ Mariæ in Ierusalem & consocijs eius in charitate Dei & fraterna fide congregatis, præsentibus & futuris Apostolicam benedictionem & vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus nos indigni caput sumus, filijs nostris in Domino charissimis, qui nunc in terra sancta contra inimicos Crucis Christi pugnant. Cum intellexerimus, qualiter spiritualem statum juxta sanctum Euangelium inceperitis: nempè, vt curam ægrorum habeatis, & tempore necessitatis contra gentes pugnetis: in quo etiam hactenus constantes permansistis: ad multorum preces confirmauimus eum, vos collocantes sub Regula & omnium Statutorum Sancti Augustini: quæ cum tempore ad perfectionem reducetis: cum titulo: Fratres Domus Teutonicæ, hospitalis sanctæ Mariæ in Ierusalem. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen. Optimam spem habentes, quòd vos cùm successoribus vestris Dei & Romanæ Ecclesiæ laudem & honorem semper aucturi sitis. Datum Romæ apud Sanctum Joannem de Laterano, duodecimo die Februarij, Pontificatus nostri anno primo, & post natum Christum 1191.* Hactenus Confirmatio Ordinis Teutonici. Cum dicat diploma descriptum, ad multorum preces, Pontificem confirmasse Ordinem recentem, operæ pretium est eorum intercessorum seriem hîc ponere prout proditur. Sunt verò; Ioannes Patri-

S. Nicolai ecclesia.

Hospitale S. Helenæ.

Habitus Crucigerorum.

Henricus Valpot.

Cælestinus Papa confirmat ordinē Crucigerorum.

Anno 1191

Patriarcha Ierosolymitanus, Ieraldus Archiepiscopus Aconensis, Conradus Archiepiscopus Moguntinensis, Conradus Episcopus Virtzburgensis, Volgerius Episcopus Passauiensis, Gerardolfus Episcopus Halberstatensis, Petrus Episcopus Zeitzensis, Faustinus Episcopus in Nazareth, Ioannes Episcopus Cyrenensis, Petrus Episcopus Cæsariensis, Clemens Episcopus Betlehemiticus, Ferdinandus Episcopus Tyri. F. Gondosaluus, Magister Ordinis S. Ioannis, F. Helimandus, Magister Templariorum, Balduinus Rex Ierosolymorum, Gondolfus Princeps Tyberiadis, Hugo Princeps in Joppe, Reynoldus Princeps Sydoniorum, Cymmarus Princeps Cæsareæ, Iobus Princeps Hybelinæ, Fridericus Dux Saxoniæ, Henricus Princeps Rheni, Ferrandus Dux Calabriæ, Almyger Dux Brunsuicensis, Fridericus Dux Austriæ, Hugo Princeps Brabantinus, Hermannus Dux Badensis, Ludouicus Dux Meranensis, Laurentius Comes Virradensis, Anselmus & Ludouicus Principes Turingiæ. Joannes Dux Misnensis, Ditrichus Princeps Brandeburgensis, Ernestus Aduocatus Laudisbergensis, Leopoldus Calenbergensis Campimarsalcus. Quam quidem legationem ad Pontificem Max. Cœlestinum II. & Imperatorem Henricum VI. Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus, & Joannes ac Fridericus Principes Sueuorum in se susceperunt, & fæliciter deduxerunt. Cupiens amplecti Ordinem, tenebatur veritatem dicere. I. Esse se nobilem ingenuum Teutonem nec alicui obstrictum. II. Nulli virgini aut viduæ nuptias vnquam promisisse: velleq; fugere fornicationem, ac castum vsq; ad finem vitæ permansurum. III. Non votum emisisse alterius Religionis intrandæ. IV. Nullius conscium esse infirmitatis corporeæ, quæ illi impedimento in exercitijs & negotijs Ordinis possit esse. V. Obedientem fore superioribus & laudabilibus consuetudinibus Ordinis subiectum: gratumq; habiturum quidquid siue mali & aduersi, siue boni ipsi contingat. Cum hæc constarent, sic admittendus dicebat: *Itaq; deuoueo & trado me cum anima & corpore, bonis ac sanguine Deo, & electissimæ castissimæq; eius Matri, sanctæ inquam Virgini Mariæ & signo sanctæ Crucis: promittens me illorum seruum futurum, & quoad vixero pro crucis defensione pugnaturum. Sic me verè Deus adjuuet, & crux eius sancta.* Pro penso quotidiano fratres laici recitabant ducenta Pater noster, & totidem Salutationes Angelicas: addito symbolo Apostolico in initio & fine orationis. Cubabant in saccis stramine refertis, barbamq; non tondebant.

Crucigerorũ qualitates.

Iuramentum.

Obligationes.

Habita igitur Confirmatione Ordinis, Magister Henricus Ptolemaidæ domicilium fixit quod esset Ordinis supremum, vulgò Haupthauß dictum, ad portam Sancti Nicolai, vt suprà memini: adjecta Ecclesia, in qua Sacerdotes Ordinis diuina Mysteria Missæ & septem horas Canonicas persoluerent DEO: & Xenodochio, in quo ægros colligerent, & eorum benignam rationem haberent. Cum necdum haberet Magister Sacerdotes sufficientes sui Ordinis, qui diuina perficerent, sæculares adhibuit, subministratis necessarijs, persolutoq; pretio honesto. Ipse etiam edicto sanciuit, vt Ecclesiastici fratres Ordinis delinquentes à solo Magistro: sæculares ab eo qui esset primus à Magistro, & quidem secretò corriperentur: nisi aliud scandali atrocitas suaderet. Visis hisce ex alienis sed tamen necessarijs, pro intelligentia rerum Prussarum, ad historiam redeo.

Ventus diuturnus

Neringa.

Circa hoc tempus, ſcribunt Authores, ortum fuiſſe ventum Aquilonarem in Pruſſia: nec flare deſtitiſſe, niſi poſt duodecim annorum ſpatium; aggeremq́ illum ſiue Inſulam Neringam dictum, qui eſt inter mare Sarmaticum & Habum, ex intimis maris viſceribus eruiſſe, & terram habitabilem flatu continuo confeciſſe. Vnde fortè Habum recentem vocant, quod antea non extiterit. Sed quid de hac narratione ſit tenendum, ignoro, cum jam in initio dixerim, Viduuitum in Neringa in primo ſuo Adventu munitionem poſuiſſe.

Caſimirus contra Pruſſos.

His temporibus Caſimirus II. Seruator dictus, ſeptimus eorum Principum Polonorum & vltimus, qui veteribus Pruſſis bellum intulerunt, ſuorum prædeceſſorum veſtigijs inhæſit, & Pruſſis, quos Poleſſianos vocant, arma intulit, vt cladem ſub Boleslao Criſpo acceptam, fratriſq́ Henrici mortem vlciſceretur, & gentem barbaram atq; rebellem domaret. Secuti ſunt ipſum ad eam expeditionem Boleslaus Miecislai, Boleslaus altus, & Miecislaus Vladislai fratrum filij. Vbi ad barbarorum fines ventum eſt, cautiùs exercitum Caſimirus inſtructaq; acie & exploratis itineribus progredi: pabulatum & frumentatum non niſi cum armatorum præſidio mittere: omnia deniq́ circumſpicere, ne quid detrimenti per inſidias à vafro hoſte acciperet. Nec ſanè caſſa fuit ea cura atq; diligentia. Obſeruabant enim Polonos ex inſidijs barbari ad omnem occaſionem rei benè gerendæ attenti. Sed in irritum ipſis cadebant omnes conatus atq; doli. Poloni quacunq́ proficiſcebantur, incendijs atq; cædibus omnia vaſtabant: nec vlli ætati aut ſexui parcebant juſtâ irâ & memoriâ cæſorum ſuorum animos omnium exſtimulante. Quibus malis victi Pruſſi, pacem ſupplices à Caſimiro petiuerunt: parci reliquijs ſuis flagitarunt: ſuperiorum annorum tributa perſoluerunt: imperata omnia in poſterum ſe facturos ſanctè promiſerunt, obſides 100. dederunt, primorum filios: captiuos Polonos dimiſerunt: ſigna ſuperiori bello de Polonis capta reddiderunt. Nam ad Religionem Chriſtianam, quam abjecerant, reduci ſe paſſi non ſunt. His legibus pacem impetrarunt. Ceſſauit igitur Polonicus enſis vexare Pruſſos veteres. Nam ſibi jam DEUS, qui vniuerſa juxta intelligentiam ſuam infinitam & pro conſilio ſuo optimo, diſponit, de altero, nempè Crucigerico prouiderat. Mortuus eſt deindè Caſimirus, anno Virginei partus 1194. cui ſucceſſit Leſcus Albus à capillis appellatus. Obijt quoq; Anno 1200, vigeſima quarta Octobris Henricus à Valpach I. Magiſter Ordinis, poſtquam, 10, annis eidem præfuiſſet, & egregiè operam ſuam contra Saracenos nauaſſet. Proditum eſt, quòd cùm domi cum alijs adornaret iter in ſanctam terram contra Saracenos, cognati eius omnem lapidem mouerint, vt eum à propoſito retraherent. Inter alia impedimenta, præſentarunt illi in matrimonium pulcherrimam (& ipſe quoq; eleganti facie erat) nobilemq; ac moribus ingenuis præditam virginem. At ille actis gratijs pro eorum in ſe beneuolentia, ulteriùs, ſed ego inquit proficiſcar in terram ſanctam pro honore Virginis Mariæ: ac propterea, Virginem quam mihi commendaſti, nolite meâ cauſâ expectare, ſed elocate eam alteri. Si DEUS fortunaq; fauerint, vt incolumis reuertar, accipiam eam quam volueritis: jam modò ob JESU amorem bona dimitto, corpus in periculum pono. Ptolemaidæ in Eccleſia ſui Ordinis ſepe-

Leſcus albus
Anno 1194
Anno 1200
Valpach moritur

ſepelitur, quinta die Nouembris: quem ſecutus eſt hoc ipſo Anno in Magiſtratu Otto à Carpen liber Baro octogenarius, viribus adhuc vegetus; quamuis eum alij Juuenem eſſe velint, II. Magiſter Ordinis Teutonici, in Capitulo Ptolemaide electus. *Otto à Carpen.*

Apud Liuones hoc tempore cùm Meinradus Epiſcopus, & poſt eum Albertus Chriſtianam Religionem paulò antè propagare cœpiſſent, Albertus alter, quo faciliùs barbariem inde extirparet, ordinem ſiue ſocietatem, quæ militia Chriſti dicta eſt, vulgò, der ſchwerdbrůder Orden / inſtituit, ac tertiam partem reddituum Rigenſis Epiſcopatus ipſi attribuit. Non diu pòſt moritur, nempe anno Chriſti, 1206. quarta die Julij & Ptolemaide ſepelitur Otto à Carpen. Vtebatur is ſigillo, quo deinceps Magiſtri reliqui ex officio uſq; ad Friderici I. Magiſtri tempora uſi ſunt pro ſignandis diplomatis & literis, oblongo. Continebat id effigiem Joſephi ducentis aſinam, in qua Deipara Virgo cum filiolo ſedebat fugiens in Ægyptum. Inſcriptio ejus erat: Sigillum officij Magiſtri Teutonicæ Domus in Jeruſalem. Tertius Magiſter Ordinis elegitur eodem anno, alij dicunt ſequenti, Hermannus Bart nobilis Holſteinenſis: quamuis authores varient de progenie ejus. Hic cœpit gratiâ Henrici Regis Jeroſolymorum uti aurea Cruce in nigram Ordinis inſerta. Moritur anno ſalutis 1210. Die 20 Martij Ptolomaide & ibidem ſepelitur in Eccleſia Ordinis. Alij referunt eum Jeroſolymis obijſſe, ac terræ mandatum in Fccleſia Virginis Mariæ. Quartus Ordinis Magiſter Hermanno Bart ſucceſſit Hermannus de Saltza Turingus eodem anno electus, in Vigilia Pentecoſtes Ptolomaidæ in Magiſtratu. Adeò exiguum numerum equeſtrium virorum in ordine reperiſſe refertur, ut altè ingemiſcens dixerit, ſe libenter cariturum altero oculo, ſi ei vita ſuperſtes ſit, donec lucretur tales decem. Sed quis credat facilè, ordinem talibus deſtitutum fuiſſe, tot & tantorum Principum gratijs fultum? Illuſtrauit eum paulò pòſt mirum in modum ingreſſus Ordinem Conradus Landigrabius Turingiæ, cum 24. nobilibus viris Dominatus ſui. Potuit hujus Magiſtri tempore producere Ordo in aciem bis mille Fratres. Fridericus II. Imperator pro ornamento inſignium Ordini Aquilam nigram ac plurima Priuilegia contulit. Inter alia ut Magiſter & ſucceſſores ejus uti poſſint titulo principum. Quamuis id in uſum non venit, niſi poſt multa tempora, de quo ſuo loco. Nec minùs aucti erant numero & viribus veteres Pruſſi: qui uti ſcribitur, poterant his diebus in aciem producere centum millia pugnatorum. Obtinuit etiam Hermannus Magiſter bona & domum ſupremam pro ordine Venetijs, ac alia in Germania atq; in alijs regnis. Quibus habitis conſtitutum fuit, ut Ordinis Magiſter ſupremus: qui prouincijs præficerentur, Prouinciales dicerentur: Anno Chriſti 1211. Leſcus albus Poloniæ Princeps obiens regnum & Prouincias Poloniæ, & jus dicens, etiam in Pomeraniam venit. Ibi rogatus à Pomeranis, quòd longiùs ij ſe jus à Principe non ſine magno incommodo atq; impendio petere quererentur, Suentopelcum vniuerſæ Pomeraniæ, qui nunc haberet annos 42. præfecit, & ampliſſimam poteſtatem atq; Juriſdictionem etiam in Palatinos, qui tunc duo erant, nempè Gedanenſis & Suecenſis, & in cæteros Magiſtratus ipſi conceſſit. De redditibus autem totius Pomeraniæ mille marcas, ſiue quingenta pondo argenti, quotannis fiſco

Militia Chriſti origo. *Anno 1206* *Sigillum ordinis.* *Hermannus Bart* *Anno 1210* *Herman. Saltza* *Pruſſorum vires* *Prouinciales Crucigeri.* *Anno 1211.* *Suentopelcus præficitur Pomeraniæ.*

Principis Polonorum ut penderet, constituit, & jurejurando in sua posterorumq; suorum Principum Poloniæ verba eum adegit. Quam tamen ille fidem non diu seruauit. Masouiam verò & Cujauiam ac Dobrini Dominatum Lescus de consilij conuentusq; sententia Conrado fratri minori in sortem patrimonij concessit, comitijs eam potissimùm ob rem Sendomiriæ habitis. Est Dobrinum particularis Ducatus separatusq; à Culmensi tractu Dreuantia fluvio. Ab ortu habet terram Michalouiensem. Polonicum ei nomen inditum à bonitate fundi siue fertilitate glebæ. Circa hæc tempora cœpit Christianus Ordinis Cisterciensis Crucem prædicare contra Prussos ad postulationem Conradi Masouiæ Ducis. Sed quoniam is juvenis admodum erat, & otio, desidiæ, voluptatibusq; deditus, Christini Palatini Plocensis grauissimi & clarissimi viri nutu & arbitrio pleraq; omnia administrabat. Et rectè se sanè gerere, domi scelera seuerè coërcere, foris Prussis & Lituanis finitimis formidabilis esse, ut vulgò jam ab exteris magnus Masouiæ Palatinus vocitaretur. Inuidere ipsi eam gloriam atq; authoritatem multi, atq; in his Joannes Ciapla Scholasticus Plocensis & Cancellarius Ducis, cæteris impensiùs. Itaq; is sedulò Christino apud Conradum obtrectabat, & inuidiam odiumq; omni ratione conflabat. Admonebat crebrò Conradum Christinus officij sui & cùm remissiorem & nequiorem indies fieri animaduerteret, in frequenti quoq; Senatu fortè acriùs objurgarat. Eam igitur occasionem exoptatam æmuli ejus cupidè arripuêre, iratumq; sua sponte Christino Conradum magis etiam irritarunt, multis falsis criminibus, in eum confictis: & in primis, quòd is ad Dominatum Masouiæ adspiraret, & Conradi vitæ insidiaretur. His incitatus Conradus, Cristinum in vincula conjecit, deindè excœcauit, postremò necauit & liberos ejus proscripsit. Verùm non novum neq; inusitatum hoc est apud Principes, apud quos plus ferè loci est perditis palponibus, quàm recta monentibus. Verùm non impunè id scelus Conradus tulit. Nam ubi sublatum de medio Christinum, quem DEUM vocabant Prussi accepêre, resumptis animis in ditionem Conradi incursarunt. Et Chelmensis quidem tractûs magnam partem Palatini ejus loci (cum is puellæ cujusdam Prussæ amore captus esset) proditione in suam potestatem redegerunt. In Masouiam verò progressi maximis eam affecêre incommodis, ferro & igni latè grassantes, ita ut Ploscum etiam oppidum, Masouiæ caput exurerent. Nam Basilica Plocensis in arce sita, jam ante fortuitò conflagrarat incendio, quo supellex Basilicæ perquam splendida, absumpta est. Quin & in eadem Masouia alias ducentas quinquaginta Ecclesias & capellas exusserunt, spolijs ablatis. Miserunt aliquando ad Conradum Prussi tres legatos, Liteuem, Prælochem & Coratem cum mandato de tot & talium colorum vestimentis ac equis sibi mittendis. Hanc vexam ut redimeret Conradus, nobiles vicinos, cùm ex Polonia tùm ex Masouia cum vxoribus ad conuiuium inuitabat: quibus, cùm potu calerent, vestimenta auferri curabat cum equis eosq; ad Prussos misit. Nec tamen pacem hac arte assequi potuit: sed Prussi aliquot annis è Masouia spolia abigere non intermiserunt tam ex hominibus quàm ex pecoribus. Quod sequi multitudinem nequibat, occiderunt, nec quidem hominibus cujuscunq; ætatis aut sexus pepercerunt: cujus violentiæ causam præten-

Masouia. Cuiauia. Dobrinum.

Michaloviensis terra.

Christianus crucem prædicat.

Christinus palatinus Masouiæ.

Joannes Ciapla.

Chelmensis terra.

Ecclesiæ exustæ.

prætendebant Pruſſi, negatam ſolutionem ob præſtitam operam Conrado contra Leſcum album: in quo prælio ad lacum Clodavam 16000. Pruſſorum miſerè cecidiſſent. Direptionibus igitur frequentibus Pruſſorum adactus Conradus, cum illorum moleſtijs cohibendis per ſe ipſe par non eſſet cum Cruce ſignatis, quos opera Chriſtiani Monachi Ciſtercienſis Ordinis euocarat, contra Barbaros profectus eſt. Inter quos facile Principes erant Henricus Dux Sileſiæ Vradislauienſisq́; & Lubenſis Epiſcopi & multi è nobilitate Polonica: quorum ope cùm Chelmenſem ſiue Culmensē & Lubauienſem Tractum in poteſtatem ſuam redegiſſet, Chriſtianum ibi primum Epiſcopum conſtituit, quo per eum Barbari ad Religionem Chriſtianam adducerentur: eiq́; & ſucceſſoribus ejus Epiſcopis Pruſſiæ ſiue Culmenſibus, partem tractûs Chelmenſis, in quo fuerunt arces Graudentum, Vapſcum, Coprinum, Coprivunum fortè, Villiſacum, Colnum, Ruch, Riſſinum, profundum Turnum, Pinum & Plochum, cum omnibus villis & prædijs ac centum præterea pagis jure ſempiterno donauit. De cæteris verò agris quos ipſe retinebat, decimam omnium frugum ipſi addixit. Adjecit etiam Gedeon Epiſcopus Plocenſis, aſſentiente collegio Sacerdotum Tarnoniam, quæ Torunia eſt & Papouiam cum omnibus item pagis ac prædijs adjunctis: itemq́; jus omne Eccleſiaſticum, quod habebat in ditione Chelmenſi. Id adeò anno Chriſti, milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo actum eſt: ut videre eſt ex diplomate à Conrado & Gedeone ſupra memoratis, pariterq́; à Leſco Poloniæ & Henrico Sileſiæ Ducibus, Vincentio Archiepiſcopo Gneſnenſi, Cracouienſi, Poſnanienſi, Vratislauienſi, Lubuſſenſi Epiſcopis conſignato. Cujus exemplum extat in Archivo Regio. Vnde licet colligere Archiepiſcopum quoq́; ac cæteros Epiſcopos Conrado contra Barbaros adfuiſſe. Nec tamen ab illo cruce ſignato exercitu perdomari Pruſſi potuerunt. Inito conſilio itaq; & miſſa ad Albertum Archiepiſcopum Rigenſem legatione, ſodales ſiue fratres militiam Chriſti profeſſos, qui rubri enſis imaginem cum Cruce in pallio inſutam geſtant, è Liuonia euocauit, eiſq́; Dobrinenſem terram inter Camenizam & Culmennizam riuos attribuit, vt ſibi contra Pruſſos præſtò eſſent. Verùm ij quoq́; uno prælio, quod biduô duraſſe memoratur, obtriti à Pruſſis ac deleti ſunt circa locum, in quo poſteà Cruciburgum extructum fuit: ita, vt quinq́; ſoli euaderent, qui & ipſi Dobrino repudiato, in Liuoniam ſeſe receperunt. Eodem anno Leſcus albus à Suentopelco occiſus eſt: ex quo tempore is pro Duce ac Domino Pomeraniæ ſe gerere cœpit. Leſco in principatu ſucceſſit Boleslaus, Pudicus ob cælibem vitam cum Kinga vxore in matrimonio ductam appellatus. Nec ſolùm Pruſſi Maſouiam, ſed anno quoque Chriſti, 1224. illi, qui dicti erant Pruſſi Pogarani in Pomeraniam irruentes eam totam vaſtarunt incendijs & rapinis. Inter quæ mala etiam Conuentus fratrum de Oliua quinquageſimo anno poſt extructum idem Monaſterium, vſq́; Gedanum per eoſdem ductus eſt, ibiq; trucidatus pro fide & nomine IEſu Chriſti. Circa hoc tempus maxima peſtis Pruſſiam peruaſit, ita vt Pruſſi quaſi feræ ſilveſtes terrore correpti per ſilvas & campos diſcurrerent. Quam pœnam ipſis à Deo pro bono & vtilitate Chriſtianorum eueniſſe prudentes quiq; interpretati ſunt.

Cruce ſignati.

Gedeon Epiſcopus Plocenſis.

Anno 1222.

Enſiferi.

Suentopelcus Leſcum album occidit.

Anno 1224.

Oliua.

Peſtis apud Pruſſos.

LIBER II.
DE REBUS PRVSSICIS.


Russis itaquè Masouiam vastantibus, inops Consilij Conradus Dux, habito conuentu suorum, tandem Christiano Episcopo suggerente & suadente, Fratres siue Sodales Teutonicos & ipsos piam contra Barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos, qui paulò antè à Saracenis è Syria eiecti ex parte fuerant, per eum ipsum Christianum Româ Gregorio nono Pontifice Max. assentiente, acciuit. Nec rediit vacuus Christianus Româ ad Conradum Ducem. Adduxit enim in comitatu suo, F. Conradum à Landisberg. F. Ottonem à Salaiden, & alios octodecim Equites Crucigeros ad faciendum contractum cum Duce Masouiorum. Itaq; Conradus ipsis Chelmensem terram, & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram atq; Dreuantiam flumina, tradidit his legibus; vt contra Prussos sedulò & summis viribus bellum gererent. Vbi eos verò domuissent, Culmensem quidem ditionem redderent: cætera verò quæcunq; de Barbaris cepissent, arbitrio bonorum virorum ex æquo secum, seu cum posteris suis partirentur. Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, neue hostes eorum receptarent, aut vllo favore prosequerentur: contra Barbaros autem & à Chistiana Religione alienos, vt ipsis, cum opus fuerit, præstò essent. Si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos est, ex iure gentium subiacerent: hoc est, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum & supramemoratos fratres Crucigeros, conuenêre, & à Gregorio IX. Pont. Max. approbata & confirmata sunt: quæ Martinus Cromerus è libro vetusto Germanica lingua scripto, qui in arce Lubauiensi asservabatur viri pietate iuxta ac doctrina & integritate summa præditi Stanislai Hosij, priùs Culmensis deinde Varmiensis Episcopi beneficio eruta & subministrata bona fide hîc inseruit. Nam pacta ipsa publicis literarum monumentis consignata, partim iniuriâ temporum & negligentiâ Polonorum amissa, partim fortassis etiam studio Crucigerorum suppressa perierunt. Friderici quidem secundi Imperatoris diploma, sub Bulla Aurea, diligentiùs ijdem Crucigeri asseruarunt: quo ille confirmauit ipsis possessionem terræ Culmensis, & quicquid ij de Prussis postea capturi essent, itemq; ditionem quam eis Conradus Dux Masouiæ deinceps adhuc daturus esset inter Prussiam & nouam Marchiam: quasi verò imperium aliquod atq; Jurisdictionem Imperator in illis oris haberet, aut habuisset vnquam. At ditionem quidem illam, quæ est inter Prussiam & nouam Marchiam siue ea Cuiauia siue Pomerania est, Conradus eis non donauit. Cæterùm Dobrinum, quod Culmensem tractum & Masouiam attingit, iure hereditario eis, filijs suis & uxore Agaphia Russa assentientibus, concessit. Adiecit etiam militibus Crucigeris Guntherus Episcopus Plocensis, Gedeoni paulò antè mortuo suffectus, villam cum insula magna in eo ipso territorio, itemq; decimas, ad episcopatum suum pertinentes: verùm ex ijs modò agris quos Germani agricolæ colerent. Quin & collegium Vladislauiense, jus suum omne in villa Vissin eis concessit, accepta à Duce Conrado compensatione. Atq; hæc ferè anno Christi 1228. acta sunt.

Contractus inter Conradũ & Crucig.

Agaphia. Guntherus Episcopus Ploçensis.

Anno 1228.

Libet autem hic adſcribere nomina & ordinem teſtium quibus præſentibus ſupra ripam Viſtulæ ex aduerſo Ploſci hæc confecta ac diploma confectum eſt. Michaël Epiſcopus Cuiauienſis, Mikul Archidiaconus, Magiſter Joannes Dobroslaus, Mag. Petrus, Canonici Plocenſis Eccleſiæ, Gotardus Cancellarius, Gregorius ſuccancellarius, Joannes Abbas Beati Adalberti Plocenſis, Venceslaus Abbas, Gerardus Præpoſitus, Petrus prior Cirueenſis Eccleſiæ, Boguſſa Palatinus Maſouiæ, Comes Arnoldus, Cethegus judex, Abraam pincerna, Martinus dapifer, Vitus Caſtellanus de Plonsk, Matthæus Caſtellanus de Racianz, Seguta dapifer, Barta ſuccamerarius, Adalbertus Caſtellanus antiquæ Vladislauiæ. Interim dum fama volat de aduocandis Crucigeris contra Pruſſos, accidit capi ab ijs Maſouium quempiam, quem deductum in conuentum ad Ryckojot, ſummus illorum antiſtes examinabat, vtrum verum eſſet id, quod Conradus aduerſus eos auxilia aliena, & quidem Germanorum aduocauerit, & quinam ij, aut quales eſſent, quibus eos proſtituiſſet. Ad hæc ille dixit, verum eſſe quod fertur vos traditos à Conrado alijs. Et illi ſunt Nobiles Germani: quibus etiam ſummus Præſul Chriſtianitatis omnem fauorem ac opem promiſit. Quem in finem modò in toto Imperio congregantur exercitus. Præterea vos oppugnaturi ſunt viri pij & ſpirituales. Propter quod nos Maſouij ſperamus, eos habituros à Deo proſperum ſucceſſum contra vos. Reſpondit Criuus. Eò quòd homines ſint, qui nobis bellum illaturi ſunt, nobis ſimiles ſunt. Illos accipere auxilia à Germanis aut aliundè, poſſibile eſt: ſed cum tempore & hæc defectura ſunt. Quòd nobiles ſint & ſpirituales, nec hoc multum ad rem: nam & nos talibus abundamus. Quòd verò pij ſint & probi, id quidem poterit quidpiam efficere: ſed & ipſos tantùm periculo committere debent, quantùm lucrari cupiunt: ſed & nobis manus non erunt alligatæ. Vnum me mouet, quòd nobis de negotio hoc Dij noſtri ſancti requiſiti nihil reſpondeant. Vtrinq; fortuna expectanda eſt. His dictis dimiſſus eſt Maſouius. Confecto contractu inter ducem Conradum & Crucigeros, noluit eorum Magiſter Hermannus de Saltza feriari, ſed omnibus viribus adnitebatur, vt promiſſioni Maſouiorum & Polonorum defendendorum ac Pruſſiæ Barbaris eripiendæ reſponderet, atq; expectationi de ſe & ſuis conceptæ abundè ſatisfaceret. Non potuit verò tantæ Barbarorum multitudini ſuis viribus reſiſtere, ideò neceſsè habuit auxilia aliundè conquirere. Erant tunc Germani in fide Catholica feruentiſſimi: vtpote, nulla labe hæreſeos, qua tardi homines ad negotia diuina redduntur, adſperſi: quiq; nec ſibi nec ſuis, quod iam in alijs expeditionibus contra inimicos Crucis Chriſti probauerant, parcerent. Ad horum opem implorandam profuit Magiſter. Sed & Apoſtolicus Legatus operâ ſuâ Crucigeris non defuit. Nam promouit ille Crucis prædicationem per Germaniam per quatuor Concionatores, quorum duo erant Dominicani Erneſtus & Heidenricus: alij erant Anſelmus & Albertus. Promittebant ij profecturis in Pruſſiam ad bellum, omnes illas gratias, quæ promitti ſolebant euntibus in terram ſanctam contra Saracenos. Intereà Conradus pro venturis hoſpitibus munitionem, quam Crucigeri poſtmodùm Vogelſangum à volucrum cantu, quòd cùm in ſiluis eſſent, illi nullam humanam conſolationem haberent, ſed tantùm à cantu auium. Erat hæc in terra Culmenſi, cuius area contineret quatuor jugera agri: in cujus areæ circuitu infoſſæ ſtabant arbores indolatæ & in medio eius quercus annoſa, arida & ramis locuples.

Crucis prædicatio contra Pruſſos.

Vogelſangum.

Quercus.

San-

Sanctissimam vitam duxerunt in hac munitione Crucigeri: vt ipsis hanc deuotionem in Deum Henricus Boringer Carthusianus in mentem revocare non dubitauerit: de quo in libro, 4. pluribus agetur. Non fefellit Magistrum collocata spes in Germanos: adeò vt ex voluntarijs pietatis ergò accurrentibus in Prussiam cum Hermanno Balck primo prouinciali Prussiæ non contemnendas pro initio belli faciendi copias miserit. Huic adjunctus erat, F. Ditrichus à Bernthein Marsalcus, Conradus à Tutlen commendator, F. Henricus à Bergen commendator domesticus, F. Henricus à Zeit hospitalarius, F. Henricus Turingus commendator prouincialis quondam S. Elisabetæ camerarius, ac nonnulli alij. Habebat Conradus aliam munitionem Nessouiam ex altera parte Vistulæ: hanc quoq; biennio à contractu inter se & Magistrum, nempè anno 1230. cum tribus pagis in ditione Cuiauiensi Crucigeris addidit: vt si fortè illinc à Prussis propellerentur, huc se nauibus in tutum reciperent. Christianus verò Episcopus omnia, quæ ab eodem Conrado in Culmensi tractu acceperat, præter ducentos oratores & quinq; prædia eis concessit: modium tritici & alterum siliginis de singulis aratris in omni agro Culmensi sibi & posteris suis Episcopis quotannis dari pactus. Ita paratis Crucigeris ad pugnam, nec sibi rebusq; suis deesse Prussi volebant: maximè vbi tantam vim adversariorum venire non falso rumore audierant, qualem anteà nunquam vidissent. Itaq; & ipsi munierunt Rogosno & Chelmam, quas munitiones paulò antè à Conrado receperant. Tertiam Pympinus Tyrannus & Dux Prussorum, apud Gardescam in lacu extruxit: quam vocasset Slemmo: à quo Pympino etiamnum lacus nomen retinere dicitur. His ita utrinq; rebus dispositis, Ordo per Vistulam glacie concretum propè Vogelsangum exercitum ducit. Agmen Barbarorum triplo maius erat copijs Christianorum. Fit congressus, vincuntur Barbari: captus belli dux ab arbore suspenditur. Inde profecti Christiani Rognosno aliàs Roghausen, atq; Chelmam posteà Althausum dictam, in suam potestatem utramq; redigunt. Anno, 1231. ad munitionem Vogelsangum Ecclesiam inchoatam in honorem S. Ioannis Crucigeri perfecerunt. Prussi rursus congregatis copijs castra sua ad lacum Pympinensem ferociores facti primâ pugnâ amissâ, collocarunt. In eos Christiani impetum faciunt: ij fortiter restiterunt. Fatigati pugnando Christiani, vel manum paganis dare debuissent vel fugam turpem capessere: nisi eis Suentopelci Pomeraniæ Ducis virtus & audacia adfuisset. Is enim ab altera parte cum hoste pugnans, aliquot Barbarorum cohortes in fugam conuerterat, fugientes insecutus. Respicientes verò, vidit exercitum Christianorum in angustias redactum: quare desiit Barbaros fugientes longiùs persequi, & Christianis in subsidium venire. Quod vt senserunt Barbari, ad locum prælij & illi reversi, fortiter denuò in Christianos impressionem faciunt. Quibus ita reuersis, audaciùs Prussi qui in acie perstiterant se gerere. Sed hac re nihil turbatus Suentopelcus cuneum Barbarorum turbauit, perfregit, fugauit. Qua fortitudine Suentopelci animati Christiani resumunt animos, alios ex hostibus capiunt, alios in fugam conuertunt, occisis, 15000. ac de suis amissis, 4000. Supererat Slemmo arx depugnanda ad quam fugerant Barbari ex prælio: illa, inquam, ex qua gloriosè illas duas coronas Regni, de quibus dixi supra, ostentabant. Sed hæc arx facilè Crucigeris cessit, in eaq; trucidata sunt Barbarorum quinq; millia. His primis initijs belli, præter Suentopelcum, aderant Crucigeris, Conradus Dux Malo-

Henricus Beringer. *Nessouia.* *Anno 1230.* *Christianus dotat Crucigeros.* *Rogosno.* *Chelma.* *Slemmo.* *Anno 1231.* *Slemmo.*

Masouiæ, Lasconogus majoris Poloniæ, Semouitus Cojauiæ, Henricus Lagnicensis, Casimirus Gnesnensis, & Zamborius Pomeraniæ, Principes. Ordinis viri non plures erant quam viginti octo, cum centum armatis equitibus. His prælijs absolutis cùm vidissent Prussi se notabiliter debilitatos esse, timerentq; perculsi, ne ad extremum exscinderentur, Criuum Antistitem Darsgoitum qui erat, 23. in ordine cum nobilitate præcipua ad præsentes Principes Germaniæ & Poloniæ atque ad ipsos Crucigeros ablegarunt, qui se suaq; committerent: petentes, ne reliquiæ eorum exterminarentur: fore se illis subditos & censum soluturos, atq; fidei Christianæ consensuros. Idq; sub jurejurando Deorum suorum promiserunt. Principes Christiani his benignè annuerunt, mandaruntq; vt obedientiam Crucigeris præstent: promiseruntq; Fratres fore se in ipsos benignos, donec tandem statuatur, cujus dominatui an Crucigerorum aut Summi Pontificis subjicerentur. *Nam consuetudine Romana Ecclesia receperat*, vt si Regio quæpiam prædicatione Crucis subderetur, ea ad arbitrium summi Pontificis spectaret. Permiserunt ijsdem Principes, vt jure Polonico vterentur, & juxta illud à Crucigeris judicarentur: quod & ipsis Crucigeri præstiterunt. Quamuis eo rejecto non multò pòst ipsis jus Culmense obtruderent. Hoc fælici successu Crucigerorum, quem

Fama malum quo non aliud velocius ullum:

per Germaniam totam vulgauerat, plurimi Germani ex nobilibus & plebeijs exciti, in Prussiam commigrarunt, & sub Ordine domicilia sua fixerunt: adeò tempestiuè quidem, ut ciuitas Culma, Anno Christi 1233. priuilegium ab Hermano de Saltza acceperit: quin & Quizinum eodem anno restauratum nomen Marieuerderi accepit. *Anno 1233. Quizinum.*

Anno 1234. rursus Crux prædicari jussa est in Germania contra Prussos. Crucigeri verò, spe certa fulti accipiendæ Prussiæ à summo Pontifice Gregorio IX. munitionibus & ciuitatibus erigendis summoperè operam dabant. Itaq; Vogelsangum in decliuiori loco infra constitutum uno milliari supra Vistulam transtulerunt cum Ecclesia S. Joannis anno 1235. quam Toruniam vocarunt. Sequenti anno 1236. Culmam restaurarunt, adjuuantibus Christianis qui aderant, eamq; Althausum nominarunt. Item circa hæc tempora Herman: Balck arcem Radinum siue Razinum (Reden Germanicè) ad siluas inter Pomesaniam & Culmensem terram jacentes ædificauit, vel potiùs lateritiam fecit: (nam antea jam extabat) ut per eam irruptiones Prussorum in Culmensem tractum ex Pomesania prohiberet. Rursus verò hoc ipso anno Barbari Oliuam secundò deprædati, succenderunt: sex monachis &, 34, militibus illam custodientibus, partim ferrò, partim incendio ipso, occisis. Hospites verò illi Principes victoriam assecuti à Barbaris, læti domum redierunt, exceptis Masouijs & Henrico Margrabio Misnensi. Hic enim ingressus in Pomesaniam (quæ prima omnium Regio post recuperatam terram Culmensem oppugnata est) accepit munitionem Mokerauiam, quam subuertit. Posteà expugnauit Resenburgam, Risenkircum, Stumam, Vildemarcam. Idem ille circa lacum Drausenum inductis in eum duabus naviculis, omnia deuastauit. Dedentibus se spontè pepercit, ac salutari lauacro baptismi eos initiari curauit: contumaces necauit, impositis de populo præsidijs ac etiam incolis, qui viciniores Prussos in officio continerent. Interim Crucigeri cum Masouijs Hockerlandiam siue Pogesaniam inter biennium sine notabili sanguinis effusione expugnarunt, & ad retinendam in officio Regionem, arcem Elbingensem pariter

Anno 1235. *Anno 1236.* *Culma siue Althausum.* *Pomesania.* *Mokerauia.* *Hockerlandia devicta.* *Elbinga.* *Anno 1237.*

Anno,

Anno, 1237. ædificarunt. Ad quem locum cum nonnulli ciues Lubecenses habitandi gratia confluxissent, ipsis etiam ciuitatem ejusdem nominis à captura anguillarum, quasi Aallfang dictam, extruxerunt. Venit quoq; circa hoc tempus in Prussiam Burgrabius Magdeburgensis: pugnasseq; scribitur cum Prussis, sed cum quibus reticetur, duobus annis. Nec solùm armis utebantur Crucigeri ad debellandos Prussos, sed etiam beneuolentiam adhibebant animorum: primùm quidem adhibebant Monachos Prædicatorum Ordinis, qui eos instruerent in fide Christi. Prædicabant hi Germanicè & Polonicè, quorum verba & sententias rursus interpretes vertebant in sermonem Prussicum: undè plurimi relictis idolis, fidem Christi amplectebantur: cum qua tamen etiam nonnulli pariter suas superstitiones obseruabant. Ad hoc circumequitabant Crucigeri, ac Nobiles Prussos amicitia & officijs sibi deuinciebant. Quibus moti illi condolebant Crucigeris, quòd cùm alioquin boni viri essent, eorum tamen Deos non colerent. Prætereà omnem mouebant lapidem Crucigeri, ut agrestes ac dispersos Prussos ad colendam societatem in pagos redigerent: quod proprium cuiq; esset addixerunt, & quid de eo penderet annuatìm statuerunt. Quin & ingenuos adolescentes eorum in Germaniam transmiserunt Christianæ disciplinæ, & bonorum morum addiscendorum, tùm etiam militiæ imbibendæ causâ. Hi in Germaniam venientes, Dominorum suorum probitatem & virtutem quam experti essent ipsi in Prussia, nunquam satis laudare potuerunt. Enumerabant enim, quomodo nouellos Christianos, ac alios etiam qui hostes non essent, ad conuiuia frequenter inuitarent, & cum eis manducarent ac biberent, atq; alia his cujuscunq; humanitatis signa exhibent. Pauperibus ac egentibus subsidio venirent quomodocunq; possent: infirmos foverent & curarent: Nobilium controuersias componerent: viduis ac virginibus quæ orbæ essent parentibus, prouisiones facerent: pecunias, frumenta, ac id genus alia, quæ à Prussis acciperent, rursus in usus pios conuertant. Qua quidem arte usi Crucigeri, Prussos ad soluendum censum facilè induxerunt. Unde in consuetudinem abijt, Prussi Crucigeris darent, pecunias, siliginem, auenam, gallos, boues, vitulos, equos, butyrum ac alia. Confluxerant aliquando ingentes copiæ Barbarorum ad fluvium Syrguna siue Syrgen in ditione Resen. Oritur verò Syrguna ex lacu ad arcem Preusmarcensem defluitq; Christiburgum & inde in lacum Drausenum se exonerat. Hìc Christianos vel expectabant ad pugnam: vel certè conuenerant, ut eosdem quasi ex insidijs indè adorirentur. Sed impetu à Fidelibus in incautos facto, ceciderunt ex istis gentilibus quinq; millia virorum. Hinc iterum læti hospites domum commigrarunt. Contigit deindè quarta pugna Crucigeris, cum Prussis qui Galindæ dicebantur: sed minus Christianis prospera, & satis cruenta. Est enim dubius euentus belli, nec pendet ejus prosperitas ab apparatu humano, sed voluntate diuina, dicente scriptura sacra: Equus paratur ad diem belli, sed à DEO venit victoria: qui dubio procul, hac amissione belli instruere voluit Christianos, & potissimum nouos pugnatores Crucigeros, ut non spem suam in armis, sed in illum collocent, neq; sibi laudem victoriæ, sed eidem successus lætos adscribant. Sed quomodo id acciderit mihi modò dicendum est. Galindæ adeò numero aucti erant, ut vererentur sibi limites successu temporis angustos fore: inuenerunt rei remedium, verùm diabolicum planè & naturæ humanæ inimicum. Nam præceperunt uxoribus ut partus fœmi-

Studia Crucigerorum erga Prussos.

Syrguna fluuius.

Pugnæ Crucigerorum cum Prussis.

fœmineos abjicerent reſeruatis maſculinis: multum diuerſi à Pharaonæo edicto qui juſſit aquis mergi maſculos, reſeruari fœmellas. Vxores tamen non erant in hac re obedientes maritis, ſed reſeruabant fœmellas cum maſculis quacunq; arte valuerunt. Quod cùm viri intellexiſſent, (neq; enim res diu latere poterat) amputatis earum uberibus, inutiles uxores reddiderunt fœmellis & maſculis educandis. Tulerunt illatam injuriam mulieres indigniſſimè, & qua arte, quo dolo crudeliſſimorum virorum facinus poſſent rependere cogitabant, neq; enim ulla ultio pia eſt, juxta illud Poëtæ. *Galindarum ſæuitia in uxores.*

Si nequeo precibus ſuperos: Acheronta movebo.

Erat alicubi anus fatidica, ac ideò ab omnibus in honore habita: quicquid ea vel prohiberet, vel præciperet, quàm etiam intolerabile eſſet, nefas fuit non audire vel non facere. Hac illæ ſunt uſæ conſultatrice. Quæ noluit quoq; deeſſe ſexui ſuo conſilio, nullo tamen expreſſo: ſed ſolummodò ad ſe accerſiri maritos juſſit, neq; omnes ſed ſeniores ſolùm ex ipſis, & honoratos magis. Comparentibus illis dixit anus: Præcipio vobis ut ſine adminiculo armorum omnes viri, nemine excepto, ad bellum contra Chriſtianos quàm primùm procedatis: ita enim Dij mandant. Hoc dolo ſe mulieres vindicare exiſtimabant, tanquam ad mortem certam inermes protruſuræ viros. Sed aliter longè res cecidit, quam anus ſperauerat aut optauerat. Nam inermes Galindæ in Chriſtianos irruentes, eos in fugam conuerterunt, aliquot ex eis captis & occiſis. Captiui duo Poloni profugerunt à Galindæis Pruſſis. Hi Chriſtianis fugâ dilapſis ac tandem congregatis narrabant, quomodo Pruſſi ſine armis hac vice in ipſos irruiſſent & viciſſent: modòq; illos inermes ſedere: facilè eſſe Barbaros deuincere & vindicare amiſſam prædam, modò vellent occaſione uti, ſe primos, ſi deſiderent, in acie conſtituros: ne vereantur ſubeſſe fraudem. Verbis hiſce animati Chriſtiani inſecuti ſunt duces ſuos. Videntesq; ſe omnia habere uti ex ipſis didicerant, hoſtes adorti protriuerunt: prædamq; ereptam cum nouis ſpolijs reduxerunt. Ita ſanè & Chriſtiani in hoſtibus injuriam acceptam, & uxores jacturam filiorum & dolorum ſuorum acerbitatem in viris ſatis ſuperq; ulti ſunt. Quamuis alij hanc pugnam non inter Crucigeros & Pruſſos, ſed inter hos & Maſouios contigiſſe volunt. Tametſi non multùm utilitatis è cæde virorum illæ tulerint. Cum enim Sudini famâ percepiſſent Galindas à Chriſtianis cæſos, in ipſam regionem viris vacuam irruerunt, omnesq; mulieres cum pueris & puellis ac omnibus rebus in Sudauiam abegerunt: coloniasq; ſuas viciſſim in Galindiam duxerunt. Ne mireris igitur benignè lector, quòd cùm poſthac legeris Crucigeros alias Regiones Pruſſiæ bello laceſſiſſe, de Galindia tamen altum ſit ſilentium. Hujus enim cauſa hæc eſt, quòd Sudini ſiue Sudij utramq; regionem occupauerint: nam tametſi Crucigeri Galindiam oppugnaverint, contigit id ſub nomine Sudinorum, qui ipſi tales reuera erant, in aliena regione. Idcircò cum nulla regione tantùm negotij habebant Crucigeri, quantùm cum Sudinis: neq; id mirum, cum per duas regiones diffuſi eſſent. Poſteà tamen Galindæ nomen frequentius reſumptum fuit, cùm nimirum à Boſdroja, Gedimino, & Suitrigellone Lituaniæ Ducibus deuaſtaretur. Pruſſi per hæc bella omni immanitate in Chriſtianos captiuos ſine ullo commiſerationis ſigno uſi ſunt. Contigit quòd duos Crucigeros caperent: his viuis ventriculos cultro aperuerunt, & viſcera eruerunt. Quomodo enim parcerent hoſtibus, qui ſibi ipſis ac ſuis non pepercerant.

Anus fatidica.

Sudini Galindiam occupant.

Cruce signati petunt Societatem Crucigeros.

Vbi posteà societas militiæ Christi in Liuoniam, de fælici progressu Crucigerorum in Prussia, certissimam famam perceperat, solicitè eorum commercia & unionem per nuncios sui Ordinis (cujus rector erat Volcuinus) ad Hermanum Saltza missos, quæsiuit. Respondit Magister: rem egere deliberatione cum Capitulo: expectaret aliquantisper Ordo Liuoniensis. Interim tamen misit Magister Prussiæ duos commendatores in Liuoniam exploratum res militum Liuoniensium. Vnus legatorum erat commendator Altemburgensis oppidi, Ehrenfridus Menburgus consanguineus Magistri, vir prudens: alter Arnoldus Saxo, Commendator Nagelstetensis. Mandatum habebant ut ante hyemem domum reuerterentur: sed cum intra constitutum tempus omnia & singula pro sua fide & studio inquirere, & ediscere de vita, moribus & redditibus Liuonici status non possent, ad hoc, in Liuoniam venire & ex ea excedere non nisi aquâ valerent, diutiùs ibi hæserunt. Post Pascha tandem redierunt, habentes in comitatu suo tres fratres Liuonienses cum potestate agendi & constituendi in causa. Vnus eorum erat Reimundus Commendator Vendensis: alter Joannes Mechtenburgus; tertius, Joannes Marsalcus, is in itinere obijt. Cum itaq; dicti nuncij Crucigerorum ante hyemem non redirent, Hermanus negotiorum quorundam ergô ad Honorium summum Pontificem & Imperatorem Rudolphum proficiscens, administratorem ordinauit Ludouicum Ottingensem: cum mandato, vt si adessent nuncij ex Liuonia, in hac re constitueret ex fratrum communi consilio, quod ipsi, dante Deo, optimum videretur. Redeuntibus itaq; nuncijs Marburgum in Hassia, F. Ludouicus Ottingensis, 70. fratribus congregatis pro Capitulo: relationem suorum legatorum & pariter petitum Liuoniensium nunciorum excepit. Habitis consilijs negotium ex suasione cuiusdam junioris fratris, ad ipsius Hermanni aduentum, delatum est. Qui cum domum rediisset, cum Liuoniensibus nuncijs Lucernam ad Pont. Max. denuò profectus est: vbi solenni ritu milites Liuoniæ à suis votis, regula & consuetudinibus absoluti sunt, & Ordini Crucigerorum incorporati. Atq; id adeò scribitur gestum quarta die Junij Anno Christi, 1238. Quo anno in II. Prouincialem Prussiæ electus est F. Pompo, creato in Prouincialem Liuoniæ Hermanno Balck. Volcuinus enim Magister Liuoniæ adhuc isto anno cum Lituanis bello congressus, cum 50. Fratribus, & plurimis alijs militibus occubuerat: vt scribit Mechouius. Porrò à Prussis quietior jam erat Conradus Masouiæ Dux. Nam ij Crucigerorum & voluntariorum quorundam Teutonum Ducum atq; etiam Pomeranorum, vt dixi, armis fracti & in angustiam redacti erant. Cæterùm domi non perindè tranquillas res habuit. Quarum rerum narratio ad instituti mei rationem non pertinet, nisi quòd paucis verbis narrem, à Conrado Ciaplam qui fuerat author necis Christini, de quo supra, in carcerem coniectum, ac mox quæstionibus subjectum, eodem furore in patibulum actum. In quo quidem euidenter diuina justitia apparuit, scelesta & sacrilega tyranni manu ad vltionem patrati priùs à Ciapla illo sceleris vsa, propptereà quòd is iniustæ & nefariæ necis Christini Palatini author aut sanè incentor fuerat. Et sanè hujusmodi ferè sunt susurronum ac delatorum, quibus aulæ & aures principum patent, exitus. Sed de patrato scelere Conradus in Sacerdotem Dei non etiam leuem pœnitentiam egit: vt latiùs videre est apud Cromerum.

Anno 1238.

Ciapla suspenditur

Tunc quoq; temporis per Elbingam fluuium Pompo binas naues militi-

militibus oneratas in recentem Habum expediuit, vt aptum locum in litore ædificandæ munitionis quærerent & designarent. Egressi milites è nauiculis aduerterunt munitionem Prussorum Honedam, quæ à primo Rege Prussiæ quondam extructa fuit, quæ est Balga. Non Non tamen audebant eam aggredi, quòd eorum pauci essent: ne tamen nihil fecisse viderentur, pagos circa arcem exusserunt. Prussi verò conspicientes Christianorum paucitatem, insecuti ipsos, quotquot illorum in litore relictas naues non citò nacti sunt, eos omnes trucidarunt. Alij fugâ elapsi retulerunt visa Prouinciali tum quid ipsis ac socijs contigerit. Is denuò Toruniâ & Elbingâ pluribus nauibus & militibus dimissis iniunxit, vt probè inspicerent illam munitionem de qua sibi iam anteà relatum fuisset. Cùm illuc, qui missi erant, peruenissent, & commoditatem loci penitus inspexissent, arcem oppugnare cœperunt. Quam breui opera & studio Podauij, quem alij Codrunem vocant, arcis Capitanei, Fratres Ordinis singulari beneuolentia & amore complectentis, Prussis ademerunt, vlti sanguinem fratrum suorum circa locum hunc paulò antè effusum. Percepta fama de erepta Balga, Prossa aliter Piopsis dictus, Erminiorum Dux infrenduit, & ad recipiendam eam omnes vires suas contulit, eamque quàm primùm cum ingenti multitudine Barbarorum obsidione cinxit, cupiensq; præ alijs fortis animo & audax videri, propiùs ad arcem malo suo accessit. Vidit enim illum miles aliquis visumq; arcu confecit, qua morte sui Ducis perterriti Prussi alij, fugâ sibi consuluêre. Nec tamen ob id desponderunt animum de recuperanda Balga Prussi Glottinenses siue Glottauienses. Erant hi sub Erminijs vel in ditione Erminiorum, viri diuites, fortes, & singulariter Christianis malè affecti. Pagus Glottau, à quo denominationem acceperant, etiamnum extat, de quo suo loco plura. Hi igitur spe ducti recuperandæ arcis amissæ, ingentem exercitum circa Portugaliam, non procul à Sacra securi vulgò Heilgebeila, ex adverso Balgæ non solùm collocarunt, sed & munitionem Schrandinensem à monte Schrandinè, in quo extructa erat, denominatam, penes viam qua Balgam itur, excitarunt, præsidioq; firmissimo communierunt, adeò, ut nemo de Belga prodire auderet. Erat Belga, vt etiam nunc est naturá loci munita: vtpote quæ habeat à Septemtrione lacum Habum, ab Oriente aquam Volite: à meridie & occidente paludes per quas angusta via per ponticulum ligneum stratum ad munitionem aditus patet. Itaq; obsessi Christiani & angustijs afflicti, ad cujus defensionem confugerent, non habebant, nisi ad tutelam Iesu Christi, à quo nomen Barbaris inuisum acceperant: quem sine cessatione dies & noctes inuocabant. Humanitus interim nihil omiserunt facere & tentare, quod pro sua defensione facere possent. Excitarunt enim & ipsi munitionem firmam contra Prussorum incursiones non procul indè, vbi nunc Balgenses ciues extremam executionem sanctæ Iustitiæ exercent, indito nomine Schneckenburgo, quam præsidio munierunt, præfecto eidem insigni Capitaneo Hartuigo Pockaruin cum filio eiusdem nominis. Sed frustra: nam Prussi potentissimi superabant, omnesq; vias obstruebant, ne qua victualia in Balgam inferri possent. Iam etiam nolentes Christiani concluserant secum de arce incendenda deserendaq;, quicquid illis deniq; contingeret, cùm ecce (Deus enim inuocantes se non derelinquit) classem nauium venientium conspiciunt. Credebant sibi auxilium à Deo mitti: quod in rei veritate ita erat. Nam nobilis ille Dux Brunsuicensis Otto, peregrinantis habitu, An-

Balga arx capitur.

Glottauienses.

Balgæ situs.

Otto Dux Brunsuicensis

no Christi 1240. (quo etiam Mindacus Princeps Lituaniæ creatus est, de quo inferius) aduenit, secumq; multas copias militum atq; retia cum canibus venaticis; venatoresq; adduxit: quæ res hactenus in Prussia visæ non erant. Clàm cum milite ad arcem admissus fuit: quod plurimùm rebus obsessorum seruiebat. Erat enim is circumspectus & omnia prudenter agebat. Instructus itaq; de cursu & statu rerum loci, deuicit sibi amicitia Nobilem quendam Prussum Pomandum, non ita pridem religione Christiana (fortiter enim & suauiter Deus omnia disponit.) inscijs Barbaris initiatum, & qui Ordini plurimùm fauebat. Hic ex informatione Ottonis animauit Erminios, Nactanges, & Barthenses currentes per se, vt propiùs certo aliquo die arci castra admouerent, & summa vi eam adorirentur. Nec mora magnus exercitus Barbarorum præstò adest ex dictis territorijs ad persuasionem memorati Nobilis Balgam in potestatem suam redacturus. Cùm itaq; visum esset, commodè erupit apertis portis Otto Dux, nomine Christi fretus in hostes, & omnes vel fugavit vel trucidauit. Portugaliam etiam succendit & Schrandiam euertit. Post hoc mansit in munitione Balga integro anno, egregiamq; Crucigeris nauauit operam pius Princeps contra Prussos, è quibus plurimos ad Christi fidem conuertit, baptisariq; fecit. Deniq; postquam Ordini militem, equos & arma victualiaq; in annum: præterea retia cum venatoribus atq; alia abundè suppeditasset, domum reuersus est. Post discessum Ducis Ottonis, duo nobiles Prussi, quorum vnus Scumme alter Stutzka dictus fuit, putantes cum Ottone etiam fortunam Christianorum abscessisse, ingentes copias ad occupandam Balgam congregarunt, eamq; de manè sub nebula obsederunt, præsidio post se in insidijs relicto. Cùm igitur Christiani in anteriores, quasi paucos irruerent, multosq; occiderent; ex insidijs aduolantibus Barbaris, ex suis 40. milites & tres Crucigeros amiserunt: ablatis etiam pecoribus. Arcem tamen Barbari non receperunt. Circa hoc tempus ædificatum est Cruciburgum in Nactangia atq; aliæ munitiones, per quas Crucigeri Prussos deuictos; quibus non nimiùm fidebant, in officio continerent. Quod verò Prussi pro Balga recuperanda in tantùm decertarint, quantùm pro nulla alia munitione: Ordo verò Teutonicus eò diligentior in defendenda, ac priùs obtinenda fuerit, in causa erat, quòd hinc Nactangia, Bartenia & magna pars Sambiæ domita sit, & deuicta à Crucigeris: quod Barbari timentes præcauere tàm solicitè voluerunt. Immò & Cruciburgum ex hac arce sua initia sumpsit. Sonat verò Balga cutem: quòd Crucigeri ibidem cutem suam in periculum coniecerint.

Prussi ad Balgam cæsi.

Hermanni Saltza mors & encomiũ.

Anno eodem 1240. moritur Magister IV. Hermannus Saltza Barleti in Apulia 24 Julij, ubi quoq; sepultus fuit. Singulari modestia & discretione atq; prudentia præditus fuit: quod patet ex compositione pacis, quam inter summos terræ Principes, inter Pontificem Max. inquam, Honorium, & Imperatorem Fridericum, qui Pontifici rebellabat, (ob quod Respublica Christiana pluribus incommodis affligebatur) ab illis ipsis ascitus confecit. Et quamuis eandem pacem alij Principes quoq; tentassent, infectam tamen reliquerunt. Et verò ejus encomium, quod nauatâ hujusmodi operâ consecutus est ab Imperatore, adhuc in bulla illa aurea luculenter extat: dum ab eo vir potens in sermone & opere vocatur. Defuncto Hermanno successit in Magistratu Conradus Landigrabius, quintus ordinis Teutonici Magister, frater Ludouici viri sanctæ Elizabetæ. Suscepit hic Magistratum Marpurgi in Hassia.

Conradus Landgrabius.

Jam

Jam hoc tempore magnam partem Prussiæ Crucigeri occuparant: nempe Pomesaniam, Erminiam, Barteniam, Nactangiam & Pogesaniam. Ex quibus regionibus plurimi Prussi se subdiderant Crucigeris, eò quòd Principes Germaniæ auxiliarij, ut supra dixi, Prussis persuaserint, Crucigeros esse à Pontifice summo, suo loco positos: propriè verò esse subditos Pontificis & in ejus protectione: quod illis summopere placuerat. Habebant etiam Culmensem terram pacatam. In his territorijs frequentes & fortes ciuitates ac arces, præter superiùs dictas, inceperunt operâ Prussorum extruere. Quod dum faciunt à mansuetudine priore, quam incolis cœperant ostendere, non solum longè recedunt, sed etiam Principum Germaniæ fidem & promissionem suspectam reddiderunt & in dubium reuocarunt, ac Prussis jura data perfringunt: cùm etiam ipsis promiserint, ut sibi pro tolerabili censu deseruirent. Erant præ cæteris, in eos rigidiores FF. Fridericus à Foxberg & Pompo supradictus: qui ad rumorem Tartarorum aduentantium eò diligentiùs in molibus arcium & munitionum extruendis desudarunt. Monuit Christianus Episcopus Prouincialem, cùm eum minùs rectè procedere cum Prussis videret, periculi, sed apud hominem superbum & arrogantem nihil proficere potuit. Conquerebantur igitur Prussi de Crucigerorum violentia, deflebantq; plurimùm fortunam suam, & antiquam libertatem, qua usi erant, dum suo jure gauderent, animis requirebant. Jamq; de excutiendo jugo Crucigerico cogitabant: nec diffidebant suis viribus. Nam armis & usu eorum satis instructi erant à Crucigeris, quòd eos exercuerint contra Tartaros, malo suo: sperabantq; se facilè ijs superiores esse posse. Cœpit quoq; hæc oppressio Prussorum injuriosa esse DEO: nam dicebant Prussi: Verè non putabamus vnquam adeò mendacem esse DEUM Germanorum. Sed & Suentopelcus de Crucigeris cœpit conqueri: qui tamen adhuc, dum expectat meliorem occasionem rei gerendæ, rebellionem dissuadebat Prussis. Suadebat verò, ut ante omnia negotium ad Apostolicam sedem deferrent, cujus illi Jurisdictioni subjecti essent: se quoq; nuncios suos adjuncturum. Ita persuasi, vicissim apud Suentopelcum precibus institerunt, ut is eam causam priùs apud Crucigeros ageret. Quòd cùm rogatus faceret, non nisi nomen proditoris à Pompone retulit. Missi sunt itaq; Legati Suentopelci & Prussorum Romam ad Pontificem Max.

Prussorum oppressio.

Circa hæc tempora Pompo cænobium Toruniæ sodalitati Diui Francisci Assisinatis, nouo tunc instituto viuenti, Pragâ accitæ, condidit. Eodem anno deuastatâ Poloniâ, Tartari in Silesiam irruerunt. Henricus Dux intrepidus hostibus occurrebat. Quinq; autem agminibus exercitus ejus constabat. In primo erant Cruce signati ex varijs gentibus summi Pontificis authoritate collecti: cum quibus ordinati erant fossores ex metallis Goltbergensibus. In secundo erant majores Poloni & Cracouienses nonnulli. In tertio erant Miecislaus Dux Ratiboriensis. Quartum tenebat Pompo Prouincialis Prussiæ cum suis Crucigeris. In extremo erat ipse Henricus. Tartari exercitum in totidem phalangas distribuerant. Erat verò in extremo agmine inter alia signa vexillum insigne, cujus pictura X literæ figuram præseferebat. In cuspide verò imago erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id igitur vexillum, cùm signifer vehementiùs quateret, fumum atq; nebulam densissimam & fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modò aspectum Barbarorum Christianis adimebat, verùm etiam odore teterrimo eos enecabat: totumq; adeò exercitum Christiano-

Thorûnense cœnobium conditum.

Tartari irruunt in Silesiam.

Vexillum cum litera X

stianorum nouitate & miraculo rei stupefactum perturbauit. Tunc verò Barbari ubi Christianos trepidare senserunt, cohortati se inuicem, impressionem in eos faciunt, perturbatisq; ordinibus magnam cædem edunt, in qua Pompo Magister cum fortissimis quibusq; suorum occubuit. Tantus autem eo in prælio interfectorum Christianorum numerus fuit, ut singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ, nouem ingentes saccos explerent. Contigit hæc pugna sub Legnicia in planicie spatiosa, ad Nissam amnem, quæ Bonus campus dicitur. Mortuo Pompone, administrauit officium prouincialis Ditrichus Marsalcus Ordinis senior. Reprehenditur hoc loco à quopiam Cromerus, sed & alij scriptores Poloni, tum author vitæ sanctæ Hedvigis de Popone quem dicunt in dicta pugna Legnicensi interijsse: qui tamen post recensitum prælium duodecimo prius anno in Magistrum Ordinis electus fuisset. Sed hic author non benè inspexit Cromerum, quem potissimùm suggillat. Nam hic scripsit de duobus Magistris agnati nominis: quorum unus fuit Pompo, alter Popo. Ille secundus Magister prouincialis in Prussia, hic Magister summus. Ille à Tartaris occisus: hic post 12. annos, scilicet post obitum Conradi Landigrabij in sextum Magistrum Ordinis electus. Qui etiam Popo Suentopelcum & Præmislum materno sanguine attingebat, & inter dictos Principes per sententiam ex compromisso latam ratione arcis Nacli pacem confecit, ut patet apud Cromerum libro. 9. de reb. Polon. fol. 158. editionis postremæ. De Popone plura suo loco: quamuis hæc duo nomina sæpè apud authores confundantur.

Auriculæ præcisæ testes cladis.

Redierunt interea Nuncij Suentopelci & Prussorum Româ. Retulerunt verò suis Germaniam totam vehementi terrore concuti ex aduentu Tartarorum. Vndè collegit Suentopelcus cum Prussis, optimam nunc esse occasionem rebellandi Crucigeris, cum illis nulla spes auxilij ex Germania refulgeat, quæ vix sibi modò sufficeret. Nec surdis fabula. Cœperat etiam Suentopelcus metuere fortunam Crucigerorum & eorum successibus inuidere: quæ res penitus ejus animum à Crucigerorum conjunctione antiqua auerterunt. Itaq; per se alacriter currentes clàm partim ad bellum, partim ad defectionem atq; rebellionem solicitauit. Et quo magis eos sibi obnoxios & Crucigeris infestos & irreconciliabiles hostes redderet, persuasit ijs qui Christiani jam facti erant, ut religionem Christianam, quam inuiti susceperant, rursus abjicerent: Germanosq; & Polonos omnes qui vel negotiabantur apud ipsos vel etiam domicilia in Prussia fixerunt, constituta certa die trucidarent. Igitur cum Prussi impigrè quæ Suentopelcus nunc suasisset, peregissent, munitionesq; præter Balgam & Elbingam, interfectis ubiq; præfectis & præsidijs, in potestatem suam redegissent, Suentopelcum Ducem creant, eiq; parituros se esse recipiunt. Accepit lubens delatum imperium Suentopelcus, confestimq; obsessis terrestribus juxta ac fluuialibus itineribus, quicunq; Crucigericarum partium essent, siue in Prussiam proficiscerentur, siue indè fugerent, excipiebat & necabat: coactisq; celeriter Prussorum atq; Pomeranorum suorum copijs, Culmensem tractum omnem ferro & igne vastauit: ubi ad quatuor millia hominum partim occidit, partim captiua abduxit. Nec integrũ quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam & Radinam arces, quibus potiri non potuit, reliquit. In fide tamen & amicitia Crucigerorum clàm permanserat Prussus quispiam diues, Macko filius

Suentopelcus rebellat Crucigeris.

us Peypinni, Princeps Pomesaniæ. Hîc prouidit Crucigeros, qui se Elbingæ, Culmæ & Toruniæ continebant, alimentis necessarijs. Sed paulò pòst mortuus est. Ante mortem verò vocatis ad se quibusdam Ordinis Fratribus arcem suam Cargei eisdem tradidit & commendauit; à quibus sepultus est. Cujus exemplum secuti Nobiles tredecim, Crucigeris adhæserunt. Causa eorum & Machonis contractæ amicitiæ erat sequens: Ex quo tempore Macko baptismum susceperat, instabat malus Dæmon ejus perdendi. Sed Crucigeri Crucifixi Christi signum ei porrexerant, quo ille conatus Diaboli retundebat. Hoc cùm illis tredecim viris ille aperuisset & communicasset, singulari amore etiam illi Crucigeros prosequi cœperunt. Neq; Suentopelcum authoritas Guilelmi Episcopi Mutinensis Apostolici Legati, ab incepto deterruit. Qui quidem legatus Prussiam à Crucigeris eorumq; adjutoribus Cruce signatis ad illud tempus subactam atq; adeò subigendam etiamdum, mandato & authoritate Innocentij ejus nominis, IV. Pontificis, Anno, 1241. *in tres Diœceses & Episcopatus, nempe Varmiensem,* in honorem Virginis Mariæ & S. Andreæ Apostoli, cui Anselmus: Sambiensem in honorem ejusdem Virginis & S. Adalberti, cui Henricus: & Pomesaniensem in titulum quoq; gloriosæ Deiparæ Mariæ & S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, cui Ernestus Episcopi præfecti sunt, distinxit: Culmensi in suo statu relicto. Fecit distinctionem illam Legatus solenni Synodo instituta Toruniæ. Cui aderant pro Dominica *Quasi modo geniti*, in Monasterio Mariæ Virginis apud Franciscanos, Archiepiscopus Gnesnensis: Plocensis, Vladislauiensis & Vratislauiensis Episcopi ac plurimi alij Ecclesiastici Prælati, Abbates, ac Sacerdotes. In qua inter alia constitutum fuit, ut dicti quatuor Episcopatus cum suis Episcopis nulli, præterquam Summo Pontifici subijcerentur. Quod tamen mutationem, ut suo loco dicetur, cum tempore accepit: & ut ijdem Episcopatus liberam electionem Episcopi haberent: quam distinctionem ac omnia alia ipse Innocentius confirmauit.

Fundatio Ecclesiarum in Prussia. Imus Episcopus Varm. fuit Anselmus.

Hi sunt autem termini Episcopatuum Prussiæ, quos Crucigeri cum Episcopis constituerunt. Episcopatus Culmensis contineri debet intra fluvios, Vistulam, Dradam siue Dreuantiam, Nausam & Ossam. Episcopatus Pomesaniensis intra Ossam, Vistulam & fluvios ac lacum Drausen: Item adversus fluvium Pasoluæ, id est Passeriæ, cui includitur Quizinum & Zantirum. Episcopatus Varmiensis debet contineri intra lacum Drausenum & intra fluvios Passeriam & Verserum fluvios versùs occidentem. Versùs Septentrionem habet Habum lacum: versùs Orientalem fluvium Prægollam pro termino. Quartum latus ejus discriminaret fluvius Lipsa usq; ad Litvaniam. Quartus Episcopatus debet esse intra salsum mare, Prægollam & Menemem fluvios ac usq; ad Litvaniam extendi. Pertinebuntq; dicti fluvii ad eos, quorum termini attingunt: Qua verò ratione Neringa Gedanum usq;, quæ in Episcopi Cuiauiensis Jurisdictione erat, ad Episcopatum Pomesaniensem peruenerint, inferius dicetur.

Eodem anno moritur Christianus Episcopus Culmensis: oriundus ex Freyenwaltt. Ingressus juuenis monasterium Colnitz, professionis S. Bernardi, electus erat pro Abbate Oliuensi. Hunc verò vti virum probum Conradus Dux Masouiæ Cœlestino Pontifici Max. præsentauerat, vt eum Episcopum inuestiret. In Prussica

Christianus Episcopus Culmensis.

sica lingua Prussis concionabatur, sed cum nullo fructu. Ad stagnum quoddam Ordinis sui Monasterium extruxit, quod vocabat Columen, siue domum Columinis, quod postea incenderunt Crucigeri. Et quidem Monachos hujus Collegij pro Canonicis suis habebat. Scripsit hic librum de Prussis, cujus est initium: Liber filiorum Belial cum suis superstitionibus Bruticæ factionis incipit cum mœstitia cordis. In hunc librum contulit Christianus multas historias, quas Iaroslaus Canonicus Plocensis ediderat de Prussis vicinis: quem inscripserat, vt sequitur: Liber originis & furiarum gentis indomitæ Brutorum in sanguinem Christianum. Citat verò non pauca ex libro Christiani de Prussorum origine Grunauius. Mœrore maximè confectus Episcopus, quòd duriùs Crucigeri cum Prussis inciperent agere, obijt, postquam muneri suo 26. annis laudabiliter præfuisset: si annumerentur Episcopatui eius illi anni, quibus Crucem aduersus Prussos cœpit prædicare. Sepultus jacet in loco exustæ Ecclesiæ per Crucigeros. Visum est sæpius lumen descendere de cœlo super eius sepulchrum, Deo testimonium perhibente sanctitati eius. Successit Christiano in Episcopatu Ioannes I. Dominicanus Plocen: quem ad præsentationem Conradi etiam summus Pontifex in Episcopum confirmauit. Hic Episcopus dum secundo anno Apostasiæ primæ Prussorum, Toruniæ in suburbio, Ecclesiam Hospitalis, *Dominica Exaudi*, consecraret, eũ, ac multos ciues Barbari occisos, cum Ecclesia exusserunt. Bona suæ Ecclesiæ à Crucigeris non repetijt, illorum angustijs compassus. Successit ei in Episcopatu Heidenricus siue Heidnerus, ac etiam Henricus, vnus ex quatuor prædicatoribus Crucis contra Prussos in Germania. Fungebatur tunc apud Crucigeros Magistratu, quem illi Marsalcum vocant, Ditrichus siue Theodoricus. Is igitur conuocato consilio, consultat quid facto opus sit contra Prussos rebelles. Inconsultum ac temerarium videbatur in prælij dimicationem cum Suentopelco venire, cuius vires Prussis & Pomeranis coniunctæ majores erant, quàm vt à se tunc sustineri possent. Itaq; placuit omnibus, vt munitiones suas defenderent, & per omnem occasionem Suentopelci ditiones vicissim infestarent. Zartouicia arx erat in Pomerania, Crucigerorum ditioni finitima, arte & præsidio benè munita, vbi thesaurus erat Suentopelci. Eam Ditrichus nocte, quæ est ante pridie nonas Decemb. cum 24. armatis admotis scalis, & custodibus partim interfectis, partim captis intercepit: thesaurum, in quo Diuæ Barbaræ (illiusne Antiochenæ, cuius celebre est nomen apud Christianos, an alterius cuiuspiam, incertum est,) corpus erat, asportauit, arcemq;, accito & imposito præsidio suo, muniuit. Aduolat cum expedito agmine Suentopelcus, tentatâq; nequicquam expugnatione, & parte copiarum ad obsidionem relictâ, cum reliquis in Crucigerorum ditionem excursionem fecit. Occurrit ei Ditrichus cum Casimiro Duce Cujauiæ & Leucitiæ Conradi filio, quem Ditrichus haud falsò conjiciens euenturum id, quod euenit, in auxilium acciuerat. Aderant quoq; Crucigeris auxilia ex Germania. Conseruntur manus: vincitur & fugatur Suentopelcus. Neq; contenti victores præsenti victoriâ, Pomeraniam inuadunt. Conjunxit se cum eis Præmislaus Dux majoris Poloniæ, precibus Crucigerorum euocatus. Quam quidem expeditionem eò lubentiùs suscepit, ut suam quoq; injuriam in Suentopelco auo materno vlcisceretur. Nec satis habuerunt agros

gros, vicos atq; pagnos populari, Vissegradum etiam vrbem expugnarunt. Deindè versùs Naclum castra mouerunt. Nec fugiebat bellum, sed potiùs id consectabatur Suentopelcus. Nam collectis copijs sequebatur Crucigeros: ac vbi illi pridie constitissent, hic sua castra postridiè posuit: collegitq; haud obscurè, suum exercitum multò esse copiosiorem hostium multitudine. Quarto die demùm castra conuenêre propè Naclum: vbi factis leuibus velitationibus vtrinq; viceni & viceni: centeni ac centeni se protriuerunt. Concurrentibus totis deniq; castris, & acriter pugnantibus, Austriacus Drusiger Dominus de Schretental cum trecentis sagittarijs ac cum nonnullis Polonis fugam inijt, veniensq; Culmam, non solùm eam sed totam terram famâ repleuit, occubuisse scilicet totum exercitum Crucigerorum. Fuit ea in pugna Suentopelcus de equo dejectus, & ægrè mortem euasit. Per deditionem quoq; tunc temporis Crucigeri Naclum receperunt & Præmislao reddiderunt. In castris hisce Crucigerorum adfuit etiam Bruno Olomucensis. Vbi rediisset exercitus Toruniam incolumis in die Inuentionis S. Crucis, Drusiger præ rubore ex Prussia abijt. Istis incommodis motus Suentopelcus extremaq; metuens, pacem cum Crucigeris, dudum memorati Legati Guilelmi operâ facit datis obsidibus Mesciugo siue Mestuino filio, Veiado comite & Vimaro Burgrabio, primarijs viris. Captiui vtrinq; dimissi ex pacto. Zartouiciam verò ut Suentopelco redderent Crucigeri, adduci nequiuêre. Itaq; minùs diuturna pax ea fuit. Etenim Suentopelcus non multò pòst, violato fœdere, vocatisq; in auxilium Prussis, Culmensem regionem ingressus, crudeliter eam vastauit. *Culmensis terra vastatur.* Non tulerunt Crucigeri eam vastationem: & cùm prohibere non possent, reuertentem tamen hostem adoriri & prædam excutere studebant. Sed erat inter eos dissensio. Ditrichus enim antiquus Marsalcus, cùm suas vires impares hostilibus esse judicaret, loci opportunitatem, quò hostem invaderet, quærebat: volebatq; vt apud Reisinam paludem, non procul Graudento, quæ Prussis & Pomeranis transeunda erat, in extremos impetum facerent, cùm primi in transeunda palude impediti essent: cui prudentiores facile assentiebantur. Improbabat hoc consilium nouus Marsalcus Berlinus, vtpotè ferocior & minùs usu rerum peritus, quòd diceret, prædam sibi abactum ereptumq; iri, si extremum agmen inuaderent. Vicit hujus sententia. Quare aperto campo vltra Ossam reuertentes hostes consecuti, pugnam ineunt, non detrectante Suentopelco, qui paucitatem eorum contemnebat. Nec magno negotio superantur, & ad internecionem cæduntur, ita vt vix viginti ex eo numero euaderent: quo in loco Capella in honorem S. Sigismundi extructa fuit. Quin & alterum agmen ciuium Torunensium in auxilium sed tardè, & non nisi iam post conflictum suis subueniens, facilè profligatur. Cum ampliùs hinc non fiat mentio junioris Marsalci, credibile est illum hic cecidisse. Grunauius tamen vult Ditrichum curis confectum obijsse mortem Anno Christi 1244. In tertium verò Prouincialem assumptus fuit, anno 1246. Henricus Vida. Suentopelcus geminata victoria lætus, cum ingenti præda domum reuersus est. Inter captiuos erat Ordinis frater Martinus Golinus dictus, cuius soror grauida captiva ducebatur. Cum propter vterum sequi alios passu æquali non posset, sed sæpiùs retromaneret, Prussus quispiam mediam secuit,

fœtu in arenam decidente. Offensus eo Golinus frater, sine vlla commiseratione deinceps, cum libertati redditus fuisset, omnes Prussos quos potuit sine respectu mactauit, & neminem captiuum reseruauit. Prælio & viris amissis, matronæ de Culma orbitatem suam deflentes, saucios viros recollegerunt: occisos terræ mandarunt. Contigit duas viduas frequentare pietatis ergò Ecclesiam: præcedebat vna, sequebatur altera: Colluserant fortè famuli ciuitatis cum pueris de ludrica quapiam re sub ædium vmbraculis. Inter famulos erat aliquis ætate major, bonæq; spei. Hunc vt matrona præcedens conspexit, suggessit pedissequæ, vt eum accedat, salutatumq; suo nomine ad domum inuitet: expectaret ibi Dominæ aduentum, id sibi non detrimento futurum. Quid rei cogitasset hæc, vt sequens matrona aduertit, ad eundem ablegat etiam famulam: quæ paulò vigilantior, priorem nunciam antevertit, juuene ad ædes Dominæ suæ sine dilatione adducto. Veniens Domina, deuotione sua absoluta ex templo, hospitem optatum reperit, comiter salutat, benèq; habitum pro statu suo vestit, in maritum adsciscit. Cuius rei causa matrona altera erga hanc inimicum semper animum gerebat. Fuit juuenis ille Hallensis, Saxo, & cum tempore in virum prudentem euasit.

Ademisset post hæc libenter Suentopelcus Crucigeris civitatem Culmam viris orbam; quam quoq; post cladem civium obsederat, si potuisset. Quòd verò civitate viris vacua Suentopelcus potiri non potuit, scribitur causam fuisse, quòd dum civitatem Culmam post viros deletos, obsideret, matronæ indutæ armis & habitu virorum, *pro defensione* in muro comparuerint. Ille ratus præsidium relictum fuisse, continuò discessit. Qua arte etiam Elbingenses matronæ eundem Suentopelcum elusisse dicuntur, dum civitatem in absentia virorum, qui quandam munitionem, vel ædificabant, vel certè instaurabant, circumdedisset. Sed in captivos & exploratores excanduit, omnesq; occidit, quasi malè ab illis de civium absentia instructus. Cùm igitur Culmæ obsessio non processisset Suentopelco, ad fraudem convertitur. Subornavit enim Remcam advocatum, & nonnullos alios oppidanos Culmenses, magnis pollicitationibus illectos, ut obsides suos: qui in arce Culmensi obseruabantur, solutos sibi remittant. Sed nec proditio processit. De ea enim certiorem fecit quidam Joannes Schorvens, aliàs Scherffe, longò tempore in officio quodam Ordinis, occupatus, jam decrepitus ætate, Commendatorem Culmæ: & quidem in prædicta pugna grauiter satis læsus. Quin etiam aliud obsequium is eo tempore Crucigeris exhibuit. Nam cùm ij propter defectum frumenti solliciti redderentur, inquit: Consanguineam habeo hic viduam, cujus vir in prælio proximo cum alijs cecidit, hæc necessaria, credo, subministrare vobis poterit. Accersita igitur, trecentos modios utriusq; frumenti, id est, Brasij & siliginis postulantibus Crucigeris, obtulit, dicens: benè consulite his: Meliùs est ut ista. Domini mei, quàm hostis accipiant. Si tamen superuixero, reddetis mihi. Deniq; prædictus Joannes fertur allocutus Commendatorem loci his verbis: A puero ab Ordinis hominibus educatus, modò hæc vulnera propter vos habeo. Ponite porrò me pro defensione vestra in muro, in seruitio vestro mori paratus sum. Quæ singula fidelissimum & fortissimum simul virum demonstrant. Venit sub his Remca proditor cum complicibus ad arcem multa

Culma à mulieribus defensa.

multa dicturus, sed non admissus est, quin magis minacibus, verbis ad defensionem urbis jussus redire. Obsides verò noctu clàm Zartauiciam deportati sunt, quæ arx firmo tenebatur præsidio Crucigerorum.

Anno 1244. Præfectus est Ecclesiæ Pomesaniensi Ernestus, Dominicanus Toruniensis, Episcopus I. à Guilelmo Legato Pontificio. Orta est Anno 1245. periculosa disceptatio, in die SS. Petri & Pauli Apostolorum, Culmæ, inter auxiliarios Crucigerorum, & F. Gasparum hunc aduocatum Althausensem. Nam hic cùm illos reprehenderet de damnis subditis suis factis in pascuis, ab illis occisus fuit cum Collega suo Joanne Reybenitz & viginti uno militibus. Animaduertens Suentopelcus dolos suos non procedere, subornat qui Culmense & Zartauiense oppida incenderent. Ipse verò cum Prussis in Cujauiam excursionem facit, eamq; longè latèq; ferro & incendijs depopulatur; iratus Casimiro Duci, quòd is cum Crucigeris contra se venisset. Neq; authoritate Legati Apostolici, ac ne interdicto quidem ab instituto dimotus est: quin iratus magis, cunctæ Poloniæ minari cœpit. Excitataq; arce, quam Zantirum appellauit, supra Vistulam in tractu Culmensi, seu verius Pomesaniensi, (de quo post quadraginta ferè annos Marieburgum à Crucigeris conditum est) nauigationes & commercia Polonorum cum Crucigeris prohibebat, nauesq; diripiebat. Quibus malis fracti Crucigeri, de pace cum Suentopelco per Samborium fratrem ejus agunt. Zartouiciam reddere promittunt: verùm ille filium quoq; obsidem remitti sibi poscebat. Facilè intelligebant Crucigeri quàm infirma & incerta ea pax futura erat, si filium Suentopelco remisissent. Itaq; in Poloniam superiorem, quæ jam Austria dicitur, eum relegarunt, & Friderico Duci ad seruandum commendarunt. At Suentopelcus priore non contentus, alteram quoq; arcem, cui Suece nomen est, in ripa Vistulæ citeriore, ubi vorticosissimus amnis est, ædificat: frustra prohibentibus Crucigeris, qui eam cum septem millibus militum Germanorum aggressi erant: & aliam arcem Puterborgum ex aduerso ædificare orsis, nam à cœpto posteà destitêre. Cæterùm auxilijs Friderici Ducis Austriæ, & aliorum quorundam Teutonum, & aduentu Casimiri Ducis Cujauiæ, auctis copijs in Pomeraniam excursionem faciunt, in qua nouem dies morati, revertentes ingentem prædam abigebant, cum in eos Suentopelcus accitis properè Prussis (nam ipse cum suis adoriri eos ausus non est) impetum facit. Et auxiliares quidem qui cum præda antecedebant, hostium vim non sustinentes funduntur fuganturq;. Extremum quoq; agmen Casimiri & Crucigerorum perturbari jam à Suentopelco cœperat. Sed Martinus Crusuicensis signifer cohortatione sua pugnam restituit. Cumq; neutra pars referret pedem, pars Austriorum è primo agmine retrò ad suos se recipiens, fortè fortuna in Pomeranos cum suis dimicantes incidit, hostesq; auerso adorta, cum anceps ipsis esset dimicatio, in fugam vertit. Adueniens autem Opisso Abbas Messanensis, ab Innocentio quarto Pontifice Max. Gregorij noni successore Legatus, pacem inter Suentopelcum & Casimirum & Crucigeros redintegrauit, exacto à Suentopelco jurejurando, quòd nihil deinceps commune cum Prussis habiturus esset. Quibus factis, ab interdicto Guilelmi prioris legati eum absoluit. Sed non seruauit jusjurandum præ-

stitum

ſtitum Suentopelcus: Barbari enim ſiue ab ipſo incitati, ſiue ſua ſponte ob negatam mercedem nauatæ contra Boleslaum operæ indignati, ſiue adeò juſto DEI judicio mala in authorem conuertentes, in Maſouiam Conrado abſente excurſionem fecerunt, ad Cechanouiam usq; oppidum progreſſi. Quanquam non impune illud eis ceſſit facinus: nam à Cechanouia reuerti cum ingenti præda incipientibus ad tertium Idus Julij, Maſouij Lencicenſesq; equites juxta atq; agreſtes manu facta occurrerunt: & prælio inito, nongentis cæſis, captis ducentis, reliquos excuſsâ prædâ in fugam præcipites egerunt. Exuſtum eſt autem Ploſcum oppidum, habitatoribus vacuum, quod ij ſub aduentum hoſtium in arcem confugerant: ſed eàne, an anteriore quadam Barbarorum excurſione, non liquet. Moritur Conradus Dux Maſouiæ, relictis tribus ſuperſtitibus filijs, Boleslao, Caſimiro, & Ziemouito, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Hoc ipſo anno Oliua exuſta eſt quartùm. Id quoq; Crucigeri egerant. Reliquit verò Conradus F.F. Teutonicis teſtamento Culmenſem terram præter voluntatem hæredum atq; partitionem Pruſſiæ, juxta magnorum virorum arbitrium: de quo negotio ſupra. Et eam voluntatem Conradi Innocentius IV. quidem confirmauit: ita tamen ut Conradus Magiſter, & ejus ſucceſſores cenſum ſibi ſuper Pruſſia ſoluerent. Attribuerat verò Pater Caſimiro Lenciſcienſem & Cujauienſem Dominatum. Sed his non acquieſcens, Siradiam, Spicimirum & Roſpiam arces inuaſit, & fratrem cum uxore Gertrude captum in vincula conjecit. Sed qui aliena appetiverat, non modicum ſuorum à Suentopelco detrimentum tunc accepit. Nam is quietis impatiens, violatis fœderibus quæ cum Caſimiro & Crucigeris icerat, cùm ſubitò cum Pruſſis in Crucigerorum ditionem irrupiſſet, multosq; mortales apud Golubum incautos oppreſſiſſet, in Cujauiam quoq; impetum fecit, quo luculentiore præda Barbaros ſibi deuinciret, ſuorumq; inopiam releuaret. Anguſtiore enim annona Pomerani juxta atq; Crucigeri tunc utebantur. Itaq; magna clade Cujauiam affecit, plurimiſq; interfectis hominibus, absq; ullo ſexus ac ætatis diſcrimine, incenſis villis atq; pagis, permagnam prædam aſportauit. Quanquam ea præda à Crucigeris excuſſa eſt, cum Suentopelcus reuertens ex itinere, munitionem, quam tunc illi è regione Chriſtiburgi veteris arcis muniebant, expugnare adortus, commiſoq; prælio ſuperatus eſſet. Nihilo tamen magis conquieuit Suentopelcus, ſed reparato exercitu mox ad Chriſtiburgum redijt: cumq; præmiſſi ab eo præcurſores à decurrentibus ex arce Crucigeris rejecti, tumultuoſius ad reliquum agmen ſe reciperent, exercitum omnem in fugam conuerterunt. In qua dum ſe mutuò præcipites in Viſtulam impellunt, multi de exercitu Suentopelci periêre. Ita quidem munitio Chriſtiburgum appellata fuit, quòd eam media nocte, quæ Chriſtianis in maximo honore eſt ob natalem Chriſti, dormientibus Barbaris intercepiſſent. Sed cùm rurſus Barbari Suentopelco adjutore eam Chriſtianis eripuiſſent interfectis omnibus, Crucigeri aliud Chriſtiburgum ſuauitate nominis allecti, è regione illius, hoc ſcilicet quod nunc ægrè ſupereſt ædificare orſi ſunt. Sed præter dictam cladem etiam alia dum hæ pugnæ inter Crucigeros & Suentopelcum exercentur, Suentopelco contigit, qua non ſolùm deletus eſt exercitus ejus totus, ſed &

ipſe

ipse propè captus fuit. Habuit in exercitu suo fortem quendam militem, sed tamen, qui vel ad nomen Crucigerorum exhorresceret. Cum itaq; Suentopelcus Crucigerorum ditiones sine adversario longè latèq; vastasset, otiosè & securè in quodam prato jucundo in Pomesania resedit, prandium militibus exhibens. Quod ut gratius omnibus esset, spectaculo id condire voluit. Mittit igitur quempiam ex condicto, qui extra castra eat, redeatq;, ac Crucigeros adesse clamaret: fore ut ad talem renunciationem se eques ille pusillanimis ex turmis proriperet & profugeret, reliquis risum relicturus. Facit nuncius prout jussus fuit. Sed revera videt Crucigeros venire: quare ille jam non fictè sed verè illos adesse nunciat, ad quod indicium eques statim se proripuit & abijt: alijs hujus causa effusissimè ridentibus cum Suentopelco. Nec seriò rem agi putabant, donec euaginato gladio, juramentoq; id confirmaret nuncius: sed jam tardè. Ascenso tamen equo Suentopelcus per Vistulam omnibus occisis, transnatavit. Freti his successibus Crucigeri, Pomeraniam, excursione facta, majorem in modum vastaverunt.

Non levis verò etiam hoc anno tumultus extitit, inter auxiliarios ipsos Crucigerorum. Cùm enim hi Elbingæ per octiduum starent, contigit famulos cujusdam Austriaci surripere avenam, quæ molebatur pro equis cujusdam Geroldi liberi Baronis à Domeln. In quo quidem tumultu periit Henricus Comes à Röchlitz, Geroldus ille cum 85. viris. Deteriorq; res evasisset, si tumultus prudentiâ Brunonis Episcopi composita non fuisset. Extructæ sunt in his turbis intra annum 1248. & proximè sequentem Cruciburgum, Luniburgum, ac aliæ ciuitates, quæ non diu post rursus sunt deuastatæ. In Nactangiam quoq; ij qui Balgæ & Elbingæ in præsidijs erant, populabundi excurrêre. Sed cum præda onusti reuerterentur, in insidias à Barbaris præparatas incidêre. Vbi cùm propter iniquitatem loci & circumfusorum Barbarorum multitudinem, neq; recipiendi se facultas, neq; ex æquo pugnadi copia esset, hostibus sese, frustra dissuadente Joanne à Sonnenberg Commendatore Balgensi, dedidêre, & ad unum omnes trucidati sunt. Amputatum postea caput Joannis & hastæ impositum ijs qui Balgæ relicti erant, barbari ostendebant, dicebantq;: Forsitan aliter res cecidisset, si fratres hoc caput audiuissent. Ceciderunt ex Crucigeris, 54, fratres pro hac vice. Alterius etiam tum captiui umbilicum excisum, quercui affixerunt Prussi, eum tam diu circa arborem in gyrum agentes, donec omnia intestina exhausta essent. Actum in die S. Andreæ, anno Christi, millesimo ducentesimo quadragesimo nono, in pago Krucken, alias Pockarweis: qua clade vehementer Crucigerorum vires attritæ sunt. Sed recreatæ non multò pòst Germanorum Principum auxilijs: atq; ita recreatæ, ut non modò reprimerent feroces & exultantes Barbaros, verùm etiam perdomarent magna ex parte, usq; adeò, ut quinq; conuentus, quos antea jam possederant, nimirum, Pomezanius, Erminius, siue Varmiensis, Pogesanus, Barthenus & Nactangius siue Natangius subacti, religionem Christianam reciperent. Principes verò Germaniæ, qui Crucigeris opem contra Barbaros præter alios hac vice ferebant, fuêre, Margrabius Brandeburgensis, Episcopus Mersburgensis, & Henricus Comes Swartzburgensis. Suentopelcus etiam cùm jam senio confectus

 esset,

esset, his Crucigerorum successibus & authoritate Jacobi Leodiensis Archidiaconi Legati Apostolici adductus, pacem cum eis fecit. Sed & Prussi Crucigeris suis reconciliati sunt ejusdem Nuncij authoritate. Extant literæ dicti Jacobi super pace confecta in Collegio Guttstadiensi, non solùm cum Prussis, sed etiam cum Pomeranis, quas huc propter varias rationes: præcipuè quòd magnum lumen rebus Prussicis adferant, ponere volui. Sunt verò tales.

Universis præsentes has inspecturis, Jacobus Leodiensis Archidiaconus, Domini Papæ Capellanus, ac in Polonia, Prussia, & Pomerania ejusdem vicegerens in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quòd cùm inter neophytos Prussiæ ex parte una, & Religiosos viros Magistrum & Fratres domus Teutonicæ in Prussia ex altera graves discordiæ essent super hoc, quòd dicti neophyti dicebant, quòd licet à fælicis recordationis Innocentio Papa tertio, Honorio & Gregorio Romanis Pontificibus prædecessoribus Sanctissimi Patris nostri Innocentij Papæ quinti, qui nunc Divinâ Providentiâ præest Ecclesiæ Sanctæ DEi, ipsis neophytis esset concessum, ut cùm vocati essent in libertatem filiorum DEi ex aqua & Spiritu Sancto renati, in libertate sua manentes, nulli alij essent, quàm soli Christo & obedientiæ Ecclesiæ Romanæ subjecti, dicti tamen Magister & Fratres contra hujusmodi concessionem venientes, ipsos neophytos interim duris servitutibus opprimebant, quòd vicini pagani ipsorum gravamina audientes, tollere supra se suave jugum Domini formidabant. Et cùm super hoc fuerit coram S^mo prædicto Patre nostro per procuratores partium prædictarum diutiùs altercatum, & per ea quæ pro una qualibet partium fuêre proposita, coram ipso, plenè non potuerit scire veritatem, ipse hujusmodi dissensionum extinguere fomitem & discordes ipsos optans ad concordiæ reducere unitatem, nos ad partes illas transmisit, dans nobis literis Apostolicis in mandatis, ut partibus ad nostram præsentiam convocatis, solicitè tractaremus de facienda concordia inter ipsos. Nos igitur ad partes Prussiæ de mandato Apostolico pro solo bono obedientiæ Papæ huc specialiter accedente, partibus ad nostram præsentiam convocatis, de dicta concordia tractavimus diligenter, & easdem partes, Domino favente, ad concordiæ unitatem reduximus sub hac forma. Inprimis siquidem dicti Magister & Fratres, ardenti desiderio affectantes, ut negotium fidei Christianæ liberè in partibus illis currat, & nomen Domini nostri JESU Christi in gentibus dilatetur, & hoc præcipuè quærant in illis partibus, sicut dicunt, neophytis supradictis jam ad fidem conversis & baptisatis, necnon & paganis omnibus in eisdem circumjacentibus partibus convertendis & baptisandis in nostra & Venerabilis Patris Heidneri Episcopi Culmensis ad hoc à nobis specialiter vocati præsentia, præsentibus & plu-

pluribus alijs bonis viris talē libertatem liberaliter concesserunt; ut videlicet licitum sit eisdem neophitis emere res quascunq́; à quibuscunq́; voluerint alijsq́; justis modis acquirere prout voluerint & maluerint, sibiq́; viderint expedire: & quicquid emerint vel acquisiverint sibi ipsis acquirant, & hæredibus suis legitimis: ita videlicet, ut, quando ex eis aliquis recesserit ab hac vita habens filium vel filiam, quæ nunquam fuerit maritata, vel utrumq;, isti succedant ex ijsdem. Etsi filium vel filiam non habuerit, & adhuc patrem & matrem habent, succedent isti filio suo morienti. Si verò nec filium nec filiam, nec patrem nec matrem, & adhuc filius filij sui sit superstes, succedat avo suo. Porrò si nullum habuerit superstitem de prædictis, & habuerit fratrem, succedet ei idem frater. Et si ipse frater præventus morte reliquerit filium, idem filius patris succedet patruo morienti. Quæ prædicti neophiti gratanter acceptaverunt, cùm in paganismo non habuissent, ut dicebant, nisi solos filios successores: & concesserunt ijdem neophiti coram nobis & alijs antedictis, libera voluntate, ut si quis ex eis vel successoribus suis obierit, & nullum superstitem reliquerit de omnibus hæredibus antedictis, omnia bona ipsorum immobilia ad magistrum & fratres prædictos & domum eorum & alios Dominos, sub quibus ijdem neophiti manserint, liberè devolvantur. Et idem de mobilibus, nisi ipsi neophiti in morte vel in vita de illis aliud duxerint ordinandum. Concesserunt etiam prædicti Magister & Fratres neophitis antedictis, ut liberè possint expendere, dare, erogare, vendere, & alia quæcunq́; facere, tam in vita quàm in morte de mobilibus suis bonis. Et insuper quòd licitum sit eisdem pro necessitate sua vel etiam utilitate bona sua immobilia vendere paribus suis, vel Teutonicis, vel Prutenis, Christianis vel Romanis, dum tamen prius præfatis Magistro & Fratribus sufficientem faciant cautionem, ad valorem immobilis rei vendendæ, qui postquam vendiderint ad paganos non fugient, vel ad hostes, quos manifestè ipsorum Fratrum constiterit esse hostes. Concesserunt præterea præfati Fratres neophitis, ut licitum sit eis concedere testamenta de bonis mobilibus & etiam de immobilibus: ita tamen, ut si aliqui aliqua immobilium testamento suo legaverint alicui Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, eadem Ecclesia vel illa persona, immobilia infra annum vendere teneatur hæredibus defuncti, vel alijs supra dictis, & habeant sibi illæ Ecclesiæ vel personæ pecuniam, quam ex venditione receperant pro eisdem. Alioqui elapso anno, illa immobilia sic legata & per negligentiam non vendita, infra annum ad dictum Magistrum & Fratres liberè devolvantur. Cùm enim idem Magister & Fratres unam faciant Ecclesiam, & terram quam habent in Prussia, à Romana Ecclesia teneant, credunt & dicunt, quòd li-

citum non sit eis, ut terram eandem in dominium alterius Ecclesiæ vel personæ Ecclesiasticæ transferant, absq; summi Pontificis consensu & licentia speciali. Quæ omnia neophiti gratanter receperunt & consenserunt coram nobis, & alijs supradictis, qui in prædictis omnibus conditionibus faciendis, si præfati Magister & Fratres de quacunq; re vendenda tantum voluerint dare, quantum alius: ipsi Fratres alijs omnibus præferantur. Et ijdem Fratres fideliter promiserunt, quòd ipsi non impedient, vel procurabunt publicè vel ocultè ut ab alio de re illa minùs, quam valeat, offeratur. Item concesserunt Fratres prædicti, neophitis supradictis, ut liceat eis liberè contrahere matrimonium cum quibuscunq; personis legitimis ad legitimum matrimonium contrahendum. Et ut possint esse procuratores in omnibus causis, & adversus quoscunq; agere, & jura sua repetere, & ut tanquam personæ legitimæ ad omnes actus legitimos admittantur, coram Judicibus quibuscunq; tam in foro Ecclesiastico, quàm etiam sæculari, & ipsi & filij eorum legitimi possint esse Clerici & Religionem intrare, & qui filij ex ipsis neophitis, qui sunt vel erunt ex nobili prosapia procurati, accingi possunt vinculo militari. Et ut omnia breviter comprehendantur, ijdem Fratres sæpè dictis neophitis concesserunt libertatem omnimodam probabilem, quamdiu fidem Catholicam observabunt, & in subjectione, & obedientia Romanæ Ecclesiæ permanebunt, & erga ipsos Magistrum & Fratres & Dominium ipsorum fideliter se habebunt. Et concesserunt ijdem neophiti, ut quæcunq; patria vel persona de cætero apostatarit, prædictam perdat penitus libertatem. Postea dicti neophiti requisiti à nobis, quam legem mundanam vellent eligere, vel quæ vellent sæcularia judicia observare: habito inter se consilio petierunt & elegerunt mundanam legem, & sæcularia judicia Polonorum vicinorum suorum, & prædicti Fratres concesserunt eis benignè, & ad petitionem ipsorum, & ad mandatum nostrum ferri candentis judicium & alia omnia si qua sunt in eadem lege contra DEum vel Romanam Ecclesiam, sive contra libertatem Ecclesiasticam ab eadem lege penitus removerunt, & concesserunt penitus non servari. Et promiserunt ijdem Fratres coram nobis & alijs antedictis, quòd bona dictorum neophitorum indebitè non accipient, nec eis auferent, nisi secundùm rationabilia judicia dictæ legis. Porrò neophiti sæpè dicti, specialiter autem illi de Pomerania, Varmia, & Natangia, à nobis instructi, quòd pares sunt omnes homines dum non peccant, & quod solum peccatum facit miseros homines & subjectos, & etiam quòd quilibet quantumcunq; sit liber, si facit peccatum, servum se constituit peccati, nolentes supradictam perdere libertatem, nulli se de cætero subjicere homini pro peccato, coram nobis & alijs supradi-
ctis

ctis DEo ac Romanæ Ecclesiæ ac Fratribus supradictis, voluntate spontanea, firmiter & fideliter promiserunt, & quòd ipsi vel hæredes in eorum mortuis comburendis vel subterrandis cum equis sive hominibus, vel cum armis seu vestibus, vel quibuscunq; alijs rebus pretiosis vel etiam alijs quibuscunq;, ritus gentilium de cætero non servabunt, sed mortuos suos juxta morem Christianorum in cæmiterijs sepelient, & non extra. Idolum quod semel in anno collectis frugibus consueverunt confringere & pro Deo colere, cui nomen Curche imposuerunt, vel alijs diis, qui non fecerunt cælum & terram, quibuscunq; nominibus appellarentur, de cætero non litabunt, sed in fide Domini nostri JESU Christi & Ecclesiæ Catholicæ, & obedientia & subjectione Romanæ Ecclesiæ firmi & stabiles permanebunt. Promiserunt etiam quòd inter se non habebunt de cætero Tulissones, vel Liguschones, homines scilicet mendacissimos histriones, qui quasi gentilium Sacerdotes, in exequijs defunctorum, ne tormentorum infernalium pœnâ torquerentur, dicentes malum bonum, & laudantes mortuos de suis furtis & spoliis, mendaciis, rapinis ac aliis vitiis & peccatis, quæ dum viverent perpetrarunt, ac erectis in cælum luminibus clamantes mendaciter asserunt, se videre præsentem defunctum per medium cæli volantem in equo armis fulminum decoratum, nisum in manu ferentem & cum comitatu magno in aliud seculum procedentem, talibus & similibus mendaciis populum seducentes, & ad ritus gentiliũ revocantes: hos inquam promiserunt se nunquam de cætero habituros. Item promiserunt, quòd duas vel plures uxores simul de cætero non habebunt sed unâ solùm contenti: cum ipsa contrahet unusquisq; sub testimonio competenti, & matrimonium illud in Ecclesia statutis temporibus cum solennitate debita publicabit. Promiserunt etiam quòd nullus de cætero filiam suam vendet alteri matronio copulandam, & quòd nullus uxorem filio suo emet, vel sibi. Nam & hîc talis consuetudo inter ipsos inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem patris sui aliquis habeat. Cùm enim pater aliquam uxorem de pecunia communi sibi & filio emerat, hactenus servaverunt, ut mortuo patre, uxor ejus devolveretur ad filium sicut alia hæreditas de bonis communibus comparata. Et ne quis hac de causa novercam suam possit sibi vendicare ulteriùs in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt. Si tamen à sponso patri vel matri sponsæ, vel è converso, vestes vel alia clenodia data fuerint vel promissa: vel si dos propter nuptias uxoris viro data fuerit vel promissa, secundùm quod jura permittunt, hoc nullatenus prohibemus. Unde promiserunt dicti neophyti, quòd nullus ex eis quàcunq; de causa novercam suam ducet de cætero in uxorem, vel uxorem fratris sui, vel etiam aliam sibi in primo, secun-

do, tertio, quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis attinentem, absq; Summi Pontificis dispensatione & licentia speciali. Et quòd nullum utriusq; sexus heredem legitimum reputabunt, vel supradictam successionem hereditatis admittent: nisi illos solos, qui de legitimo matrimonio secundùm statuta Ecclesiæ Romanæ fuerint procreati. Et quòd nullus filium vel filiam quacunq; de causa per se vel per alium abjiciet, vel occidet publicè vel oculte de cætero, vel ab alio talia quocunq; modo fieri consentiet vel permittet. Promiserunt etiam quòd quàm citò puer alicujus natus fuerit, vel ad minus infra octo dies, si tamdiu potest absq; mortis periculo reservari, ipsum facient baptisari, & ad Ecclesiam reportari, & à Presbytero, vel mortis periculo imminente ab aliquo Christiano baptisandi intentionem habente, quàm citò poterunt, facient baptisari, immergendo puerum in aquam & dicendo, Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Et quòd longo tempore Presbyteris, & Ecclesiis caruerint, & idcircò multi non baptisati ad inferos descenderint, & multi adhuc inter eos remanent baptisandi, facient infra mensem in forma Ecclesiæ baptisari: alioqui consenserunt, ut bona parentum, qui natos suos infra dictum tempus ex contemptu non fecerint baptisari, & etiam bona illorum, qui adulti baptismum pertinaciter recipere noluerint requisiti pollicentur, ipsiq; extra Christianorum fines nudi in tunica expellantur, ne boni aliorum mores ex eorum pravis colloquiis corrumpantur. Promiserunt etiam illi, qui de Pomerania, quòd infra proximam Pentecosten Ecclesias ædificabunt in locis inferiùs nominatis: primam videlicet quæ vocatur Pogotove, quæ alio nomine vocatur Rulitz: secundam in villa quæ vocatur Pastelma: tertiam in loco, qui vocatur Lignes: quartam in loco qui dicitur Lepietz: quintam in Chomor S. Alberti: sextam in Bogus: septimam in Goria, octavam in Prusile: nonam in Feria: decimam circa antiquum Christburg. Illi autem de Varmia promiserunt, quòd infra terminum antedictum ædificabunt Ecclesias in locis inferiùs annotatis: primò, in villa scilicet in qua sedet Gedu, vel propè locum illum: secundò in Sutmirs; tertiò in Bandalis: quartò in Sliva: quintò in Weitenovor: sextò in Brunsberga. Illi autem de Nactangia promiserunt, quòd infra eundem terminum ædificabunt Ecclesias, primò in Labegano: secundò in Mamathumonis: tertiò in Suecuraet. Et quamlibet Ecclesiarum istarum tenebuntur ædificare & ornare ornamentis, calicibus & libris, & aliis necessariis, prout decet. Illi de villis qui sunt vel erunt ad quamlibet Ecclesiam assignati, ut ad illam conveniant, & in ea vel ex ea Ecclesiastica suscipiant Sacramenta. Et promiserunt omnes prædicti, quòd dictas Ecclesias ædificabunt, adeò honorabiles & decoras, quòd plùs vide-

bun-

buntur delectari in orationibus factis in Ecclesiis, quàm in silvis. Si autem prædictas Ecclesias non ædificaverint infra terminum supradictum, consenserunt, ut præfati Magister & Fratres accipiant, vel faciant ab unoquoq; ipsorum in proprias facultates aliqui centesimam vigesimam, unam rationabilem portionem & ex his ædificari faciant Ecclesias antedictas. Et promiserunt prædicti Fratres, quòd dictas Ecclesias ædificatas, ipsi bona fide easdem Presbyteris conferent infra annum eisq; infra dicta assignabunt. Et ipsi neophyti promiserunt, quòd in ædificatis Ecclesiis dictis ipsi singulis diebus Dominicis & festivis ad minùs suas Parochiales Ecclesias frequentabunt. Præterea præfati Fratres, cupientes, ut dicunt, ut in dictis Ecclesiis perpetuis temporibus Deo dignè & laudabiliter seruiatur, singulas Ecclesias supradictas, sic in nostra præsentia dotauerunt ad præsens, quòd videlicet ad sustentationem presbyteri uniuscujusq; Ecclesiæ de prædictis promiserunt & concesserunt quinq; mansos terræ: quatuor videlicet in campis, & vnum in siluis: & decimam viginti vncorum: duos boues, vnum equum, unam vaccam. Et si decima presbyteri, quando advenerit, parata non fuerit, dabit ei etiam annonam ad faciendum pro se tertio, & pro equo prædicto, & etiam pro seminandis agris sibi assignatis, quousq; tempus aduenerit decimam percipiendi sibi assignatam: & insuper oblationes & alia quæ ei collata fuerint, intuitu pietatis. Promiserunt insuper dicti Fratres, quòd quando ad meliorem fortunam & majorem pacem venerint, in duabus partibus terræ, postquam eis fuerint assignatæ, & numero & beneficijs ampliabunt. Præterea promiserunt neophyti sæpedicti, quòd omnes vtriusq; sexus, tàm iuuenes quàm adulti, in Quadragesima à carnibus & lacticinijs abstinebunt, & in feria sexta similiter abstinebunt, & prout poterunt, jejunabunt, & dies Dominicos & festiuos ab omni opere servili obseruabunt: & confessiones suas ad minùs semel in anno facient proprio Sacerdoti. Et in Pascha recipient Sanctissimum corpus Christi, & alia facient & cauebunt, quæ debent boni cauere & facere Christiani, prout à prælatis suis, & alijs bonis viris Catholicis fuerint eruditi. Cæterùm ne neophyti supradicti videantur ingrati libertatis & gratiæ sæpè dictæ, optauerunt, vt dicebant, promiserunt, concesserunt coram nobis & supradictis alijs firmiter, quòd quia difficilè esset nimis Magistro & Fratribus antedictis, omnes villulas Prussiæ circumire pro suis decimis triturandis & adducendis, ipsi neophyti & successores eorum, decimam in horrea dictorum fratrum annuatim conferent trituratam. Et insuper promiserunt quòd prædictorum Magistri & Fratrum omnium & singulorum vitam, membra, honorem & jura pro posse & bona fide observabunt, nec consentient vel

permittent tacitè vel expressè, vel occultè, quòd aliqua fiat prodītio contra ipsos, & quòd si ipsam nouerint factam vel faciendam, eam pro posse impedient, vel ita prudentet reuelabunt, quod ipsi, Magister & Fratres sibi poterunt præcauere. Et quòd cum Christiano vel Pagano fœdera indebita, vel colligationes, vel conspirationes, contra eosdem Magistrum & Fratres de cætero non facient, vel habebunt. Et quòd ad omnes expeditiones eorum ibunt decenter parati & armati iuxta proprias facultates. Et dicti Fratres eorum coram nobis & alijs antedictis, firmiter promiserunt, quòd si quis ex supradictis neophytis in expeditionibus ipsorum fratrum à paganis vel hostibus captiuabitur, ipsi Fratres suo damno ad liberationem illius fideliter laborabunt. Et ut prædicta omnia firmiter & inuiolabiliter in perpetuùm obseruentur, Frater Hermannus vicemagister dictæ Domus in Prussia, pro se & universis Fratribus dictæ domus fidem dedit. Et prædicti neophyti coram nobis corporaliter jurauerunt, quòd omnia & singula supradicta sicut promissa sunt & concessa, inviolabiliter in perpetuum obseruabunt. Et hæc omnia facta sunt de consensu partium, & concessa, saluis in omnibus sedis Apostolicæ authoritate, obedientia, dominio & jure. Et jure saluo Prælatorum patriæ præsentium & futurorum: & salua omni Ecclesiastica libertate. Et saluis omnibus libertatibus & priuilegijs dictorum Magistri & Fratrum. Deniq; in signum quòd prædicti discordes reducti sunt ad veræ pacis & concordiæ vnitatem, omnes offensas præteritas perpetratas hinc inde Magister & præfati Fratres dictis neophytis de Pomesania penitus remiserunt, & illi eis similiter versa vice, & se inuicem coram nobis ad pacis vinculum receperunt. In quorum omnium memoriam & testimonium præsentes literas sigillo nostro, & sigillo Episcopi sæpè dicti, qui nobiscum in omnibus præsens fuit. Et quia vir religiosus F. Hermannus (Conradus) Magister dictæ domus in Prussia præsens non fuit, sigillis præfati Hermanni vicemagistri & Conventus in Balga, & Henrici Marsalci dictæ Domus in Prussia fecimus roborari. Actum Anno Domini 1249. Septimo Idus Februarij.

Hæ literæ sibi in omnibus benè constant: nisi quòd pro Conrado Landigrabio Magistro sit à descriptore positus Hermannus, puto, de Saltza. Sed hic cùm multò antè diem obierit, ad contractum hunc pertinere non potuit. Qui verò hic Henricus Marsalcus nominatur: is est Henricus Vida. Nam nemo Henricus alius huic tempori vicinior fuit, quàm hic; qui ex Marsalco in Prouincialem eligebatur anno Christi 1246. Atq; hæc de prima defectione & reconciliatione Prussorum dicta sufficiant.

Addunt nonnulli hujus defectionis alias duas causas urgentes & adjuvantes ad defectionem præter Crucigerorum aggravationes. Et primùm, quòd maligni Dæmones, animadvertentes Prussos à se & suo

cultu desciscere, pro succubis se viris, pro incubis mulieribus, præberent: & quidem communissimè & apertissimè, ita ut vir uxorem, hæc rursus virum adulterij accusarent. Deindè puerperæ Prussorum maximis doloribus afficiebantur, & infantes progenitos more porcarum dentibus dilacerabant. Quorum malorum originem cùm ex responso Crivi intellexissent esse, quòd veteribus relictis, novum Deum permisissent recipere & colere: novo jurejurando ad quercum de ejiciendis Crucigeris & Christi nomine, sese obstringere non sunt veriti.

Hoc ipso anno, 1249. post centum tandem & septuaginta annos ad instantiam Prandotæ Episcopi Cracoviensis, Boleslai itidem Ducis Poloniæ, ac Ringæ Ducissæ, Innocentius IV. Pontifex Max. Assisij ubi tum erat, S. Stanislaum Martyrem & Episcopum Cracoviensem de sangvine Prussorum in Sanctorum numerum retulit. Contigit ipso tempore Canonisationis in templo S. Francisci, ut mortuus adolescens à matre in ipsum deduceretur. Pontifex tunc ad Deum supplex precatur, ut novo miraculo Sanctum suum confirmet: Nec mora, erigit se subitò adolescens vivus, & matri redditur. Pace composita inter Crucigeros ex una, & Suentopelcum & Prussos ex altera partibus: abhinc se in Pomerania continebat Prussis valere jussis Suentopelcus. Prussi quoq; debitam obedientiam præstabant Crucigeris. Hi verò arces per bella destructas hactenus reficiebant vel novas ædificabant in ea cogitatione defixi, qua ratione reliquam Prussiæ partem domarent, & ad fidei Catholicæ veritatem reducerent. Ad quod ultimum opus perficiendum necessarij erant Episcopi ac alij Sacerdotes. Ab Alexandro verò summo Pontifice in mandatis habebant Crucigeri, ut tertiam partem terræ (de quo supra quoq; mentionem feci) quam tunc bello superassent pro Episcopatu Varmiensi elocando darent. Idcircò etiam eam adeò libenter dederunt, ut *optionem obtulerint Anselmo primo Episcopo Varmiensi*, jam anteà constituto, eligendi portionem terræ acquisitæ, quam vellet. Qui habita deliberatione, medium locum, hunc nimirum Episcopatum, ut haberet circum se undiq; Ordinem pro defensione, elegit. Atq; hunc primo anno Episcopatus sui, qui fuit annus millesimus, ducentessimus quinquagesimus primus, sexto Calend. Januar. Indictione nona certis quidem limitibus, sed breuiter admodum, à Crucigerorum terris descripsit, distinxit, nominavitq;. Habet verò dictus Episcopatus partem aliquam ex Hockerlandia: alteram ex Varmia: tertiam ex Galindia: quartam ex Bartelandia. *Erat Anselmus ex Ordine Hospitalis* Sanctæ Mariæ Jerosolymitanæ. Hæc copiæ fundationis Episcopatûs Varmiensis, quæ in Collegio Guttstadiensi habentur, docent. Habuit Anselmus unam marcam puri arigenti pro annuo censu ex Crausmola districtus Guttstadiensis.

Anselmus 1. Episcopus Varm.

Anselmus quis fuerit.

Intereà etiam Crucigeri Liuonienses non dormierant à prima sua introductione per quatuordecim annos. Nam Lituaniam non solùm inuaserant, sed etiam Principem ejus Mindacum bello fatigarant. Qui anno 1252. (quo iterùm quinto igne Oliua Monasterium perijt, succensum à Crucigeris) Religioni Christianæ initiari cum suis assensus est: & Samagitiam quæ post Chronum siue Nemenem fluvium sita est: Veisensem, Curoniensem & Jasygum siue Pollesensem tractus donaturum se esse Crucigeris promiserat, ut iminenti ab ipsis exitio sese eriperet. Quorum opera Regium etiam nomen adeptus est ab Innocentio summo Pontifice, & à Rigensi Archiepiscopo, atq; Culmensi Episcopo solenni ritu diademate cinctus. Verùm non multò pòst sta-

bilitis

bilitis rebus suis neq; Crucigeris promissa præstitit & religionem abjecit: & ex finitimis Christianorum Regionibus prædas agebat: Ducissa Martha in fide Catholica perseuerante. Ac sic quidem Lituani à Liuoniensibus Crucigeris lacessiti, viciſſim Prussiam prædationibus, incendijs & deuastationibus complere jam ante hæc tempora satis immaniter cæperunt. Duraruntq; mutua bella & damna utrinq; data inter Liuones & Prussienses Crucigeros usq; ad annum Domini, 1402. quando Jagello Rex Poloniæ cum Crucigeris Prussiensibus bellum composuit, & Lituanos in pacificationis literis comprehendit. Propositum meum verò est solum illustriora bella, quæ Prussienses Crucigeri cum Lituanis & Samagitis gessêre, oratione suo loco persequi: de religione & moribus etiam utriusq; gentis, id est, Lituaniæ Samagitarum aliquid dicturus.

Eodem anno 1252. die 20. mens. Aug. mortuus est Magister Conradus Turingus, vir verè probus & pius. Cum necdum nomen Ordini Teutonico dedisset, accidit ipsum irasci ciuibus suis Fricelensibus ob occisum illic à Juvenibus impudentem Præfectum: ac eos obsidione cingere, atq; demùm cum deuictis inclementiùs agere. Nam in ciues uniuersos tàm innocuos quàm reos facti, gladio animaduerti jussit. *Pœnitentia Conradi Turingi.* Sed pœnituit eum commissi facinoris magnoperè, ita ut non detrectauerit, ejus causa publicam in Ecclesia pœnitentiam peragere: Theodosium Imperatorem justo magis offensum ciuibus, pœnitentem secutus. Flectebat verò Conradus optimus Princeps nudus ceruicibus ante fores templi Parochialis, penes se virgas jacentes habens. Proclamatum quoq; fuit, ut quæ mulier pœnas in ultionem viri amissi à Principe sumere vellet, eum virgis cæderet pro beneplacito, nec ejus causa quicquam reformidaret. Nulla tamen id aggressa est, præter anum quandam, cujus filia marito fuisset orba, ac ipsa quoq; mortua, tres filios insolentes ac immorigeros matri educandos reliquisset. Posthac omnem mouit lapidem Princeps, ut prouideret viduas maritis. Quin & mulieres impudicitiæ, ob questum, deditas, ad honestam *Pudicitia seruata* vitæ conuersationem, qua potuit arte, reuocare cura ei fuit. Cujus rei gratiâ vel unum ejus præclarum exemplum huc adscribam. Dum quadam die, cùm necdum ordinem suscepisset, in propylæo arcis suæ staret ac transire annis juvenculam fœminam videret: eam allocutus, undè fera hæc veniret interrogauit. Illa fassa veritatem respondit: Benè & rectè fera sum, & quidem siluestris & agrestis. Nam inter rubos (illic se istis temporibus prostituebant meretrices) latitaui integro die, prædam & pretium expectans, sed frustra. Tùm ille misera, inquit, deteriora certè pateris inferni merendi ergò quàm æterni regni. Vellesne, si tantum haberes, in posterùm honestè viuere? Illa amarè flens subjecit: Vellem, si vitæ honestæ traducendæ ratio superesset. Non aliundè enim nisi prostitutione corporis susten-tor. Nec mora, mandauit ei pius Princeps tantum dari, quantum pro dote sufficeret, attributa illi insuper domo. Potuit Conradus ex facie hominis colligere, cujus conscientiæ esset. Neminem qui alteri injuriam intulisset, in aula sua tolerauit: nec ebriosum, fornicarium & similes.

Ludouicus Rex Galliarum postquam se ex captiuitate Soldani Ægyptiaci redemisset, Ptolomaidam profectus, ex optima affectione animi erga hunc Magistrum, Ordinis sigillum quatuor aureis lilijs de suo stemmate, donatis ei insuper duobus millibus florenorum, ornauit. Sepultus est Conradus, apud S. Elisabetam Marpurgi in Hassia, ubi

Ordi-

Ordinis habitum susceperat. In defuncti locum successit Popo de Osterna sextus Magister Generalis eodem anno. Mortuus est quoq; Henricus Vida tertius Provincialis in cujus locum electus est anno, 1254. in quartum Prussiæ Provicialem, Gerardus ab Hirtzberg.

Heidnerus Episcopus Culmensis moritur. Eodem anno fatis cessit Heidnerus Episcopus Culmensis, ut scribitur, veneno sublatus. Ejus tempore Monachus quispiam Stetina oriundus in Monasterio Culmen dicto, cujus monachis pro Capitularibus utebatur, corvum alebat, quem Latinè, Græcè, & Hæbraicè loqui docuerat. Inuiserunt quandoq; Monachos hujus loci amici & cognati. Sed illi ab Abbate non tam cupidè accipiebantur & splendidè tractabantur, quemadmodum Monachi optabant & volebant. Nam tenacior is erat, ac providè pecunias in magis necessarios usus, nimirum, in ædificiorum restaurationem reseruabat, non in lautitias: ac ideò Monachi domestici nonnihil submurmurabant. Discedentes etiam hospites manè non magnoperè gratias egerunt. Ibat ipse quodam die Abbas comitatus quibusdam Crucigeris etiam hospitibus, visum, quid operarij circa propositum laborem effecissent operæpretij, ac fortuitò in corvum incidit eumq; quid cogitaret Latinè interrogauit. *Coruus loquens.* Respondit corvus: Annos æternos cum tuo interitu. Quod cùm audisset Abbas, perterritus dixit: eum non corvum sed Diabolum esse, jussitq; illum occidi. Monachus qui suam occupationem & recreationem cum corvo habuerat, plurimùm dolebat, ablatam à se esse animi voluptatem: cumq; is ipse Monachus quoq; ægrè tulisset *Abbas Columensis occiditur.* vilem illam tractationem hospitum, ac super eam murmurasset, putabat Abbatem murmuris hujus vindictæ causa (Nam.

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.)

ac in vilipendium sui jussisse dari internetioni corvum. Ibat igitur animum hinc inde versans. Ibat etiam fortè Abbas ad Vesperas: quam occasionem accipiens Monachus, postquàm eum paucis verbis contumeliosius excepisset, cultrò perfodit: Ipsâ horâ expirauit Abbas. Qua re motus Episcopus Heidenricus, & reum perpetuo carceri adjudicauit, & dimissis hinc inde Monachis, monasterium diruit: ex quo Cathedralem Ecclesiam Culmseensem ædificare cœpit, & ad eam Ca- *Ecclesia Culmseensis ædificatur.* nonicos Clodauiâ vocatos, collocauit.

Cum Ordo pacem à Prussis consecutus esset, repetijt Heidenricus à Magistro bona Ecclesiæ suæ, quæ Ordo prædecessori Episcopo Christiano subripuerat. Respondit Magister: curaret Episcopus stipem mendicantium, & non exposceret cum Principibus. Proprium esse talibus portionum comestoribus, cùm ad Prælaturas deuenissent, demùm jure experiri cum Principibus, ut nomen & famam acquirant. Appellauit Episcopus Romam, & sententiam contra Magistrum obtinuit: sed nuncius cum literis in Vistula perijt. Sepelitur Episcopus Culmæ, quæ Vistulæ inundatione posteà interijt. Accepit Heidenricus successorem Fridericum ex Crucigerorum Ordine. Restabant quinq; ditiones Prussiæ, quas nondum potestati suæ Crucigeri subdiderant: Sambia, Nadrauia, Schalauonia, Galindia & Sudauia. Aduenientibus ergò anno, 1255. Otocaro Duce Boëmorum (necdum enim Diadema Regium susceperat) Marchionibus Brandeburgensi & Morauiæ, Duce Austriæ: Pragensi, Olomucensi rursus & Ermiliensi, qui fortè Varmiensis fuit, quem etiam Teutones à Ditione Ermelandensem vocant, Episcopis, cum magnis copijs, magnaq; item multitudine Crucis militiam professa aucti viris & animis, vicissim Prussis bellum inferunt: ut injuriam ab illis acceptam vindicent, &

ipsos

ipsos Crucigeri, & in primis JESU Christi fidei subijciant. Sambiam proinde primùm aggressi, ferro & igni hoste nullibi apparente, devastant. Quibus malis adacti Sambienses siue Samenses in potestatem Crucigerorum venêre, & religionem Christianam suscepêre. Et quidem primus Episcopus Sambiensis, ut supra dictum est, statutus fuit Henricus Moravus Brinnensis, & ibidem ad S. Petrum in Monasterio Canonicus. Ob eloquentiam ab Ottocaro in honore habitus, qui eo in multis legationibus usus fuit, ac multis vicissim beneficijs ecclesiasticis affectus. Quæ tamen ille, visione monitus, reliquit, ac cum Ottocaro in Prussiam veniens, Toruniæ consecratus, Episcopatum Sambiensem suscepit. Munitionem Fischausum ad Habum lacum ædificauit, ubi decrepitus obijt ac Regiomonti in Ecclesia S. Nicolai sepelitur. Progressi ulteriùs, etiam Ryckojot in Nactangia expugnarunt ac quercum cum Idolis exusserunt: ac Mangolum Crivum, erat vigesimus quartus in Ordine, in frusta conciderunt. Et ne facilè Sambij deficerent, duas ibi arces Crucigeri cum socijs condidêre, præsidijsq; firmauêre. Quarum altera ad Prægolam fluvium & sinum maris Balthei sita, Königsberga, lingua Germanica, quasi Regiusmons: altera Brunsberga, postmodum & Braunsberga dicta, quæ aliquamdiu posteà, fuit sedes Episcopi Varmiensis, appellata est. Hæc quidem ob honorem & memoriam Brunonis Episcopi Olomucensis, in hoc bello præsentis: illa verò Ottocari Ducis Boëmorum. Dictus erat hic locus Prussis Tuangste à silua adjacente. Hujus arcis Commendator primus fuit Burcardus Hornhausen.

Sambienses fidem suscipiunt. Episcopus Sambiensis primus. Fischausum ædificatum. Regiomontum ædificatum. Brunsberga.

His diebus Suentopelcus quietis impatiens, cum Præmislo nepote suo novum excitauit bellum. Nam misso clàm cum expedita manu Filio, quem obsidem pace facta à Crucigeris receperat, Naclum arcem Præmisli conscio, & adjuuante uno de custodibus, pecuniâ corrupto, noctu iterum intercepit. Videns autem Suentopelcus omnes suos conatus in irritum recidere, difficulterq; se Naclum retinere posse, ad pacem cum Præmislo faciendam inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea Popone Magistro, qui Suentopelcum & Præmislum materno sanguine attingebat, interueniente coaluit. Conuentu enim apud Xinam acto Suentopelcus per sententiam Poponis ex compresso latam, uti hujus etiam supra memini, Præmislo Naclum reddidit.

Anno, 1256. eligitur in quintum Provincialem Hartmanus à Grunbach. Jasco F. Dominicanus moritur anno Christi, 1257. Hic monasterium Gedani, quod F. Benedicto commendauit, ædificarat; Fuit verò Hartmanus homo auarus & bilosus. Duos enim Crucigeros, eò quod colloquium cum Sambiensibus se inscio miscuissent, proditionis suspectos, in foro Elbingensi exussit: primusq; fuit, qui domestico Regionis panno fratres vestiuit, & diebus piscium *vescentibus Salpas edendas* apposuit: quod in *usu Ordinis* hactenus non erat. Depositus ab officio ob cædem commissam, cum omnibus qui in id facinus consenserant, grauem pœnitentiam egit. Quod accidit, anno Christi, 1259. quo electus est in sextum Provincialem Henricus siue Helmericus à Reichenberg.

Hartmannus à Grunbach depositus ab Officio.

Rebus utcunq; in Prussia in pace constitutis, Anselmus Episcopus Varmiensis cultum diuinum magis ac magis cœpit promouere. Nam cùm antè annum Christi, 1260. notabiliter auctæ essent studio summi Pontificis Ecclesiæ Parochiales, eodem anno evexit matricem Ecclesiam ad titulum S. Andreæ Apostoli in ciuitate Brunsberg, creatis quatuor Prælatis & Canonicis sedecim: ê cujus gremio aliæ

Ecclesia Parochialis Brunsbergæ erecta An: 1260.

Eccle-

Ecclesiæ Ecclesiastica Sacramenta, censuram, doctrinam & quæ alia ad salutem animarum pertinent, accipere possent: ut literæ Collegij Guttstadiensis latiùs docent. *Defectio à fide.*

Dum autem sic incumbunt Crucigeri restantibus Prussis subjugandis, & Episcopus Varmiensis Ecclesijs ædificandis, atque pietati Christianæ promouendæ: ecce inopinato omnes illæ Regiones, quas Crucigeri sub obedientiam tantis laboribus duxerant, ab JESU Christi & illorum fide, atq; cum ipsis nouiter domiti Sambienses, defecerunt. Nec breui defectores tempore, cum ijs quæ restabant territorijs, reduci & subjugari potuerunt plenè, nisi post triginta tres annos, scilicet pro anno Christi 1295. intra quos Prussi, præter primam defectionem descriptam superiùs, adhuc quater apostatarunt. Quod quidem inquam malum tolerabile Crucigeris fuisset, nisi quoque Lituani quibusdam alijs Barbaris conjuncti, crebris incursionibus, ac etiam Mesciugus Suentopelci filius, eos uno eodemque tempore lacessissent, à quibus omnibus illi se defendere debebant. Nam hoc ipso anno Mindacus Lituanorum Princeps (de alijs posteà) postquam cum Prussis, Jazuingis & Samogitis Masouiam depopulatus esset, *etiam Prussiam*, quæ Crucigeris reliqua erat, vastauit: ipsis tantummodò arcibus se tuentibus. Nam cùm Liuonienses Crucigeri Samagitiam, quæ Lituaniæ parebat, armis infestarent: ut vindicarent se Lituani, vicissim Prussiam armis & incendijs vexarunt. Rebellarunt verò Sambienses recenter domiti, non tàm spontè, quàm à Nadrauijs, Schalauonijs, & Sudinis afflicti & coacti. Nam dolebant hi Sambiam, quæ sibi plurimùm incommodare posset si ab illis alienata: & commodare valdè, si conjuncta permaneret: iccircò afflictam ad societatem suam reduxerunt. Nec deerant Sambij opinioni de se conceptæ. Nam mox oppidulum vetus Regiomontanum, quod in Steintam substructum fuit, ubi modò Ecclesia S. Nicolai conspicitur, occisis omnibus Christianis direptum incenderunt, Butzone quodam Duce usi atque Stephanum Deck aduocatum peremerunt. Et ne rursus à Crucigeris facilè opprimerentur Sambienses, ædificauerunt dicti Nadravienses, Sudini & Schalauonij arcem Velauiam, præfecto eidem Capitaneo Tirskone Prusso nobili. Sumpserant animum Prussi excutiendi jugi Crucigerici, quod hoc eodem anno Crucigeri Prussienses cum Liuoniensibus, die sanctæ Margarithæ celebri, in Curonensi tractu insigni clade, amissis solis Ordinis viris centum quinquaginta, affecti fuerint. Vnde credebant Prussi Crucigeros debilitatos, sibi minus posse resistere. Acciderat verò clades memorata hac occasione: Irruperant scilicet Lituani in Curlandiam sublatis omnibus, quæ secum aufferre poterant, tàm ex hominibus quàm jumentis. Quæ ut recuperarent Crucigeri à Lituanis, utrinq; conuenerant, nempè ex Liuonia & Prussia. Rogabant itaq; Curlandi Crucigeros, ut, si DEO propitio vincerent, præda reliqua retenta, sibi uxores cum liberis gratis redderent. Sed auxiliari Crucigerorum taliter pacisci noluerunt. Quod ægerrimè Curlandi ferentes, habita cointelligentia, cùm Lituani à fronte Crucigeros adorirentur, ipsi eos à tergo aggressi, stragem Crucigerorum ediderunt. *Sambienses rebellant.* *Velavia ædificata*

Quòd verò ad Prussos attinet: omnium ultimò exacerbatiores reddidit hos ad rebellionem, duriùs, ut ipsis videbatur, in quosdam eorum statutum exemplum. Regebat Nactangiam Frater Ordinis quidam, aduocatûs officio fungens in arce Lenteburgensi: cujus area siue mons confertus terra non procul à loco ubi Brandeburgenses

justiti-

justitiam ultimam exercent, adhuc conspicitur, Volradus Wunderlich, à mirabilibus conceptibus mentis quos habuit, vocatus. Apud hunc deferebantur defectionis instantis sui Prussi & quòd vitæ ejus insidias struerent. At ille non est sibi hoc passus persuaderi, nisi aliquod rei experimentum ipsemet caperet. Erat verò inuentum ejus tale. Nobiles viciniores ex Nactangia & Erminia ad conuiuium vocat, humaniter & largè obsonijs, potuq; usq; ad tenebras & crapulam tractat. Illi (namq; ebrietas pauca dissimulare nouit) ut sibi videbatur, putabant jam se benè gerendæ rei occasionem nactos scelusq; pridem in aduocatum conceptum explendi. Inuertunt itaq; candelabrum cum lumine & unanimiter gladios in Præfectum compotatorem exerunt. Munierat se ipse, hoc sibi futurum præsagiens, sub veste lorica. Tumultu sedato subitòq; illata luce, ostendit eis vestem multis locis conscissam, interrogauitq; eos: quidnam is, qui tale in benefactorem suum designasset, meruerit? Subjecerunt illi, igni exuri debere. Dimisit eos tamen sine ullo indicio ultionis aut indignationis. Alia iterum vice invitat hospites plures, similiterq; eos per omnia tentauit: illi vicissim eum aggressi erant: & cum ijdem judicium ignis in reos pronunciassent ut antea: fenestris & januis fortiter clausis, exussit omnes cum domo. Quinquaginta nobilissimorum Prussorum exustorum fuisse referuntur. Exindè igitur atrocius & apertius in Christianos sæuiebant Prussi. Sambienses, capti Sacerdotis, qui eis Sacramenta administrabat, caput inter duos asseres compresserunt: deindè guttur, donec spiritum exhalasset, dicterijs in eum usi. Inter alia dicebant: minimè licere sibi sanguinem justi profundere. Vt verò rebelles conceptam rem rectè instituerent & ordinarent, elegit quælibet regio Ducem belli. Et quidem Sambienses egregium quendam Glandem, aliàs Richardum, Nactangi, Hircomontum, aliàs Henricum, Erminij, Glappen, aliàs Carolum, Pogesani, Antinen, Bartheni, Diuanum, aliàs Ottonem, Pomesani, Auctomen siue Linconem, aliàs Nicolaum dictos: Scumandum Sudauij, Schalauonij Segenotum. Erant isti ferè omnes apostatæ: quos Crucigeri ex Prussis baptisatis in Germania suis impensis scientiæ bellicæ causâ sustentarant. Hi itaq; habito inter se consilio, constituerunt (ut quondam Suentopelcus cum Prussis) diem certum qui erat S. Matthæo Apostolo sacer, quo simul contra Christianos ac Crucigeros armati procederent, illorum præsidia trucidarent, arces, oppidaq; euerterent: pagos deprædarentur & incenderent, & nihil non hostilitatis in res Christianorum admitterent. Futurum, modò se viros præstent, ut in antiquam libertatem restituti, veteres DEOS colant, & eorum cæremonias peragant, atq; juxta patrias consuetudines, quibus nihil dulcius, deinceps viuant. Et hi quidem perfecerunt quæ constituerant, non sine fælici successu suo, cum maximo verò damno Christianorum. Inter alias ciuitates obsidebatur Brunsberga Auctome & Glappone Ducibus, illo ipso anno secundæ istius apostasiæ, qui eam & arcem octo dies machinis attrociter verberarunt, ciuibus oppidum & arcem egregiè defendentibus. Ad astum deinde Prussi conuersi obsidione relicta in sylvis in insidijs latitabant. Cùm itaq; ciues rati hostes discessisse, ex suis pabulatum lignatumq; misissent quadraginta viros: illi ex insidijs erumpunt, & omnes interceptos interimunt. Cum itaq; qui in præsidio remanserant propter enecatorum defectum se non putarent contra tantam barbarorum multitudinem defendere posse ciuitatem, ipsa & arce incensis, cum Episcopo Anselmo & cum clero ejus clàm noctu

Rebellio Prussorum.

Brunsberga oppugnatur.

noctu Elbingam abiuerunt. In itinere, Elbingâ venientes obuij facti sunt eis sexaginta viri ab Ordine, obsessis Brunsbergensibus in auxilium submissi: verùm audientes isti ex illis, omnia ardere, Elbingam pariter abiuerunt. Cæterùm parum gratus Elbingensibus hospes Episcopus aduenit, partim ob metum terroremq; Barbarorum, ne Episcopum in ciuitate fortè quærerent: partim quòd cùm hostes proximis diebus superioribus Elbingam itidem obsidione premerent, Episcopus, nulla illis petentibus præsidia mittere voluerit: non admissus, in suburbijs aliquot diebus manere coactus fuit. Non multò pòst supra nominati barbarorum duces cum uniuerso exercitu superuenerunt, & Elbingam obsederunt: cumq; obsidio diutiùs protraheretur, & commeatus subindè deficeret, Crucigeri cum ciuibus acie benè instructa in Prussos incursionem fecerunt. Ad quos antequam, pervenissent, primæ hostium cohortes miraculo quodam prostratæ ceciderunt: reliqui in fugam versi à Christianis insequentibus partìm cæsi, partim capti cum opima præda in ciuitatem abducti fuêre. Quæsitum è captiuis, quid causæ fuerit quòd antequam ad conflictum cum Christianis deuenerint, Barbari tanta clade affecti fuerint: responsum fuit, delapsos aliquot viros è cœlo pallijs albis indutos & cruce nigra signatos visos fuisse, qui igneis gladijs hostes conficiebant & trucidabant. Multi opinati sunt, quod Episcopus Anselmus, cum suo Clero, ardentissimis precibus, quas & priuatim & in publicis supplicationibus in obsidione effundebat, mirabilem hanc & insignem victoriam à DEO impetrauerit. Barbari eodem anno Quizinum profecti, paucos se ostenderunt, positis alijs in insidijs. Oppidani videntes exiguum hostium numerum, cum ijs qui in arce erant, in illos irruerunt, & partim eos cæciderunt, partim remotius à ciuitate repulerunt: cùm illi ex insidijs, reuertentibus aditum oppidi intercludunt, & ferè omnes occidunt, & ciuitatem capiunt ac spoliatam incendunt, paucis ciuibus cædem effugientibus qui se in arcem receperant. Id oppido & oppidanis secundò etiam pòstquam restauratum fuit, contigit.

Elbinga obsidetur

Prussi miraculosè cæsi.

Quizinenses cæsi.

Anno eodem, 1260. mortua est Culmseæ Jutta liberi Baronis Caroli de Sangerhausen ex Turingia conjunx pijssima, ætatis suæ anno octogesimo primo. Genuerat viro suo tres filios, inter quos erat primus dictus Hanno, Magistrum qui matrem dum esset commendator Altenhausensis, deduxit in Prussiam, eò quòd bello Turingia vexaretur. Alter Episcopus factus est. Tertius in paternis bonis remansit. Hos illa laudatissimè educauit, maximè verò in orationibus ad DEUM exercuit, Cum enim illi aliquid peterent, istud ab ea facilè obtinebant, si ex ejus præscriptione tantum & tantum orarent: cum quibus & & ipsa orabat ad DEUM. Habitabat in Collegio Culmseensi cum quatuor virginibus: quibus Episcopus Henricus ex bonis Ecclesiæ, qui & ipse Turingus fuit, & vitæ sanctissimæ, de necessarijs vitæ providit. Cum nesciret literas, eas intra horæ spatium Angelo docente didicit. Petebat ipsa à DEO, ut in hac vita despiceretur ac contemneretur, & in futura exaltaretur. Obtinuit à DEO quod postulabat. Et id quidem ei contigit à suo proprio gynæceo, quod eam mirum in modum despectui habuit per triennium. Neq; hìc malum desijt: nam à Crucigeris quoq; (omnes enim qui piè volunt in hoc mundo viuere, persecutionem patiuntur) ei crimen pessimum objciebatur, quod ut à se remoueret, in signum innocentiæ, tripodem candentem detulit sine ulla sui adustione & læsione. Pauperibus in hospitali ab officio fuit. Cum aliquando contemplationi dedita esset, à terra per

S. Jutta.

Innocentia defensa.

Angelos sursum eleuata fuit. Curam etiam habebat cujusdam infirmi & impatientis Sacedotis, ad quem cum de nocte cum gynæceo accederet, lumine quodam deducebatur. Instante morte ad Ecclesiam se deportare curauit: ubi Missam de Passione Domini Henrico legente in ejus fine mortua est, & cum cantico Angelorum ad cœlum deducta. Eam honorificè Henricus Episcopus sepeliuit. Ad cujus Matronæ intercessionem DEUS multa miracula operatus est.

Nec concedebatur præ furore gentilium, tempus Crucigeris suas vires recolligendi, donec percrebescente tali rumore in Germania, Principes ejusdem justo dolore & commiseratione commoti in Prussiam non contemnendas copias sub regimine Schyncolij de Bucheim Vestphali & Baronis à Reden, anno Christi, 1261. mitterent. Venit etiam in Prussiam cum insigni comitatu ad eadem castra, comes Bergensis. Quibus Crucigeri suas copias conjungebant: eratq; ipsis quasi de nouo contra Prussos certamen. Hi igitur Duces cum exercitibus suis primùm Nactangiam, fugientibus incolis, cædibus & flamma compleuerunt. Dum verò consultant in castris non procul indè, ubi nunc Brandeburgum conspicuum est, quid ipsis porrò faciendum sit, & qua arte Sambienses quoq;, qui vix deuicti rebellassent, aggrederentur: jamq; altera pars copiarum contra ipsos progrederetur: ecce Nactangi, qui paulò ante fugâ se in loca inuia absconderant, resumpto animo obuios Christianos aggressi, & nihil de hoste vicino cogitantes, cædunt. Cecidit ibi Comes Redensis ejusq; supremus cohortis Præfectus Schincolius. Hic fortissimè pugnans jam semel cuneum Prussorum perfregerat integrum; sed dum redit, in media acie equo ex confossione cadente, & ipse confossus obijt. Obtenta victoria Prussi pro consuetudine sua ex præda hominum sacrificium Dijs offerre voluerunt. Ad quod ex tribus selectissimis captiuis, sorte Hertzhalsium Ciuem Magdeburgensem elicuerunt. Sed admonuit is Ducem Hercomontum, ut memor beneficiorum à se perceptorum, ab immani interitu eriperet. Quod ille & hac & altera vicibus haud illibenter fecit. Sed dum tertiùm sors in eum caderet, spontè sua Hertzhalsius cruciatum & mortem subijt. Vivum igitur Prussi viuo, & ad quatuor palos à pedibus alligato equo imposuerunt, materiaq; facilè ignem concipiente asportata, utrumq; equum scilicet & insessorem exusserunt. Sed & altera pars exercitus Christianorum, quæ in castris remanserat, infæliciter contra Sambienses pugnauit. Ab his enim protrita tandem est, postquàm cum ijs per totum diem ferro decertasset. Qui ex his duobus prælijs de Christianorum exercitu supererant, Regiomontum se in tutum receperunt. Anno sequenti, qui fuit, 1262. moritur in senectute bona Anselmus primus Episcopus Varmiensis Elbingæ. Inter egregia facinora, quæ optimus hic Episcopus in plantanda Christiana Religione designauit, illud non postremum fuit, quòd idololatriam cum insigni turpitudine conjunctam, quam Prussi DEO Gurconi exhibebant penitus profligaverit & exterminaverit. Nam in eo loco ubi Heiligebeila sita est, ut supra dictum, huic Idolo vel maximè diuinos honores exhibebant Prussi, & quotannis mense Augusto primitias eidem offerebant & adolebant, locum Ligria vocantes, id est sacrum locum. Contra hoc Idolum & ejus sacrificia Anselmus multis & eruditis concionibus acriter invehebatur, quibus cùm nihil apud duræ ceruicis Prussos proficeret, & impiam hanc superstitionem in sua diœcesi tolerare non posset, (nam ad Prægollam fluvium ejus Jurisdictio extendebatur) præcepit ad extre-

Anselmus Episc. moritur.

Quercûs excisio.

extremum, ut quercus illa excinderetur. Cumq; ad rem deuentum esset, & quidam arbori securim admouisset, illa repercussa conuerso ictu ferientem grauiter in pede vulnerauit, & in terram illicò prostrauit. Vndè Christiani territi, arborem attingere ausi non sunt: infideles autem ista cum incredibili gaudio & voluptate spectabant. Quæ res cùm Episcopum vehementer affligeret, plenus spiritu & diuini honoris zelo processit eò ipsemet, & accepta securi, ingens foramen in quercu effecit. Cæteri autem Christiani, eo jubente, ignem subijcientes eam totam exusserunt, & idolum ad nihilum redegerunt. Prussi, cùm securis illa diligenter conquisita ad manus illorum peruenisset, eam in eo loco, ubi nunc Heiligebeila oppidum situm est, ab illaq; nomen retinet, pro insignibus reliquiis venerati inter sacra adseruabant. *Mortuus Episcopus* sepelitur honorificè Elbingæ in arce in Capella S. Annæ. Scripsit quispiam encomia Episcoporum Varmiensium versibus breuibus. Vitam verò Anselmi hisce comprehendit.

Primus eram Prußis Anselmus Præsul in oris.
Quo didicit sanctam Varmia tota fidem.
Brunsbergæq; meæ jeci fundamina Sedis.
Contegit Elbingum nunc mea membra solum.

Toto triennio vnà cum suis Canonicis septem, nullos alios redditus habuit, præterquàm eos quos supra posui. Secutus est eum in Episcopatu Henricus Decanus Brunsbergensis à Capitulo electus.

Henricus II. Episcopus Varmiensis dictus Braunsbergensis à mansione.

Paulò pòst altera clades præter illas duas enumeratas Christianis in Prussia accidit. Nam Hircomontus ingressus Culmensem tractum eum longè latèq; vastauit. Helmericus Provincialis adortus est eum non procul Lubauiâ. Post acre prælium fugiebant Nactangi. Cùm verò Dux eorum dictus ad collem ascenderet visurus quidnam Christiani rerum agerent, animaduerteretq; illos sine Ordine progredi, & circa prædam occupari, redijt cum fugitiuis suis, & Helmericum inuasum cum Theodorico Marsalco, & quadraginta Fratribus Ordinis atq; alijs plurimis Christianis occidit. Successit Helmerico in officio Prouincialis Ludouicus Baldersheim. Sambienses Regiomontanam arcem obsederant. Plurimùm ibi angustiabantur Christiani: qui vicissim erumpebant & hostium substructiones exurebant. Eruptione quadam facta, cùm retunderentur ab hoste ad arcem, Frater aliquis tensum arcum cum sagitta in terra reliquerat. Mirabantur Sambienses qui eum repererant, quid rei esset? Arcum enim talem hactenus non viderant Dum verò alter illorum alteri eum ad collum appendit: alter contrectando clausuram aperit, dimissa sagitta os ac nares sustinentis arcum abripuit. Timebant proindè Sambienses dolos Fratrum, sed obsidionem tamen continuarunt: quibus obsessis iam nihil pro victu supererat, nisi paucæ equinæ carnes: nihilominus durantem obsidionem pertulerunt. Obsidebatur etiam Fischausensis arx à Rinois quos modò vocamus Gumæos. Dormiebat tum temporis sub meridie Christianus Episcopus II. Sambiensis cum omnibus. Portula etiam arcis non firmiùs vno obice, qui corrigia attrahebatur, clausa erat; adhæc corrigia palàm propendebat, non tamen eam præ furia Prussi animadvertebant; imò visa est portulæ janua ipsis ferrea. Cùm etiam janitor euigilasset, & hostes adesse inclamasset: voce tali territi Prussi fugam inierunt, rati ingentem multitudinem ex præsidiarijs, cùm tamen paucissimi essent, se insequi. Portula

Fischausensis arx obsidetur.

tula illa clausa postea fuit, in rei memoriam. Mortuus est verò, sed quo anno nescitur Christianus Episcopus senio confectus, & Regiomonti apud prædecessorem suum Henricum sepultus. Interim Erminij Heilsbergensem munitionem triplici exercitu circumdederant. Qui in eius præsidio erant, consumptis, 250. equis, etiam coria eorum vltimò comederunt. Quodam tempore cum in hostes irruerent, visus est Angelus Dei pro Christianis dimicare, ac Prussos cæcitate percutere: ita vt passim omnes in fugam verterentur, multiq; in Allam fluuium delapsi demergerentur. Neq; tamen vel miraculo territi, ab obsidione discedebant. Cumq; sibi nullam spem salutis obsessi Christiani affulgere animadverterent, deserta arce, nocturnas vigilias hostium prætergressi, occultioribus semitis Elbingam fugâ se receperunt, obsides datos 12. erutis priùs oculis, domum ad suos remittentes. Ita ista munitio, quæ tùm rudis erat, in barbarorum manus deuenit. Similiter obsidebatur Cruciburgum ac aliæ arces à Barbaris. Mille trecenti Bartensium arcem Bartensteinum jam ab initio rebellionis huius circumuallarant, quam è contra 400, Christiani defendebant. Hic Prussi, aspectantibus obsessis, duos Fratres Crucigeros non extremos crudeli morte affecerunt. Hos vlturi vicissim Crucigeri; duo patibula ante munitionem ædificarunt, & eis triginta Prussos obsides appenderunt. Peragebant aliquando sua sacra Prussi durante hac obsidione, & cacabum cum carnibus coctis, fortè sacri hirci, de aggere in aggerem circa arcem confectum, cum tripudio circumferebant. Vbi id obsessi vidissent, nonnullos ex suis miserunt bacchantibus cacabum erepturos. Prussi fortiter his restiterunt. Ad pugnam ventum. Emissi adhuc ex arce ducenti in auxilium suorum, non solùm à Prussis benè potis carnes abstulerunt, sed etiam ex eis plurimos occiderunt, alijs in fugam conuersis. Sed Prussi sine mora ad obsidionem redierunt. Erat in arce ad Christi Iesu fidem conuersus Prussus Miligedus, raræ magnitudinis vir, & tantarum virium quarum esset dimidia pars Christianorum in arce existentium, vt æstimabant Prussi. Non multò diuersum ab hoc apud se quoq; Prussi habebant, Vangonem appellatum. Hic illum ad certamen singulare evocauit. Nec detractabat Miligedus pugnam, qui vtebatur fuste longo, cuius extremitas plumbo perfusa fuisset. Qui vel semel eò tactus esset, non erat illi necesse alium ictum expectare. Nec mora, fit pugna inter duos: præueniensq; Miligedus, Vangonis galeam & caput simul ictu vno perfregit. Alij viginti Prussi vno illo extincto, pugnam excepere cum Miligedo: quorum ille quindecim, vti fungos protriuit, alijs in fugam actis. Obsidebatur quoq; arx Resselienfis. Præsidium verò eius audiens obsessas esse munitiones Bartensteinum, Cruciburgum, ac Regiomontum, timensq; ne obsidio diuturnior fieret, arce incensa discessit.

Heilsberga obsidetur.

Bartensteinium obsidetur.

Resselienfis arx obsidetur.

Hic erat miserrimus status Christianorum in Prussia. Deus enim Opt. Max. suos videtur ad tempus derelinquere, vel vt probet illos: aut vt eorum peccata puniat: vel etiam ut eos in humilitate contineat. Quod potest doceri multis exemplis sacræ scripturæ, tum ijs quæ tam apud prophanos quàm sacros scriptores reperiuntur: vt qui contradicere velint, eum insigniter oporteat esse impudentem, aut certè atheum. Ex dictis causis potuerunt istæ aduersitates cùm Crucigeris, tùm alijs Christianis contigisse.

Circa verò hæc tempora, cùm ita Deo placeret, Christi fidelibus

in

in Pruſſia lætiora cœperunt illuceſcere, & Prutenis gentilibus aduerſa contingere. Venit enim comes Iuliacenſis & Marchio cum pluribus copijs in Pruſſiam auxilium oppreſſis laturi. Occiderunt hi coniunctis viribus cum Crucigeris, prælio commiſſo cum Pruſſis, apud Calgen non procul Regiomonto, tria millia die S. Vincentio ſacro. Vt verò faciliùs Sambienſes, Nactangi, Erminijq́ ac alij Pruſſi conuenire poſſent, pontem illi per Prægollam fluuium ſtrauerant, munitionibus ex utraq; ripa collocatis. Sed has & illum Chriſtiani qui Regiomonti in præſidio erant deſtruxerunt. Quamuis verò ex his victorijs non leuis præda proueniſſet, nihilominus magna adhuc ij, qui in præſidio Regiomonti erant detinebantur penuriâ victûs. Nam non ſolùm terrâ, ſed & aquâ annona importari nequibat, eò, quòd Sueimo Dominus Neringæ Habum occupaſſet, & oſtium Prægollæ fluuij, nauibus obſtruxiſſet. Repertum fuit tamen huic malo remedium. Venerat enim in Pruſſiam nauta Lubecenſis cum alijs hoſpitibus. Is prouinciam perdendarum nauium in ſe ſuſcepit. Fecit quoq́ ſatis promiſſioni ſuæ. Nam adſcitis ſibi linguam Pruſſam perfectè loquentibus, adijt Pruſſos noctu qui nauium curam habebant, ad oſtia Prægollæ. In quorum amicitiam cùm ipſe ſe cum alijs quaſi amicus inſinuaſſet, & iam nihil illi ſibi ab ipſo timerent, naues perforabat, de vna ad aliam tranſiens: quæ ſenſim ſubmergebantur. Sed poſt hæc Pruſſi actis catenis tranſuerſus Prægollam, inferri Regiomontum annonam prohibebant. Itaq́ ij in præſidio cum auxiliarijs qui nuper aduenerant de impreſſione in Barbaros agere cœperunt. Nam honeſtiùs eſſe putabant pugnando mori, quàm inediâ perire. Conſtituta illuxerat dies, cùm utrinq́ adoriuntur Pruſſos: propter multitudinem verò exercitûs Barbari, Chriſtiani vtrinq; retrocedere coacti ſunt prima vice: tùm iterum facto impetu, diuino affulgente Numine, cui non eſt differentia ſaluare in multis vel paucis, ſuperiores facti, quinq; millia hoſtium peremerunt, Regiomontum liberarunt ab obſidione, & quendam primatem de Neringa Neudebergum occiderunt. Perijt ibidem Sambienſium Dux Glando. Ædificarant deprædatores Sambiæ, de quibus ſupra dictum eſt, ſub anno, 1260. arcem Velauiam ad arcendas Crucigerorum irruptiones in Sambiam, præſidio impoſito, præfectoq; Capitaneo Tirſcone Pruſſo. Is tamen optimo vſus conſilio, ſe, filium Mundelam atq; arcem Crucigeris tradidit, Chriſtianam Religionem amplexus. Sciebat is Pruſſiæ vniuerſas vias & commoditates. Idcircò coniunctus Bucardo Commendatori Regiomontano, in ditionem Mœnſtorbium excurrit, munitionemq; Capoſte dictam ſuccendit ſicut & Oſcheliten, dedentibus ſe vltrò ex conſilio Tirſconis tribus alijs munitionibus, ſcilicet, Agneteta, Gatrapena, & Grudauia. Nondum tamen dabant manus Crucigeris Sambienſes, ſed reſtaurabant bellum. Duo Fratres de Nobilioribus viris regionis ſupererant. Vnus iſq; ſenior Vargullus: alter junior Nabula dicebatur. Ille diſſuadebat bellum: hic contra ſuadebat. Quem vltrò ſecuti Sambienſes, in prælio ad 7000. ſuorum amiſerunt. Prædixerat illis hanc cladem Alepius ſacrificulus: quamvis ipſi fidem non adhibuerint. Nam cùm eorum causâ plurimùm ſolicitus fuiſſet, & ratione euentus belli præſentis plurima ſacrificia Dæmonibus obtuliſſet: aliud reſponſi ab ijs non retulit, quàm inanem eſſe eius curam: Crucigeros tandem Pruſſiam obtenturos. Non ſurdis auribus hoc ipſe

Nauium perforatio.

Pruſſi cæſi.

Velauienſis arx tradita.

Alepius ſacrificulus conuertitur.

accepit. Nam repudiato officio quo fungebatur, atq; insuper gentilitatis superstitione relicta, ad Crucigeros secessionem fecit, baptismo salutari initiatus. Ipsi quoq; Sambienses fracti malis, cùm maximis viribus Ordini restitissent, & nihil lucri indè reportassent, tandem sese Crucigeris dedidêre: vitâ illorum etiam jam penitus cognitâ. Ablegauerant enim ejus rei causâ aliquot nuncios ex honoratioribus & senioribus suis Balgam ad Crucigeros. Qui eos humanissimè suscipientes, præsentibus etiam secretiora ostenderunt. Nimirum adhibebant illos ad communem mensam, dabantq; eis caules, lactucam cum nasturcio, quæ victualia apud Prussos veteres in usu non erant. Induxerunt eos quoq; ad dormitoria Oratoria, Capellam & armamentarium. His visis nuncij suis retulerunt: Fratres constare ex carne & sanguine, ut ipsos: sed differre ab illis in genere armorum & moribus. De nocte eos surgere, & laudes DEO suo persoluere, quod & interdiu facerent. Comedere gramen & herbas (lactucam innuebant) sicut equus: non esse possibile illos devictum iri. Naues deinde quas nauta Lubecensis prouidè in Prægolla demerserat, Crucigeri extrahi & refici curauerunt, refectisq; utebantur. Similiter & Catenas per Prægollam tensas sustulerunt. Occuparant paulò pòst Crucigeri sine aliqua molestia ditiones Maldauiam, Schacauiam, Quedenauiam, Vargam, Pobetenam, Dreuenauiam, & alias nonnullas. Territorium Bethina, ijs non leue negotium fecit: nam contumaces fortesq; & desperati viri eam incolebant, pagusq; quilibet ad 500. pugnatores, ut quidam volunt in prælium producere potuit. Conuenerant Prussienses Crucigeri cum Liuoniensibus de certa die illos pariter oppugnandi. Aderantq; die & loco constitutis Prussienses nusquam comparentibus Liuoniensibus. Cùm tamen ita necessitas postularet, inceperunt Prussienses pugnam cum Bethinensibus, non expectatis auxilijs Liuoniensibus. Jam Crucigeri pedem referre ad impetum barbarorum debuerant, cùm subitò ij ex Liuonia comparent, fortiterq; in hostes irruunt. Nemo verò ex Bethinensibus vitam deprecabatur, (ita obstinati erant, aut vincere aut mori) sed omnes ad unum fortissimè pugnando ceciderunt. Vxores eorum, filij filiæq; pro colonijs aliò deducti sunt. Ita quidem tota Sambia ad Ordinem redijt: quæ ne rursus deficeret, extruxerunt Crucigeri munitiones Tapiam & Lochstet.

Sambienses se subdunt. *Bethinenses cæsi.*

Circa hæc tempora F. Theodoricus Ruffus, arcis Christiburgensis Commendator, acceptis secum centum armatis ex peregrinis auxiliarijs, deprædatum ibat Pogesaniam. Dum redit occurrit ei ingens turba Pogesanorum. Non videbat modum euadendi eorum manus: turpèq; ratus fugam capere, eos animosè inuasit. Cæsi sunt plurimi ex hostibus Christiani nominis, alij fugati, alij deniq; capti. Qui retulerunt, ab ipsis visam esse pulcherrimam Virginem in aere, quæ manu gestasset candidum Crucigerorum vexillum. Hac visione perterritos, victoriam certam se amisisse. Collectis rursus copijs Diuanus Bartensium, & Linco Pogesanorum Duces, cum plurimo equitatu bona Crucigerorum circa Christiburgum & Marieburgum deuastarunt, peditatu ad Preusmarcum relicto. Interim quoq; congregabantur Copiæ Crucigerorum Christiburgi. Indèq; egressi peditatum Prussicum ad Preusmarcum dissiparunt: & quietis causâ ad Sirgunam fluuium resederunt: ubi ex altera parte Prussi denuò collecti sua castra

Pogesanorum cædes ope B. V.

colloca-

collocarant. Certò sciebant hi, si in crastinum diem dilaturi essent pugnam se victoriam amissuros. Itaq; procrastinatione remota, exercitum in tenebris per fluuium transmiserunt, dormientesq; Christianos ex omni parte adorti, ex Ordine duodecim Fratres, ex communi milite, 500. occiderunt, antequam ad defensionem Christiani deuenissent, quorum maxima pars ad oppidum Christiburgum profugit: quod Prussi oppugnatione deuictum incenderunt. Arci quoq; imminebant. Pauci verò ex Crucigeris, & forte tantùm tres, cum totidem militibus arcis custodiam agebant. Aderat his captivus Pomesanus Sirene dictus. Is cum videret Prussos versùs arcem festinare ruptis funibus quibus detinebatur, arreptisq; gladio & hasta pontem arcis, ut alter Cocles Romanus arcens hostem ab ingressu, occupauit, dum interim alij portas clauderent. Præsidio aucti cum tempore fame etiam periclitari cœperunt. Samiles Pomesanus Nobilis simulabat societatem cum Prussis, ex animo Crucigeris addictus. Hic ut amicitiam suam in hac eorum necessitate, contestaretur, obsessis victum clàm subministrauit. Quod ubi Prussi didicerunt Samilem igni assarunt, cùm subindè feruentem salem in os ipsius infunderent. Assatum obsessis transmiserunt cum mandato: si quis esuriat, ex hoc edulio comedere velit. Jam arx Cruciburgum in tertium annum qui erat, 1263. insultus frequentes Prussorum pertulerat: neq; parua damna illis præsidium reddiderat. Nunc jam cùm ne coria equorum comestorum quidem obsessis pro victu superessent, fugam noctu capessunt, accelerato malo suo. Nam Nactangi sentientes eam, fugientes insecuti, omnes ad internecionem dederunt, duobus saltem, qui euaserant manus eorum, saluis, qui erant nuncij tantæ cladis. Anno eodem occiditur Mindacus Princeps Lituaniæ à nepote Stroinato. Quem secutus est: in principatu Voisalcus: hunc iterum Vtenus: hunc Suintorossus hunc frater Troidenus. Quorum dominium durauit successiuè ad annum Christi 1279. hanc eorum successionem huc adscribere debui, propter bella quæ cum Crucigeris duxerunt, ac crudeliter Prussiam suis temporibus deuastarunt. Sub his Scumandus Sudinorum Dux cum suis ingressus Culmensem terram, Culmeseam frustra oppugnauit, & quidem cùm magno suorum incommodo. Nam ciues admoniti ab Episcopo, in quandam eorum cohortem minus benè necdum ad bellum dispositam irruerunt, partimq; eam occiderunt, partim in fugam verterunt. Ceperunt inter alios, Culmseenses, raræ magnitudinis virum, qui scilicet ab humeris super maximum quemq; eminebat. Hunc ut redimeret Scumandus, abitionem à Ciuitate promisit. Recepit eum & abijt, ulteriorem Regionem deprædans. Sed posteà messe veniente, aliæ Prussorum copiæ in insidijs in silua Vogelsango, decem diebus latuerunt: subindèq; admodum pauci palàm progressi se ciuibus videndos præbuerunt. Qua arte elicuerunt eosdem ex oppido. Nam hi rati hostes discessisse, ad messem turmatim prodierunt: quos ex insidijs adorti Prussi omnes abduxerunt, vacuumq; viris oppidum spoliarunt & incenderunt. In reditu Scumandus ex tractu Culmensi depopulatus est Clementiam siue Plementiam, Graudentum, Quizinum, Zantirum, & Culmam. Interea Lituani cum Nadrauiensibus & Sudauijs Velauiam arcem per octiduum machinis fortiter verberarunt. Comportauerant ligna & strami-

Christiburgum defensum.

Sirene defensor arcis.

Samiles assatus.

Scumandus Sudinorum Dux.

ſtramina, ut incenderent eam, ſed fruſtrà. Nam Tirsco præfectus è contra exſtinguebat cum præſidio ſuo incenſam materiam. Erat cum eo Tupadail arte ſagittandi peritus & inſignis. Is, ut videt Lituanorum Ducem in aduerſa ſubſtructione, ſtantis manum, quam in lignum depoſuerat, ad idem ſagitta affixit. Quo vulnere ſui Ducis Lituani deterriti, cum Pruſſis obſidionem ſoluerunt, & abiuerunt.

Hoc eodem anno reſignauit Popo Magiſtratum, ætate confectus. Succeſſit ei mox in officio ſeptimus Magiſter Hanno, alijs Anno, alijs etiam Joannes à Sangerhauſen ex prouinciali Liuoniæ.

Bartenſteinenſis arcis obſeſſio.

Agebatur annus quartus obſidionis arcis Bartenſteinenſis, ac ideò durior iſte alijs fuit: nec habebant quod amplius obſeſſi comederent. Nam etiam equos cum pellibus decoxerant. Deliberabant itaq; de arce deſerenda. Antequam ea tamen decederent, qua ſe tanto tempore tutati erant, ſtratagemate uſi ſunt. Continebant enim in tanto ſilentio ſeſe aliquamdiu, ut putauerint Pruſſi, illos arce jam exceſſiſſe, Volentibus verò Pruſſis munitionem deſertam occupare & propè venientibus, apertis oſtijs Chriſtiani occurrerunt: occiſisq; ſemper aliquot, redierunt. Hoc adeò ter perfecerunt. Tandem cùm ob defectum annonæ, eam arcem diutiùs defendere non poſſent, nec alicundè viderent opem aduenire, alij Regiomontum, alij Elbingam, iterum nouo inuento ſtratagemate, dilapſi ſunt. Nam reliquerunt illic fratrem cæcum, qui ad ſalutationem Angelicam, & horas Canonicas, ſtatis temporibus pulſaret. Quibus pulſationibus unicus ille Pruſſorum ſatis diu animos ſuſpenſos detinuit. Nam exiſtimabant illi Fratres, uti hactenus, præſentes eſſe, & ſibi denuò velle illudere. Sed cùm tandem eorum abſentiam vel deprehendiſſent certis ſignis, vel tentare voluiſſent, inuaſerunt illi arcem, repertumq; fratrem occiderunt. Obtinuerunt verò Barbari hanc munitionem usq; in annum Chriſti, 1273.

Vaſtata eſt quoq; hoc anno rurſus à Lituanis & Pruſſis Maſouia, Boleslao & Conrado Ducibus, munitiones tantùm defendentibus. Eodem etiam tempore, Caſimirus Cujauienſis & Lencicienſis Dux, Conradi Ducis Maſouiæ filius, obijt. Reliquit poſt ſe filios quinq;: Leſcum qui nigri cognomen accepit: Ziemomyslum, Caſimirum, Vladislaum Locticum. & alterum Ziemomyslum ex altero matrimonio. In diuiſione ditionum ejus obuenerat Ziemouito Filio Germano Leſci Dobrinenſis terra. Quam vel promiſſo tenus acceperant, & non reipſa obtinuerant Crucigeri: vel certè reddiderant Caſimiro poſt longas controuerſias, quas extitiſſe inter eos argumento ſunt arbitria & compromiſſa, quæ extant in àrchiuo Regio. Diploma quidem Caſimiri hujus, anno Chriſti. 1233. editum, Culmenſis tantummodò terræ conceſſionem à Conrado factam Crucigeris approbat. In his turbis Pruſſiæ Suentopelcus Pomeranorum citeriorum Dux, anno Chriſti, 1266. ætate decrepita, annorum ſcilicet 97. moritur, ſepeliturq; in Oliua. Reliquit Suentopelcus poſt ſe quatuor filios, Meſtuinum ſiue Mescijugum, Varcislaum, Samborium & Ratiborium. Quibus moriens præcepit, ut bello Crucigeris inferendo, quo ad poſſent, abſtinerent: inter ſe Concordes eſſent: Polonos verò Duces omni ratione & benevolentia ſibi deuincirent. Quorum illi præceptorum immemores, magnis ſe poſteà calamitatibus implicarunt.

Suentopelcus moritur.

Hoc

Hoc tempore habuit Ordo Teutonicus fortissimum virum Ulricum à Magdeburg. Potuit enim hic duos viros armatos duobus digitis per cingulum comprehensos eleuare. Huic erat demandata cura & protectio nauium opem Ordini per mare ferentium: nam lædebantur sæpè à Prussis. Cùm igitur officio suo diligenter attenderet, & Prussi adnauigarent cum sex nauibus, damnum auxiliarijs illaturi: Vlricus arrepto malo ex sua naue, hostium cymbas non solùm depulit, sed & submersit, cum quinquaginta hominibus. Anno eodem eligitur Theodoricus à Glattersleben in octavum Prouincialem: quo anno Prussi etiam Czechanouiam exusserunt. *Ulricus à Magdeburg fortis.*

Anno qui fuit à Christo nato, 1269. longa inter Plocensem & Culmensem Episcopos controuersia, arbitrio Episcopi Vladislauiensis & Magistri Crucigerorum sublata est, ita ut Culmensis pagum Orechovum, ac trecenta jugera inculti adhuc agri in territorio Lubauiensi daret Plocensi Episcopo, pro decimis & possessionibus, quas ille sibi in Culmensi Diœcesi, præter eas, quæ illi ipsi Ecclesiæ donata erant, vendicabat. Mesciugus autem imprimis, ut pater mortuus fuit, contra patris prohibitionem, usus occasione, qua Crucigeri cum Prussis & Lituanis bello detinebantur, immò adjunctis sibi Prussis rebellibus, deprædatus est terram Culmensem & Episcopatum Pomesaniensem. Insuper cùm Ordo quindecim naues secundo flumine cum annona & diuersis armis pro tutela sua juxta ac Christianorum, per Vistulam demitteret, & jam naues propè Novum deuenirent, aderant Mesciugi nomine ex utraq; parte fluminis, inde Nouienses, hinc Pomerelli nauigantesq; armis tentabant. Vndè illi omnia quæ deuehebant, ne in manus hostium deuenirent, in amnem deijcere necesse habebant. Sed hæc Mesciugi improbitas citò citius compressa fuit. Nam vicissim Ordo in ditionem Novumbergensem irruens, eam longè latèq; deuastauit: indè in Pomerelliam ingressus, eandem simili deprædatione afflixit. Quibus aduersitatibus perculsus Mesciugus, pacem à Crucigeris petijt & impetrauit. *Controuersia inter Plocensem & Culmensem Episcopos* *Mesciugus rebellat Crucigeris.*

Moritur anno eodem, 1269. Ernestus Pomesaniensis primus Episcopus, oriundus Turga, Doctor, Monachus Ordinis S. Dominici, unus ex quatuor, qui crucem aduersus Prussos in Germania prædicarunt. Ob quod eum Legatus Pontificius Guilelmus cum consensu Pontificis Ecclesia Pomesaniensi, in memoriam sanctæ Mariæ matris Christi & Joannis Euangelistæ fundata, prouidit. Ædificauit Quizinum, quod appellauit Marieuerderum. Vixit cum Capitularibus suis in communi de ijs bonis quæ sibi attributa erant. Salutaria statuta pro suæ Ecclesiæ Sacerdotibus condidit, quæ ante centum annos adhuc obseruabantur. Rexit commissam Ecclesiam vinginti quinq; annis. Successit ei Albertus. *Ernestus I. Pomesaniensis Episcopus moritur.*

Eodem anno venerunt, ad preces Magistri Hannonis, auxilio Ordini Dux Brunsuicensis, Landigrabius Turingus & Marchio Brandeburgensis: qui cum Ottocaro Duce Boëmiæ, jam anteà Prussiam, anno, 1255. inuiserat. Et quamuis, hi operam suam libenter Ordini contra Prussos modò locassent, tamen à continuis imbribus impediti, nihil laudabile præstiterunt, præter Marchionem qui Brandeburgum munitionem pro honore nominis sui, & utilitate Ordinis extruxit. Domum itaq; discesserunt, relicta aliqua parte exercitûs in Prussia. Sed paulò post cùm Commendator primus *Brandeburgum ædificatum & euersum.*

Brandebur-

Brandeburgensis Fridericus Holdenstet, expeditionem in Nactangiam fecisset, & absens Brandeburgo esset, à Prussa captiua muliere, quæ inde profugerat, Glappo Erminiorum Dux informatus venit, & munitionem dejecit antequam coronidem ei probè author imposuisset. Rediens Commendator ex Nactangia cum præda, eam Regiomontum propellere necesse habuit. Posthac firmiùs dicta munitio ædificata est: & quidem ut aliqui volunt ab eodem Duce Brandeburgensi.

Ad annum Domini, 1271. inter ipsos filios, quod pater Suentopelcus quoq; vetuerat, ciuile bellum, nempè inter Mesciugum & Varcislaum ortum est. In eo, cùm firmiores essent partes Mesciugi, Varcislaus è carcere fratris elapsus, Conradi Marchionis Brandeburgensis operam implorauit, justam remunerationem pollicitus. Accepit conditionem Conradus. Cùm autem pignoris loco Gedanum ei tradidisset Varcislaus, paucis diebus illis, in ipso apparatu belli mortem obijt. Repetit à Conrado Gedanum Mesciugus: negat ille se redditurum, ni sibi sumptus in bellum facti, quos permagno æstimabat, exoluantur. Magna tunc sanè erat potentia Marchionum, ut est etiamnum, ita ut longè imparem viribus se illis esse Mesciugus non ignoraret. Venit autem ipsi in mentem belli, quod Boleslaus Callisiensis cum ijsdem Marchionibus gerebat. Itaq; missa legatione, non difficulter impetrat à Boleslao, ut secum aduersùs communes hostes arma conjungat. Duxit ergò in Pomeraniam exercitum Boleslaus, & junctis cum Mesciugo copijs ad Gedanensem arcem admouit. Nam ea capta, nihil negotij futurum erat in potiundo oppido. Tentata deditione & pulsata machinis arce, nullo operæ pretio, nona deinde die, factis testudinibus ex asseribus, Poloni audaciùs succedunt sub ipsa mænia & propugnacula, præsertim cum defensores à sagittarijs eminus vulnerarentur. Et alij quidem conuellunt & rescindunt munitionem, utpotè ligneam: ignem alij subijciunt: alij scalis admotis mænia scandunt. Et quamuis supernè cum pice & aqua feruenti perfunderentur, tùm saxis & alijs telis obruerentur, tamen pertinaciùs urgentes oppugnationem: ad extremum cum hostibus tela deficerent, vi irrumpunt, & ira odioq; inflammati magnam cædem exercent in Saxonibus, & arce potiuntur. Nonnulli hostium in editiorem turrim euaserant: verùm ij quoq; cùm arcem à Polonis teneri conspicarentur, vitam tantùm pacti, projectis armis, sese dedidêre: qui compedibus vincti in seruitutem abducti sunt. Arce capta, mox oppidani deditionem fecêre. E quibus paucos quosdam qui impensius fauerant Saxonibus vita & bonis multauit Mesciugus: in quibus erant præcipui Arnoldus & Jacobus. De quorum bonis duos pagos Scrobetcum & Vitomivum, Vladislauiensi Episcopo donauit. Boleslaum verò honorificè habitum & remoneratum cum exercitu dimisit.

Gedanensis arx capitur.

Anno eodem cœperunt Crucigeri meliore fortuna uti, nouis Copijs ex Germania ipsis in auxilium venientibus. Venit autem Theodoricus Marchio Misnensis, qui recens se in Ordinem recenseri fecerat cum, 3000. cataphractorum. Impetrauerat præterea Magister à Principibus Germaniæ equitum duo millia. Comes de Reichstein & Theodoricus Gunterus nouiter Ordinem ingressi adfuerunt cum quingentis nobilibus equitibus. Aderat quoq; pars illa exercitûs in Prussia relicta. Profecti hi conjunctim in

Crucigerorum victoria.

Pomesa-

Pomeſaniam, ingentem quandam munitionem aggreſſi, occiſis duobus millibus Pruſſorum, ceperunt. Tres deindè victorias à Pruſſis obtinuerunt: unam penes Chriſtiburgum, alteram penes Brunsbergam, tertiam apud Brandeburgum, in quibus fuiſſe cæſa, viginti millia barbarorum, volunt. Sed & Lincus Pomeſanorum & Hircomontus Nactangorum Duces ſub his prælijs perierunt. Et quidem Hircomontus inuentus in ſiluis ſolus ſub ſcena, venationi ſocijs intentis, abductusq; propè viam in arbore ad contumeliam Nactangorum, ſuspenſus, proprio etiam gladio à Crucigeris transfixus interijt. Glappo Dux Erminiorum proditione Nobilis Pruſſi Stenonis Sambienſis captus eſt, & in monte propè Regiomontum juſſu Crucigerorum ſuſpenſus: Vndè adhuc hodie mons Glappenbergum nomen habet. Proditio verò prædicta ex hac cauſa contigit: Cum Glappo deperiret Amaſiam Steinonis: ut is id ulciſceretur per alios, cùm ipſe non poſſet, perſuaſit Glapponi, ut oppidum Lochſtet oppugnaret. Quod cùm Glappo facit, ſignificat rurſus Steino Crucigeris, ut ſi velint hoſtem ſuum, illic eum aggrederentur: futurum ut eum capiant, quòd non adeò cum magno exercitu eò profectus fuerit. Ad perſuaſionem igitur Steinonis illuc profecti Crucigeri Glapponem in caſa quadam ſe calefacientem & ſomno deditum capiunt, ut non gratis monuerit ſapiens: propter ſpeciem mulierum multos perijſſe. Vocatur idem mons Rolbergum à Rollo Normandiæ Duce exule hunc locum quondam incolente. Tandem fidem Catholicam ſuſcipiens, ob egregia facinora ad patriam reuocatus eſt. Diuanus Bartenſium Dux trajectus ſagittâ perijt apud Schonſeam munitionem. Itaq; Crucigeri ad obedientiam hactenus Sambiam, Pomeſaniam, Pogeſaniam, Nactangiam, Barteniam, Erminiam præter Heilsbergenſem munitionem, ac Galindiam, ſeptem nimirum conuentus deduxerunt non parua ſanguinis utrinq;, ut vidimus, effuſione. Sed ut hæc pax propè diuturna non fuiſſet, in cauſa erat leuitas cujusdam Bonſi Camerarij Pobetenſis in Sambia. Nam is duas uxores ducere voluit, more veteri Pruſſorum, qui etiam plures unà habebant. Cùm id ei minimè concederetur, indignabundus turbas ciebat, urgebatq; Pruſſos ad rebellionem ac effecit vel diligentiſſimè apud Pogeſanos ut tertiò deficerent. Hi ergò Elbingenſem & Chriſtiburgenſem cum collega Commendatores ceperunt & incarcerarunt. Sed dimiſſi à quodam Pouildo, mortis periculum euaſerunt. Scribitur hæc rebellio Pogeſanorum duraſſe per ſeptennium, ſcilicet ad annum Chriſti, 1279. Tandem author rebellionis ejus Bonſus gladio cæſus fuit, cum complicibus quibuſdam: reliqui fugâ in Lituaniam, cædem euaſerunt.

Glappo proditur.

Anno eodem Pogeſani ad oppidum juxta ac ad arcem Elbingenſia oppugnanda venientes, ab ijsdem ciuibus longiùs ab urbe repulſi fuêre. Sed rurſus per Pruſſos in inſidijs relictos ab ingreſſu urbis excluſi ſunt ciues. Qui ita excluſi molam Lipartenſem occupant, quam rurſus Pruſſi circumdant. Vt verò ciues obſeſſi in moletrina, mortis periculum euaderent, pacti cum Pruſſis, eis viginti quinq; obſides ex ciuibus tradiderunt. At Barbari fide incerti iſtos & quotquot in mola repererunt, incendio abſumpſerunt. Crudele hoc facinus ulturus Prouincialis Pruſſiæ, viciſſim aliquot ſeptimanis barbarorum ditiones ferro & igni longè latèq;, abductis hominibus, & pecoribus, vaſtauit, ac arcem Heilsbergenſem

nuper à Christianis desertam, recuperauit. Subjuganda restabant, Nadrauia, Schalauia, & Sudauia, quæ regiones nunquam adhuc sub jugum Christi & Crucigerorum hucusq; venissent. Et quamuis ita vehementer Prussi à Crucigeris premerentur, nihilominus tamen eodem anno prima die Julij cùm Lituanis & Samogitis, in terram Lublinensem irruerunt, & majorem ejus partem incendijs & strage vastarunt, spolijs abductis. Scribitur id eos fecisse ad Pauli Cracouiensis Episcopi postulationem, vitâ sceleratâ Poloniam turbantis. De quo Poloni scriptores longiùs. Quod ad perdomandos Nadrauienses attinet, non leue negotium Crucigeris ijdem facessebant in munitione Camesuiga. Nam etsi eam senior Tirenburgicus, qui hoc anno in IX. Prouincialem electus est obsedisset, tamen repellebatur strenuè & cum damno à 200. viris, eam defendentibus. De nocte eam deniq; intercepit, ac omnes viros internecioni dedit: mulieribusq; ac pueris aliò deductis, arcem succendit. Nadrauiensium etiam duo millia occisa sunt dum Beseledam munitionem ad siluam Cartenam obsiderent. Quæ quidem victoria cessit Christianis obsessis ibidem anno Christi 1274. (quo anno arx Bartensteinensis rursus ab Ordine restaurata fuit) ex adhortatione cujusdam mulieris Mammoda dictæ, quæ cum duobus filijs in arce quoq; cum alijs obsidione cingebatur. Eos enim dum videret cum alijs præsidiarijs negligentiùs agere (conciderant namq; animis) ita allocuta fertur: O filij, pœnitet me genuisse vos mundo, qui nec vos ipsos liberare, nec nobis miserculis mulieribus auxilio adesse vultis. Quibus verbis accensi qui in præsidio erant, eruperunt & dictam stragem barbarorum dederunt. Diruta & deserta hæc arx jacet. Alijs Nadrauijs persuasit præfectus Velauiensis Tirsco, ut pacem inirent cum Crucigeris & lauacrum sacri baptismatis susciperent.

Fridericus Episc. IV. Culmensis moritur.

Isto eodem anno, 1274. Martij die, 28. è viuis migrauit Fridericus Episcopus. IV. Culmensis, unus ex Crucigeris ex Hassia Marpurgensis: ad cujus electionem Capitulares coacti descenderunt. Nam illi nominarunt Doctorem Nicasium Parochum Torunensem ad S. Joannem: qui tamen desertus tandem fuit, quòd quidam ex electoribus nimis studerent Magistro: pars diceret, posse esse quemlibet Episcopum, modò de ijs nihil decedat, quæ sibi ad vitam necessaria sunt: pars etiam clarè videret violentiam quam Crucigeri in hac negotio tentabant. Cùm summa difficultate Fridericus à Pontifice Max. confirmationem acceperat. Cùm ad Episcopatus possessionem peruenisset, cum consensu Capitularium omnibus sententijs, quas prædecessor suus contra Magistrum nomine bonorum Culmensis Ecclesiæ, & Ordinem obtinuerat, renunciauit. Parùm illi aura Regionis fauebat: ob quam continuò malè valebat. Loco suo bona Episcopatûs administrabat F. Diprantus à Baumbach aduocatus. Dabat is ex redditibus Episcopo & Capitularibus quantum volebat. Qua necessitate adacti Capitulares, literis ab amicis Torunensibus sibi petierunt vestes pelliceas & calceos pro hieme emi & mitti. Episcopus suas necessitates silentio pressit, eò quòd valetudinarius esset. Reuocauit verò resignationem sententiarum quam fecerat. Sepultus est Culmseæ in Ecclesia ante sacristiam. Post mortem Friderici, Schisma in electione Episcopi contigit, de quo dicturus sum sub anno Domini. 1291.

Canonici Culmenses.

Schalauo-

Schalauonij arcem Ragnitam firmauerant præsidio duorum millium militum. Præfectus verò Sambiæ eam noctu admotis scalis intercepit, & omne præsidium extinxit. Continebat in se piscinulam longam viginti passus & totidem latam. Cùm eam obsedissent Russi (cùm necdum Crucigeri in Prussiam venissent) nouem annis, tamen obsessis annona toto tempore non defecit. Interrogati præsidiarij, quomodo hoc accidisset, responderunt, se cepisse in piscinula dicta, quotiescunque voluissent, tot omnis generis pisces, quot sibi ad victum quotidianum necessarij fuissent. Christianorum tempore vix piscinula tantum aquæ habuit, quantum requiritur ad aliquot ranulas alendas. Idem præfectus Sambiæ aliam arcem in Schalauonia ad aquam Ramigam expugnavit. Perdidit verò in ejus expugnatione ducentos viros: quamobrem eam funditus euertit. Schalauonij vicissim intercepère arcem Tapiaviam, quam Crucigeri recenter extruxerant, auertendæ irruptionis Sudauiorum in Sambiam causâ, interceptam arcem etiam ex fundamentis euerterunt, occiso præsidio ducentorum virorum. E contra Prouincialis Regionem Schalauorum longè latèque vastavit. Reuertenti voluit Segenotus Schalauorum Dux prædam eripere: sed pugnam amisit perijtque cum omnibus suis. Oppugnauit deinde Prouincialis Sarectam nobilem quendam Prussum in Schalauonia, qui trans Nemenem fluvium habitabat, quem vivum cepit. Is fune ad arborem alligabatur: sed evadens, arrepto gladio, cujusdam Crucigeri caput amputauit, putans se Prouincialem petere, ac nonnullos alios occidit. Arx habens idem nomen cum nobili, diruta fuit unà cum munitione Sassouia, non longè à priore sita: in quo bis mille & quingenti viri igne periêre. Deinde rursus Prouincialis profectus trans Nemenem, ubi nobiliores Schalauonij habitabant; videlicet, Sibancius, Suisdeta Sudeta & Mindeta, eos omnes deditione ultrò facta accepit. Nobilitatis exemplum communis populus insecutus est. Vbi domiti fuissent Schalauonij & per eorum ditionem frequentes irruptiones Lituanorum & Samogitarum in Prussiam fierent: earum præcauendarum gratiâ, Ragnita, Tilsia, & similes munitiones pro speculis adaptatæ sunt: & ut ijs Schalauonij attenderent, communi consensu ipsis de quolibet manso singulis annis data est una quarta siliginis, & tantum hordei & pisorum ac aliquid lacticiniorum cum pecunijs. Pace facta cum Lituanis & Samogitis, eandem contributionem Crucigeri exigebant in suum commodum, quam jam Prussi concedere nolebant, de qua suo loco plura. **Ragnita.**

Restabat demum Sudauia scilicet cum Galindia conjunctim, quod supra monui, subigenda. Sudini verò poterant in aciem hoc tempore producere sex millia equitum & duodecim millia peditum. Nihil tamen tantam eorum multitudinem reveritus Conradus Tirenbergius senior Prouincialis, Regionem Kymenon cum 1500. peditibus, qui omnes fide Catholica initiati Prussi erant, ingressus est. Ibi occidit ultrà duo millia hostium, multis captiuis abductis. Auctus deinde numero & viribus, ingressus est eorundem ditionem Meroniscam: in qua octodecim præcipuos viros occidit, eorum arcibus euersis. Vicissim Sudini cum suo Duce Scumando Nactangiam deprædabantur. Profectus junior Conradus Marsalcus in regiunculam Pokymen hiemis tempore. Vbi vespere rediret cum præda, transiuit lacum Letzensem, qui etiam Leuentinus & Nouotinus dicitur. Manè Sudini insequentes prædam ad eundem lacum peruenère: sed ecce transire non poterant stagnum, eò quòd glacies jam fuerit resoluta: itaque

redire coacti sunt.

Sifridus Episcopus III. Sambien.

Debeo hic recensere breuiter vitam Sifridi Episcopi III. Sambiensis. Nobili prosapia ortus in Prussiam venit amore B. Virginis Mariæ ductus. Cooptatus in Canonicum Regiomontanum post decessum Christiani in Sambiensem Episcopum Rigæ consecratur. Conjunctissimè cum Conrado dicto vixit. Nihilominus bona Ecclesiæ suæ à Crucigeris affligebantur; tunc saltèm cùm exercitus ab ijs in Samogitiam ducerentur. Quam bonorum diuexationem ut à se & Capitularibus auerteret, persuasit illis Ordinem suscipiendum Teutonicorum. Ita quidem illi persuasi cum Episcopo Ordinem ingressi sunt, vicissim ipsis Magistro omnium bonorum & libertatum conseruationem ac etiam auctionem sanctè promittente. Quam verò promissis fidem præstiterint, suis locis constabit. Sifridus postquàm uno & viginti annis Episcopatui præfuisset, moritur, & in hospitali Regiomonti sepelitur.

Mortuus est anno, 1275. Magister Hanno Treuiris, & ibidem sepultus. Alij volunt Marpurgi in Hassia, Nonis Idus Julias. Post Hannonem electus est in VIII. Magistrum Hartmanus ab Heldrungen. Posteà anno Christi 1276. Russi, Lituani cum Prussis Sudinis Duce Scumando, pervastatâ Masouiâ, Culmensiq; secundò, & Cujaviensi tractu; Lencicìensem quoq; oram crudeliter depopulati, ingentem prædam abegerunt, in qua ad quadraginta millia hominum fuisse memorantur. Culmseam, quæ restaurata erat tunc Scumandus cepisset, si proditio quam instituit cum Polono quodam equestris ordinis processisset. Nam eam ciues cognoscentes, suspenderunt authorem in porta cum complicibus famulis, ac filijs. Quos Scumandus aduenìens intuitus, adq; cognitis turbatus ab oppido recessit: quod ei etiam contigisse ajunt, dùm Culmæ proditionem comparasset.

Troidenus Dux. Lituaniæ occiditur.

Eo ipso anno Boleslao pudico Poloniæ Principe mortuo, in Principatu Lescus niger successit. Anno posteà, 1278. Troidenus Dux Lituaniæ, coadunatis Lituanorum & Prussorum copijs, quæ 30000. pugnatorum excedebant, eas trifariam diuisit. Vnam verò partem in Masouiam; duas autem in Culmensem terram contra Crucigeros destinauit: maximaq; parte Prussiæ ditionis Crucigerorum peruastata, castris Burgerlau, Lubauia, Chelma expugnatis maximam multitudinem hominum & jumentorum in Lituaniam abduxit. Paulò post hujus vastationis causâ pœnam luit Troidenus. Nam tres rustici largitionibus corrupti à Douanto, nudum è balneo exeuntem trucidarunt. Quem in Principatu Vithenes anno, 1279. secutus est.

Jam tertiò Scumandus cum Sudauijs, quorum erant, 4000. circa hoc tempus in Culmensem terram irruperat, eamq; longè lateq; deuastauerat & ad duo millia mulierum & puerorum abduxerat: cùm mulieris cujusdam egregia fortitudo & plus quàm virilis animus enituit. Hanc enim Sudauius juvenis fortis adortus cum constuprare vel abducere vellet: illa ut periculum declinaret, ad paludem inuiam effugit: nec piget illum, fugam capessentem insequi. At malo suo. Nam mulier ad insequentem conuersa, pugnis eum in faciem cædit, cæsumq; in lutum prosternit. Ipse tunc vicissim mulieris digitum dentibus abscindit. Vndè mulier magis irritata luto, os, nares, auresq; jacentis implet, donec juvenis spiritum exhalat, atq; hæc Culmensis virago fuisse proditur: animosior multò, Bartoldo Nortausensi quodam generali Commendatore Culmensi circa hoc tempus, cujus summa animi pusillanimitate factum est, quòd tàm breui spatio ter Scumandus Culmensem terram peruastauerit. Nam is Bartoldus nec quidem

Mulieris fortitudo.

vel

vel triginta Prussis in regionem illam irruentibus occurrere ausus fuit. Non tantùm is effœminati animi erat, sed & homo egregiè auarus. Quare depositus est ab officio, & ei suffectus Hermannus à Schonenberg. Hic adeò repressit Prussos, ut cum numero paruo comparere in territorio hoc ampliùs non auderent.

Dum his diebus Lituani cum Crucigeris pugnarent, duos fratres captos exusserunt. Vnius animam quem in equum ligauerant, inter flammas supernè diuisas in specie virginis pulcherrimæ: alterius verò, quem arbore fissa compresserant & accenderant, in figura auiculæ candidissimæ non sine maximo stupore conscendere in cœlos contuebantur barbari. Hoc eodem anno assumptus fuit in Prouincialem Prussiæ Conradus à Feuchtuangen. Sed discedente isto in Liuoniam, electus est in undecimum Prouincialem, 1280. Mangoldus à Sterenberg. Irruit hic in regionem Sudinorum Crasinam, Scumandumque Ducem in fugam conuertit quidem, sed & plurimi Christiani in eadem pugna interiêre. Inter alios Vlricus Baur Commendator Tapianiensis, vir fortissimus, quem unum Prussi magis; quàm alios triginta viros verebantur, cum quatuor socijs occubuit. Ludovicus Libenzil vir doctus & miles egregius Ordinis quoque Teutonici captus, Scumando traditur. Diligebat Scumandus Ludovicum plurimùm: eò quòd simillimus sibi in statura, facie & moribus fuisse referretur. Amicitiæ ergò causa ad omnia conuiuia secum Scumandus Ludovicum adhibebat inuitatus aliò. Injuriosis verbis in quopiam symposio à Prusso ebrio nobili tamen lacessitus, ad Scumandum Ludovicus inquit: num me fortè hac opinione huc deuexisti, ut scommata audiam? Respondit ille: Minimè quidem, quod si velis hanc injuriam ulcisci, per me licebit. Mox Ludovicus calumniatorem gladio aggressus, dissecuit. Non multò post à Scumando domum dimittitur. Ipse verò Scumandus post tot cædes Christianorum ac post tot deuastationes Regionum meliore usus consilio, relicta superstitione ethnica, Christianam fidem amplexus est, non aliò authore, quàm Ludovico, dùm ab illo captivus detineretur. Non solùm verò Scumandus fidem Christi Domini suscepit, sed Ordinem quoque Teutonicum ingressus est cum maximo ejusdem emolumento, cùm peruia & inuia Prussiæ perfectè calleret. Fassus est, se nullius operis boni patrati conscium fuisse antè conuersionem ad Catholicam religionem: præterquam quòd semel dejectam B. Mariæ Virginis à Sudinis imaginem in lutum, eleuauerit, suis vestimentis deterserit, & in locum suum in Ecclesia reposuerit. Hoc eodem anno Henricus Episcopus Varmiensis Brunsbergam ciuitatem transtulit & ædificavit in loco ubi modò conspicitur. Per hoc tempus Philippus Episcopus Firmanus Legatus Pontificius è Polonia in Prussiam contendit, & controuersiam inter Mesciugum Pomeranorum Ducem & Crucigeros diremit. Etenim Varcislaus Mesciugi Frater, cùm se ad Crucigeros contulisset, eorum institutum amplexus, patrimonium suum ipsis donarat. Ejus exemplum secuti alij duo fratres, & ipsi bona sua eisdem Crucigeris addixerunt, honestum victum quoad viuerent, ab eis cum familia sua pacti. Ac donationes quidem illas legatus rescidit. Cæterùm Mesciugum induxit, ut Meuense territorium ipse donaret Crucigeris. In quo mox illi arcem condiderunt, præsidioque firmarunt, Puterburgum demoliti. Vno anno pòst, id est, 1281. Hartmannus dejecto Zanthyro Marieburgum cœpit ædificare. Adueniente anno, 1282. statuit Prouincialis Conradus junior Sudinos ad extremum perdomare.

Crucigerorum duorum mors.

Scumandus conuertitur.

Brunsberga ædificatur.

Marieburgum cœptum ædificari.

Congregato igitur tàm ingenti exercitu, quo comprehenderet uniuersam Sudauiam, obuium Ducem novum Sudinorum Vadolum, cum copijs deleuit. Captus fuit rursus in hoc prælio F. Ludovicus Libenzil & grauiter vulneratus. Itaq; cum turbam sequi non posset, transuersus in equum positus vehebatur, quo fiebat, ut congelato sanguine ab eo exeunte, pristinæ sanitati citiùs præter spem redderetur. Cumq; notus esset Sudinis, cuidam Candigendo Duci traditus fuit. Secutus verò Dux Candigendus Ducem Scumandum ad persuasionem Ludovici, nuncium remisit perfidiæ Prussæ, & baptismo suscepto, cum alijs mille & sexcentis diuersi sexus hominibus à Ludovico quoq; conuersis, ad Crucigerorum partes transijt. Dux Jodecus deditione in potestatem Crucigerorum deuenit. Tertius Sudinorum Dux & postremus exustis omnibus ædificijs suis & suorum, acceptisq; secum quæ abducere potuit, in Lituaniam commigrauit. Gedettus etiam nobilis quispiam & potens ductor Sudinorum in Kymenau siue Cumeja, cùm deficere Prussos cerneret, acceptis rebus & familijs suis Regiomontum profectus, fidem Cristianam suscepit. Alijs præ timore quoq; in Lituaniam discedentibus, Crucigeris Sudauia relicta est. Atq, hæc contigerunt probè, anno Christi 1283. in quo finiuisse bellum, 53. annorum volunt inter Crucigeros & Prussos veteres habitum, quod incepisse oportet, anno ejusdem Seruatoris Christi. 1230.

Tantæ molis erat Pruthenam vincere gentem.

Quamuis hoc epiphonema mihi seruandum putarem pro anno, 1295. quo deniq; vires veterum Prussorum extenuatæ sunt, quòd deinceps contra Crucigeros insurrexisse non legantur. Nam intra hunc annum modo nominatum, adhuc duæ apostasiæ Prussorum nominantur. Sed dandum est hoc ipsum authoribus. Moritur etiam eodem anno octogesimo tertio supra millesimum ducentesimum, Magister Hartmanus, decimâ nonâ Augusti Venetijs, ibidem sepultus. Successit ei in officio, IX. Magister Burcardus à Suenden sub Pontifice Joanne XXI. & Imperatore Rudolpho de Habsburg. Quo anno quoq; in XII. Prouincialem electus fuit Conradus Tirenbergus junior. Eodem etiam anno dimensus est Brocardus Monachus terram sanctam, initium sumens à Ptolemaida ciuitate. Hic testatur Aconem seu Ptolemaidam hoc tempore floruisse insigni Hospitali Domus Teutonicæ, unà cum munitissimis castris. Ais: Sed de Galindis reductis, altum silentium? Jam verò ad hanc difficultatem respondi sub anno Christi, 1234. ad quem beneuolum lectorem remitto.

Subactis tanto labore Prussis, partim Crucigeri nouas munitiones excitarunt, atq; antiquas & conquassatas à Barbaris refecerunt: partim Fratribus in Liuonia suppetias venerunt contra Lituanos, quibus nec domi carebant: sed leuius eos æstimabant pacem à Prussis consecuti. Anno insequente 1284. Pogesani & Barteni clàm Lituanis sibi conjunctis, Poloniam deprædati, cum ingenti præda abeunt. Quam cum ad vesperam diuidere volunt, non leuis inter eos discordia oritur. Cujus quidem ex condicto causa fuerunt ipsi Duces Prussorum Nunnus & Dirscus, prædæ retinendæ ergò. Concitant tumultum in castris, clamoremq; edunt, venire hostes, & jam adesse qui prædam tollant: atq; ad tales clamores una Lituanis arma inferunt, qui dum nequeunt discernere in tenebris hostem ab amico & socio: existimarent etiam reuera adesse hostes Crucigeros, fugam ineunt, relicta omni præda, amissisq; plurimis hominibus. Manè Prussi totam prædam

inter

inter se diuiserunt.

Non enim hopes ab hospite tutus.
Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est.

Isto anno quoq; obijt Albertus Joannis Ducis Brandeburgensis nepos ex sorore, Doctor, Episcopus II. Pomesaniensis. Venerat is in Prussiam animo pugnandi armis contra Prussos rebelles, cùm interim à Capitularibus in Episcopum eligitur, & ab Archiepiscopo Gnesnensi consecratur. Durante furore illo gentilium Prussorum in Crucigeros, tanquam hospes Zantirum venit, ubi infirmari cœpit. Dum in Marienuerder vehitur in itinere obijt, 26. Septemb. Sepultus fuit cum Ernesto prædecessore suo in uno sepulchro. Successit ei Henricus I. *Albertus Episc. II Pomesaniensis*

Anno 1285. venit Schalauonus aliquis Gudulus nomine, ad Provincialem Prussiæ, referens munitionem Otecaynam in Lituania facilè capi posse, si vellet ea potiri, daret sibi tot & tot milites. Putabat Prouincialis fore sibi proditorem fidelem: ac iccircò eum cum cohortibus quot desiderasset, dimisit. At illas Gudulus per loca incognita ad insidias à Lituanis paratas deduxit. Ibi omnes à Barbaris, ad internecionem, non tamen inultæ, deletæ sunt. Domiti Prussi, Crucigeris adeò non erant fideles, ut non ijsdem subindè clàm insidias struerent aut etiam palàm rebellarent. Quod tentarunt insequenti anno 1286. dicti Pogesani & Bartheni: ij scilicet qui cum Lituanis Poloniam deprædati, in Lituaniam profugerunt & redierunt, & de nouo gratiam atq; sceleris admissi veniam assecuti erant. Item defecerunt Nactangi, Sambienses, ac Erminij. Durasse scribitur hæc defectio uno anno. Post unum annum visum est vermium genus in Prussia, qui caudis cancrorum præditi, homines infestarunt aculeo: quos læsissent, intra triduum extinguebantur. Prouinciali Conrado juniori successit anno Domini 1288. in officio XIII. Menicus vel Mangoldus: cujus ortus prodigiosus fuit. Partu enim uno matrona nobilis, sub Juttæ Comitissæ Quertfurtensis dominatu, tres filios ediderat. Putabat comitissa, hæc famâ percipiens, non fieri posse, quòd illa hos filios ab uno patre conceperit. Cùm verò ipsamet posteà pareret, DEO ita ordinante, profudit nouem filios. Verecundia verò ex tali partu perfusa mandauit obstetrici, ut unico retento, alios omnes aquis in silentio immergeret. Quos cùm portaret illa, volens Dominæ suæ voluntati obsequi, patri occurit Comiti, à quo interrogata, quid rei portaret; inquit illa catulos. At pater animaduertit filios suos esse. Quos, indicto silentio, mulieri honestæ, subministratis alimentis & alijs necessarijs per septennium extra aulam educandos tradidit. Quibus expletis, uniformi vestitu filios octo prodire jussit cum eo quem domi mater aluit: interrogans eam, quemnam ex istis filium suum agnosceret? Intellexit illa peccatum suum proditum, innotuisseq; marito, à quo mox veniam rei petiuit & impetrauit. Dicti filij omnes in insignes viros euaserunt, ab euentu nomen sortiti, die Hunden. Ex his nouem filijs, unus etiam dictus Prouincialis fuit. Eodem anno Christianus Præpositus Insulæ sanctæ Mariæ, & alij arbitri inter Episcopum Varmiensem Henricum & Capitulum de divisione bonorum Nonis Septembris composuerunt. *Gudulus proditor.* *Vermes in Prussia* *Filij novem uno partu editi.*

Post unum annum ingressi, 8000. Lituanorum in Sambiam, eam quatuordecim diebus depopulati sunt. Cùm de hac irruptione Lituanorum, Sambij moniti fuissent tempestiuè, non magno damno illorum hostium conatus contigit & pauci cæsi. Abeuntes verò insecutus est Prouincialis & eorum nec dimidiam partem saluam domum dimisit.

Moritur anno Christi, 1289. Lescus niger, post quem Interregnum secutum est. Anno, 1290. prosequens victoriam Prouincialis, assumptis, 500. equitibus, &, 12000. peditum in Lituaniam profectus, obsedit munitionem Colaynam. Verum à præsidio arcis, cujus Dux erat Surminus, sæpè cum damno repulsus est. Non tamen is destitit ab impugnatione munitionis, datis vicissim præsidio damnis: adeò ut ex eo jam non plures defensores superessent, quàm duodecim. Sed cùm id Prouincialis rescire non potuerit, existimans esse plures in præsidio, re infecta ab impugnatione discessit. Non multò pòst idem Prouincialis misit Commendatorem Regnitensem Hennicium nauicula cum decem fratribus & cùm viginti quinq; alijs militibus visum, quomodò se res in Lituania circa Colaynam haberent. Aduertit illos adesse Surminus jam auctus firmiore præsidio: libenterq; vidisset eos ex naui egressos, data ad id occasione. Sed cùm ipsi hoc non processissent, ad dolum conuertitur. Nodam enim militem strenuum & audacem vestibus mulieribus indutum, & linguam Polonicam perfectè callentem, ad flumen stare jussit, fictaq; lachrymabili voce opem Commendatoris præternauigantis implorare: ne se Christianam captiuam deferat, sed secum acceptam ex immani Lituanorum seruitute ad Christianos quoscunq; abducat. Quod dum facit Noda commiseratione commotus Commendator, ad litus nauigium eripiendæ mulieris causa deduci jubet. Ipsum verò etiam egressum mox cum alijs Surminus ex insidijs inuasit, & omnes ad internecionem dedit: paucis fugâ elapsis, & è suis non paucis desideratis. Nodam post hæc perpetrati sceleris pœnitentia subijt, & Christianus factus, damnum Christianis illatum habitis strenuis prælijs contra infideles, abundè recompensauit. Surminus cùm certò sciret ultum venturos Crucigeros cladem illatam, ex munitione Colayna discessit: jurejurando emisso, se in futurum cum Crucigeris in campis quidem, non in munitionibus bello decertaturum. Felici successu Surmini freti ij qui in Oncayma munitione erant, numero sex & triginta eruperunt, Regionem Ordinis usq; Ragnitam deprædati. Sed repressi sunt amissi viginti quinq; viris.

Nodæ dolus.

Jesbutus Samogitta transfixus.

Jesbutus Samagitta in Mediniki Dominus, nunquam negotium Ordini facesserat. Ob id ab illo petijt gratiam referri eam, ut sibi liceret cum decem millibus per Ragnitensem ditionem in Masouiam proficisci. Quod Crucigeri ei nequaquam concedendum putarunt. Nihilominus Jesbutus expeditionem suscepit per fines Prussiæ & Lituaniæ. Vbi ad Licam fluvium consedisset, experientiam futuri belli euentus fecit more Prussorum. Prætendebatur verò malus successus, eò quòd sanguis in ipso corpore sagittâ transfixo, deflueret. Exhorruit ipse. Et dùm quid ulteriùs faceret, cogitabundus hæret, adest F. Henricus Zückschwert aduocatus Bartensis, ac cum eo bellum init. Friderici Jesbutus gladio brachium sinistrum amputauit. Ille verò ita mutilatus Jesbutum hastâ transfixit. Quo casu perterriti Samagittæ fugâ sibi consuluerunt.

Burcardus mutat Ordinem.

Paulò ante mortem suam Burcardus Magister cum aliquanta manu & quadraginta Fratribus Venetijs secum acceptis Ptolomaidam nauigauit. Cùm ei ciuitati periculum à Soldano Ægypti imminere videretur, opportunè adnauigasse illuc ab uniuersis visus est, quod vir prudens esset & putaretur præsentiâ suâ remedium certum tantis malis adferre posse. Idcircò ei honoris gratia etiam obuiàm itum est. Sed ecce præter omnem expectationem in Capitulo frequenti, non solùm officium, sed & habitum Ordinis deposuit: quamuis multi

Princi-

Principes eum rogassent: Joannitarum etiam & Templariorum Magistri flexis genibus ante illum, id ne faceret instantis periculi causâ, ab eo obtinere niterentur. Sed frustrà. Abijt enim Rhodos, ubi Ordinem Joannitarum amplexus est. Tandem petens rursus ad Ordinem Teutonicum admitti, rejectus est. Mortuus in Joannitarum templo Rhodis propè sepulchrum S. Joannis Baptistæ sepelitur. Sub eo Nogotus & Vistula fluvij aggeribus muniri cœperunt. Post Burcardum electus est eodem anno in X. Magistrum Ordinis Conradus à Feuchtuangen ex Liuoniensi Prouinciali. Ptolemaida verò anno sequenti, 1291. Dominica Cantate, à Soldano Turca expugnata est: ubi Domus suprema Magistri erat. Miserant Crucigeri pro urbis ejus defensione ex Germania, Liuonia & Prussia plus quàm tria millia militum: miserant illuc quoq; alij Ordines alia auxilia, sed frustrà. Per domesticas verò dissensiones propugnaculum hoc Syriæ & Phœniciæ, in potestatem hostium deuenit. Sub nouiter electi Magistri Conradi regimine ab Ordine exusta est munitio Colayna, quam Surminus deseruerat: itemq; alia deuastata Mederaba, operâ Bertoldi Bruchan commendatoris Regiomontani. Quo tempore quoq; Mangoldus Prouincialis Prussiæ, ditiones Lituaniæ Pastouiam & Gersouiam deprædatus est. Junigeda munitio in ditione ejusdem nominis, bis frustrà à Crucigeris tentata fuit. Et quidem hoc ipso anno 20 die Octob. mortuus est V. Episcopus Culmensis Vernerus, ex Diacono Quizinensi ex Ordine Teutonico, ab una parte Capituli electus. Nam alia elegerat Valterum Abbatem Pelplinensem, nobilibus parentibus natum & virum magnæ experientiæ atq; authoritate apud Crucigeros pollentem. Hic modestiâ usus, cùm esset res litigiosa, Episcopatum recusauit. Vernerus Episcopatum administrauit, 16. annis: quo tempore totum Capitulum ex Crucigeris constabat, præter archidiaconum Papæ familiarem: qui in alterum familiarem Papæ istud officium transtulit, atq; hic rursus in alterum. Vnde contigit deniq; quod summus Pontifex eam dignitatem, cui vellet, conferret. Sepultus est Culmseæ in medio Ecclesiæ. Successit ei Henricus Episcopus VI. Culmensis. Posteà anno 1292. conspiratio Pogesanorum & Schalauoniorum quam injerant cum Lituanis contra Crucigeros detecta fuit. Ex qua tamen nihil incommodi Ordo accepit. IV. Episcopus Sambiensis Joannes I. à fratribus electus, in Episcopum Rigæ consecratur. Hic ope eleemosynisq; eorum Principum qui in Prussiam venerant, ut inde in Samogitiam proficiscerentur, & ob tempestates illic perseuerare non poterant, Ecclesiam in loco S. Adalberti occisi, atq; mansiones pro ministris Ecclesiæ ædificauit pro fælici successu illorum Principum, assignatis redditibus. Mortuus Fischausij, Regiomonti ad S. Spiritum apud prædecessorem suum sepelitur. Successit ei V. Episcopus Jacobus Prutenus Culmensis, vir egregiè doctus, propterea ejus operâ Crucigeri usi sunt, præstitæq; operæ causa ei Episcopatum contulerunt, suscepta Cruce. Hic inchoauit Ecclesiam Collegij Regiomontanensis, in cujus choro sepultus jacet, Povundæ mortuus.

Vernerus V. Episc. Culmens. moritur

Joannes I. Episc. IV. Sambien. moritur.

Jacobus V. Episc. Sambien. moritur

Regiomontanæ Ecclesiæ initium.

Vixit anno Domini 1293. potens prædicator Franciscanus Fridericus Suner. Ad cujus persuasionem populus undecunq; ad bellum in Samogitiam ultrò confluxit. Nam pacata jam Prussia ad subigendam Samagitiam Crucigeri animum adiecerant: eò quòd ea gens auxilio & copijs, Lituanis ac Prussis contra Ordinem adfuerit ac illi maxima damna intulerit. Samogitia verò Regio est Septentrionalis frigidior. Iacet intra Lituaniam, Prussiam, Curlandiam, & Semigalliam. Abun-

Samogitia.

Abundat fyluis, collibus & fluminibus, hifq; diftrictibus continetur, Iragola, Miedniki, Ghrofze, Roízena, Vitukli, Vielunya. Kolthyni, Czethra. Incolæ ejus proceri, agreftres & inculti fuêre: parci tamen & modefti victu Sitim aquâ fedabant, rarò cereuifiâ aut medone. Auri, argenti, æris, ferri & vini expertes. Licitum viris erat plures habere uxores, & nouercas fratrisq; demortui uxorem ducere. Tuguria in carinæ modum constructa fupernè feneftra lumen reddente, fubter quam focus ftratus, inhabitabant viri & mulieres cum filijs & familia, pecoribus, frumentis, & fupellectili. Ignem quem quercinis lignis fouebant, præ alijs Dijs colebant. Hæc pauca de qualitate gentis ejus, plura poftea de eadem dicturus, hic præmittere debui. Duas deinde munitiones Commendator dictus Lituanis ademit: nempè Cydar, quam vacuam repererat: alteram Kymel vi, omnibus qui ibi reperiebantur interfectis. Circa hoc tempus Vithenes Dux Lituaniæ inftructus quatuor millibus militum ipfo Sabbatho ante Palmarum in Pruffiam irruptione facta, Sambiam & Erminiam ita ferro & igne depopulatus eft, ut in utraq; ditione præter Ciuitates & munitiones nihil integrum remaneret. In præda folæ Virgines, 1400. abigebantur, præter mulieres nuptas & viros atq; ingentem pecorum multitudinem. Cùm in reditu veniffet in Barteniam ad fyluam quandam non procul à Voplaken (fuit verò Voplaken arx Crucigerorum in Bartenia) ibi quietis captandæ caufa cum exercitu & præda, quam inter milites diftribuere cogitabat, fubftitit. Venit illi in mentem profperitas qua ufus effet in hac deprædatione, & quàm miferè Chriftianis res ceffiffet. Laudauit ergo Deos fuos, qui illum profperaffent: nec abftinuit à Chrifti Domini contumelia. Nam extractam fanctiffimam hoftiam ex Monftratorio alicubi ex Ecclefia rapto, ac in terram abjectam pedibus conculcabat, irridebatq; vinctos Chriftianos; Vbi eft inquiens, nunc DEUS vefter, qui fe vindicet de manu mea & vos fecum? Ignorabat enim jamjam à tergo inftare DEUM Chriftianorum & vindictam fumpturum, quem imprudens adeò magnâ injuriâ affeciffet, cujusq; poteftatem contempfiffet. Nam Prouincialis Henricus puto Meinicus, cum exercitu quem tumultuariè ex 80. Fratribus, & 2000. militum collegerat, hoftem ponè confecutus, infolefcentem & fecurum adortus eft. In principio quidem pugnæ mox Chriftiani quadraginta de fuis amiferunt: fed ab una parte F. Guntherus Arnftein, & ab altera F. Fahne aggreffi funt eos: nec fanè fruftrà. Nam fugiebant hoftes, copiæ verò Chriftianorum mirabiliter auctæ funt. Nam fe inuicem Chriftiani vincti & mulieres tàm virgines foluebant, occiforum Lituanorum arma arripiebant, & qui aduerfabantur, inuaferunt. Vithenes ipfe grauiter vulneratus in capite, folus tantùm cum duobus famulis evadens mortem, ex omnibus effugit. Ingentem prædam ibi affecutus eft Ordo: ac quidem in folis equis, bis mille octingentos. Quo nomine Crucigeri Monafterium Virginum Ordinis Ciftercienfis Toruniæ ædificauerunt. Dabatur etiam Virginibus recuperatis optio, ut fi quæ vellent id ingrederentur. Quamuis verò Vithenes tanta ftrage in Pruffia à Crucigeris fufus effet, & vix fugâ elapfus, tamen cum 1800. equitibus paulò pòft clàm per Mafouiam traductus, ex inopinato Lencicienfem tractum inuafit. Nec multò pòft Crucigeri Vifnam arcem in Mafouia expugnarunt & exufferunt, quòd ea receptaculum effet Lituanis, excurfiones in ipforum ditiones & in Poloniam facientibus, cùm Boleslaus crebrò à Crucigeris, ne id fieri pateretur, fruftra effet admoni-

Vithenes Dux Lituaniæ depopulatur Sambiam & Erminiam,

Vithenes caditur.

admonitus. Magnus enim ei fuit cum Lituanis vſus, ita vt vxorem quoq; inde haberet Troideni Ducis filiam. Nec intermiſit ille eandem arcem non multò poſt de nouo ædificare.

Defectio ultima Prussorum à Crucigeris.

Anno Chriſti, 1295. accidit ultima defectio Pruſſorum à Crucigeris. De hac quidem defectione tota Pruſſia conuenerat, ſed apertè eam ſoli Nactangi tentarunt, non leuibus damnis Ordini datis: quamvis etiam quidam velint, eam à Schalauonijs palàm patratam. Dum verò Meinicus Provincialis ad prohibendam Viſnæ arcis reſtaurationem cum exercitu proficiſcitur, Ducem ſibi Nactangi Sabinum eligunt. Qui quà ibat, omnia diripiebat: neq; à templorum ſpoliationibus, abſtinuit. Interea etiam Stantenes Pruſſus quidam dolosè arcem Bartenſteinum occupauit ligatis Fratribus cum eorum famulis. Nactangi præcipuè Sambiam divexaverunt: cujus agreſtes quoq; contra Nobilitatem inſurrexerunt, nacti Ducem Nandiottam magis coactum quàm voluntarium. Rebellio hæc citò citiùs conſopita fuit per Meinicum Prouincialem. Et quidem Nactangi, quibus ſe etiam Schalauonij adiunxerant ex parte, venienti contra eos Provinciali obuij facti ac ſupplices, culpam deprecati ſunt: promittentes ſanctè, ſe ſimile ampliùs nunquam deſignaturos, veniam ſunt conſecuti. Quòd verò ad Ruſticos Sambiæ ſpectat & ijs parcitum fuit, authoribus coërcitis. Dux eorum Nandiotta non eſt pœnis affectus, poſteaquàm noctu veniens ad Provincialem, eum de negotio toto rectè inſtruxiſſet: ſed potiùs nobilis Sambiæ creatus, paternis bonis ei redditis. Vnus enim ex magnatibus fuerat pater eius Iodecus, ſed poſteà exauthoratus à Crucigeris, ruſticum egerat. Atq; hoc deniq; tempore veteres illi Pruſſi armis fracti, Ordini ampliùs per ſe rebellare auſi non ſunt. Cauſa hujus rebellionis non conſtat: certum tamen eſt Pruſſos promiſſionem auxilij à Maſovijs & Lituanis accepiſſe.

Præmislus Rex Poloniæ.

Eodem anno Epiſcopus Culmenſis à Crucigeris, ante hoc jam redactus in Ordinem, nunc vt nihil prorſus commune cum Polonis haberet, à Gneſnenſi Archiepiſcopo abſtractus, Rigenſi ſubiectus eſt. Eodem anno, 26. die Junij Præmislus, poſtquàm Regnum Poloniæ Rege caruiſſet, & vel per Principes vel per Duces, 215. annis à cæde Divi Stanislai, directum eſſet, ſolenni ritu inunctus, diadema regium accepit. Hic quoniam Crucigerorum Pruſſienſium vicinitatem ſuſpectam habuit, & moliri eos jam nonnihil de adipiſcendo Gedano (quòd ipſi propter portûs commoditatem & tranſmarina commercia fructuoſiùs multò quàm tum erat, fieri à ſe poſſe intelligebant) quin potiùs ad Pomeraniæ totius Dominatum adſpirare ſenſerat, munire Gedanum orſus eſt. Nam Meſciugus, qui etiam hoc anno obijt Gedani, & in monaſterio Oliua dicto, ſepultus fuit, cùm hæredibus careret, Præmislum Archiducem Poloniæ, ſororis ſuæ filium, Hæredem inſtituerat. Qui etiam nunc Gedanum venerat, & Pomeraniam in poſſeſſionem acceperat. Sed tàm præclarus conatus eius de muniendo Gedano immatura mors præcidit, ſeptimo vel octavo Regni ſuſcepti menſe. Sublato Præmislo Rege ad nonum Calendas Majas, qui dies Diui Adalberti memoriæ apud Polonos dicatus eſt, proceres cum nobilitate & Pomeranis, de nouo Rege creando frequentes Poſnaniam conuenerunt. Iniecta eſt à nonnullis Rixæ filiæ Præmisli mentio. Sed metus belli quod à Marchionibus atq; etiam Crucigeris impendere videbatur, viro forti & potenti potiùs, quàm imbelli puellæ, regnum mandare ſuadebat. Itaq; Vladislaus quartus Locticus dictus in Regem electus eſt. Profectus autem in Pomeraniam è majore Polonia, ſuſceptus

Vladislaus IV. Rex Poloniæ.

eſt

est summo cum honore ab omnibus etiam à Lesco, Ziemomisli filio, qui mox à Præmisli morte Pomeraniam occupare nixus est, Gedanumq; jam tunc obtinebat. Hoc amoto, ne quid absente se turbaret, secumq; abducto Voislaum quendam Pomeranum nobilem, Pomeraniæ præfecit. Moritur Conradus à Feuchtuangen (sub quo bona sua & domicilia Neapoli, Venetijs, & in Anglia, Crucigeri amiserunt: ex ea causa, quòd Adolfo cum Neapolitanis & Venetis non conueniret, quorum arcana Imperatori aperuissent) moritur, inquam, Conradus, anno salutis. 1297. Pragæ, sepultusq; Draguicij, septimo anno sui officij. Eodem anno electus est in XI. Magistrum Ordinis Gotfridus Comes Hohenlohensis. Binomius hic fuit: Gotfridus enim ratione Baptismi: Henricus suscepti Ordinis gratiâ vocabatur. Comitatus cum 50. Fratribus in Prussiam venit: de quibus partem Liuoniensibus in subsidium misit. Hic Marieburgum pro supremo domicilio Ordinis constituit. In prouincialem verò, XIV. assumptus est Ludouicus à Schipen, quem alij à Schimpen nominant. Sciuit hic Schalauonios se ad deprædationem Crucigericarum ditionum jam coniunxisse cum Samogitis. Quorum vtrinq; conjunctæ copiæ faciebant septem millia pugnatorum. Quare, vt Schalauonijs majus damnum inferret, præteritis illis copijs, Schalauoniam afflixit. Quam vt defenderent Samogitæ, contra Prouincialem exercitum duxerunt. Pugnâ igitur graui commissâ ceciderunt ibi Schalauoniorum Duces Stomoy, Stutoy, Prouano, & Meyngolo. Nec Crucigeri inulti abiuêre: nam occubuit fortissimus F. Carolus à Salmen cum optimis quibusq; viris sui Ordinis. Cùm tamen apud Crucigeros victoria fuisset, ingressi illi totam Schalauoniam direptam incenderunt: consilio habito, ne unquam ampliùs propter damna quæ hinc acceperunt, coleretur: ædificaruntq; Landicoronam ad fluuium Nemenem, deductisq; illuc colonis ex alijs Prussiæ partibus. Prouincialis, cùm ex acceptis vulneribus in prædicta pugna per totum annum decubuisset, Regiomonti obijt, ac ibidem sepelitur, cui anno Christi, 1300. suffectus fuit Henricus Goltbach Turingus XV. Prouincialis. Quod ad Lituanos attinet, non destiterunt ij quoq; cùm reliquijs Prussorum clàm congregatis, assiduis excursionibus Crucigeros in Prussia & Livonia affligere. Depositus est eodem anno Vladislaus Locticus de regno Poloniæ, & in eius locum suffectus Venceslaus. Ad Principatum verò Lituaniæ sublato Vithene à Gedimino, pervenit Gediminus hoc ipso anno. Quamuis verò ita à Lituanis affligerentur Crucigeri, nihilo tamen magis insectandi suos Episcopos, & in bona munitionesq; eorum inuadendi studium remiserunt. Itaq; & Fridericum Derpatensem Episcopum eiecerunt, & Rigensem Archiepiscopum Joannem Patronum suum, quò faciliùs Rigam ipsi auferrent, in vincula conjecerunt. Eodem hoc anno die 15 Iulij, moritur Henricus Episcopus Brunsbergensis secundus, viribus & senio confectus. Si is statim Anselmo mortuo successit, oportuit illum præfuisse Ecclesiæ suæ, 40. annis. Sepultus est ante majus altare in Varmiensi Ecclesia, quam ædificauit loco accepto à Domina Zoupna de veteri Nartiorum regulorum Prussiæ sanguine: quæ Sonnenbergij habitabat, diuitijs præstans: sed absq; liberis: quæq; Anselmi Episcopi operâ ad fidem Christi conuersa fuerat, cuius fundi ad duo milliaria (alij dicunt ad tria) patebant. In area verò, vbi nunc est sacrum collegium, steterat munitio quædam lignea: cui inditum est cum ciuitate nomen Fraumbergum & Varmia. Hic etiam ædificauit ciuitatem Brunsberg in eo loco ubi nunc est. Ex eo quòd Lubecenses & Hamburgen-

Moritur Henricus Episc. Varm. II. Ecclesiæ præfuit 40. annis ædificauit Ecclesiam Varmien. & Brunsbergam.

burgenses cives persæpè Brunsbergam commerciorum causa visitave-rint: asciuit ea sibi jus Lubecense. Ille etiam initia dedit Vormdito, & Guttstadio. Elogium ejus sequenti disticho continetur.

Transtulit Henricus cathedram mulieris in arcem.
Pruthica Teutonios duxit in arma viros.

Pro arma] censerem legendum, arua] ut sit sensus: quòd hic Episco-pus Germanorum colonias Prussis pulsis, Fraumbergum, Vormdi-tum & Guttstadium atq; ad alias villas nonnullas incolendas dedu-xerit. ut aliud elogium indicat:

Prussica germanos inducit ad arua colonos,
Hinc aucti reditus, Viduæ donata fauore Bevam. eccl.
Jugera Fraumburgum vocat; atq; ibi condidit urbem,
Et mox Brunsbergâ Cathedram transportat ibidem.

Successit ei in Episcopatu Eberhardus. Ejus tempore irruerunt, 75. Lituani miræ audaciæ, in autumno in ditionem Varmiensem, spolia-tumq; pagum Glottouiam succenderunt. Collectis leuiter copijs, Val-therus Goldinus, Aduocatus Commendatoris Brandeburgensis, reuer-tentibus occurrit, omnesq; tribus duntaxat exceptis, qui fugâ sibi con-suluerunt, trucidauit. Crucigeri quoq; Ragnitenses excursione facta in ditionem Oukaymensem Lituaniæ, non exigua spolia retulerunt. Paulò post, 6000. Lituanorum Dobrinensem terram, longè lateq; vastauerunt.

Ex ijs audaciores, 100. Dreuanciam transgressi, deprædati sunt duos pagos. Insecuti eos Crucigeri, omnes præter 30. fugâ elabentes, oc-ciderunt. Qui verò euaserant, cum tanto tremore ad suos aduene-runt, quasi proximè à tergo eos Crucigeri insequerentur: ut ij quoq; iter ad Naref fluvium fugiendo arriperent, & alter alterum in aquas protruderet. Quo accidit, ut Lituani multam prædam ex hominibus & pecoribus liberam dimiserint, modò ipsi euaderent. Contigit præ-tereà his temporibus venire Bojarum ex Lituania nomine Luthsemi-ne, in Prussiam ultum injurias à Crucigeris illatas. Cumq; jam Lan-dicoronam euertisset, ulteriùs in Prussiam progrediebatur. Volfgangus Aduocatus Bartheniæ collectis tribus millibus Prussorum hosti obuiàm intrepidè processit, & in syluis castra posuit. Tunc temporis ita Prussi congregati inter se conquerebantur & conferebant sua grauamina: quomodo nimirùm domi omnia sua Ordini impendere, & nihilominus tamen ad bella contra Lituanos parum feliciter hactenus habita pro-cedere deberent. Aliquis ex Nobilibus Baydo subjunxit: nihil consul-tiùs, inquit, esse, quam omnes Fratres Ordinis enecare. In instanti re-sciuit hoc aduocatus, & intermissa expeditione contra Luthsemine, domum reuertit, quasi hoc negotium illo majus esset: vocatumq; Boy-donem cum alijs undecim quercubus appendi jussit. Qua re exacer-bati eorum amici, vicissim comprehensis Sacerdotibus dentes excusse-runt eosq; mirum in modum excruciarunt. Pobetenses verò sacerdo-tem qui eis Sacramenta administrauerat, periculo mortis subtractum, Regiomontum ad Crucigeros remiserunt, cum mandato, & custodi-rent Deum suum meliùs quàm ipsi possent. Hi malefactores veren-tes tandem ultionem debitam scelerum suorum, in Lituaniam & Samo-gitiam profugerunt. Hæc verò persecutio Sacerdotibus contigit, non solùm quòd suspensi essent illi Prussi, sed quòd aliquis eorum duriùs decimas non solutas exegerit, & aliquot incarcerari fecerit. His qui manus à sacerdotibus abstinuerant Prussis ea gratia posteà exhibita

Sacerdotum per-secutio.

L fuit.

fuit, ut saltem duodecim denarios per annum pro decimis soluerent.

Heluingo Goltbach, qui primus bellum cum Samogitis incepit, annoq; tantum uno officio præfuit, & id resignauit, anno, 1301. Conradus Saok, alias Sabba XVI. Prouincialis. Oukaynam verò munitionem cum suo territorio, quam Crucigeri aliquoties anteà tentarant nunc etiam dormientes & nihil cogitantes in potestatem suam acceperunt, tradente eam Præfecto arcis Draycone Lituano ad religionem transeunte: arcem Crucigeri funditus euerterunt. Anno proximè sequente, die 20 April. moritur Henricus de Sunde Episcopus III. Pomesaniensis, Doctor, unus ex comitatu eorum qui Prussos ad obedientiam Ecclesiæ & Crucigerorum reducturi venerant; ut pugnantes animarent. Sed ecce dum nihil minùs cogitat quàm de Episcopatu, à quinq; Capitularibus (tot enim eorum erant) in Marienuerder, in Episcopum eligitur. Ad consecrationem deuenire non potuit, nisi duobus annis elapsis: quando eum consecrauit Vernerus V. Episcopus Culmensis ad ratihabitionem Archiepiscopi Gnesnensis. Captus à Prussis in Prepeynen, DEO propitio, dimissus fuit. Quizini humatus jacet. Successit ei in Episcopatu Christianus Doctor. Eodem anno celebrauit conuentum Elbingæ Gotfridus Magister: in quo visus est Fratribus grauiora statuta imposuisse: quod cum intellexisset in Germaniam discessit. Judicabat enim illos indignos esse suo imperio, cujus salutaria statuta contempsissent. Etenim ipsi ratio apud DEUM incumberet reddenda pro eorum animabus. Ipsi verò alium Magistrum loco ejus elegerunt Syfridum à Feuchtuangen. Nihilominus & Gotfridus se in Germania pro Magistro gerebat: cui quidem Magistratus adscribitur, donec anno Christi, 1308. mortuus esset. Præter solitum harum terrarum, extitit anno Christi Domini, 1303. terræ motus, 8 die Augusti, circa tertiam horam, adeò vehemens, ut vix aliquis rectus potuerit consistere in domibus, tribus repetitis vicibus. Quo non obscurè mala futura, quòd se domestici terræ Prussiæ nimirum Crucigeri cum ciuitatibus & terris suis inuicem aliquando collisuri erant, præfigurabatur. Insequenti anno noua expeditio Crucigerorum in Lituaniam accidit. Aduenerat enim illis auxilio Comes Vernerus ab Homburg cum quibusdam Libertinis Nobilibus, & cum multis alijs copijs. His se adjunxit Eberhardus à Vinnenburg Commendator Regiomontanus. Hi deprædabantur Progradiendam & Garthinam ditiones. Progrediebantur cum præda circumspectè, ne incauti ab hoste opprimerentur, quod sibi euenturum à barbaris verebantur. Igitur res malè successit Lituanis. Nam quamuis ij illos adorirentur, tamen ad omnem partem aduigilabant: & insuper ex Bojaris septemdecim, & ex communi milite, 1500. prælio commisso Lituani amiserunt. Adaucti animis hoc fælici successu, paulò post Crucigeri in Lituaniam reuersi sunt, & oppidum Garthinam ingens & plebe refertum spoliatum incenderunt, prædamq; abegerunt. Sed munitionem ejus capere non potuerunt.

Henricus de Sunde Episcopus III. Pomesaniæ.

Terræ motus.

Anno 1305. moritur Venceslaus Princeps Poloniæ: cui secundo Vladislaus Locticus successit. Moritur etiam ipso anno, 14 Decemb. IV. Episcopus Pomesaniensis Christianus, Doctor, ex Canonico in Marienuerder & Ordinis Teutonici Syndico, Romæ in Episcopum consecratus. Cum ad possessionem Episcopatûs venisset, & jam multi Capitulares cum Crucigerorum Magistro sentirent, cum ijs pagos deuidere debuit. Piam & DEO deuotam vitam duxit. Post diuturnam corporis infirmitatem moritur, & in Marienuerder sepelitur.

Venceslaus Princeps Poloniæ moritur.

Christianus Episcopus IV. Pomesaniensi moritur.

Cur

Cui ſucceſſit Lutho à Baldersheim. Cùm Conradus Prouincialis officio præfuiſſet ſex annis, reſignauit illud anno 1307. profectusꝗ Golubum à ſe extructum, vitam vixit. Quem ſecutus eſt in officio Henricus Plotzko ultimus Prouincialis, & primus magnus Commendator terrarum Pruſſiæ. Accepit is noua auxilia ex Germania contra Lituanos. Nam venit in Pruſſiam Henricus Dux Bauariæ, Joannes Comes Spanheimenſis atꝗ alij cum magnis copijs. Quorum ope Henricus Prouincialis deprædatus eſt ditionem Carſauiam. Ex alia parte Commendator Ragnitenſis Putenicam munitionem expugnauit, ſoloꝗ æquauit, ac ſecundò reſtauratam, rediens poſt meſſem, excuſſit. Cùm verò Prouincialis cum Bauaro Velunum expugnare non poſſent, ex oppoſito illius duas alias munitiones ædificauit, unam Fridenburgum: aliam Bayr in honorem Principis Bauari. F Laurentius à Deck Commendator Memelenſis, multa damna Samogitis intulerat per frequentes excurſiones Quem cùm quidam potens Samogita Zayrecus Bojarus Roſenanienſis debellare non poſſet armis: ſaltem illum ſub pij exercitij ſpecie capere ſecum conſtituit. Significat itaꝗ ipſi, ſe cupere Baptiſmum: veniret, ſeꝗ ſua ope adjuvaret: non tamen ſolus ſed bono comitatu ſtipatus. Fidem Commendator infideli adhibet, & aduentum promittit. Jam ibat, nec longè ab inſidijs paratis cum quindecim Crucigeris & alijs non paucis ſocijs abeſt, cùm profugus Sudauius ruſticus ei occurrit, atq; eum de periculo monet: pro mercede liberos cum conjuge ſibi ablatos reddi petens & ut in colonum Pruſſum aſſumatur. Jurauit in hæc ei Commendator. Cùm igitur eum per ſyluas ruſticus compendioſo itinere ad eum locum, ubi Zayrecus in inſidijs latebat deduxiſſet, aggreſſus eſt Bojarum Commendator, illumꝗ captum, declinante die arbori alligauit ſine ulla diligentiore cuſtodia. Ille verò qua potuit arte ſe reſoluit de nocte, arreptoꝗ gladio F. Jeroldum ab Hanen & aliquot alios Crucigeros dormientes confodit. Quo ſtrepitu euigilans Commendator cum alijs, caput Zayreci fidit. Progreſſi ditionem ejus ſpoliarunt & incenderunt. Aſt Henrico Prouinciali malè ſucceſſit poſt hæc ſecunda inuaſio in Samogitiam cum 12. Fratribus & magnis copijs ex Gemania ſubmiſſis. Nam cum veniſſet in regionem Iragolam caſtraꝗ poſuiſſet in prato quodam jucundiſſimo, Putiuerus Rex Samogitiæ ex improuiſo retinacula aquarum dimittens, ſuperuenientibus undis pabula equorum, imò & ipſos equos, arma & exercitum perdidit, maximamꝗ ex eo partem captiuam abduxit, atq; ex Crucigeris in Sacrificium Deorum Heidenricum Eylingerum & Guilelmum à Coburg, exuſſit.

Zayrecus Samogita occiditur.



LIBER III.
DE REBUS PRVSSICIS.



Ladislaus Rex Poloniæ in Pomeraniam circa hoc tempus cum nonnullis Polonorum Proceribus, in quibus fuit & Kelcius Posnaniensis Palatinus, descendit, & Gedani ab vniuerso Pomeranorum conuentu jusjurandum accepit, quòd in potestate ejus semper futuri essent. Præfecit autem Præmislum & Casimirum Duces, Ziemomisli fratris filios toti Pomeraniæ, Gedano excepto: quòd pariter cum arce Bogussæ Judicis Pomeraniæ fidei commendavit. Non diu verò pacatam tenuit Pomeraniam Vladislaus. Author nouorum motuum fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Suianciæ siue Suanze Palatini Gedanensis filius: qui quantò plus possidebat, tantò majore cupiditate & ambitione flagrabat: & cùm repulsam à Vladislao de quibusdam postulatis passus esset, consilium cœpit nefarium prodendæ Marchionibus Brandeburgensibus patriæ, Patre si non impulsore, certè non inscio. Nec difficilè hoc ipsi erat peragere, cùm & dignitas inter Pomeranos maxima esset eius familiæ, & nouem arces Petrus in sua potestate haberet. Sed proditis, re nondum matura, eius consilijs, aduolat Vladislaus, captumq; Petrum Cracouiam secum adducit. In quem si minùs lenis fuisset, minùs fortassis posteà negotij, tum ipse, tum posteri eius habuissent. Sed erat in fatis vt Polonia Crucigerorum armis exagitaretur. Dimisit enim eum non multò pòst Vladislaus à fratribus eius exoratus, cum ij obsides se fore pro fratre obtulissent. Atq; ij quoq; cùm negligentiùs adseruarentur, breui euaserunt, & ad Petrum carceris ignominiâ & meditati sceleris infamiâ irritatum, sed de ipsorum tamen salute solicitum, peruenientes, omnem ei dubitationem sustulêre. Acciti Joannes & Voldemarus tutores eius Marchiones, cum exercitu Pomeraniam ingressi sunt. Nec mora, plerasq; omnes eius regionis munitiones partim per deditionem accepêre, partim expugnauêre adiuuante Petro cum Fratribus, necessarijs, & clientibus. Ad Gedanum deindè castra admota sunt. Oppidani quidem cùm magna iam ex parte Teutones essent, & cum Teutonibus plurima haberent commercia, Saxonibus portas vrbis aperuerant. Arcem tenebat Bogussa judex cum nobilitate Pomeranica, quæ se perfidiâ Petri non contaminarat. Is igitur veritus, ne obsessi extrema pati cogerentur, neue aut molestiâ diuturnæ obsidionis fracti, aut largitione corrupti, hosti arcem dederent, cum Nemira honestissimo equite, maximis itineribus, ad Vladislaum, commendata alijs arce, excurrit: repertumq; Sendomiriæ de statu rerum Pomeraniæ ac de periculo Gedanensis arcis edocet, opemq; eius implorat. Pollicetur Vladislaus, brevi se eis assuturum esse auxilio. Sed quia tardiùs id fore judicabat Bogussa, quàm præsens necessitas postulabat, si tunc primùm indici uniuersæ Poloniæ expeditio in Pomeraniam deberet, præsertim æstate iam declinante, suggerit Vladislao, ut Crucigerorum Prussiensium operâ ad defendendam arcem uteretur, tantisper dum ipse commodè bellum aduersus Saxones comparare posset. Erant vicini Gedano Crucigeri, semperq; ferè in armis erant, & facultatibus abundabant. Ad hæc Polonorum se amicissimos, ita vt iure optimo esse debuerant,

Cancellarius Pomeraniæ vult Pomeraniam prodere.

buerant, præſeferebant. Itaq; approbat Boguſſæ conſilium Vladislaus: extemploq; Boguſſa ipſe cum regijs mandatis ad Magiſtrum Crucigerorum proficiſcitur. Dato conſilio commemorat Polonorum & maximè Vladislai Majorum in Crucigeros beneficia: pro ijs vnam illam gratiam poſtulat, vt arcem Gedanenſem aduersùs Saxones defendendam ſuſcipiant. Non immemorem nec ingratum fore erga ipſos Vladislaum. Prolixè illi omnia polliciti conſtituerunt cum Boguſſa, ut dimidiam arcem ipſi tenerent, & annum vnum ſuis ſumptibus defenderent: deinceps verò poſt exactum annum quæcunq; impendia facerent, vt ea Vladislao expenſa referrent, nec priùs arce decederent, quàm exoluta ſibi eſſent. Damnorum verò, ſi quæ acciperent, nulla ratio duceretur. Erant pacta amica, dignamq; religione & profeſſione hominum erga patronos gratitudinem ac pietatem præſeferebant. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam vim commeatûs ſecum importarunt. Ac munia domiciliaq; cum Pomeranis, quemadmodum convenerat, partiti, non habebant ſatis defendere munitionem, ſed crebris eruptionibus hoſtem laceſſebant, ita vt is in oppidum ſe recipere cogeretur, & ad extremum inſtante hyeme obſidionem ſolueret, relictoq; in oppido aliquanto præſidio diſcederet. Verùm id quoq; non multò pòſt expugnatum & præſidium interfectum eſt, ac de authoribus defectionis ſumptum ſupplicium. Et jam non magnoperè opus erat adjutoribus ac defenſoribus Crucigeris: verùm tamen alebant ij metum Pomeranorum & ſubinde plures armati in arcem ſubmittebantur. Cùm autem ſuperiores jam ſe eſſe Pomeranis animaduerterent, ferociùs ſeſe gerere ac ſæpè cum illis jurgari atq; rixari: ad extremum apertiùs totam ſibi arcem vendicarunt, & primores nobilitatis Pomeraniæ ipſumq; præfectum arcis Boguſſam in carcerem compegerunt. Qua neceſſitate adactus Boguſſa, noua pacta cum ipſis iniuit: nimirùm, ut totam arcem ipſis concederet, ipſi verò eam Vladislao ad primam eius poſtulationem deindè redderent, cùm is impenſas belli eis exoluiſſet. Suſpicabantur quidem Pomerani ſubeſſe dolum his pactis. Sed quid facerent? Vis eis & injuria atq; adeò præſens exitium ante oculos obuerſabatur: itaq; cuncti arce exceſſerunt. Qua re ad Vladislaum Cracouiam perlata, cœpit eum pœnitere conſilij de aſciſcendis in auxilium contra Saxones Crucigeris. Videbat enim ſe lupis, quod dicitur, oues commendaſſe, & non ſublatum ſed duplicatum ſibi eſſe bellum, duoſq; ſe pro uno hoſtes accepiſſe. Ac tunc demùm recordabatur, adhuc Præmislo regnante, Crucigeros ad interuertendum Gedanum adſpiraſſe: nec multò diſſimili cupiditate, quamuis diſſimili arte, Michalouienſem ditionem uſurpaſſe. (Eſt verò Michalouia admodùm anguſta terra inter Brodnam & Dreuanciam fluuios ſita, in qua olim etiam Brodnicia continebatur: Culmenſi ac Dobrinenſi finitima) nam acceperant eam hypothecæ nomine à Leſco Duce Cuiauiæ, ac Domino Viſſegradenſi (hoc enim titulo is in diplomate ſuo uſus eſt) datis ei mutuo trecentis marcis Torunenſibus, quibus ille ſe, in bello Vngarico à Venceslao Boëmorum Rege, captum redimebat. Conuenerant autem Crucigeri cum Leſco, vt ſi is intra triennium pecuniam illam non redderet, propria jure ſempiterno Crucigerorum fieret ea ditio. Et offerebat quidem eis Leſcus cum fratribus pecuniam intra conſtitutum tempus, non acceptarunt eam tamen illi, deguſtata ſemel poſſeſſionis & utilitatis dulcedine, iam hoc jam illud cauſiſicantes, donec aliquanto poſt Leſcus neceſſitate adductus, acceptis inſuper ab eis ducentis

Crucigeri in arcem Gedanenſem ſuſcepti.

Boguſſa incarceratur.

sexaginta duabus marcis, Dominatu illo, & juri omni sese abdicavit. Hæc tum secum de Crucigeris Vladislaus reputabat. Nec tamen spem penitus omnem de fide eorum abjiciebat. Existimabat enim, quamuis literis & legationibus nihil apud eos proficeret, tamen si ipse in colloquium cum eis veniret, facilè authoritate sua, ad æquas conditiones rem perduci posse. Alebant illi hanc spem eius blandis responsis, quo majore vi ac diuturnitate temporis Gedani possessionem sibi stabilirent. Tandem constituto loco atq; tempore conueniunt Rex & Henricus Magister, qui & Gotfridus, apud pagum Cracovice in tractu Cuiauiensi cum primoribus vterq; suis. Ibi Vladislaus exorsus, longa oratione cum Magistro de injuria occupatæ arcis & ejectorum suorum expostulat: beneficia majorum suorum in Ordinem Crucigerorum commemorat, pro quibus aliter ij gratiam sibi referant, quàm gratis bonisq; viris & eximiam pietatem atq; religionem nomine & habitu profitentibus, dignum sit. Atq; ut ingrati, injusti, atq; impij esse vellent, fidem quidem certè vel unicum vel maximum societatis humanæ vinculum, & pacta conuenta, quæ ne barbari quidem temerè violarent, seruare eos debuisse. Adhuc hæc Magister nihil beneficiorum & ingratitudinis perfidiæq; exprobratione commotus, placidè & modestè respondit: se quicquid fecerit, bono Vladislai fecisse. Metuentem enim, ne Pomeranorum insolentiâ suorumq; impatientiâ, res in majus malum erumperet, excedere Pomeranos arce iussisse, quàm retinere ipsi per se non possent. Paratum autem se esse eam reddere, si impendia sibi persolverentur. Æquum eum postulare Vladislaus ait, & edere impendiorum summam jubet. Ibi ille conceptum animo dolum detegit, ac centies mille marcas latorum grossorum (genus est Boëmici numismatis quarta parte nostratem grossum excedens) poscit. Negare Vladislaus iustam eam esse æstimationem bonorumq; virorum arbitrio in ea stare velle. Recusare id Magister & quantum edidisset, poscere. Ingens tunc ea summa fuit in magna annonæ vilitate. Itaq; re infecta & irritatis magis animis disceditur. Crucigeri iam omnem Pomeraniam animis complexi, majori vi bellum comparabant. Augebat autem eis spem potiundæ eius, quòd sciebant, Vladislaum ciuili aduersùs Henricum bello de majoris Poloniæ possessione distineri, & à Lituanis insuper non minus ipsius, quàm aduersariorum eius agros infestari. Nam excurrerant ij superiori tempore depopulandi non modò in Calissiensem oram iterùm, sed etiam in Siradiensem, quæ in Vladislai ditione erat. Anno, 1307. resignauit Gotfridus officium Magistri, Marpurgum discessit, & paulò pòst vitâ cessit.

Mensurarum & ponderum ratio.

Sub eius Regimine mensurarum & ponderum ratio constituta fuit (quæ in quibusdam posteà mutationem accepit) conuentu coacto Engelsburgi quinquaginta Commendatorum & vnius, vt sequitur. Vt centenarius contineret libras centum, Libra 32 lotos. Vnam marcam 16. loti facerent. Vnam vnciam duo loti. Parchati melioris stamen haberet vlnas, 42. vilioris vlnas 22. Stamen panni 32. vlnas. Duodecim vrnæ constituerent plaustrum vini. Sexaginta sex stofi, vnam tonnam mulsi. Centum triginta duo stofi vas Rhenense. Tres vnci facerent duos mansos. Milliare contineret duos sulcos, Bete. Sulcus in longitudine haberet decem virgas mensorias. Mensoria virga septem vlnas cum media. Sexaginta virgæ efficerent stadium. Triginta stadia vnum milliare. Triginta jugera vnum mansum constituerent. Lasta haberet in frumento, 60. modios: in tonnis 60. Modius quartas quatu-

quatuor: vna quarta, quatuor metze. Metze contineret tantum quantum vir quispiam ambabus manibus comprehenderet decies.

Vbi audiuit Sifridus alter Magister, vitâ functum esse Gotfridum congregato Capitulo Marpurgi (nam illuc sedes Magistri translata erat) & ipse resignauit officium: admonuitq; suos ut in timore DEI viuant, quem semper ante oculos præsentem habeant, ac alterum Magistrum eligant. Sed illi eum secundò elegerunt in Magistrum XII. anno Christi, 1308. In Prussiam venit anno sequenti. Vbi Capitulum celebrasset Marieburgi, eam arcem pro suprema sede Magistri statuit. Transtulit quoq; Prouincialis officium in magni Commendatoris manus: quo Henricum Plotzko insigniuit. Constituit præterea ut Marsalcus Regiomonti resideat, ac ea quæ belli forent, administret: hospitalarius summus Elbingæ: Trapiarius (est is qui monetæ cudendæ præficitur) Christiburgi.

Fœdus ineant Crucigeri cum Brandeburgensibus.

Gedanum proditur Crucigeris.

Crucigeri tunc prosperiore fortuna contra Lituanos bellum gerentes, opportunitate utendum rati, anno. 1310. magnas à Germanis suis copias conducunt, cum Marchionibus Brandeburgensibus fœdus ineunt, ea lege, ut ij retinerent quicquid superiori bello in Pomerania occupassent: Gedanum verò, Dersauiam & Suece munitiones in ripa Vistulæ sitas sibi bello quærendas concederent. Et sanè facilè est de alieno esse munificum. Deinde Crucigeri ad Gedanense oppidum, quod in potestate Vladislai erat & à Pomerana nobilitate defendebatur, castra admouent, eo potissimùm tempore, quo plurima eò multitudo hominum undiq; ad mercatum & annuas nundinas confluxerat, hoc est, primis Augusti mensis diebus. Idq; eo maximè consilio fecerunt, ut ex direptione opulenti oppidi & mercatorum atq; nobilitatis, quæ facultates suas eò importauerat, pecuniam in stipendia militum & in cæteros usus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum strenuè, plurimumq; negotij in eo expugnando habituri esse videbantur Crucigeri, ni proditio interuenisset. Etenim nocte quadam hostes à ciuibus quibusdam Teutonici generis apertâ portâ intromissi, oppidum ceperunt, ingentemq; cædem hominum omnis Ordinis, ætatis atq; sexus ediderunt, ut eo crudelitatis exemplo reliquos à defensione cæterarum munitionum deterrerent. Nec in ulla cujuspiam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse proditur ab ullis barbaris, quàm tunc à Religiosis illis & Polonorum beneficiarijs effusum sit. Gedano potiti ad Dersauiam, quæ Tysciovum appellatur à Polonis, ducunt exercitum: neq; tamen interim populationibus & incendijs pagorum & villarum hominumq; cædibus abstinent. Præerat arci Casimirus Dux, cui cum Præmislo fratre Pomeraniam à Vladislao commendatam fuisse, superiùs memorauimus. Is igitur de aduentu hostium factus certior, ad castra eorum cum Vincentio Decano Gnesnensi proficiscitur, quòd non parua ei erat cum Crucigeris & Magistro consuetudo. Sperabat enim eos sua causâ susceptum bellum deposituros esse, propterea, quòd meminerat, prolixè eos sibi fratriq; suo de studio & beneuolentia sua pollicitos esse. Admissus in conspectum Magistri & Commendatorum (nam sic ipsi vocant eos, qui rectiùs legati vel Præfecti dicerentur) supplicis habitu, Magistri erga se fratremq; Præmislum beneuolentiam atq; pollicitationes commemorat. Ejus hortatu se administrationem Pomeraniæ suscepisse. Nihil unquam hostile, sed bonam vicinitatem & auxilium ab eo sperare jussos. Orat deinde, ut pollicitationum suarum & officij memor esse velit, exercitumq; deducat. Si quid ipse

fraterue suus aut Pomeranorum quisquam, aut patruus deniq; suus Vladislaus in eum, vel in Ordinem Crucigerorum deliquisset, cumulatè satis facturos esse. Superbè & improbè ei Magister respondit, fassus ea quæ ille commemorarat: verùm eò id fecisse quòd ipsos quàm potentiorem quenquam vicinum, habere mallet. Nunc se, quàm illos Pomeraniam obtinere malle. Sibi se esse amiciorem quàm ipsis. Verùm eam tamen se eis gratiam facere, ut eis præsidium deducere, & res suas saluas auferre liceat: aut si id nollent, sese suaq; defenderent. His dictis, mensam apponi jubet, inuitat hominem comitesq; ejus comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Crucigerorum arcem obsidione cinxit. Peracto prandio, cùm Casimirus nihil æqui à Magistro impetraret, & in arcem cum suis reuerti vellet, videt aditum obsessum ab hostibus. Mittit ad Magistrum, qui eum admoneant, præter officium & jus gentium id sibi factum videri, quòd interim dum ipse de pace agit, arx obsessa sit, & ipse ab ea excludatur. Respondet Magister: Errasse Casimirum, qui existimarit, se cum tanto exercitu ad quietem somnumq; capiendum eò venisse, ullumq; tempus vacuum à rebus gerendis intermissurum esse, donec Pomeraniam in suam redigat potestatem. Si sibi ille auscultare vellet, arcem sibi deducto præsidio rebusq; exportatis, traderet. Ibi Casimirus cum sciret arcem non satis munitam esse aduersùs tantam vim hostium, neq; commeatu instructam, consilium cepit necessarium dedendæ arcis: saluisq; rebus & hominibus ad Premislum fratrem in Suecensem arcem se contulit. At Crucigeri Dersauiâ incensâ, ulteriùs progressi, Novum, Choiniciam, & alia quædam ignobilia oppida partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exusserunt. Deinde ad Suece castra mouerunt, quæ una erat arx reliqua in Pomerania, natura arteq; bene munita, & ad ferendam longiorem obsidionem instructa, quòd in eam se Præmislus & Casimirus Duces & Pomeranica nobilitas omnis, quæ supererat, cum copijs & facultatibus suis, contulisset. Quod cùm intelligerent Crucigeri, majore cura ad expugnationem ejus animos intendere cœperunt: excitatisq; machinis aliquot, mænia arcis, quæ lignea erant, quatere instituerunt. Ac duobus patibulis è regione arcis positis exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quò verò majorem metum eis incuterent, quotidiè aliquot homines rusticanos captos appendebant. Facilè autem omnes alios Sifridus Dominus à Weissenfelt Commendator Graudentinus optimus scilicet pietatis & humanitatis Præceptor (nam & hoc sibi nomen vendicant) crudelitate anteibat: qui quotidiè compluribus funibus atq; restibus in equum impositis, deuouebat, non priùs se sumpturum esse cibum, quàm omnes illos funes atq, restes in suspendendis Polonis siue Pomeranis expendisset. Verùm hanc ejus plus quam barbaricam inhumanitatem, justa numinis vindicta diutiùs impunè grassari passa non est. Etenim quadam die, cùm ad focum staret, furijs derepente exagitatus, in ignem se projecit, & sic infelix, qui permultos injustè perdiderat, justè perijt. Nihil tamen Crucigerorum illa crudelitas minæq; eorum, qui in præsidio erant, animos à defendenda arce & obsidione perferenda retardabat. Rursus quispiam cauillatur Gromerum & alios Polonos, quòd historiam istam de Sifrido Magistro, ipsi soli scribant & non Germani. Sed vir bonus, plurimorumq; ut vult lector historicorum, non legit Simonem Grunau Patrem historiarum Prussarum qui eandem refert. Fuit verò Simon Grunau oriundus Tolkemittâ, Monachus Dominicanus Gedanensis, qui historiam suam

Fraus Crucigerorum.

Sifridi à Weisenfelt barbaries.

Vindicta Dei in eum.

Grunau Dominicanus historicus

suam in Germanico scripsit. Et recensent hanc ex ipso alij Germani scriptores. Non scribit verò, ut patet, hanc historiam Cromerus de Magistro supremo Ordinis, cujus acta cum Polonis hic describit, sed de altero Sifrido Commendatore Graudentino, ut patet. Sed valeat. Crucigeri cum animaduerterent sedendo se tempus terere, & aperta vi nihil proficere, ad dolos se conuertunt. Andream Cedrouicium quempiam de Pomeranis, gente Gryphium auro corrumpunt, ut arcem sibi proderet. Is autem nocte quadam chordis catapultarum & balistarum, quibus Poloni maximè hostium vim eminus reprimebant, succisis, ad Crucigeros transfugit, & quid egerit, exponit. Igitur postero die Crucigeri magna fiducia turres, quas excitarant ad mœnia arcis propiùs provolvunt ab ea parte quæ interrupto fluminis ambitu liberiorem præbebat aditum. Poloni cùm submouere hostem solitò ferociùs urgentem oppugnationem vellent, reperiunt balistas & catapultas redditas esse inutiles. Re noua perculsi, tamen oblatis fortuito telis, extremum conatum faciunt: & partim contis mœnia scandentes hostes detrudunt: partim saxis & molibus dejectis, audaciùs succedentes obruunt, ita ut receptui canere Magister cogeretur. At Poloni periculo diei istius admoniti ac veriti ne grauiùs in se à Crucigeris capta arce consuleretur, misso caduceatore, menstruas inducias à Crucigeris impetrarunt, deditionem pacti, ni sibi intra id tempus subueniretur. Vladislaum de omnibus rebus certiorem faciunt: nisi celeriter opem sibi ferat, actum esse de se, ac de arce docent. At ille cum domi quietas res non haberet, Andream Rospirensem Castellanum cum aliquanta manu in auxilium Pomeranis proficisci jubet, ut bellum modò duceret. Verum is negligentiùs agens, neq; ausus per hostilem exercitum in arcem perrumpere, priusquàm conspexisset hostem, retrò abijt. Finitis inducijs, cùm nulla spes auxilij obsessis ostentaretur, post septuagesimum obsidionis diem excedunt arce Præmislus & Casimirus Duces, cum Bogumilo Præfecto arcis & Ottone Lexico Castellano, atq; omni præsidio armisq; & facultatibus, & ad Vladislaum profecti, humanè ab eo recreati sunt. Ita tunc Suecensem arcem simul & omnem Pomeraniam Vladislaus amisit, dum de majore Polonia sibi adjungenda solicitus est.

Cedrovicij seditio

Suecensis arx deditur & Pomerania à Crucigeris occupatur.

Anno Christi, 1311. mortuus est Henricus, VI. Episcopus Culmensis, 13 Julij, qui arcem Frideck cœpit ædificare. Vir probus, omnibus amicus, innocentisq; ac sanctæ vitæ. Vnus ex Ordine Teutonico & Decanus Culmseensis. Fuit vnanimiter à Capitularibus electus. Prædixerat ei afflictionem sancta illa Iutta, quæ certò ipsi accidit. Siquidem enim Crucigeri equiti cuidam Polono Dobrinensi intulissent injuriam, neq; illum istius nomine pacificarent, nobilis iste Joan: Crusniuick dictus, ex inopinato ius suum quæsiuit, & hac via assecutus est. Episcopum, obuius factus ei eo tempore, quando cum Sacerdote suo, rusticano curru Engelsburgum ibat, de via ad paludem deduxit in silvis, ubi eum etiam contumeliosè habitum detinuit. Vbinam esset Episcopus intelligi non potuit, quamuis Magister de eo sedulò inquireret. Postquam is sine vlla sua causa detentus fuisset decem septimanis, & tribus diebus, dimissus est ea conditione, ut causam nobilis promoueret apud Ordinem, & præterea solueret ei, 4000. flor. Quod se facturum Episcopus, manu ac literis datis, recepit. Et quidem causam Nobilis ad finem optatum perduxit, sed dum redemptionis pecuniam conquirit, è viuis migrat. Sepultus est Culmseæ: vaca-

Henricus VI. Episc. Culmensis moritur.

vacauitq; post eum Episcopatus duobus annis.

Vtebatur aliquando Magister Sifridus auxiliarijs in bello, quorum nonnulli vulnerati erant à Samogitis amicis, quibus illi injuriam intulerant. Idcircò voluntarij illi, plurimùm exprobrabant Ordini, quòd cùm pro eius defensione vltrò venissent, non parem tamen gratiam ab illorum subditis reciperent. Nec desistebant rapere quæ poterant. Prussi vicissim cum Samogitis conquerebantur Hermanno Mortango Præsidi Bartensium de injurijs acceptis: quibus ille concessit, vim vi repellere. Displicuit res magis voluntarijs, deq; vltione cogitabant. Accidit interim quadam die Potcomorum à quibusdam pagis frumenta aratralia duriùs exigere, & à non habentibus, pignora. Nec contentus his, probris Potcomorus agrestes affecit, qui eum interimunt. Quod cum resciuisset Præses, cum quinquaginta militibus ad eos profectus, omnes qui Potcomorum attigissent, occidi jubet. Nihil hoc gratius hospitibus accidit; vnus quoq; ex ipsis majorem flammam vtrinq; succendit. Nam ad Prussos pagos obequitans dissemina- *Rusticorum furor* uit rumorem, eodem modo omnes Prussos rusticos à Præside mactandos fore. Nec mora, agrestes non solùm se ad defensionem parant, sed etiam Præsidis milites obtruncant, ipsumq; comprehensum inter duos acervos carbonum ardentium assant. Dum hæc geruntur, adproperant hospites læti, visum quid Prussi, effecissent rerum. Sed malo suo: nam & ipsos rustici captos ab arboribus proximis suspenderunt: innuentes non extra rem dici: consilium malum consultori esse pessimum. Fecerunt exindè rustici sibi Capitaneum Vimpinum quadrata rotundis miscentes. Magister ne res in peius vergeret (nam & bella præ manibus habebat, & ipse Magister adversa valetudine laborabat,) ipsis datis literis impunitatem facti promittere debuit: usus in hac re opera & consilio Gerardi ab Eilenburg aduocati Altenhausensis. Insuper datis frumentis & vestibus furibundos sibi reconciliauit. Quam pacem eò libentiùs inierunt agrestes, quòd eorum Dux Vimpinus Angerburgi aquis interijsset. Postquam Sifridus in Prussia duobus annis præfuisset Ordini, & quidem semper valetudinarius, Marieburgi moritur, & Quizini sepelitur. Nam Marieburgi solùm interior munitio (quam vulgò Stock dicunt) exstructa erat, & supra eam S. Laurentij templum. Multa præclara quæ ad rem publicam in officio continendam, ad pietatem promouendam, atq; ad pacem in populo conseruandam deseruiunt, legibus sanciuit. Sunt autem *Leges Sifridi in Prussia.* hæc ferè. Nemo Iudæus aut nigromanticus, incantatores, præstigiatores, & quomodocunq; nominentur, qui cum Dæmone commercia habeant, in nostris terris tollerentur. Qui eos detinuerit & fouerit, eadem quæ infideles & similes infælices de iure ferre debent, patietur. 2dò Cum monetam propriam, præter Culmenses quatrinos (Vierchen) non habeamus, & in communi usu sint Boëmici grossi, ordinamus, ut eorum triginta vnam bonam marcam in his terris faciant. 3tiò Qui habet familiam Prussam, contendet vt ex ijs quælibet Persona singulis Dominicis diebus Parocho confessionem faciat: templum frequentet, ac Prussico idiomate cum nemine loquatur, sub pœna trium marcarum bonarum. 4tò Statuimus ac mandamus, ne in vllis ciuitatibus, suburbijs, in Germanicis pagis, in prædijs, in tabernis ac in puerperijs Prussus præficiatur: neq; cereuisiam propinet vir aut mulier. Ipsi verò de-

sertos

fertos fundos colant sub pœna 3. marc. b. 5tò Famulo scienti sua instrumenta conficere, dentur per annum tres marcæ cum media: aurigæ per annum, duæ cum dimidia: puero aratrum propellenti per annum, marca cum dimidia: ancillæ majori, duæ marcæ: puellæ infantis curatrici; media marca: infirmi curam habenti, per hebdomadam quindecim Culmenses quatrini: operario per diem sex quatrini. Qui plus aut minus soluerit, pendet, 100. marcas. Et sub eadem pœna nemo conducet aliquem pro famulatu sine scitu eius consanguinei proximi. 6tò Fugientem familiam potest quis persequi & comprehensam aure affigere. Si quis ex familia absq; iusta causa dimittatur, huic tota merces impendi debet. Sed otiosi minimè tolerentur. 7mò Si famuli famulæue nubere voluerint, id ipsis permitti debet: excepto in messe, fœnicidio, vindemia, & collectione lupuli. Vbi hæc perfecerint, poterunt nubere: Qui contra deliquerint, mercedem perdent, & Domino tres marc. b. deponent. 8vò Braxatores in oppidis & tabernarij in pagis cereuisiam suam ipsi propinent non per Höcker. 9nò Quod quis vendere vult ad forum deuehat. Si quis aliter emerit, rem perdet, & Domino triginta marc. soluet. 10mò Artifices signabunt facturas suas, sub pœna 3. marc. bon. 11mò Cùm celebrantur nuptiæ, puerperia, & sponsalia: poterunt sculteti nostri ad sex vasa, cives in oppidis & suburbijs, ad 4tuor. communis ruricola ad duo vasa cereuisiæ conuiuas inuitare, atq; hoc solùm pro die Lunæ: sub pœna 10. b. marc. 12mò Pro die baptisationis & introductionis puerperæ unum prandium dabitur, nec ultra 4. vasa cereuisiæ, sub pœna trium b. marc. 13mò Nullus libertinus, scultetus, artifex, rusticus in ciuitatibus & pagis in compotationem pœnam soluet: sed hæc debebit deponi in arculam, unde arma comparentur, sub pœna 10. b. marc. 14mò Antequam finiantur diuina diebus Dominicis & alijs festis, nihil venum proponatur sub pœna amissionis rei & trium b. marc. 15mò Paratæ vestes non venum exponantur: pannus non fucetur colore alio sub pœna amissionis rei, & 10. b. marc. 16mò Visitatoribus quos Episcopi singulis triennijs mittunt, præstò erunt contra iniquos & inobedientes vbi opus fuerit, sub pœna trium b. marc. Statuit deniq; illam legem vt Prussus bibens extremum haustum è cantharo, de recenti rursùs sub captis pœna inciperet, qua lege præcauit malitiam Prussorum veterum, qui recentem haustum intoxicatum Christianis porrexerunt, vt eos de vita tollerent. Vndè quispiam sic lusit.

Merces familiæ.

Bibens extremum haustum ex nægis incipit.

Qui bibit ex nægis, de frischibus incipit ille.
Cur sic si quæras? sic lex Pruthenica sanxit.

Patebat ex mari salso ad Habum ingressus siue portus apud Lochstete: item alter inter Vogelsangum pagum & Smergrub. Sed tempestas valida exorta eius tempore mense Augusto, qua etiam putabatur Prussia euersum iri, utrumq; portum terra arenaq; obstruxit: altero è regione Balgensis arcis & civitatis Brunsbergensis aperto. Sed major orta fuit tempestas pro die S. Donati: ex qua pluuia aucti fluuij Vistula, Dreuantia, Lava, Berda, Nogatus, Syrguna, Passaria, Prægolla, eruptionibus suis plurimos agros destruxerunt. Omnium maxima in die S. Michaëlis extitit. Et hæc quidem omnes moletrinas destruxit & sustulit, quinq; saltem salvis relictis: post quam pestis in Prussia adeò desæuijt, ut magis famatarum personarum, famulis & pueris atq; ruricolis non numera-

Tempestas validæ.

Pestis in Prussia.

tis octodecim millia perierint. Ex Crucigeris Fratribus obierunt centum & duodecim, ex domestica familia, duo millia. Sifridus Magister dum hæc pestis in Prussia grassaretur ab anno, 1308. à festo omnium Sanctorum vsq; ad Ascensionem Domini, 1309. Marieti in Gallijs se continuit. Quo anno vniuersa frumenta in campis in Prussia ex continuis pluuijs & defectu operariorum perierunt. Poloni tamen egerunt officia vicinitatis optima. Nam per triennium Prussis frumenta aduexerunt, receptoq; pro lasta pretio trium marcarum bonarum. Aliorum esculentorum magna abundantia erat & vilissimum pretium. Sifrido sufficitur in officio Magistratûs, XIII Magister Carolus Bosphorus, vnus de sanguine Romanorum eorum, quos Antonius Caracalla in exilium propulerat. Habuit hic multa bella cum Lituanis & negotia cum Polonis, de quibus pauca modò in medium proferam ad Lituanica rediturus. Subacta omni Pomerania, vt supra dictum est, non tamen deposuerunt sollicitudinem Crucigeri, veriti, ne bello à Polonis ea, constitutis domi rebus, repeteretur. Quocirca vt sibi possessionem eius stabilirent, colloquium à Vladislao Magister Carolus petiuit. Nec renuit Vladislaus, sperans, pactis aliquibus (quòd malebat quàm armis) recuperare se à Crucigeris amissam Pomeraniam posse. Itaq; anno sequenti præstituto die apud Breste Cuiauiense oppidum conueniunt. Ibi Magister graviter à Vladislao accusatus, paucis ad excusationem facti sui dictis, magnis precibus ab eo Proceribusq; Polonis contendit, vt Pomeraniam sibi & Ordini suo iure sempiterno concederent: certam auri & argenti summam & Nessouiam arcem cum Orlouo & Murinouo pagis vicissim à se reciperent. Ad hæc 40. hastatorum auxilium ad quævis bella Polonis contra quemvis hostem, Crucigerorum stipendijs militatura promittit. Addit etiam peramplum Monasterium, quibuscunq; Monachis vellet Vladislaus, pro salute eius conditurum se esse. Quasi verò fraude quæsitis, aut per vim raptis muneribus placetur DEus. Offensus hac oratione Magistri Vladislaus, quòd irrideri etiam se vltrò ab hoste existimabat, indignabundus & minitabundus discessit. Magister verò repulsam passus, vt aliquam tamen duntaxat in speciem iustum titulum sceleri suo prætexeret, à Marchionibus Brandeburgensibus Ioanne & Patruo tutoreq; eius Voldemaro, decies mille marcis latorum grossorum eandem Pomeraniam, de cuius inuasione eos dudum depulerat, emit, eamq; emptionem ab Henrico Cæsare sibi & Ordini suo confirmari curauit. Nec dissimili scelere Liuonienses quoq; Crucigeri eodem ferè tempore Rigam vrbem atq; territorium Archiepiscopo, à quo anteà simili de causa in Liuoniam inducti erant per summam injuriam eripuêre. Multa prætereà nefaria vtriq; Crucigeri in Prussia & Liuonia ac Lituania quoq; designabunt: vnde apparet, eos delendæ potiùs, quàm propagandæ apud Barbaros religionis Christianæ curam habuisse. Quæ literis Clementis V. Pont. Max. quibus cognitionem earum rerum Ioanni Archiepiscopo Bremensi, & Magistro Alberto Canonico Rauennati delegauit, prolixè ac disertè descripta sunt. Quarum literarum exemplum extat apud Dlugossum, & in Codice Heilsbergensi. Quo minùs autem statim Prussienses Crucigeros Vladislaus vlcisceretur, suaq; ab ipsis erepta recuperaret, ciuilibus quibusdam motibus impeditus est.

Carolus Bosphorus

Riga eripitur à Crucigeris.

Huc usq; Prutheni nihil sciebant, de Contributionibus faciendis:

Cùm

Cùm verò vellent Crucigeri Pomerelliam emere, ab ijs decimum nummum bonorum petebant: exponentes, quò cum fructu id fieret Prussiæ, si ematur: & quo commodo carituri essent, si intermittatur. Quo quidem accidit, vt libenter homines id quod petebatur, darent: sed hæc summa cum non sufficeret, solvebatur secundò tributum quidem, sed illibenter. Tertiò quoq; cum violentia petebatur & extorquebatur. Quæ contributio multis nominibus appellabatur, obtinuit tandem vsus, vt cisa vel Accisa, quòd illorum res valdè acciderent & decrescerent: Germanicè Zeise/ diceretur. *Accise inducta*

Quod ad Lituanos attinet; ædificari fecit Carolus Magister Christimemelam ex lignis; vltra Ragnitam ad Nemenem fluuium, ex qua Lituaniam inuaderet, & vicissim Lituanorum irruptiones in Prussiam prohiberet. Hanc quidem munitionem intra quatuor hebdomadas, operâ quinq; millium artificum vsus, absoluit. Ex ea itaq; progressus, ex insperato Bisene arcem Lituanorum obsedit. Quem insecutus est alius exercitus fluuiatili itinere. Sed accepta clade, vtræq; copiæ recesserunt. Majori tunc infortunio perculsus fuit in Lituania Vernerus Commendator Ragnitensis. Instruxerat is grandiorem bellicam nauem cum turribus, curritorijs, & similibus propugnaculis ad defensionem necessarijs. Ducebatur ea aduersùs Nemenem: ex qua hac atq; illac milites discurrentes Lituaniam miserè diuexabant. Redeuntem verò domum Surminus Marsalcus Putiueri, cum, 100. scaphis insecutus, prope Christimemelam oppugnauit: nam ibi constiterat alligata ad arborem. Aliquoties iam Commendator cum militibus suis hostiles impetus repulerat, cùm ecce vel rumpitur vel abscinditur funis quo alligata erat, secundoq; flumine defertur. Insequebantur eam hostes & magis ac magis vexabant, defendentibus se non minùs strenuè Crucigeris, vsq; dum ex ipsis quatuor duntaxat sagittarij reliqui essent, qui quoq; occisi sunt pugnando, incensa naue. Nec tamen taliter cæsi Crucigeri, ab vlteriore impugnatione Lituaniæ destiterunt. Nam post initium anni, 1314. magnus Commendator cum exercitu in ditionem Medeuike irruit, eamq; vastauit: frustraq; ipsa munitione tentata, cum præda domum reuertit, animatusq; fœlici successu rursùs post Purificatæ Virginis solennitatem, dictam munitionem fortiùs oppugnare aggressus est. Amissis verò ibi multis, cùm ferè totam æstatem in obsidione arcis consumpsisset, eam deseruit & mense Decembri in ditionem Kriwitæ irrupit. Sola hæc hucusq; illibata à deprædatione manserat. Expugnatam ibi ciuitatem paruam Nouigardam diripuit & incendit. Progressus erat vltra, 100. milliaria in Lituaniam, suadebatq; res exitum. Dum itaq; Commendator regreditur, deficere eum victus pro militibus & captiuis incipit, quorum ingens erat numerus. Nam eo itinere quo in Lituaniam ierat, omnia priùs miles protriuerat: quæ ferre secum nequibat: quoq; illi modò redeundum erat, Vnum refugium restabat: nempè quærere ea, quæ sub vastatione Lituaniæ sub tutela militum apud impedimenta reliquerat. Sed hæc reperta Lituani, occisis omnibus pro custodia relictis, sustulerant. Dilabebatur interea miles Crucigericus. Qui apud Commendatorem remanserant, magis timore hostium quàm amore eius, triduo panem non degustarunt: pro fame leuanda mactatos equos vorabant, radicibus & pomis agrestibus loco panis usi. *Lituanie vastatio Crucigeris infausta.*

Ex ipsis verò qui dilapsi erant, alij in manus hostium deuenerunt, alij frigore & fame in solitudinibus perierunt.

At redeundum mihi est cum Crucigeris in Pomeraniam, & videndum, postquam eam emerunt, quidnam in ea designauerint. Ac quidem illi possessiones ac prædia Ecclesiarum inuasere, decimas à suis arationibus, sacerdotibus omninò negarunt. Ex agricolarum verò in pecuniarias pensiones commutarunt: & ita diminuerunt, ut ex manso siue laneo (modus hic est agri, quod latinè opinor jugerum dicimus) quaterni tantum grossi penderentur. Quibus rebus factum est, ut derelictui haberentur, ac deindè malignè à Crucigeris supprimerentur sacerdotia. Iniquiùs hæc tulerunt Archiepiscopus Gnesnensis, & Vladislauiensis atq; Posnaniensis Episcopi, qui decimas è Pomerania capiebant: itemq; Joannes Plocensis: cui etiam ex territorio Michalouiensi decima negabatur. Et cum hoc quidem Carolus Magister transegit ea lege, ut septem annis immune esset id territorium à pensione decimæ: post eos verò, 90. marcas Torunensis Episcopus, decimæ nomine quotannis acciperet. Cæteri verò cùm essent tenaciores juris sui, Magistrum, & Commendatores & cæteros Crucigeros publicè in templis execrabantur, & locis quibusdam sacris interdixêre. Verùm contemnebant eam disciplinam, religiosè semper à bonis pijsq; hominibus obseruatam Crucigeri prætextu prouocationis ad Pontificem Max. Quare adducti Episcopi, communicato cum Vladislao Rege consilio, Gerardum Vladislauiensem Episcopum, in cujus Diœcesi est pleraq; omnis Pomerania, ad Joannem ejus nominis, XXII. Pontificem Max. qui tunc demùm post duorum annorum triumq; mensium vacationem, Clementi V. successerat, miserunt, ut non modò de Ecclesiasticis bonis ac decimis, verùm etiam de erepta per summam injuriam Pomerania, Regis & uniuersæ familiæ nomine Crucigeris litem intenderet. Simul autem & Vladislao diadema & nomen Regium impetraret. Existimabant enim inauspicato id sibi Præmislum injussu Pontificis assumpsisse, quòd non ignorarent interdictum esse ea re nomini Polono post cædem Divi Stanislai. Non latuit consilium Polonorum Crucigeros: & ne id procederet, omni ope enitendum esse sibi existimarunt. Itaq; miserunt & ipsi ad Pontificem qui Polonorum conatibus obsisterent, litemq; quantum possent, ducerent. Regnabat tunc apud Boëmos Ioannes Henrici Imperatoris Romanorum filius: nec solùm Boëmorum sed & Polonorum Regis nomen quasi hæreditarium sibi vendicabat. Eum igitur etiam promissis & muneribus induxêre Crucigeri, vt Vladislao negotium facesseret, & ne regnum ei decerneretur, summa ope apud Pontificem intercederet. Ad quas res perficiendas, cum opus haberent grandi pecunia Crucigeri, tributum Pomeraniæ toti imperarunt, binos grossos in singulas marcas: unde triginta millia marcarum redacta esse dicuntur. Ad hæc ejectas naufragio merces in mari lege Rhodia usurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, ut toto fermè quadriennio nihil aliud impetraret Gerardus à Pontifice, quàm ut cognitio causæ inter Polonos & Crucigeros Archiepiscopo Gnesnensi, Pomesaniensi Episcopo, & Abbati Moglinensi delegaretur. Quòd verò ad regnum attinet, vt non impediret, quò minus Poloni jure suo vterentur. Nam apertè Vladislao regnum decernere noluit, ne Joannem & Socerum ejus Philippum Regem Francorum offenderet. Secretò tamen

Decimas negant Crucigeri.

men voluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Intendit posteà mentem Rex coronatus eodem anno, 1320. ad intentandam litem contra Crucigeros. Verùm detrectauetunt ij judicium delegatorum apud Breste Cujauiense jus dicentium. Sed tamen refutata appellatione damnati sunt & Pomeraniam Regi reddere, ac, 150000. marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus aliaq;, 30000. in litem expensa numerare jussi. Cùm autem non parerent rei judicatæ, anathemate icti sunt: ita, ut nusquam ijs præsentibus sacra fieri liceret. Hoc ipso anno maxima clade sunt rursus Crucigeri à Lituanis & à Samogitis affecti. Nam cùm illi longiùs progrediuntur prædam agentes: hi à tergo ipsis, arboribus succisis, reditum obstruunt. Perierunt igitur hac vice ex solis Crucigeris quadraginta cum magno Commendatore Henrico. Aduocatum Sambiensem Gerardum Rode, more suo barbari in honorem Deorum suorum vivum cremarunt. Parùm etiam ex hinc feliciter Crucigeri cum Lituanis decertarunt. Nam breui pòst in prælio quodam (licet nova auxilia eis ex Germania aduenerint) Commendatorem Regiomontanum atq; Ellerensem, Bergensem, ac Reynecensem comites amiserunt. Neq; solùm Lituani recuperarunt munitionem Pisten, quæ se Crucigeris deditione subdiderat, abductis in miserrimam seruitutem, 5000. Christianorum: sed eò etiam acerbiùs Reualiam & cætera loca circumquaq; deprædati sunt. Memelam quoq; ceperunt. In Prussiam ulteriùs progressi spoliarunt ditionem Velauiensem: commendatorem ex Tapiauia occurrentem sibi cum copijs trucidarunt. Dobrinum similiter & Masouiam igne & ferro vastarunt: ita ut intra semiduos annos ultra viginti millia Christianorum à Lituanis & Samogitis cæsa referantur. Et quantumuis posteà Crucigeri recepissent partem Samogitiæ auxilio Ducis Bauari, & Marchionis Misnensis ac non contemnendis præsidijs Noyadam & Bissonadam firmassent: cùm tamen viderent præsidia ipsa, Samogitas sibi non fore obedientes: maximè, quòd Rex eorum Gediminus cum Moscouitis pacta inijsset, clàm indè discesserunt. Gediminus autem Samogitiam occupauit. Per id tempus quoq; dum abesset Magister Carolus & ejus locum teneret Vernerus ab Orseln, potentissimus Bojarus Posdroja Lituanus deprædatus est Barteniam, & alias quasdam ditiones Prussiæ, & cum omni præda illæsus recessit. Anno, 1322. Carolus Magister, vir disertus, Latinam atq; Italicam linguam callens, dum redit ex Italia, quo negotiorum quorundam Ordinis sui causâ ad Joannem XXII. Pontificem Max. qui tunc Auenione mansit, profectus erat: in itinere cum Treuirim ad Patriam videndorum suorum gratiâ diuertisset, infirmitate corripitur, & moritur: ac ibidem in Ecclesia Ordinis sui sepelitur. In defuncti locum substituitur eodem anno, Vernerus ab Orselen, XIV. Magister Ordinis ex commendatore magno. Vir fuit per se pius, quiq; in disciplina Fratres contineret, terrens eos prælectione vaticinij beatæ Birgittæ, quod in thesauro Ordinis conseruabatur. Multa bella cum Lituanis gessit, licet breui tempore officio præfuerit. Cùm aliquando sub ejus Magistratu ijdem in ditionem Labiam irruissent, & eam non solùm diripuissent sed etiam, 200. Christianos occidissent, F. Gundramus Commendator Christiburgensis cum ijs prælium inijt. Vulneratus verò fuit adeò ut intestina ejus effluerent: tamen loco non cessit, sed una manu foramen obstruxit: altera pugnauit tàm diu, donec

Crucigeri excommunicantur.

Crucigeri cæsi à Lituanis.

Carolus Magister moritur.

Vernerus ab Orselen.

ad Cristianos victoria inclinaret. Tunc deficiens in terram corruit & expirauit; Honorificè funus ejus ab ijs, pro quorum salute decertauit, Christiburgum deductum, sepelitur. Moritur V. Episcopus Pomesaniensis, 22. Aug. & Quizini sepelitur, Luttolfus siue Lutto vir nobilis Baldisheimensis, Doctus ac facundus. Promotus fuit ad Episcopatum intercessione Fratris sui Pantzracij Marscalci apud Ordinis Magistrum. Qui rursus rem ad Capitulum detulit: à cujus majore parte in Episcopum electus est, quem tamen Episcopatum ille renuit. Quandoquidem tamen etiam aliorum voces in ejus electionem posteriùs consenserunt: eum suscepit, & in sua Ecclesia consecratus est. Ipso die post habitas primitias Synodum celebrauit, in qua recensitæ sunt in ejus Episcopatu, 550. Parochi, cum, 175. Vicarijs, Capellanis, & si quo alio nomine munia sacerdotum vocantur. Ejus tempore cum consensu suo, obtinuit Magister Crucigerorum hanc libertatem à Pontifice, ut Prælaturas istius Ecclesiæ Ordinis viri tenerent, sine præjudicio bonorum Episcopalium. Successit ei in Episcopatu Rudolphus. Anno proximè sequenti, die, 28. Octob. è vita decessit Otto Culmensis Episcopus, VII. ex procuratore Ordinis in aula Pontificis. Scripserat Magister eidem, ut confirmationem obtineret Episcopatûs, pro electo Domino Thoma quem sedi Apostolicæ præsentauerat is ipse Magister: sed Otto eam pro se ipso à Gregorio XI. impetrauit: redijtq; ad Episcopatum suum at parùm gratus Magistro, qui se ipsi opposuit. Attamen cùm se Ordinem quoq; ingressurum promitteret, non difficulter admissus est: in quo dum procrastinaret, ac insuper bona Ecclesiæ à Magistro posceret, coactus est exulare. Rem inter ipsos tandem magni viri composuerunt: & ipse adactus est crucem suscipere. Celebrauit aliquando Synodum, in qua recensitæ sunt ejus Ecclesiæ Parochiales in Episcopatu, 213. & in uniuersum Parochi, Capellani, Vicarij, Altaristæ, & qui ex Patrimonio suo viuebant Sacerdotes, 538. Mortuus est peste, cum undecim Canonicis sui Ordinis. Quorum loco sæculares Canonici creabantur ex prouisione Pontificis Max. injunctumq; fuit Ordini sub amissione omnium Priuilegiorum, ne quenquam ad Ordinem cogerent: quod, quàm sanctè seruauerint, ex sequentibus postea patebit. Vacauit post eum Episcopatus triennio. Nam Magister Ludolfus Kœnig obierat, nec erant Capitulares. Successit Ottoni Jacobus Episcopus VIII. Culmensis.

Luttolfus Episc. Pomesaniensis moritur.

Otto Culmensis Episc. moritur.

Secta tempore Verneri Magistri exorta fuit: cujus cultores pallia alba cum viridi effigie Crucis sancti Andreæ Apostoli deportabant. Prætendebant ij sibi reuelatum, eos Palæstinam cum auxilio bonorum virorum recuperaturos. Spreuit verò eos Magister, quamuis eo nomine à Fratribus monitus fuerit. Cùm demum secta illa in modum auræ facilis euanuisset, tùm ejus consilium primùm admirabantur. Videns verò Vladislaus Crucigeros non modò non acquiescere in Pomerania, sed Dobrinensi quoq; tractui inhiare, quem redactum penè in solitudinem à Lituanis nuper fama acceperat: insuper cum Venceslao Masouiorum Duce facto impetu in Cojauiam, Couale arcem cepisse, & incendisse: non putauit sibi diutiùs differendum esse bellum in eos Vladislaus, qui ne Pontificis quidem authoritate, ut Pomeraniam sibi redderent, commouebantur: quin etiam veteres injurias nouis cumulabant. Animaduertebat præterea, ita conjunctos esse cum Crucigeris Boëmos, ut ab eorum

Secta facile euanuit.

eorum societate auelli non possent: præsertim cùm Silesia in ditionem suam redactâ nuper inescati, in spem totius Poloniæ occupandæ per eos venirent. Jam Saxones quoq; Brandeburgenses lingua & fœdere cum Crucigeris conjuncti, non defuturi ipsis videbantur: & alioqui imminebant ipsi quoq; Poloniæ per omnem occasiooem, & qua vi, qua fraude, fines ejus carpebant. Quibus de causis bellum Crucigeris inferre distulit. Quod verò ad Lituanos spectat, reconciliauit eos sibi Locticus, dum filiam Annam Gedimini Ducis Lituanorum, filio suo Casimiro anno præsenti uxorem acciperet, nulla dote alia, quàm captiuis receptis. Marchiam verò & Masouiam adjuvantibus Lituanis deprædatus est. Crudeliùs in eo bello se gessere Barbari, & matronas atq; virgines contumeliosè constuprarunt. Memoratur autem forte & præclarum Monachæ cujusdam facinus: quæ à Lituano quopiam capta, cùm ad stuprum traheretur, rogauit eum, ne sibi vim faceret: mercedis autem loco promisit se eum edocturam esse, quî corpus ejus vulnerari nullo unquam ferro posset Quod cùm discere ille percuperet, jugulum ei fortis puella præbuit, ut in se ejus rei periculum faceret. Credulus ille stricto gladio caput ejus amputauit Sic illa Barbari libidinem illusit: stuprumq; turpe morte honesta euasit. Sequenti item anno, 1326: Lituani in Marchiam excursionem fecêre, & cùm cædibus & incendijs in obuia quæq; desæuissent, prædam raptam abegerunt. Animaduertentes igitur Crucigeri ex Polonis & Lituanis sibi periculum instare, rebus suis quoq; consulere voluerunt. In quem finem Henricus Eisenburgius Commendator Regiomontanus, in Bartenia arcem Gerdauiam: Rudolphus Episcopus Pomesaniensis Ciuitatem Quizinum ad Ossam, & Ludertus Marsalcus in terra Culmensi Novum ad Drevantiam fluvios, ædificauerunt. Moritur hoc ipso anno in summa senectute, sepeliturq;, 8. Calend. Junij in Ecclesia Varmiensi, Eberhardus Episcopus Varmiensis III. ex Canonico à Capitulo electus, & à sede Apostolica confirmatus. Vormditum, Guttstadium & Heilsbergam oppida dilatauit, & jure Culmensi donauit, ac plurimos pagos elocauit. Ejus tempore Crucigeri nonnulla bona ad Episcopatum Varmiensem pertinentia sibi usurparunt: præcipuè Bartensteinum & Sippelbeinum, quæ ab Ordinis Magistro Sifrido Feuchtvangen, qui primus sedem suam in Prussiam locauit; missa legatione splendida, Episcopus repetiuit: à quo cùm durum & minus ciuile responsum accepisset, coactus fuit de toto negotio ad summum Pontificem referre. A quo ad Magistrum monitorium obtinuit, quo illi mandabatur, ut bonis in diuisione attributis Episcopo, cederet, sub amissione omnium Priuilegiorum Ordini à sede Apostolica concessorum. Vndè coactus fuit Magister bona sic usurpata restituere Episcopo: qui necessè quoq; habuit unum ex Crucigeris generalem Aduocatum constituere: quæ consuetudo postmodùm durauit, usq; ad tempora Francisci Kusmaltz, qui jugum hoc pretio ab Ordine redemit. Ipsius quoq; tempore oppidum Meelsaccense per Capitulum locatum est. De eo Episcopo fertur Distichon sequens.

Castitas defensa.

Eberhardus Episc. Varmiensis III.

Ebhardus Vormdit, Gutstat, Montemq; salutis.
Fundat: & in varijs prædia multa locis.

Ædificare quoq; cœpit arcem Wartenburg in Gallindia, anno, 1325. ad Pissam fluvium in horridis silvis: quam arcem absoluit Aduocatus Fridericus Libenzil. Cum in ea officium primum Missæ

 de S.

de S. Trinitate perageretur, visa est alba & aspectu jucunda columba in arce circumuolare. Id videntibus stuporem & admirationem non leuem peperit, cùm in hac solitudine nunquam anteà columba conspecta fuerit. Paulò post è conspectu hominum euasit. *Accepit Eberhardus successorem Jordanum.* Accidit quoq; aliud memorabile exemplum præter illud, de Virgine Monacha, dum Lituani, Ductore Dauide Barthinensi, Masouiam deprædantur, & 130. Ecclesias Parochiales exussissent. Capta erat inter alias, puella, moribus & formâ pulcherrima, atq; genere nobilis: de qua duo Lituani Bojari contendebant, utri eorum cederet præda. Altercationem verò Dauid Garthensis Gedimini Dux, ne aliquid turbationis inde in castris oriretur, barbaro quidem & immani modo, tamen salutari virgini diremit. Nam frameâ qua accinctus erat, arreptâ, caput & faciem virginis in medium secuit, ac inquit: posse nunc utrumq; amatorem sumere quam vellet partem de amata. Neutrum aliquid plus vel minus habiturum.

Jordanus IV Episcopus Varm. vixit 22. annis in Episcopatu.

Altercatio dirempta.

Gediminus occiditur.

Gediminus Princeps Lituaniæ, cùm in auxilium suorum contra Crucigeros ad Fridburgum venisset, & præ cæteris fortis videri vellet, ignito telo per dorsum transfixus, expirauit. Reliquit post se Montiuidum, Narimundum, Olgerdum, Javunutum, Keistutum, Coriatum & Lubarum filios. Ex quibus successit illi in Principatu filius Olgerdus, qui usus est quoq; Dauide de Garthin Capitaneo. Sed ad propositum.

Dispositis igitur ita rebus ad bellum inter Vladislaum & Lituanos cum Crucigeris, anno qui fuit. 1328. quo Crucigeri Liuonienses munitionem Memelam Prussiensibus in annum pro usufructu concesserant, (quæ etiamnum ad Prussiam spectat) expeditionem toti Poloniæ Vladislaus Rex in Crucigeros indicit: à Carolo Rege Vngarorum genero suo non contemnenda auxilia impetrat: à Lituanis item atq; Russis finitimis. Cum quibus omnibus copijs hostium fines ingressus, Culmensem tractum omnem usq; ad Ossam amnem, flammis, cædibus & postulationibus peruastauit: nec tamen elicere hostes in aciem, è munitionibus, in quas se abdiderant, potuit. Munitionum verò oppugnatione prorsus abstinuit, quòd & benè munitæ, & rudes tunc adhuc & imperiti oppugnationum Poloni erant: ut sunt ferè hæ gentes, quæ ad Septentrionem habitant. Dimisit deindè auxiliarios: suis verò præcepit, ut Masouiam infestarent. Quod cùm factum esset, non multò pòst excurrerunt vicissim Crucigeri cum Masouijs in Cujauiam. Quo cùm Poloni properè accurrissent, collatis signis funduntur hostes: & Masouij quidem cum Duce suo Venceslao diffugerunt: Crucigeri verò fortiter dimicantes, ad internecionem unà cum Commendatore Torunensi cæsi sunt.

Jordanus Episc. Varmiensis moritur.

Moritur, sexto Cal. Decemb. IV. Episcopus Varmiensis, Jordanus, anteà Canonicus Varmiensis, in Episcopum à Capitulo concordibus suffragijs electus: vir apprimè eruditus, & egregijs virtutibus cumulatus: ætate admodùm prouecta, ob idq; valdè debilis, duos tantùm annos cum dimidio in Episcopatu vixit. Obijt Heilsbergæ: in choro Varmiensis Ecclesiæ sepultus. Exornatur Disticho sequenti.

Cernuus hîc paruo Iordanus tempore rexit.
Oderunt dulces invida fata dies.

Henricq Wagenax V. Ep. Varm. 1329.

Iordanem verò secutus est in Episcopatu, Henricus Wagenax. Insequen-

quenti anno 1329. Ioannes Rex Boëmiæ à Crucigeris in auxilium vocatus, cum grandi exercitu Vere ineunte in Prussiam venit, & cum Crucigeris se conjunxit. Arx inde Dobrinensis diu & acriter oppugnata & labefactata deditionem tandem fecit, dedente Præfecto Paulo Spicimiro, cognomento Ogono, Palatino Lenciciensi: eiectisq; Polonis, præsidio Crucigerorum, concedente Böemo, munita est. Vexabant tamen Poloni carpebantq; hostilem exercitum, & ex insidijs in pabulatores & prædatores crebrò impetum faciebant: commeatum quoq; qui Vistula supportabatur, expugnatis nauibus, intercipiebant. Sed ad vniuersæ rei dimicationem, cùm essent longè impares, non veniebant. Itaq; hostes motis ex Dobrino castris, transmissoq; Vistula flumine, Vladislauiam adorti, primo impetu ceperunt & exusserunt. Deindè in Masouiam ingressi pariter Boëmi & Crucigeri, eamq; crudeliter deprædantes, eo adegêre Ducem gentis, vt se Ioanni quasi iusto Polonorum Regi subjiceret. Dùm autem justi volunt videri Crucigeri, ne injustè ac per vim Pomeraniam vsurpasse dicerentur, perfecerunt precibus atq; pretio apud Ioannem Regem, vt sibi Pomeraniam iure sempiterno donaret. Cuius donationis exemplum est apud Dlugossum. Dobrinum quoq; idem ipse Ioannes quatuor millibus & octingentis sexagenis Pragensibus, eisdem Crucigeris se vendidisse consignatis literis testatur: his quidem legibus, ut eos priuilegio Pontificio, à Pensione decimarum ex eo territorio liberet, nec aliter pacem faciat cum Vladislao, qui se asserit Regem Cracoviæ (vt eius verbis vtamur) quàm si is, itemq; Ziemouiti fratris eius filius, omni jure terræ Dobrinensis sese abdicarit. His paractis ingruente hieme, reduxit Ioannes exercitum, & stulta vanitate de subactis & ad religionem adactis Barbaris triumphauit. Æstate verò sequenti maturescentibus frugibus, conuenit rursùs magnus Germanorum & Böemorum militum mercenariorum numerus, ad Crucigeros: & conjunxerunt se cum eis Liuonienses quoq;, jam indè ab initio. Cum quibus copijs Cuiauiam & aliqua alia depopulati sunt. Ceperant Vladislavienses, Episcopi fratrem Suentoslaum, & Vincentium Castellanum Starogrodensem: quos Episcopus, 400. marcis pecuniæ redemit. Ad hæc vt bona sua recuperaret, pepigit idem cum Crucigeris, vt senos modò grossos annuos, in mansos decimæ nomine tàm ipse quàm Sacerdotes eius omnes de Pomeraniensibus agris acciperent. Qua re vehementer accisi sunt reditus Vladislauiensis Episcopi. Tandem vbi aduentare Vladislaum Regem cum magnis copijs & Vngarorum, Austriorum atq; Lituanorum auxilijs Crucigeri accepêre, omissa oppugnatione alienorum, ad sua defendenda redierunt. Posteaquàm autem hostium fines Vladislaus attigit, exerceri longè lateq; pabulationes in tractu Culmensi jussit: nec ullum crudelitatis genus ab iratis omissum est. In transmittendo Dreuancia aliquantum difficultatis fuit. Nam vada eius fluminis ripasq; Crucigeri caudicibus ac sudibus per longum spatium impedierant: ipsiq; in vlteriore ripa castra metati, transire Polonos prohibebant. Rex factâ ibi aliquot dierum morâ, inuentoq; vado liberiore ad moletrinam Lubiciam, cùm animadverteret, quo secunq; ille verteret hostem sibi occurrere, debitas aliquot turmas occultè propè id vadum reliquit: ipse cum cætero omni exercitu auerso ab eo loco itinere, versùs Brodniciam ire pergit: consequuntur hostes, nihil de fraude suspicati. Ibi Póloni vt jussi erant, è latebris prorumpentes vadum præsidio vacuum superant, fumoq; signum dant suis. Quo viso, Rex citato agmine retrò, vndè profe-

Dobrinum venditur Crucigeris.

Vladislaus Rex vadit contra Crucigeros.

ctus erat reuertitur, & fluuium trajicit. Grauioribus vtebantur equis hostes: itaq; non potuêre in tempore ad vadum Polonis occurrere: aduentantiumq; vim ij qui primi de Polonis transmiserant, fortiter sustinuêre? donec omnis exercitus trajecit & ad Ordines redijt. Crucigeri inopinata re perculsi, cessêre Polonis pugnandi copiam facientibus, dilapsiq; in munitiones sese recepêre. Ibi verò Poloni effusè agros pagosq; hostiles vastârunt: villas, vicos, ac suburbana munitiorum oppidorum, qualia ferè sunt in eorum ditione, exusserunt. Deindè Dobrinensem oram ingressi sunt, & arce Dobrinensi tentata, cùm eam egregiè tutantibus Crucigeris capere non possent, re infecta redeuntes, quicquid erat reliquum in Culmensi tractu vsq; ad Ossam amnem ferro & igni absumpsêre. Prussia vltra Ossam erat reliqua, quæ iam Crucigeris parebat. Quam cum Poloni intactam dimissuri non esse viderentur, tunc demùm Magister cum primoribus Crucigerorum qui Graudenti siue Gruzansi erant, de pace vel inducijs cum Vladislao Rege agere cœperunt. Induciæ in annum factæ ea conditione, vt Dobrinensem arcem atq; tractum & Bydgostiam Crucigeri Vladislao mox redderent. De Pomerania verò Carolus Vngarorum & Ioannes Bòémorum Reges arbitri capti. Rebus cum Crucigeris constitutis, reduxit Vladislaus exercitum auxiliaq; dimisit. Illi porrò liberati præsenti metu, minùs jam pacem cupere: nec Bòémum ad arbitrandum de Pomerania sicut conuenerant, adducere, cum Carolus rogatu Vladislai præstò esset. Occiditur intereà Magister Vernerus ab Orseln, 18. die Nouemb. in peruigilio beatæ Elisabetæ viduæ, à Ioanne Bindorsio vel Grandorsio, Marchita Crucigero, homine vesano & intemperante. Volebat is tunc temporis ad bellum contra hostes, fortè Lituanos & Samogitas cum alijs Crucigeris proficisci: cui tamen animus erat non tàm contra inimicos Ordinis decertare, quàm libidini suæ insordescere: quod iam ex anteactis lucidè constabat. Igitur denegabat ei Magister equum: ille verò ab amicis suis impetrauit binos, quos Magister ab eo auferri curauit. Offensus hoc ipso Bindorsius, ad vrbem progressus nudum nouum cultrum emit & abijt, eum in manicam imponens. Monitus de vagina accipienda à venditrice, ait: se reconditurum cultrum in optimam vaginam quam Prussia haberet. Quæ parabola, nisi post euentum rei, intellecta non fuit. Cùm itaq; Magister ex vesperis dicto die rediret, perfodit illum Bindorsius: ex quo vulnere mox obijt. Scribitur in casu dixisse: F. Ioannes, hoc tibi dimittat passio Iesu. Negabat ille facinus, sed inuentus cruor in pallio, parricidij conuicit reum. Propter quod condemnatus ad mortem, in pane & aqua, incarceratus vitam finiuit. Præcessisse Magistri necem portentum memoriæ proditum est. Nam prima die Nouemb. in arce Gerdauiensi è matutinis egredientes Otto à Leichtenberg, Ioannes Blechsmit, Otto à Grauenbach, Casparus ab Elenbogen, Vlricus Stach & cum eis Sando Prussus nobilis: conspexerunt crucem in àére, & ex altera parte exercitum pugnantem contra crucem: quæ cùm ab exercitu superari non posset, tandem à tempestate exorta deiecta fuit. Cùm prædicti posteà Ordinis Fratres pro die 23. Nouemb. de visione confabularentur, tabellarius adueniens, illos de morte Magistri fecit certiores, & vt suis rebus aduigilarent, admonuit. Tunc visionem probè intellexerunt. Inter alia ordinauit Magister hic, vt singulis quatuor angarijs per annum currus in ciuitatibus circumageretur, cui imponebantur otiosè agentes homines, qui extruendis oppidis & arcibus vnà cum Lituanis & Samogitis captiuis applicabantur. Sepelitur Qui-

Vernerus Magist. Ordinis occiditur.

Crux in aëre

zini

tini in die S. Clementis. Huius Magistri tempore scripsit Petrus de Dusborg F. Ordinis Teutonici librum de eiusdem Ordinis initio, progressu & inclinatione ac quomodo Fratres Prussiam adepti fuerint, & de illustribus personis eiusdem. Initium verò libri istius est sequens: F. Petrus de Dusborg, Ordinis S. Mariæ Domus Teutonicæ in Ierusalem, artium professor: Reuerendissimo F. Domino Magistro Generali Ordinis professionis meæ Vernero de Orzellen, veritatem cum salute dicit. Sed is liber in compendium contractus, scribitur corruptus: cum multa inde sublata fuerint quæ contra Ordinem erant: multa etiam referantur, quæ aliter se habuisse constabat, Grunauio authore. Ordinauit prætereà Magister, cùm quatuor genera personarum in Ordine essent: nempe, Sacerdotes, Principes, Equites cum quatuor insignijs, ac minoris Prosapiæ: vt primi Chorherrn dicerentur: vt F. Philippus Chorherr: secundi præponeretur nomen Fratris ac Domini, sic: F. Vincentius Dominus ab Hoenloh. Tertij, vocarentur sic: F. Vlricus ab Hochberg. Quarti & vltimi F. Ioannes Leimiger. Statuit quoq; ne vltimi vterentur velo, neq; deportarent Braune Kogeln/ sonderen stets ein lichtgrauen Mantell. Neq; vt hi admitterentur, ad quælibet officia, sed tantùm ad præfecturas prædiorum, piscium, culinæ, laterum, venationum, & similium. Qua ex causa, cùm se despici putarent, plurimi relicto Ordine, abiuerunt. Alij belli desiderio tenebantur, quo perirent. Debuisse Magistrum pacem ad triennium componere cum Gedimino ex mandato summi Pontificis perhibent historiæ. Quo quidem induciarum tempore Neuteichum oppidum ædificari fecit in majore Insula ad fluuium Suece. F. Hermannus ab Ottingen hospitalarius oppidum Morangum cùm arce. F. Heidericus Dominus ab Eisenburg, oppidum & arcem Gerdauen. F. Henricus à Libenthal, Liebstadium. F. Henricus à Schretental Deutsch eilau. F. Rugerus à Wolckenstein Neumarcam. F. Arnolphus ab Eilenstein, Preuscheilau, F. Ditrichus Dominus ab Aldenborg. Luneburgum. F. Leopeldus Vulfach, arcem Preuschmarcam ex muro. F. Gelbartus à Giechin Hogensteinum ex latere F. Leopoldus Sefelt, Salefeldium. Atq; hæc perfecta sunt operâ miserorum Lituanorum quorum 70000. capta fuisse dicuntur. Hi quoq; valla & fossata ad vrbes ac arces fecisse scribuntur. In Commendatorem magnum adsciuerat Seruacium à Gyech. In Marsalcum F. Vquacium à Lermano. In hospitalarium F. Vernerum à Neiderthor. In trapiarium F. Ioannem à Goldacken. In Thesaurarium, F. Luderum Ducem Brunsuicensem. Quamuis Gediminus interea pacem fregerit: nam Marsalcus eius nouus Illocuto Nactangiam diripuit. Et licet Ditrichus Marsalcus cum magnis copijs Germanorum contra eum profectus fuerit, nihil tamen operæ pretij fecit, quàm quòd cum hyeme transeunte domum incolumis venerit: frustra oppugnata Noyada vbi se Gediminus continebat. Electus fuit in XV. Magistrum anno Christi, 1331. Luderus Dux Brunsuicensis, homo staturâ procerâ, Trapiarius & Commendator Christiburgensis: cæteroqui bonus, & laudabilis, si pacem coluisset. In eius electione pariter conuenit, vt cum Magistro semper quidam in posterum ex Crucigeris procedant, ne illi iuxta exemplum Verneri contingat. Adiunctus est etiam ei majoris authoritatis & securitatis causâ collega in judicijs per quem causas expediret: quem natiuâ linguâ, den Herren Compahn/ vocabant, Seruatius Comes Hennenbergensis. Elegit in magnum Commendatorem F. Conradum Kesselhutt. In Marsalcum Ditrichum Dominum ab Aldenborg,

Ordinis Teutonici 4 genera personarum.

Vernero operâ ædificantur variæ ciuitates.

Luderus XV. Magister Ord.

denborg. In Prouinciæ Commendat. F. Ioannem à Wildenberg. In hospital. F. Syfridum ab Hoyneg. In Trapiarium F. Gunterum D. à Schwartzborg. In thesaurarium F. Ludolphum König. In primo suo Capitulo inter alia prohibuit, ne quis munera à litigantibus acciperet, sed gratis iustitiam administraret. Quod cùm quispiam Judex Salfeldensis & quidem sui Ordinis, prætergressus fuisset, terribile in eum exemplum constituit. Nam accidit ibi quandam viduam altercari cum divite quodam de hæreditate. Vt verò eam dives obtinere posset, deuinxit sibi animum judicis non solùm muneribus, sed etiam concessa pro libidine explenda, propria vxore juuencula, neq; indecora. Qua vt diutiùs Judex frueretur, sententiam quacunq; de causa longiùs differebat. Habebat quoq; vidua pauper filiam Virginem vultu & moribus formosam: quam ambire prætor cœpit, tædio tandem prioris amicæ affectus. Coquebat hanc curam satis diu apud se. Victus tandem amore, cupiditatem suam matri puellæ aperuit, promissione grandium munerum facta, insuper & causæ obtentione. Obstupuit & meritò equidem mater: Cogitabat enim quantum scelus admissura esset in Deum & in seipsam, si filiæ pudorem, vnicum senectutis suæ certum solatium prostitueret Itaq; in faciem mox, fortis mulier solicitanti sese respondit: se potiùs & id quod adhuc haberet amissuram, antequam tale quid in sanguinem suum admitteret. Indignatus inspe-rato responso iudex, paulò pòst causam diuiti adiudicauit. Hæc res cùm plenè ad aures dicti Magistri per fide dignos, qui in tam iusta re ope sua viduæ deesse non poterant, delata esset, iussit ille, re diligenter examinata virum lenonem in quatuor partes per carnificem secari: iniustum Judicem discerpi equis, & adulteram candente ferro in fronte notari, atq; Prussiâ propelli. Viduæ verò adiudicauit per sententiam hæreditatem controuersam: insuper ei dimidium bonorum aduersarij eius adscripsit. Hic Magister ædificauit Ecclesiam Cniphouiensem Regiomonti.

Judicis iniqui & scelerati pœna.

Ecclesia Cniphoviensis.

Comitia Vladislaus Rex æstatis initio apud Chencinos habuit. In ijs cùm alia nonnulla de republica salubriter de amplissimi consilij sententia constituit, tùm quòd graue sibi & periculosum bellum cum Crucigeris impendere non ignorabat, ætatemq; suam ingrauescentem & vires magnis laboribus & aduersis rebus attritas & afflictas considerabat: Casimirum filium, unum & viginti annos natum majori Poloniæ toti præfecit: ut fama nominis ejus non tàm facilè se Boëmi & Saxones commouerent. Ad hæc ut in tuto is esset, si quid aduersi in bello Prussico accideret. Grauiter tulit Vincentius Samotulius siue Pomeranius Palatinus Posnaniensis, gente Nalencius, præfecturam sibi illam ademptam esse, ignominiæ loco id ducens. Itaq; iratus, clàm ad Magistrum Crucigerorum Marieburgum profectus est, & causis aduentus sui expositis, molienti sua sponte bellum aduersùs Polonos facilè persuasit; ut in majorem Poloniam expeditas copias mitteret. Præfecti copijs Theodoricus Aldenburgicus Marsalcus, & Otto Lutergicus de sententia Vincentij omnia facere jussi sunt. Qui trajectâ apud Turoniam Vistulâ profecti, magnam stragem fecerunt hominum omniaq; flamma compleuerunt, quà iuerunt per majorem Poloniam. Cùm deinde in Siradiensem tractum venissent eum celeriter vastarunt. Nec matronarum & virginum etiam DEO dicatarum pudori usq; parsum est. In direptione autem Siradiensis Monasterij, cùm præses sodalitatis, quem Priorem vulgò vocant, Hermannum Elbingensem Commendatorem Elbingæ cognitum agnouisset, cædemq; innocentium

Crucigeri vastant Poloniam.

um

um hominum, qui eò cum facultatibus suis confugerant, atq; direptionem Monasterij supplices deprecaretur, Prussico verbo: Neprest, quod est, non intelligo, ab eo rejectus est: quasi non esset satis, re ipsa barbarum esse, nisi & lingua id profiteretur. Ad Calissiam deindè expugnandam reuertêre, sed amissis nonnullis militibus, post paucos dies re infecta discessêre. Est enim permunitum id oppidum non tàm arte quidem quàm situ & natura loci: nempè à Prosma flumine latiùs ut in magna planicie restagnante ambitum: Hinc Coninense oppidum & territorium vastarunt. Porrò qui apud Nezamyslum lacum & Glussinum oppidum habitabant, equestres pariter & agrestres munito loco se cum uxoribus, liberis & familijs, cum gregibus & armentis, & cæteris facultatibus suis, continebant: ductaq; fassa longa ad septem milliaria, & lacu in eam immisso, aditum ad se hostibus præcluserant. Qua re cognita Crucigeri, magnitudine prædæ allecti, tria millia equitum ad expugnandum locum mittunt. Quibus venientibus, Poloni cum paucis turmis à Rege ad hujusmodi casum submissis, ad aggerem intrepidè occurrunt: consertoq; prælio, fusos & impeditos ingenti strage interficiunt: ita ut pauci admodùm manus Polonorum longè agilioribus equis utentium, effugerint. Quin & alijs locis opportunis eos palantes & liberiùs prædas agentes Poloni excipiebant atq; trucidabant. Neq; enim longè Vladislaus Rex, cum non contemnendis suorum copijs aberat, sed nusquam certo loco figebat pedem, nec audebat prælio rem committere, non ignorans, quantum esset robur Germanarum phalangum & cataphractorum equitum. Discruciabatur autem summoperè Vladislaus patriam charissimam tam immaniter vastari, flagrantes & fumantes circumquaq; pagos & oppida & innumerabilem penè hominum & pecorum multitudinem abigi. Augebat dolorem ejus, quòd neq; opem ullam rebus suis tam calamitosis afferre, neq; hostem ulcisci procliue sibi esse arbitrabatur. Cum igitur inops consilij, animum in omnes partes versasset, una tandem via utriusq; rei expediendæ ipsi se ostendit: nimirum, ut Vincentium sibi reconciliaret, ejusq; proditione vel circumueniret hostes, vel consilia eorum perturbaret. Intelligebat enim quantum in eo momenti Crucigeri ponerent. Itaq; secretò per internuncios eum hortatur, ut afflictæ ac penè perditæ patriæ misereatur, impunitatem admissi pollicens. Subijt animum Vincentij patrati sceleris constitutoq; tempore nocte quadam per speciem exploratoris è castris Crucigerorum egressus, ad Regem venit, veniam supplex petijt & impetrauit. Deindè eum ad conserendas manus cum hoste animat: sibi verò eas partes sumit, ut hostem ab omni suspicione prælij auersum fallat: ac deindè intentum in pugnam, à tergo cum suis adortus, noua re perturbet. His ita constitutis in castra Crucigerorum revertitur: nihil à Polonis periculi ipsis esse renunciat. Quod ubi accepêre Crucigeri, cùm satis jam debacchati in Polonia adessent & ingentem prædam vix traherent, ad hæc imbribus & frigoribus autumnalibus urgentibus, reuerti in Prussiam incipiunt. Et ecce illucescente die, ij qui extremas seruabant excubias renunciant in castra, Polonorum exercitum adesse. Non creditum est narrantibus, Vincentio maximè sibi ea exploratiora esse affirmante: donec strepitus aduentantium & hinnitus equorum exaudiri cœptus est: nam conspectum densa nebula adimebat. Vbi aciem ad dimicandum instructam cum signis adesse sensêre, tunc demum tumultuarij, re noua cætera multitudo cùm vix armandi se spatium haberent, qui pridiana crapula & ebrietate grauati & sopiti classico expergefacti erant, & semi-

semisomnes, quidnam rei esset, alius alium percontaretur. Instructis tandem utcunque primis ordinibus in aciem prodeunt, catenisque per balteos primorum & antesignanorum immissis, ordines & phalangem colligant, ne perrumpi & perturbari ab equitibus Polonis possit. Rex, quia nebula caliginosa incerta omnia reddiderat, parumper impetum suorum inhibuit, donec ea resideret, atque interim milites graui oratione ad pugnam incitauit. Et jam nebula resederat, ipseque canere signa jubet. Nec mora, fit pugna: cæsisque Ducibus, strenuè Vincentio operam suam nauante, ut pollicitus erat, totas acies ancipiti prælio perterrefactas conuertunt. Fit longè major fugientium strages, quàm quæ dudum pugnantium fuerat. Et jam plena victoria potiti esse videbantur, cùm ecce longo interuallo, utpote discussis jam prorsus nebulis, nouas copias hostium effuso cursu aduenire aspiciunt. Erant autem ij qui ad Breste capiendum missi fuerant: qui certiores facti de Polonorum aduentu, suppetias suis veniebant: sed & hi paruo negotio vertuntur in fugam. Nec tamen multi euadere potuêre, graui armatura & longo cursu defatigatis equis pariter & militibus, alioquì etiam laboris impatientibus. Cæsa feruntur his duobus prælijs hostium viginti millia, de Polonis quingenti de promiscua multitudine, ac duodecim de nobilioribus cecidêre. Dies quo hæc gesta sunt fuit vicesimus septimus Septemb. qui translatis Divi Stanislai offibus festus est apud Polonos. Statuerat Vladislaus cursum illius victoriæ mox prosequi, sed eum Boëmi cum Silesijs, putantes eum exercitum ducturum in Pomeraniam vel alias Crucigerorum ditiones, ab ea cogitatione auerterunt, & Posnaniam obsederant, ut interim Crucigeri respirare possent. Tentata est deindè pax inter Vladislaum & Crucigeros Carolo & Joanne arbitris. Quæ tamen non conuenit, Crucigeris Pomeraniam non reddentibus. Paucis igitur post diebus ij cùm è Germania nouis copijs aucti essent, Cujauiam quatuordecim diebus ad finem Nouemb. populabundi infestarunt Nec multò pòst initio anni noui 1332. nihil morati asperitatem hiemis, iterùm, sed majori apparatu in eandem Cujauiam ingressi, Breste oppidum obsederunt, rati fame se oppidanos ad deditionem compulsuros. Sed cùm frustra tres ferè menses in obsidione insumpsissent, ea die, qua uniuersus Christianus orbis salutarem JESU Christi mortem anniuersario ritu colit, quæ Parasceue dicitur, summa vi oppidum oppugnant, Nec segniùs Poloni defendunt. Verùm quadriduano labore defatigati, tandem quinto die oppidum dedunt. Huic & nonnullis posteà alijs oppidis expugnatis præsidia sua Crucigeri imposuerunt. Vt autem Cujauiæ & Dobrinensis oræ possessionem sibi stabilirent Crucigeri, demoliti Breste vetus, munitiore id loco condiderunt: & arces quasdam in eo tractu cocto latere munierunt. Nam Vladislaus maturas segetes, & Vngarorum auxilia expectabat. Quæ cùm conuenissent, per Masouiam in Culmensem Tractum infestum duxit exercitum. Et hostibus prælij superioris euentu pauidis & pugnam detrectantibus, vastare eorum regionem longè latèq; cœpit. Excitus autem quoquouersus collucentibus pagorum & vicorum suorum incendijs cædibusq; agrestium Luderus Magister, decernere prælio cum Rege cupiebat: verùm Commendatores temeritatem ejus reprehenderunt. Itaq; meliore consilio usus caduceatorem ad Regem misit: & cùm æquas pacis conditiones accepturum se esse reciperet, facilè à credulo Rege annuas inducias impetrauit. Vladislaus verò Rex, Locticus ob breuitatem staturæ ita dictus, moritur ad sextum Idus Martias, anno Christi 1333. Electus post hunc in

Crucigeri caeduntur à Polonis.

Cujauia expugnatur,

Vladislaus Locticus moritur,

in Regem Casimirus III. cognomento Magnus, filius Locłici, cùm videret omnem ferè Poloniam Crucigerorum armis atq; domesticis latrocinijs, quæ Patre regnante impunitate increbuerant, attritam, domesticis malis priùs quàm externis manus admouit. Et cum Crucigeris quidem inducias fecit, per quas perpetua pax supra memoratis Vngarorum & Boëmorum Regibus arbitris componeretur. Adjectum in pactis, ut Magister Crucigerorum Breste oppidum Ziemouito Duci Masouiorum Cirnensium, aut Mathiæ Vladislauiensi Episcopo tenendum concederet, qui id pace firmata Casimiro traderent: sin minùs coisset pax, Magistro redderent. Verùm in eo Magister fidem non seruauit: nihilò tamen minùs mansêre induciæ.

Moritur prima Julij eodem anno, Rudolphus sextus Episcopus Risenburgensis siue Pomesaniensis, Elbingensis, ex Canonico & Administratore Schombergensi. Electus fuit vnanimiter ab omnibus Capitularibus quamvis Magister pro alio preces suas interposuisset. Missus Romam à Pontifice consecratus est in Episcopum: Sed & ipse Pontifex cassauit literas, quas huius rei gratiâ Ordini concesserat in Prussia. Quod vt Magister resciuit, consultatione habita cum suis, instabat vt aliquis ex medio suorum susciperet, interim Rudolphum à possessione arcens. Quam rem tamen nemo aggredi voluit, præter Fabianum Magistrum frumentorum Torunensem, indeq; oriundum, hominem valdè improbum: quem Romam suis impensis misit, vt Rudolpho actionem ratione Episcopatûs intentaret. Postquam is Schodeuinum in Austriam venit, cum hospita sua familiariùs agebat, ac etiam concumbebat in absentia viri: qui superueniens utrumq; confodit. Interdictum positum fuit in Crucigeros Prussienses propter Rudolphum ad Episcopatum non admissum: quapropter admisit eum Magister. Perturbabant eum tamen Crucigeri multis damnis Episcopatu illatis. In his tribulationibus moritur, ac Quizini sepelitur. Successit Rudolpho in Episcopatu Arnoldus confessarius Magistri. Obijt anno 1334. Henricus Wagenax & Wagenap dictus, V. Episcopus Varmiensis Regiomontanus, quem Capitulum è gremio suo ad id munus elegerat, Varmiæ, 9. April. sepultus. Incidit is in Episcopatum valdè à Prussis flamma ferroq; deuastatum. Quem vt incolis frequentiorem redderet, ijs qui domicilia figere vellent, annos quindecim ab omnibus oneribus liberos concessit. Brunsbergenses cives paulò ante Monasterium Fratrum minorum in eadem ciuitate igni admoto exusserunt: quod maleficus, quidam occultatus in monasterio primùm, deindè profugus ciuitatem ipsam incenderit. Episcopus tamen alium locum Fratribus Monasterij extruendi concessit, & tandem in ultima senectute defunctus: cæteris sui Ordinis patribus appositus est, in Ecclesia Varmiensi. Elogium eius ita sonat.

Rudolphus VI Episcopus Pomesaniensis moritur.

Henricus Vagenax Episc. Varmiensis moritur.

Monasteriũ Brunsberga.

Vagenap Henricus specimen virtutis honestum.
Sæpè suas sacro dogmate pauit oues.

Post eum vacauit Episcopatus annis quatuor, contendentibus de eo duobus: quorum vnus erat Jacobus, vir eloquens & eruditus ex Ordine Teutonico: pro cuius electione Capitulum Varmiense Vernerus de Orseln solicitauerat: quemq; iam vna pars Canonicorum elegerat in Episcopum. Erat animus Crucigeris hac ratione Episcopatum in potestatem suam redigendi: Altera autem Canonicorum pars, qui norunt quàm benè rebus Ecclesiarum sub dicto Ordine consultum erat, elegerunt, D. Michäelem I. V. Doctorem. Porrò vterq; electus, vt ius suum tueretur, Romam priùs profectus, deinde Auinionem Pontificem

Schisma in Ecclesia Varmiensi.

cem Max. secutus est. Cumq; Jacobus juri suo vehementer diffideret, Michaëli aduersario venenum propinari procurauit, ex quo etiam mortuus est. Quod cùm Pontifex intellexisset, eundem Iacobum omni Episcopatûs jure, quod prætendebat, priuavit: qui paulò pòst etiam repertus est mortuus, nec causa scitur, nisi fortè, ob animi mœrorem. Quod cùm ad Magistrum Ordinis perlatum fuisset, statim is, antequam Capitulum ad electionem deuenisset, Episcopatum prætensi Iurispatronatus vigore Cancellario suo Hermanno siue Hennomanno, viro docto, ob seruitia fideliter præstita contulit, eumq; cum præsentatione Romam ad Pontificem Max. misit. Sed Capitulares, missis quoq; nuncijs ius suum egregiè tutati sunt, & veris rationibus comprobarunt, indebitè & iniustè Magistrum & Ordinem Teutonicorum ius Patronatûs super Episcopatu Varmiensi sibi vsurpare voluisse. Ita Hennomannus rebus infectis domum redijt. Quæ res adeò Crucigeros malè habuit, vt invicem conjurauerint, nullum alium ad Episcopatum Varmiensem admittere. Hæc controuersia ad annos octo est protracta: quo tempore administratio totius Episcopatus penes Venerabile Capitulum fuit, & ciuitates Resselium, Meelsaccum & Allensteinium per ipsum fundatæ, & jure Culmensi adscriptæ sunt. Quis tandem Episcopatui Varmiensi præfectus fuerit, sub anno 1338. dicetur.

Pax inter Casimirū & Crucigeros. Insequenti anno, qui fuit, 1335. in Novembri pax demùm inter Casimirum & Crucigeros arbitrio Caroli & Ioannis Regum Vissegradi in Vngaria facta est, iniquior Casimiro, quod Ioannes homo callidus atq; disertus, satagens pro Crucigeris, Carolum in suam sententiam adduxisset, aduocati magis quàm arbitri functus officio. Id quod deprehendere est ex eius ipsius literis ad Theodoricum Magistrum scriptis. *Luderi mors.* Quo eodem anno post confectam pacem morte obijt Luderus, & quidem in Ecclesia ad quam se deferri feriâ sextâ proximâ post Pascha ad diuina audienda fecerat. In muro Ecclesiæ noui Collegij Cniphouiensis, quam ædificarat, sepelitur. Volunt nonnulli sequentia in Polonia oppida à dicto Magistro bello occupata fuisse & arces ædificatas: Calissiam, Breste, Coninam, Syradiam, Lanciciam, Spilenbergam, Inovladislauiam, quas tenuissent octo Commendatores. Ipse etiam Magister Stolpam occupauit, & vsq; ad tempora Pauli Rusdorfij detinuit. *Bartholomæus VI Sambiensis Episc. moritur.* Sub Ludero Bartholomæus Episcopus VI. Sambiensis ex Præposito Regiomontano, multis gratijs spiritualibus acceptis Collegij Regiomontani Ecclesiam produxit. Sed & Luderus hac in re eum strenuè juuabat. Profectus Episcopus Romam vt gratiarum prolongationem acciperet in Thermis ante Montefiasio moritur, & Viterbij sepelitur: cui in Episcopatu successit Theodoricus Decanus Marpurgensis ex Hassia VII. Episcopus Sambiensis. In demortui Magistri Luderi locum eodem anno Theodoricus Altenburgicus, XVI. Magister electus est, sensibus integer & membris vegetis; 15 die Augusti, Marieburgi. Accepit verò eam pacem, de qua supra, Casimirus, plùs quàm dignū erat, quietis & otij cupidus. Fuit autem in conditionibus: vt Crucigeri Pomeraniam concedente Rege retinerent, atq; etiam Nessouiensem arcem in Cuiauia supra Vistulam, nempè, vt vtramq; ripam & naulum in potestate sua haberent, eodem jure quo Culmensem atq; Torunensem tractum olim à majoribus Casimiri accepissent. Dobrinensem verò & Cuiauiam, ne ea quidem portione exclusa, quæ ad Casimirum Ducem Ziemouiti filium pertinebat, Regi redderent, ac decem millia florenorum pro damnis datis annumerarent. Profugis autem vtriusq; partis, vt liceret ad possessiones derelictas reuerti vel ven-

vendere eas arbitratu ſuo. Impendia damnaq́; vtrinq́; compenſata. Soluto conuentu, non tamen reddebant ex decreto & pacto Cujauiam Dobrinumq́; Crucigeri Caſimiro: quamvis approbaſſet is ſententiam Regum ex compromiſſo latam, niſi etiam diſertè unà cum Senatu, nobilitate & Ciuitatibus diplomatis, & jurejurando dato, Pomerania, Culmenſi, & Michalouienſi tractibus à ſe & à poſteris ſuis prorſus abdicaret. Quod cùm ille ad Senatum & comitia retuliſſet, omnibus indigna res viſa, poſt tàm iniquum arbitrium, nouas etiam durioreſq́; pacis leges ab hoſte, perindè atq́; à victore ſibi ferri. Itaq́; bellum malle, quàm tam iniquam & ignominioſam pacem. Cùm autem de ratione belli gerendi conſultaretur, placuit non inferre id quidem, ſed ſi inferatur, propulſare: atq́; ad Pontificem Max. primo quoque tempore, de vi & injurijs Crucigerorum, propter religionem ad eius Iuriſdictionem pertinentium referre. Legatus ad eam rem curandam miſſus Ioannes Grotus Slupecius Epiſcopus Cracouienſis, qui nequicquam inficiantibus negotium aduerſarijs, magnâ curâ ac diligentiâ tandem perfecit apud Benedictum eius nominis duodecimum Pontificem Max. vt is Galardum Titulenſem Præpoſitum & Petrum Geruaſium Anicienſem Canonicum legatos & Iudices ea de re in Poloniam & Pruſſiam mitteret: qui Polono Regi Cujauiam ac Dobrinum reddi, & decem millia florenorum adiudicata numerari à Crucigeris curarent: de cæteris verò controverſijs cognoſcerent. Crucigeri verò vt prætextum aliquem iniuriæ, & neq; arbitrorum decreto neq́; Pontificis mandatis parendi haberent, perfecerunt apud Ludouicum Cæſarem, cui tunc neq́; cum Regibus neq́; cum Pontifice conueniebat, vt is Magiſtro Theodorico Aldenburgico & vniuerſo Ordini grauiſſimâ pœnâ adjectâ, interdiceret, ne cujuſquam præcepto quicquam de ijs terris, quas ab imperio haberent, cuiquam concedant, néue apud vllos iudices de ijs diſceptent, præter aſſenſum ſuum. Cùm autem Iudices à Pontifice delegati, Varſauiæ cognoſcendæ cauſæ aliquandiu operam dediſſent, refutata friuola detrectatione & prouocatione Crucigerorum, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſexto adiudicarunt Caſimiro & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinenſem, Culmenſem, & Michalouienſem ditiones. Crucigeros autem ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marcas Polonicas, pro damnis datis: itemq; ad mille ſexcentas marcas impenſarum nomine condemnarunt: adhæc, vt ij templa & monaſteria in Polonia, ſuperiore bello direpta & exuſta inſtaurarent. Cumq; iudicata non facerent, anathemate deuoti ſunt, & ſacris interdictum omnibus locis quæ in eorum ditione eſſent, & ad quæ quiſpiam eorum perveniſſet. Interim annis aliquot quietæ res fuerunt in Polonia à Crucigeris. Lituani verò contra Crucigeros minùs proſperâ fortunâ tunc vſi ſunt. Libet autem inſigne quoddam facinus eorum commemorare. Cùm Crucigeri Germanorum quorundam Principum auxilijs adjuti, agros eorum infeſtarent, & arcem Pullen obſediſſent, barbari qui erant in præſidio deſperatione retinendæ arcis inducti, in medio accenderunt, & facultates, liberos, & uxores ſuas, ac ſeipſos ad extremum in eam conjecerunt, ne viui in poteſtatem hoſtium venirent.

Anno inſequenti, præficitur, VI. Epiſcopus Eccleſiæ Varmienſi à Benedicto XII. Pontifice Max. Hermannus liber Baro ex Morauia, auditor curiæ Romanæ. Quæ de ipſo dicenda ſunt, ſuo loco referentur ſub anno, 1350. Anno deinde, 1341. moritur Toruniæ Theodoricus Magiſter, cum paulò antè ab excommunicatione, quòd Epiſcopum

Hermannꝰ Morauus Baro VI Episc. Varm. fecit diuisionẽ bonorũ Episcopatꝰ cum Capitulo

 Vladiſ-

Vladislauiensem nomine decimæ contentasset, absolutus fuisset, reliquis Crucigeris in censura permanentibus. Cujus funus etiam Carolus Margrabius Brandeburgensis comitatus fuit. Marieburgum arcem turribus muniuit, & in ea Ecclesiam Beatæ Virginis Mariæ cum lignea turre, atq; sub Ecclesia S. Annæ cryptam, in qua depositus fuit primus, pro sepultura Magistrorum & aliorum virorum illustrium ædificauit. Idem constituit alium locum pro sepultura communium fratrum. Hic etiam Sodalitia artificium introduxit, & ut altaria atq; Sacerdotia haberent instituit.

Pecunia cœpit cudi in Prussia.

Primus Altenburgus fuit qui pecuniam in Prussia cudi curauit. Nam ciuis quidam Torunensis Bernardus Schilling, 30. centneros argenti adduxerat: ex quo idem elaborauit monetam, quæ etiam modò ab authore nomen retinet. In ejus latere uno cusum erat scutum cum Cruce majore, cum hac inscriptione. Moneta Dominorum Prussiæ. In altero latere crux erat, in cuius medio scutum cum aquila, cum inscriptione: F. Theodoricus Magister generalis. Sed & obulos, quorum sex unum solidum conficiebant, cudi curauit. Erant hi solidi crassi & ex media parte argentei. Ejus modi solidi quindecim, constituebant fertonem unum: sexaginta unam marcam. Habuit F. Bartholomæum à Lompau magnum Commendatorem. F. Henricum Dusener, Marsalcum. Prouincialem Commendatorem F. Valerianum ab Hitten: Hospitalarium Ottonem à Lawingen. Trapiarium F. Ottonem à Degenfelt. Thesaurarium F. Albertum à Nidertor. Collegam. F. Henricum à Buolach. Demortuo Magistro ad tempus substitutus est, F. Conradus Schwartzenburgius homo seuerus: cujus tempore illæ commendæ in Polonia nouiter occupatæ, ab Ordine defecerunt. Itaq; pro die Circumcisionis Marieburgi conuenientes ij ad quos spectabat electio, anno. 1342. elegerunt in Magistrum Ordinis generalem Ludolfum König, Dominum à Wetzau Saxonem. Commendatorem magnum adhibuit F. Berengarium ab Eybach alijs omnibus in suis officijs permanentibus. Cùm verò ita diris deuoti essent Crucigeri, nihil tamen moti sunt, ut judicata Polonis soluerent: imò facilè Casimirus concessit petentibus, ut jure omni quodcunq; illi à majoribus suis haberent in Pomerania, Culmensi, & Michalouiensi ditionibus, sese posterosq; suos jurejurando interposito & literarum monumentis consignatis abdicaret: ac de sigillo etiam quo diplomata Regia signantur, Pomeraniæ nomen eraderet, quo Cujauiam ac Dobrinensem ditionem ab eis reciperet. Itaq; constituto cum Magistro Crucigerorum congressu. Inouladislauiæ ad vicesimam secundam diem mensis Julij comitia quoq; suis indixit. Vbi abdicatio illa promulgata, Calissiæ verò non modò Regis, verùm etiam Ziemouiti Visnentium, Ziemouiti Cirnensium & Boleslai Plocensium Masouiorum Ducum, procerum item quorundam Polonorum & Ciuitatum nonnullarum diplomatis consignata est. Episcopi neq; ut signarent, neq; ut approbarent adduci ulla ratione potuêre. Annus quo hæc acta sunt fuit millesimus trecentesimus quadragesimus tertius. Collocauit autem anno dicto Casimirus Rex filiam suam Elisabetham è priore uxore susceptam in matrimonium Boguslao Duci ulterioris Pomaraniæ siue Scecinensium, societatemq; cum eo & fratribus ejus Barnimo & Varcislao inijt his legibus, ut fœderati mutuam sibi opem ferrent contra quosuis hostes, nominatim autem contra Crucigeros quoties

Casimirus Rex cedit Pomeraniam.

opus

opus esset cum quadringentis galeatis eosq; intra mensem, ex quo essent admoniti, mitterent, vel ipsi adducerent: ac in sua quidem ditione utriq; auxiliaribus commeatum & pabulum suppeditarent: in hostico autem sibi quisq; prospiceret: munitiones ab hostibus recuperatæ, ut redderentur ei, cui ademptæ fuissent. Quæ verò ad neutros priùs pertinuissent, captæ inter socios diuiderentur: aut dato alteri dimidio pretio ab altero retinerentur. Hoc tùm primum fœdus Pomeranorum Ducum cum Polonis fuit, non minus metu Crucigerorum, quàm affinitate conciliatum. Ludolfus verò Magister meliore usus consilio quàm prædecessor suus Altenburgicus, pacem cum Casimiro icit perpetuam, eodem anno octaua Julij in prato quodam jucundissimo inter Breste & Vladislauiam: Regemq; quinq; diebus Toruniæ lautissimè tractauit. Durauit hæc pax confecta usq; ad Jagellonis Regis Poloniæ & Vldarici Juningi Magistri tempora. Tum temporis etiam Gedanum cœpit muro circumdare & fossatis Magister, quod plancis hucusq; solùm munitum fuerat: ut tabula supra sacristiæ ingressum ibidem posita docet, quæ talem inscriptionem habet: Anno 1343. feriâ quartâ post Lætare est primus lapis muri Ciuitatis Gedanensis: & postea proximâ feriâ sextâ positus est primus lapis muri Ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ: cujus, scilicet Ecclesiæ dedicatio celebrabitur Dominicâ proximâ post festum Natalis Mariæ. Ex quo tempore Gedanum ex commercio cum Polonis & pace constituta, maxima incrementa cœpit. *Gedanum muro circumdatur.*

Orta hoc anno pestis mediocris ob hyemem tepidiorem, præcipuos quosq; ex Crucigeris è medio sustulit. Timore ejus F. Steino à Netten correptus Marieburgo abijt. Sed Lauenburgum veniens, morte, quam fugerat, obijt. Ejus loci Aduocatus cùm eum honorificè vesperi rursus curasset sepeliri, manè inuentum est cadauer ejus extra sepulchrum: quod & postridie tertiùm contigit. Re stupenda intellecta Magister, misit illuc Commendatorem qui exhumatum spontè gladio feriret, obedientiæq; admoneret, néue se ultro loco moueret: quod cùm factum esset, rursus terræ mandatus, in ea conquieuit. Eadem lue grassante, visum est spectrum in monasterio quodam circumire ac apparere ubicunq; Monachi conuenirent: amicum se etiam omnibus præbere, præterquàm quòd nemini loqueretur. Quos Monachos à locis suis in Ecclesia abesse videret, eos illuc ita deduxit, ut negligentiam suam morbo contracto ex importunitate adducentis expiarent. Inaudierant de eo famâ nonnulli Fratres Teutonici Ordinis, curiositateq; ducti id visum venerunt. Atq; alij id quoq; adjurare & de varijs interrogare non dubitabant: quibus priùs spectrum annuebat, ut abirent. Si verò illi magis importunè urgerent, adjurantem compressit adeò, ut nunquam ad pristinam sanitatem rediret: quamdiu etiam viueret. Prior tandem Monasterij rei finem imposuit. Nam conjurando Spiritum ait: Dominus JESUS sit tibi ac nobis propitius Judex per intercessionem Mariæ Virginis. Respondit spiritus: Amen. Iterum superior. Per JESU nomen, inquit, dic, cur adeò visibiliter inter viuentes conuerseris? Et hocquidem, ait spectrum, DEUS reuelatum esse non vult. Superior: Sed cùm tibi debita justa soluerimus, tuq; rectæ conuersationis videreris, cur tibi DEUS irascitur? Spiritus ait: Vestræ orationes mihi non proderant: cùm enim eas alijs debuerim, eas DEUS à me auertens, illis attribuit. *Pestis.* *Cadauer terrâ rejectum.* *Spectrum apparens.*

Si me adjuvare velitis, id nunc facite, DEUM præ oculis habete: Adest ad fores tribulatio. Monachi veniâ impetratâ à Priore, promiserunt ei singuli tres Missas: pro quibus cum Spiritus gratias egisset, ampliùs non comparuit.

Organa in Prussia

Organa ad hæc tempora primùm in Prussia audita sunt: quæ Toruniæ quidam Franciscanus ex fistulis viginti duobus confecit. Magni de ijs spargebantur rumores, veneruntq; eorum videndorum gratiâ undequaq; homines. Folles trahebantur qualiter in officinis fabrorum. Cessante bello cum Polonis, Crucigeri omnem molem armorum eò acrius contra Lituanos conuerterunt. Hi multa vicissim damna Prussis intulerunt. Et quidem anno præsenti contra Lituanos expeditionem Joannes Bòëmorum Rex cum Carolo filio Marchione Morauiæ, & Ludouicus Vngarorum hyberno tempore magnis viribus, sed successu non satis pari apparatui cum Crucigeris fecisse memorantur. Hujus quoq; Magistri tempore defecerunt ab Ordine Insulæ in Liuonia. Habebat tum Magister 17000. militum congregata, quæ illi Vngarorum, Angliæ, & Daniæ Reges subministrauerant. Monuerat itaq; literis, Liuoniæ Prouincialis Magistrum Prussiæ, vt Samogitas inuaderet: se velle interim Insulas recuperare. Quod facturum in se Magister recepit: & iam in procinctu erat, cùm ad eum fama defertur, Samogitas in Sambiam irrupturos. Dum itaq; consultiùs esse putat sua defendere, quàm aliena oppugnare, reuersus præsidijs firmauit Sambiam, Samogitas ibidem præstolans. Sed illi iam Liuoniam inuaserant, ex qua ingentem prædam hominum & pecorum impunè abduxerunt. Ob id Magister malè audiebat, inq; maniam delapsus, Engelsburgum missus est, addito ei pro custodia nobili quodam juuene, quem ille trucidauit. Vicemagister Henricus Dusener Marsalcus, pro electione noui Magistri Crucigeros iam conuocauerat: interim redijt ad mentem Ludolphus. Quamobrem ei rursus officium detulerunt: Sed illud abnuit, respond itq; ipsos ignorare planè: quàm benè sibi acciderit, quòd eum tanto onere Deus liberauerit: posthac se Engelsburgi paruo contentum fore: Nec postea diu superuixit. Sepelitur Quizini. Successit ei in officio Henricus Dusener viccmagister ex Arfberg, quem alij Desmer & Desener vocant in XVIII. Magistrum Ordinis Anno Christi, 1345. die S. Luciæ, viuente & præsente Ludolpho. Vtebatur magno Commendatore F. Vinrico de Cniperode, F. Tunone à Bleiberg, Marsalco, F. Hermanno ab Vchten Hospitalario, F. Eberhardo à Segin Trapiario, F. Eberhardo à Krasselen Thesaurario, F. Conrado Vandelstein Collega. Anno, 1346. Die 20 Nouemb. Bartoldus Episcopus VII. Pomesaniensis ex Decano Quizinensi in Episcopum contra animum Magistri omnium Capitularium votis electus fuit. Quare paucos dies quietos habuit. Solebat prædecessorem suum in angustijs constitutum sæpiùs consolari, & animum eius collapsum erigere: nunc cùm ipsum res tangeret, nemo illo tristior, nemo mente abjectiore fuit: quare etiam clàm ex Episcopatu discessit. Reductus ex Polonia Althausum, ibi in carcere vitam finiuit.

Samogitæ vastant Liuoniam.

Bartoldus Episcopus Pomesaniensis VII.

Nouus Magister cum omnibus officialibus dictis, nihil magis in votis habuit, quàm Samogitis pro damnis Liuoniæ datis talionem reddere. Cùm exercitu igitur Memelâ profectus in Samogitiam, eam deuastauit. Samogitæ verò ex improuiso irruentes, pa-

rum

rum abfuit quin eum caperent, multis Christianis necatis. Secundò tamen eos posteà armis adortus, superauit, pluribus captiuis Liuoniensibus è captiuitate liberatis. Qua victoriâ obtentâ, reconciliauit animos Liuoniensium Crucigerorum, qui ob priorem cladem sub Ludolpho à Prussiensibus auersi erant. Sed non adeò fracti animis ac armis, vt non restaurarent prælium. Nam Olgerdo magno Duce Lituaniæ Keistutoq; fratre & Normando Duce Russorum, anno 1347. Prussiam inuadentes, omnia longè latéq; ferro ac igne vastarunt. Nominatim Rasteburgum, post hominum factam cædem & spolia ablata, incenderunt: sicut & Bartoniam totam, ad Gerdauiam arcem usq; progressi, quam capere non potuerunt: sicut nec Luneburgum: à quibus rejecti in pagos desæuierunt. Indè reuersi, ad Rastenburgum vno die hæserunt: captisq; arce & ciuitate Resselio, quos homines non occiderunt, eos in præda abegerunt. Sed & Varmiensis ditio aliam tum temporis deprædationem pertulit. Tulit ægerrimè hanc cladem Prussiæ Magister, & quàm potuit citissimè, eidem succurrere voluit. Idcircò totam Prussiam & Pomeraniam in armis præstò esse iussit. Dum se illæ parant, majora indies Lituani damna faciunt. Nam circa Ragnitam omnia deprædabantur, transeuntesq; siluam Graudenwalt dictam, interceperunt Velauiam: Ciues verò de hostium adventu certiores redditi, ad tutiora loca se receperant: hostes vacuum ciuibus oppidum exusserunt. Inde cum simili furia in Volmiriam & Vunsdorfium debacchantes, reditum prædâ graves in Lituaniam meditabantur. Jam Magister procedebat cum exercitu, vt discedentem hostem à tergo adoriretur, Intellexit verò illum non festinanter sed pedetentim domum redire: idcircò anteuertere eum volebat. Perfecit id compendioso itinere per Insterburgum vsus. Tertio die in itinere certior factus Magister hostem ad fluuium Strebe vltra Labiam consedisse, atq; inibi prædam partiri: propiùs eum accessit, sicq; exercitum suum ordinauit, vt Lituani Christianos à fronte haberent, fluuium à tergo, ne qua elabi infideles possent: Vnde etiam gravior pugna exorta est. Ceciderunt eo in loco, 50 Crucigeri, & de militibus Ordinis, 4000. hostium, 18000. plura verò à flumine absumpta. Narimundus Dux Russorum Olgerdi filius, natando, cum equo euadere conabatur,. vt aliàs sæpè solebat, sed fatigatus equus armatum submersit. Alij se permiserunt gratiæ victorum. Captiui Christiani cum spolijs omnibus recepti sunt. Prosecutus est quoq; Magister hanc victoriam. Nam F. Sifridum cum parte exercitûs in Lituaniam misit, quam spatio itineris sex dierum, deuastauit. Ipse cum residuo exercitu munitionem Velunum obsedit, quæ quidem iam antea solo æquata erat; sed eam Vithenes restaurarat, & fortiorem reddiderat. Erant in præsidio arcis 1500 milites qui se dediderunt. Hi omnes cum mulieribus & filijs in Sambiam deducti, fidem Catholicam susceperunt, sacro baptismate initiati: Et sic quidem pacem petere coacti sunt. Arcem verò Velunum rursus Magister demolitus est.

Prussia vastatur.

Lituani cæsi.

Hoc ipso anno, cùm Episcopi Varmienses cum sacro suo Capitulo jam etiam antea in Petelkau & Glottau pagis Collegium Canonicorum, quos Collegiatos vocant, condere tentassent: sed nullibi satis tutum locum propter frequentes incursiones Lituanorum & aliarum gentium pro Canonicorum pijs exercitijs inuenire potuissent, tandem id in oppido Guttstadia Hermannus constituit &

fundauit: adjecta conditione, ut præeat dignitate Ecclesia Glottouiensis Gutstadiensem: illaq; Matricis, hæc verò filiæ nomine censeatur, propter frequentia miracula, quæ Eucharistia in loco isto operatur, & populi concursum majorem ad eam, qualis Guttstadiæ non fuit. Erat hostia illa ab incolis pagi extra Ecclesiam super terram, prodentibus ipsam bobus rugientibus, & terram ungulis scalpentibus, reperta. Delata cum solennitate per Sacerdotes ad Ecclesiam Glottouiensem, & ad Guttstadiensem, nihilominus in loco inuentionis adhuc bis reperta est: quasi indicaret clarè, se locum hunc pro cultu suo singulariter præ illis elegisse. Quare intellecto probè sacro Omine, in illo ipso loco Inuentionis Eucharistiæ, Ecclesia quæ in hodiernum diem ad clivum montis perdurat, ædificata fuit. Locus etiam Inuentionis in ea, certo altari ad parietem Septentrionalem, fossa cratibus ferreis septa, peculiariter consignatus manet. Prior verò Ecclesia cum tempore deseri cœpit, permanentibus tamen fundamentis & Cæmiterio, ad euidens rei peractæ testimonium. Habet verò & illa recentior Ecclesia, de qua narratio instituta fuit, suum cæmiterium. Nec desistit, his adhuc diebus locus à copioso populo, ipso maximè festo Corporis Christi, & per totam Octauam ejus, frequentari: qui etiamnum beneficia illic à DEO percipit. Credibile est hostiam illam à boue uno vel pluribus inuentam, ex Ecclesia Glottouiensi vel ex alia per Lituanos incredulos, & similes gentes cum Monstratorio siue tabernaculo ablatam & huc projectam fuisse, retento argento, quæ infinitè fuerat pretiosior ipso argento & quouis auro probatissimo atq; thesauro inæstimabili. Id quod cognouerunt boues, Lituanis in sua ignorantia permanentibus. Sed de hoc sacro loco aliàs etiam deindè

Glottoviæ Hostia SSma reperta.

Olivense monasterium incineratū.

Annus, 1348. luctuosus accidit Patribus Oliuensibus. Nam sedentibus ipsis feriâ sextâ magnâ ad mensam, & se pane & aqua reficientibus, culinarij volentes à fuligine euacuare caminum, igne ipsum incenderunt: qui totum Collegium absumpsit, ita ut nihil omninò nisi muri remanerent. Restauratum fuit Monasterium & commodius ædificatum intra breue spatium temporis, operâ & sumptibus Henrici Duseneri Magistri, Vinrici à Cniperode Commendatoris magni, Gerardi Abbatis Pelpliuensis: Matthiæ Cujauiensis, Joannis Varmiensis, Jacobi Culmensis, Jacobi Sambiensis, & Arnoldi Pomesaniensis Eposcoporum.

Aliam etiam pugnam cum Keistuto, Olgerdo & Normando Lituanorum Ducibus, anno salutis, 1349. in die Purificationis B. Mariæ Virginis habuit Magister, in qua, 10000. Lituanorum & Russorum ceciderunt. Qua de causa constructionem Monasterij Virginum vouit: quod postea successor ejus Conradus Regiomonti in Lebenich in honorem DEI, qui tribuisset victoriam, & ad memoriam B. Mariæ Virginis & S. Benedicti, erexit. Jam amplius ipso viuente non ausi sunt Lituani in Prussiam erumpere. Dotatum fuit abundè istud Monasterium fundis & pagis sequentibus: Lichtenhagen, Capella & Parochia Haberstroensibus, Efsfordio: item prædio aduocati, modò, Jungfraudorfium vocato: Parochia in Arnau, cum nouem hortulanorum domunculis: centum mansis in Nauer cum moletrina ac aliquot alijs pratis & agris. Addidit his Henricus Reus adhuc alios centum mansos siluæ in magno & paruo Nauer: Ludouicus Erlichausen Parochialem pagum Seligenfelt: Paulus Rusdorfius, liberas piscationes, in Morsalck,

Lituani cæsi.

Monasterium Virginum Regiomonti.

Ragnit

Ragnit, ac Mummel, lacubus. Alij etiam alios agros, prata, & hortos. Alebantur ex bonis iſtis, tredecim numero Virgines DEO dicatæ.

Primus Henricus fuit, qui curauit latiores groſſos in valore Boëmicorum boni grani cudi. Vnum latus continebat inſignia Ordinis, nempè Crucem cum lilijs cum inſcriptione: Henricus III. Magiſter generalis Dominus Pruſſiæ. Alterum latus inſignitum erat proprio ſigillo Magiſtri cum inſcriptione: Honor Magiſtri juſtitiam diligit. *Moneta in Pruſſia*

Eodem anno Caſimirus Rex ſocietatem cum Vngarorum Rege contra Crucigeros inijt. Increbuêre tunc, per uniuerſum ferè Orbem greges virorum ac mulierum nudis ſupernè umbilicotenus corporibus obambulantium & flagellantium ſeſe, diuinamq; Clementiam miſerabilibus vocibus implorantium, vexillis præeuntibus. Itaq; in Poloniam quoq; ij tunc venêre ex Vngaria, & indè in Pruſſiam. Sed cùm ea ſiue Religio, ſiue ſuperſtitio à flagitijs non penitus immunis eſſe deprehenderetur, pœnis coercita & extincta eſt. Anno ſequente moritur Hermannus VII. Epiſcopus Varmienſis. Sepelitur Varmiæ. Fuit verò Hermannus de Praga, dictus Dominus in Libenſtein in Morauia vir præſtans. Joannis I. Boëmiæ Regis orator, & unicus in grauioribus cauſis conſiliarius. Peruenerat ad Epiſcopatum Varmienſem ne cogitans quidem, hac via. Cùm modus & ratio non facilè reperiretur, qua contra Fratrum Teutonicorum potentiam aliquis Epiſcopus eligi, & in ſua ſede collocari tutò poſſet, oblatum fuit Venerabili Capitulo Varmienſi bonum & ſalutare conſilium, ut Benedictio XII. Pontifici Max. clàm ſuggereret, vellet ad ſe cum primis eruditum & præſtantem virum Doctorem Hermannum dictum euocare, illiq; de Epiſcopatu Varmienſi tot annis vocante, prouidere: facturum procul dubio Boëmorum Regem, rationesq; omnes perueſtigaturum, ut familiarem ſuum & conſiliarium in patrocinium & defenſionem ſuſcipiens, eum contra quorumuis potentiam in ſede collocaret. Res optatum exitum eſt conſecuta. Nam Boëmiæ Rex Hermannum in urbem miſit, ubi à Pontifice Varmienſis Epiſcopus conſecratus fuit: quem poſtea idem Rex egregio comitatu inſtructum in Pruſſiam miſit cum Magiſtro curiæ & præcipuis nobilibus deducente. Ita frementibus & fruſtra renitentibus Crucigeris Hermannus pacificam Epiſcopatûs poſſeſſionem adeptus eſt. Ad hujus Epiſcopi tempus Venerabile Capitulum cenſuum & reddituum Epiſcopatûs curam habuit, duasq; partes Epiſcopo, ſibi tertiam attribuit. Sed cùm hujus diuiſionis occaſione diſſenſiones & jurgia inter Capitulum & Epiſcopum ſæpiùs exorirentur: & aduocatus Epiſcopatûs, qui ex Ordine Fratrum Teutonicorum aſſumebatur, aliquot etiam millia ſibi uſurparet: Epiſcopus autem unà cum Capitulo tunc temporis in redditibus annuis ad ſexaginta duo millia marcarum haberet, viſum fuit, ad partitionem & diuiſionem bonorum Commiſſarios deputare: qui bona ita partiti ſunt, ut Epiſcopo duæ partes, tertia Capitulo obueniret. Epiſcopus ex diuiſione ſupradicta accepit, Brunsbergam, Vormditum, Guttſtadium, Heilsbergam, Reſſelium, Vartenburgum, *Barteſteinum & Sippelbeinum*: Capitulum verò Fraumburgum, Paſſenhemum, Meelſaccum, & Alenſteinum. Hic Epiſcopus ædificauit Seburgum, Biſteinum & nouam Ciuitatem ad Brunsberg. Elogio tali exornatur.

Flagellantium grex.

Hermannus Epiſc. Varmienſis.

Diviſio bonorum inter Epiſcopum & Capitulũ Varmienſe.

Doctor

Doctor eram auditorq; rotæ, dum Papa Cathedram.
Contulit Hermanno, sede vacante, mihi.

Joannes Misnensis VII. Episcopus Varmiensis.
Jacobus VIII. Episcopus Culmensis

Secutus est demortuum in Episcopatu, Joannes Misnensis. Anno eodem, 19. Junij obijt, VIII. Episcopus Culmensis Jacobus, quondam Administrator Capituli Regiomontani in Zala. Ad Episcopatum eum promouerat Henricus Dusener, confirmatione à Pontifice impetrata. Non dubitauit is, ut erat vir magnanimus & fortis ab Ordine postulare bona Ecclesiæ suæ. Et ea quidem assecutus est, verùm mirum in modum à Polonis bello afflicta & deuastata. Obtinuit à summo Pontifice, ut qui ex Canonicis non resideret, de redditibus non participaret. Recuperatis bonis Ecclesiæ, Episcopus bona cum Capitulo ex dimidio diuisit. Debebant tamen ferre onus Aduocati alicujus ex Crucigeris, à quo multas molestias perpessi sunt. Sepelitur in Culmseensi Ecclesia Episcopus: quem secutus est Vigboldus, 9. Episcopus Culmensis. Sequenti anno obijt Magister Henricus III. vel ut alij volunt officium, cum præfuisset Ordini sex annis, resignauit. Mortuus in Bratian, sepelitur Marieburgi in crypta S. Annæ. Post hunc ad officium Magistri eodem anno electus est Henricus siue Vinricus à Cniperode, atq; in Ordine Magistrum XIX. Pro festo exaltationis S. Crucis anni præsentis, tempestatum vis, sexaginta naues in mari submersit, & Gedani triginta septem pinacula parua de Ecclesijs dejecit: quam acris pestis anno proximè sequenti insecuta fuit, ita ut per hyemem, quæ tepidior fuit, intra muros Gedanenses 13000: Toruniæ, 4300. Elbingæ, 7000. Regiomonti, 5000. vel ut alij volunt, 8000. hominum absumpta fuerint. De Crucigeris hinc inde desiderati sunt viri, 117. De familia eorum perierunt, 3012. Quasi miraculi loco debeo referre, anno Christi, 1353. in vigilia Pentecostes frigus ingruisse niuemq; unam ulnam, alicubi etiam duas ulnas altam cecidisse. Quinto die hinc pluuiam delapsa calida absumpsit totam, atq; uberrimam messem reddidit. Circa quod tempus fodinæ minerarum inuentæ sunt in Hockerlandia: emebaturq; marca argenti undecim fertonibus. Continebat autem ferto quinq; grossos. Marca argenti sedecim scotos. Centenarium cupri emebant septem fertonibus: Centenarium ferri una marca cum dimidia, id est, triginta grossos.

Tempestas grauis

Pestis.

Frigus & nix in Vigilia Pentecostes

Recruduit tunc bellum Lituanicum. Nam Lituani postquàm intellexerunt Henricum Dusnerum à quo sæpiùs grauiter cæsi erant vitâ functum: putantes cum ipso fortunam Crucigerorum unà extinctam, cum successore aleam belli tentarunt. Magister adjunctis sibi Burgrabio Nurnbergensi & Marchione Ottingensi, illorum inuasionem tempestiuè præuenit. Nam hi per hyemem conjunctis viribus, Gesauiam, Eroglam, Rosgayn, & Duclen ditiones spoliarunt: sed ex improuiso glacies ex pluvijs resolui cœpit. Itaq; victoriam ulteriùs prosequi nequiuerunt: Imò captiuos ac aliam prædam dimittere debebant, si ipsi salui in Prussiam ante omnimodam fluminum resolutionem redire vellent. Multi ex penuria pabuli, proprijs equis dimissis, pedestres ambulabant: multi sub ijs fracta glacie aquis peribant, Neq; is fuit finis malorum: nam paulò pòst Lituani certiores facti de aduersa fortuna Crucigerorum, moram non ferentes, circa Bacchanalia per Curlandicum Habum, glacie rursus frigore firmata, Ordinis terras quadripartito exercitu inuadunt. Ibat unus aduerso flumine Caminsco usq; Schaken: alter

Lituani vastant Prussiam.

alter penes fluvium Cuskeima usq; ad Povundum: tertius per fluvium Catte, usq; in ditionem Caymenam: ultimus juxta fluvium Deime usq; Labiam. Hi obuia quæq; rapiebant, incendebant, vastabant. Qui ex hominibus sequi non poterant, colligatos & carpentis impositos sicut oves, avehebant. Omnibus his malè, sed ultimò hostium agmini omnium pessimè res cessit. Nam huic Commendator Henricus Schindecopius iter redeunti cum præda, obstruxit. Cùm verò aliâ viâ versùs Curlandicum lacum, ut euaderet periculum, declinaret, paludes quæ ægriùs frigore concrescunt, obuias habuit. Cumq; in id agmen Commendator, ex improuiso impetum faceret, glaciem conscendere coactum cum omnibus quæ rapuerat submersum perijt. Idem ferè contigit ijs, qui ad fluvium Catte reuertebantur, quorum, 1500. ceciderunt. Reliquos insecutus Magister, super lacu Curlandico, qui ex his non effugerant, occidit, captis 405. strenuis pugnatoribus. Insequenti anno Olgerdus & Keistutus ulturi suos, usq; Ressellium progressi, omnia deuastarunt, & 1500. homines captiuos abduxerunt. Iis obuiàm iuit Commendator Henricus Cranichsfeldius cum Aduocato Episcopi Varmiensis Friderico Obarto. Multos illi quidem Barbaros occidunt & in fugam conuertunt: sed cum eos longiùs prosequuntur: circumdati ab illis ipsis, occiduntur Duces ipsi. Vndè Christianus miles animo cadens, hostibus liberum abitum concessit. (sed frustra) Lituani ne se majori vi Crucigeri persequantur, ut euadant expeditiùs, omnes captiuos gladio trucidant. Hanc cladem ulcisci Magister quamuis justum exercitum congregasset, non potuit: eò quòd tota æstas insequens & autumnus continuis imbribus maderent. Sedatis verò ijs Sifridum Dannefeldium Commendatorem Ragnitensem cum magnis copijs in Lituaniam circa Purificationem B. Mariæ Virginis anno Christi, 1355. misit. Is quinq; diebus hostiliter egit, ditionesq; Medenicam, Eroglam & Veiken deuastauit: nec minorem cladem illâ quam Lituani exhibuerant, inter illos fecit. Penultima mensis Julij moritur Joannes de Misna, VII. Episcopus Varmiensis. ex Decano Varmiensi, vir prudens, magnanimus, & in rebus magnis versatus. Nec hunc Ordinis Magister impedire potuit, quò minùs Episcopatûs possessionem adiret. *Obtinuit is à Pontifice Max: ut ejus* Ecclesia nemini esset subjecta præterquam immediatè sedi Apostolicæ; à qua primò erecta, fundata & dotata fuit: quæ res non minùs Ordinis Magistro quàm Archiepiscopo Rigensi planè contra voluntatem accidit. Superiùs cùm vitam Anselmi Episcopi describerem, dictum est, quàm horrendam idololatriam infideles Prussi apud quercum Curchonis, exercuerint. Quam Anselmus excidit & excidi curauit. Illa verò quercus ad Rickoyot, quam restaurarant Prussi circa annum, 1165. de qua ibidem dictum fuit, ad hujus Episcopi tempora permansit (quæ non longè ab illa distabat) quamuis Prussi metu Magistratûs ad eam non nisi clàm accedebant, & sua execrabilia sacra peragebant. Hæc ut unà cum tribus idolis à Magistro Ordinis Vinrico Cniperode per F. Henningum Schindecopium excinderetur, & penitus exterminaretur, author fuit Episcopus: qui in sua Diœcesi tantum facinus perpetrari passus non est diutiùs. Postea verò in eodem loco vir optimus Petrus Nagel de Sahr, non absq; ope & auxilio Episcopi Monasterium Augustinianorum cum eleganti Ecclesia construxit: quam idem Episcopus in honorem sanctissimæ Trinita-

Caduntur.

Joannis de Misna Episcopi Varmiensis mors.

Varmiensis soli Summo Pontifici subjecta.

Trinitatis dedicauit & consecrauit. Hic Episcopus cum Capitulo suo diligentius considerare & perpendere cœpit, quam periculosum sit non minùs suis, quàm Capitularibus vasallis, quoties bellici furores emergunt, nullas in prouincia munitiones habere, ad quas necessitatis tempore confugere, & inde hostiles impetus retundere ipsis liceret: quas si prædecessores sui habuissent, nunquam in extremas angustias & se & subditos suos conjecissent, ut exemplum optimi illius Episcopi Anselmi edocuit. Quoniam autem verisimile videbatur Ordinis Teutonici viros id tot constructionibus, arcibus & munitionibus erectis agere, ut Episcopatum jugo submittere possent: qui eorum operâ integris octo annis Episcopo caruit: constitutum est, contra hujusmodi necessitates, ut aliquot arces in Episcopatu excitarentur, quam ad rem vasalli quoq; se opem auxiliumq; collaturos ultrò obtulerunt. *Hic itaq; Episcopus arcis* Heilsbergensis fundamenta erigere, muros excitare & propugnacula congestâ terrâ constituere cœpit: quæ eo vivente altiùs assurgere visa fuerant. Ad eundem quoq; modum, arcem Resseliensem, Seburgensem, & Cathedralem Ecclesiam Varmiensem, quæ tùm simplicem structuram habuit, ædificare cœpit. Ædificia hæc ne excitarentur, libenter admodùm Magister & Ordo Teutonicorum impediuisset, sed qua ratione id faciendum esset, non videbat: maximè quòd per uniuersam Germaniam Ordo totus hoc nomine malè audiebat, quòd bonis Ecclesiasticis vehementer inhiaret. Cæterùm antequam supra nominata ædificia absoluta fuissent, Episcopus Joannes, vir sempiternâ memoriâ dignus & laude, qui patris patriæ nomen promeruisse videtur, in Domino obdormiuit. Ista ejus grandia facinora breuibus hisce versibus continentur.

Incepit erigere arcem Heilsbergensem.

Edideram libros, arces ac oppida struxi.
Vt sint in nostram robur & arma fidem.
Sollicitus muris arces munire Joannes.
Sollicitus sacro pastor in officio.

Joannes II Streifrocus, Episc. Varmiensis fuit VIII

Post hunc assumptus est ad Episcopatûs gubernacula, Ioannes II. Streifrocus, octauus Episcopus Varmiensis, eodem anno, secunda die mensis Augusti. Cuius vitam descripturus sum eo anno quo ex hoc mundo ad Deum remunerandus pro laboribus euocatus est.

Æstate veniente anni 1356. Secundò Commendator Ragnitensis Lituaniam ingressus, vastauit. Tertiam irruptionem fecisset quoq;, nisi interim ex improuiso ignis totam arcem Ragnitam cum omni apparatu bellico, annona, pabulo, equis, & cum quibusdam Crucigeris absumpsisset: quam Magister anno sequenti, in Insula, in qua & modò visitur, de nouo collocauit. Aduenerunt deindè insequenti anno noua auxilia Ordini contra Barbaros ex Germania: inter quos etiam ex Gallia Comes quidam erat ex voto facto. Cum his denuò dictus Sifridus Lituaniam mirum in modum afflixit: vndè hostes pacem petere ad biennium necesse habuerunt. Ipse verò Commendator Ragnitensis mortem obijt in die S. Gregorij, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Cùm verò pax expirasset, anno, 1359. Arnoldus à Uitinghoue nouus Commendator finitis inducijs in Lituaniam irrupit: sed ita vastatam reperit superioribus annis, vt fere vacuus prædâ redire debuerit. Anno, 1361. Priuilegium Magister Vinricus edidit, cuius punctum illud quod majusculis literis scriptum est, attendere lector velit,

pro

pro jure Polonorum quod habebant in Prussiam. Ita verè sonat: *Nos F. Vinricus à Cniprode, Magister Fratrum hospitalis in Jerusalem, Ordinis S. Mariæ Teutonicæ Domus: notum facimus omnibus has literas nostras visuris, & lecturis, quod omnes Capitulares consenserint, vt Aberlinus à Nebrau, cum omnibus hæredibus suis in officio Sculteti jure Magdeburgico maneat. Cui etiam libertatem damus, vinum, mulsum, omnis generis cereuisiam, sal, aromata, ceram, ac pannum vendendi: rubro colore in sigillatione vtendi: liberamq; piscationem in Nagoto vno milliari & minora judicia. Pro hac gratia annuatim Ecclesiæ Cathedrali in Quizin libram ceræ pendet, & in vtilitatem Ordinis nostri equum fovebit & arma tenebit, ac alia quæ ad bellum sunt necessaria. Hoc seruabitur illi perpetuis temporib9.* ET SI CUM TEMPORE POLONI PRUSSIAM POSSESSURI SUNT TANQUAM PROPRIAM, HOC TAMEN ILLI FIRMUM ET INVIOLABILITER MANEBIT. *Datum Mariebirgi, anno salutis, 1361. Die Lunæ post Joannis Baptistæ. Testibus dilectis nostris, F. Joachimo à Sledorf. F. Antonio Nymptz Collega, & D. Vasolt, Secretario.*

Tentauit Magister Ordinis eodem anno interiorem Lituaniam ope Marchionis Brandeburgensis, qui fuit filius Ludouici Cæsaris. Cui occurrit Olgerdus cum Fratre Keistuto & eius filio Patrikig. dicto, cum ingentibus copijs Lituanorum & Russorum. Acri pugna facta per integrum diem, tandem Dominica *Iudica*, qua Ecclesia, Christi Dei Saluatoris nostri, solenniter recolere incipit Passionem, Christianis victoria cessit. In ea pugna, captus, Keistutus Marieburgum deductus fuit. Sed is commutatione captivorum liberatus est. Nec multò pòst iterum atq; tertiùm captus, custodias frustratus est. Vna quidem vice, hac arte vsus: Camera in qua detinebatur vndiq; pro eius dignitate tapetijs & aulæis ornata erat. Ille curiosiùs interiores parietis fornices lustrans, exiguum foramen contectum reperit: ex quo conjicere potuit muri crassitiem tantam esse quæ facilè perrumpi posset & ad fossatum subministraret egressum. Aderat ei famulus Lituanus, non ita pridem sacro fonte baptismatis lotus, qui eidem cibum, atq; alia necessaria apportabat, nomine Alosius. Huius animum cum à longè tentasset, & ad proditionem proniorem, quàm putasset, inuenisset: ab eo non solùm ferrum ad perfringendum murum & funiculum pro dimissione accepit, sed etiam proditor duos equos vnum pro se & alterum pro Duce ad fugam non procul à fossato arcis præparauerat. Perfracto igitur muro, Dux se ad fossatum dimisit, appositisq; scalis rursus ex fossa ascendit, primaq; noctis vigilia qua gratissimus est somnus fugit cum dicto famulo in habitu Ordinis vsq; ad Ducem Masouiæ Ianussum, qui matrimonio sibi iunxerat sororem, vel vt alij dicunt, filiam Keistuti. Antequam inde in Lituaniam, secunda vel tertia vice, iret, incertum est, subornaverat plurimos Lituanos, & Russos, quidam dicunt, octingentos, qui sub specie mercatorum tempore nundinarum quæ pro die S. Dominici celebrantur, Gedanum, id prodendi causa præmiserat, quos ipse per Vistulam sequebatur. Sed proditione aperta, forma-

Keistut9 ex captiuitate elabitur.

ti mercatores capti & cæsi sunt, & ipse redire in Masouiam coactus est.

In rotam actus tribus diebus vixit impœnitens.

Fuit his diebus Gedani nauta Hollandus latro Gerardus Berenbaum contusis brachijs & tibijs viuus in rotam positus, eò, quòd vltra quingentos homines diuersi generis hinc inde propria manu mactauerit. Non sanè nummorum gratiâ, quod nisi extrema necessitate adactus fecit: sed, quemadmodum ipse interrogatus, inquit: vt videret qualiter formosi in morte & post eam apparerent, & vt fortis viri nomen acquireret, qui tot solus intermisset. Triduò in rota vixit, neq; persuaderi potuit, vt factorum pœniteret, eo nomine miserrimus.

Cauna obsidetur & inceditur.

Postea Ordo, anno, millesimo, trecentesimo, sexagesimo tertio Caunam obsedit. Obsessis conabatur Keistutus opem ferre, sed frustra. Deuictam verò Ciuitatem Christiani succenderunt, & solo æquarunt. Idem fecerunt munitionibus Neucauen, Pisten, & tertiò Veluno: cuius Præfectum Castoudem captiuum acceperunt, sed dum ducitur ad Magistrum in itinere à Ductoribus occiditur.

Arnoldus Episc. VIII Pomesaniensis moritur.

Anno sequenti, 29 Ianuar. moritur Arnoldus Episcopus VIII. Pomesaniensis. Fuit is Confessarius Magistri & ideò illi gratissimus accidit: & quidem scrutinium pro ipso in Cancellaria Magistri confectum iam erat. A Pontifice confirmationem accepit, ac in Ordinem sex Canonicos vestiuit; propter quod gratior fiebat Magistro. Si quando à Commendatoribus turbaretur, eius defensionem suscepit, allocutusq; eos ita, inquit: Ne tangite Popos, nam in ore gladium gerunt. Postquam bona sua ad florem reduxisset, paralysi interijt: sepultusq; est Quizini. Author fuit quòd Ecclesiæ in Neringa, videlicet, Bonsack, Niclasualdt, Cobelgrub. Prebernau, Calenbergk & Schoyte, quæ partim ad Cuiauiam, partim Fraumburgum spectabant suo Episcopatui incorporarentur. Præter Scheite omnes aliæ Ecclesiæ nunc rursus ad Cuiauiensem Episcopatum spectant. Accepit successorem Nicolaum I.

Ante mortem suam Casimirus Rex peragrata Poloniæ magna parte, in Prussiam se contulit cum pacato comitatu videndi Mariæburgi aliarumq; arcium & oppidorum causa, quæ Cruciageri frequentia & permunita habebant & benè constituta: vt ad eorum exemplum Poloniam etiam magis cultam redderet. Vbi perhumanè & honorificè à Crucigeris quocunq; adiit acceptus est. Quo

Caristia.

anno sicut etiam proximo præcedente in aristis, præter siliquas, frumentum non est repertum. Vbi quidpiam inueniebatur, illud mures, quorum ingens copia erat, deuorabant. Emebatur verò siliginis modius, floreno vno Polonicali. Itaq; non seminabant agricolæ. Qui tamen etiam supra sensum videbantur seminare eosdem furfures, recipiebant ij optimum frumentum. Aucta est ve-

Pestis.

rò hominum infortunium superueniente peste quæ adeo sæuijt, ut Torunia, Neumarca, Deutscheylau, Graudentum, Risenburgum vrbes quasi desertæ haberentur. Cùm etiam vicini vicinos adirent, & fortuitò funera quæ non sperarent, offenderent, ac correpti metu etiam morerentur, hac occasione Vinricus jussit in certi funeris

Lodicis funebris origo.

signum lodicem præ foribus appendi. Cùm itaq; cereuisia deesset propter defectum frumentorum, & copia vini creuisset in Prussia: & esset abundantia mellis: Emebatur stofus æqualiter cum mulso, 12. Vierchen/ sed mallebant Prussi cereuisiam. Nec inferebantur frumenta ex Polonia prohibentibus id Plocensi & Cuiaviensi Episcopis, quod Crucigeri Episcopum Varmiensem ejecerint.

Mori-

Moritur Casimirus, anno Christi 1370. cui successit Ludouicus, Rex: quo anno Keistutus Vinrico Cniperode Magistro Crucigerorum, bellum indixit. Constituerat is Marieburgi his diebus spectacula exhibere equestria, sed interueniente bello vero, intermissa sunt ludicra. Nesciens verò Magister vbi Keistutus irruptionem in Prussiam facturus esset, idcircò triplicem exercitum, qui singuli constarent ex sex millibus collegit. Vnum eorum misit Nordenhardum. Erat verò Nordenhardum arx ad fluvium Suena, qui Allenburgi in Alnam illabitur. Alterum in Culmensem terram. Tertium in Sambiam sub Henrico Schindecopio Marsalco. Irruit verò Keistutus sabbatho ante Dominicam *Exurge Domine*, per Curonensem lacum in Sambiam cum duodecim millibus ex Russis, Lituanis & Tartaris collectis, ditionibusq; Kaymen, Schaken, Povunden & Leptau spoliatis, propè Rudauiam castra posuit. Expectabat hic Henricus Scindecopius Marsalcus cum exercitu hostem: quem cùm sentiret appropinquare, de eo mox Magistrum, juxta conuentionem, fecit certiorem. Rescripsit Magister, se missurum auxilia, sed pro die Lunæ. Hic terminus longior visus est Schindecopio quàm res postularet. Itaq; profectus Rudauiam sacris interfuit. Quibus finitis, post sumptum S. Joannis haustum, Dominica Sexagesimæ aciem contra hostem ordinauit. Fit congressus, ab cujus initio statim cæduntur Christiani, vexillum deijcitur, copiæ fugiunt. At erecto denuò vexillo (id fecisse aliquem sutorem Regiomontanum, unde conuiuium à Duce etiamnum certo anni die Cniphouienses habent, vulgò receptum est) recolligunt se fugientes, hostem inuadunt, & de exercitu Keistuti sex millia cædunt. Ipse verò Marsalcus Henricus, dum faciem discooperit, videreq; cupit statum sui exercitus, à barbaro quopiam per os hasta transfigitur. Currui impositus, dum domum vehitur, in itinere apud tabernam Matthiæ Calau moritur. In cujus gratam memoriam de latere cocto ibidem columna erecta fuit. Sepelitur Regiomonti in templo S. Mariæ Magdalenæ, ubi modo pecunia cuditur. Ceciderunt cum eo ex Ordine ducenti quinquaginta. Nobiliores ex Fratribus occisis erant Albertus Sangerhausen, Dipoldus Hasenstein Commendator Brandeburgensis, Albertus Sterau, Betzoldus Karbis Commendator Labiauiensis, Salentinus Eisenburgus, Vlricus Stockheim, Valterus Ringau, & tres selectissimi equites, in quibus Arnoldus quispiam.

Pugna inter Lituanos & Crucigeros.

Anno 1373. in die S. Ægidij moritur Auinione Joannes Streifrock Lipsiensis, septimus Episcopus Varmiensis, ex Canonico Custode Varmiensi ad Episcopatum anno 1355. à Capitulo electus & ab Innocentio VI. Auinione confirmatus, ibidemq; consecratus est. Ad Ecclesiam suam Sabbatho ante Dominicam *Lætare* anni, 1356. venit. Oppidum Vartenburg fundauit & locauit anno 1361. Episcopatûs bona colonorum frequentiâ ita auxit & cultiora reddidit, ut in florenti cum primis statu constituta esse viderentur. Vndiq; namq; ad eum homines confluebant & libenter aliundè commigrabant, quòd erga pauperes munificus haberetur, & quod impotentem Teutonicorum militum dominatum oneraq; grauia, quibus ferendis pares non essent plurimi, diutiùs sustinere recusarent. Ea res ingentem inuidiam Episcopo apud Ordinem peperit: maximè verò quòd is, quem Magister ad Episcopatum summa contentione promouebat, electus non fuerit, quam ut illi videbatur

Joannes Streifrock Episc. Varm. VII. moritur.

injuriam ulcisci cupiens, multa damna per incendium statui Ecclesiastico intulit, ut ab ejus insolentia nemo tutus esse videretur. Ad extremum Episcopum accusauit, quasi ultra limites antiquitus constitutos non contemnendam fundi & agrorum partem Ordini ademerit. Ad eam controuersiam dirimendam ad fines regendos Episcopus deuenit cum F. Sifrido de Hasenbach Commendatore Balgensi. Quamuis autem D. Episcopus productis centum fide dignis & in ætate senili constitutis testibus veros limites, quibus bona Episcopatûs à bonis Crucigerorum antecessores sui Episcopi Eberhardi tempore distinguebantur apertissimè, & euidentissimis documentis demonstraret, nihil tamen hoc eum juvit: sed Episcopatui Bartensteinum cum sexcentis mansis & Rastenburgum prætextu limitum: Sipelbeinum cum 28. pagis, magnis lacubus circiter octingentis mansis & Passenheimum cum attinentijs per summam injuriam ademptum ac Ordini adjudicatum fuerit: qui statim in possessionem prædictorum cum maximo Ecclesiæ damno inuolauit. De hac tàm insigni injuria & vi illata Episcopus cum Capitulo grauissimè coram Pontifice & Romanorum Imperatore missis ad utrumq; literis conquestus est; obtinuitq; ut uterq; per Epistolam Vinricum Ordinis Magistrum grauissimè admoneret, ne is Ecclesiæ Varmiensis jura violaret, bonaq; ejus imminueret: alioquin se facturos quod causæ æquitas officijq; sui ratio postularet. Ea res offendit vehementer Magistrum & uniuersum Teutonicum Ordinem, adeòq; animos eorum exacerbauit, ut pleriq; Fratrum ad eos, qui in regionibus exteris versabantur scribentes, se Ecclesiasticos Ordini esse inimicos profiterentur: eosq; monerent ut idem quoq; ipsi facerent. Posteà constituta fuit dies S. Joannis Baptistæ, ad quam in villa Neikirch Episcopus cum Capitulo, & Magister Ordinis pro colloquio conuenirent, quod etiam factum est. Cumq; conuenissent, primùm cœpit Magister petulantibus verbis in Episcopum tanquam in proditorem acriter insurgere, quòd apud exteros Principes famam ejus scripto lacerauerit, tanquàm Dominus ejus esset, multaq; in eam sententiam concitatiùs dixit: Cui respondit Episcopus: Me inquit summa necessitas & Episcopalis officij ratio eò coegit, ut de vi summaq; injuria Ecclesiæ meæ illata conqueri necessè habuerim, quod ita esse re & veritate comprobare sum paratus. Ad hæc verba excandescens Magister, protensaq; manu: Vide, inquit, sacrificule. Malum malo repellitur. Vos sacrificuli vitam insolentem ducitis in bonis quæ proprio sanguine parta meus Ordo, ut DEO seruiretis vobis contulit. Sed breui scietis eos mansos, qui per limites adempti sunt, nunquam ampliùs recuperaturos etiamsi omnes sacrifici insanire & in furias verti deberent. Tùm Episcopus cùm tempus loquendi paulisper expectasset: Quod nos mali simus, inquit, DEUS scit quis inter nos & vos melior sit, & uter Ordo rectiùs vitam instituat: Illud certè parùm Christianè & iniquè fit, quod nostra nobis inauditis adimuntur, nullaq; causa producitur, cur adimi debeant. Quod ad Prussiam attinet, cujus esse debeat, certè in priuilegijs & antiquis scripturarum documentis reperio, Ordinem vestrum suo sanguine ne tantillum nobis contulisse, quod unius obuli pretio æstimari possit. Hic interrumpens Magister: si vos, inquit, sacrifici unum obulum haberetis, unius obuli pretio vos æstimari conueniret. Tunc Episcopus, minimus, inquit, ex meis Presbyteris est pretiosior quam uniuer-

Crucigeri Bona adimunt Episcopo Varmiensi.

uniuerſa Pruſſia, quæ noſtra cauſa vobis eſt attributa. Hic conuerſus Magiſter ad ſuos: Talia, inquit, verba nequam iſtos canes in Rigenſes noſtros incitarunt, illosq; in anguſtias redegerunt. Sed ne idem in Pruſſia fiat, ego maturè prouidebo. Tùm exerto gladio Epiſcopum adoriri cœpit. Sed Elbingenſis Commendator ſtatim retraxit Epiſcopum & alij proceres ſeſe medios interponentes, illos ab inuicem ſegregarunt. Epiſcopus in Varmiam reverſus, Capitulum celebrauit, & aſſumpto D. Joanne Cantore & Canonico, nocte inſequente clàm profectus eſt nauigio Gedanum: indè verò acceptis Priuilegijs Eccleſiæ, ad Pontificem Max. Auinionem peruenerunt, ubi occaſione ademptorum bonorum jure per totum triennium diſceptarunt & in fauorem tres conformes ſententias obtinuerunt, à quibus Ordinis Magiſter Romam appellauit, quòd tunc temporis Schiſma in Eccleſia vigeret. Dum res apud Pontificem diuentilatur, intereà Crucigeri diſtrictum Seſtenſem ab Epiſcopatu ſuſtulerunt ab illa parte Reſſelij cum lacubus verſus meridiem. Item à Seſten usq; ad lacum Kerueicken & fluvium, qui exit de eodem lacu ubi Eccleſia ſuos multis annis tenuit cuſtodes. Item lacubus Weisken & Segeſtrum alijsq; lacubus & terris propè jacentibus. Item lacu Bauant & lacu qui vocatur Stronick & lacubus & terris propè jacentibus. Item poſtquam caſtra Hanesberg & Raſtenburg ædificata fuerunt, & conuentus locatus in Lunenburg his lacubus & terris circumjacentibus ſucceſſiuè de anno in annum ſpoliata fuit Eccleſia ſupradicta, à principio ſuæ fundationis pacificè poſſeſſis, quorum lacuum nomina ſunt hæc: Gimen, Talbo, Layſon, Eoiſmick, Porde, Ariungune, Naraite, Malſobe, Burgelin, Suerlbincke, Paſſeruinte, Damped, Wargon, Cauſis, Indiſſee, Dimbir, Kaufinge, Sampolt, Womerin, Caranime, Kimpone, Layliske, Nerbingi, Garnede, Marckſede, Sawani, Perſuppe, Ilgone, lacus quatuor qui dicuntur Gromow. Item Gemente, Calmoy, Strene, Dalwinge, Aſore, Galintoza, Scobe, Skitten major, Skitten minor, Salgewum, Alpus, Keucante, Lanxobe, Iellow, Aucte. Item Commendator Balgenſis per menſurationem vnius milliaris à Reſſelio versùs Poloniam abſtraxit Eccleſiæ ſpatium quatuor manſorum, in quo ſpatio continetur villa Weder & nemus Weder cum nemoribus adjacentibus & lacus Willike cum pratis eidem adiacentibus. Et lacus Sumir. Quæ omnia Commendator præfatus anno eodem quo D. Cantor receſſit, ſtatim pòſt temerè inuaſit, & tyrannicè occupauit. Item Eccleſia Varmienſis, vt præmiſſum eſt, totiùs Diœceſis ſuæ partem tertiam debet integrè poſſidere, cujus tamen tertiæ vix medietatem dignoſcitur habere, prout ex infraſcriptis luce clariùs poterit deprehendi. Eſt enim latitudo totiùs Diœceſis Varmienſis propè mare recens vſq; in Elbing tredecim milliarium, de qua latitudine Eccleſiæ habet duo milliaria aut minus. Et aſcendendo de Elbing, uſq; ad Hollandiam. Et ab alia parte iuxta Prægolam vſq; in Königsberck latitudo Diœceſis tranſeundo prope villam Plaſtwigk eſt tredecim milliarium: de quibus Eccleſia habet vnum milliare, & quartale milliaris. Item aſcendendo ab Hollandia vſq; ad ſtagnum dictum Weiſike vſq; ad ſtagnum dictum Marungk: & ab alia parte aſcendendo à Caſtro Tapiau juxta Prægolam vſq; ad oppidum Velauiam ſumendo latitudinem Diœceſis tranſeundo iuxta Heilsberg ſunt ſedecim milliaria, de quibus Eccleſia *Latitudo Varmiæ*

O 3 clesia

clesia habet sex milliaria. Item ascendendo à stagno Marung, vsq; ad Kurkisadel, & ab alia parte à Velauia vsq; in Susterberg. vbi est finis Prægollæ sumendo latitudinem sunt viginti quinq; milliaria, videlicet decem milliarium à Kurckisadel & granitiam positam retrò Resselium iuxta castrum Pilter & quindecim milliaria vsq; in Insterburg: de qua latitudine habet Ecclesia decem milliarium. Item ista pars Diœcesis est diuisa inter Ecclesiam & Ordinem. Quæ pars in longitudine ab Elbing vsq; ad Holland habet, milliaria tria. De Holland ad stagnum Weissike milliaria tria. De stagno Weissike ad stagnum Marung milliaria tria. A stagno Marung vsq; ad Kurckisadel milliaria sex. Et sic ab Elbing vsq; ad Kurckisadel sunt milliaria quatuordecim ad Kurckisadel cum dimidio. Item ab alia parte à mari recenti vsq; in Königsberg milliare vnum, & à Königsberg vsq: ad Tapiau milliaria quatuor. A Tapiau vsq; ad Velauiam milliaria duo. A Velauia vsq; ad Insterburg milliaria quinq; & vltra vsq; ad castrum Tannau milliaria duo. Et sic à mari recenti vsq; ad Tannau longitudo est quatuordecim milliarium. Conjungendo & comportando partes quas habet Ordo, tunc habet ab utraq; parte tredecim milliaria in latitudine, sed Ecclesia non habet vltra quinq; in latitudine. Et cùm hoc inferiùs vbi sunt agri boni vsq; ad Vormdit modicum habet Ecclesia: sed vltra vbi pars Ecclesiæ dilatatur, sunt mericæ multæ & loca parum vtilia. Item pars Diœcesis adhuc diuidenda est forte in duplo majorem quàm diuisa: quia habet in latitudine viginti quinq; milliaria, & in longitudine vsq; ad flumen Memel eundo versùs Orientem computantur de Insterburg ad nemus Kirtamedie, milliaria octo. Deindè ad fluuium Meten milliaria octo, & vltra ad Memelam milliaria nouem. Et sic longitudo est milliarium quadraginta octo. Sed notandum est, quòd tota hæc computatio est facta secundùm vias vsitatas. Fortè si mensurando iretur directè, minus inueniretur Et nota, quòd de ista parte indiuisa Ecclesia habet in pacifica possessione illam partem quæ est Kurckisadel usq; ad Musanam: eundo videlicet de Kurckisadel ad stagnum Malsicko: de quo stagno effluit fluuius qui dicitur Make: juxta quem fluuium proceditur vsq; ad Masouiam, & habet in longitudine milliaria septem. Item ab alia parte retrò Resselium à granitia posita iuxta Piltz per Sesten ad lacum Keruicke & fluuium qui ab eodem fluit. Et habet in longitudine milliaria octo. Latitudo verò dictæ partis scilicet à Kurckisadel usq; ad Piltz est milliarium decem. Et hanc partem totam habuit ab antiquo Ecclesia in pacifica possessione: sed postea successiuè ab Ordine spoliata est. Et hæc est terra sita in terra Galindiæ. Et est notandum, quòd terra Galindiæ fuit à Bertingen usq; in Poloniam à Gunbancken usq; ad Poloniam: & à Bertingen usq; ad fluvium Nate & usq; ad Sudomar. Ita ut tota terra Nadrauia & Sudouia & Polonia usq; ad Bertingen Gundaucken & Barten fuerit terra Galindiæ. Ita dixerunt Domini Merune miles, Wilkune Camerarius in Guttstat, Nadop de Aldekirchen, Namit de Sude & Auleps, Meine, Tobnokem, Magne. Et isti dixerunt, se audiuisse à progenitoribus suis, & etiam ab alijs quorum progenitores habitauerunt in terra Galindiæ, quòd major Rex Galindiæ, habitauerit circa magnum lacum nomine Nabentine, qui est ad medium milliare ab illa parte Lutzen versùs Liuonias & vocabatur Rex ille

Isa-

Ilegibp. Item idem Nadop de Altenkirchen dixit, quòd Magister Theodoricus de Aldenburg qui fuit electus anno Domini, 1335. & præfuit officio annis nouem, vocauit ad se ad castrum Strasburg quatuor Prutenos de territorio Galgensi: scilicet Tomsche, Zobin, Preymoth & Neiben, & tres Dominij Ecclesiæ Varmiensis: scilicet, ipsum Nabot, Fuledraue, & Prenduis, & cum illis conferebat de granitijs inter Regem Cracouiæ & terram Prussiæ. Tunc præfati quatuor de territorio Galgensi designarunt Magistro granitias antiquas retrò districtum Galgensem versùs Weissen. Et cùm idem Magister ipsos interrogaret de granicijs versus Masouiam, responderunt: nos nescimus illas; sed de his illi tres de Dominio Ecclesiæ illas granicias bene sciunt. Et tunc illi tres de hoc interrogati, granicias ipsas inter Episcopatum & Ecclesiam & Masouiam designarunt: & placuit Magistro, nec aliquid contradixit. Et est sciendum, quòd præfatus Dominus Joannes Episcopus castrum Heilsberg per prædecessorem suum inchoatum feliciter compleuit, testudines omnes sub terra & supra terram pro majori parte faciendo. Inchoata etiam castra Ressel & Seeburg similiter pro majori parte compleuit, antequam tyrannica rabie sæuiente exulare cogeretur, ineuitabili Ecclesiæ suæ necessitate deuictus. Absentia verò Joannis Streifroci durauit quinque annis cum dimidio: quo tempore Magister Ordinis census & redditus Episcopatûs sibi vsurpabat. Sed & Conradus II. supremus dicti Ordinis Magister contulerat sub absentia Episcopi Canonicatum cuidam Parocho in Prussia Ilaua, cui Capitulum possessionem dare noluit, quòd Canonicatum eiusmodi conferendi nullum ius Magistro competere assereret. Mortuus est Auinione optimus & vigilans Episcopus & in Monasterio sepultus. Dominus verò Joannes Cantor supra nominatus, causam prosecutus est, quæ effectum non habuit. Negotium tamen apud Carolum IV. Imperatorem eò deduxit, vt Ecclesia Varmiensis sacro Romano Imperio incorporaretur: cuius præsidio à vi & tyrannide Ordinis prædicti tuta esse possit. Episcopi defuncti acta, continet sequens Distichon. *Ecclesia Varmiensis S. R. Imperio incorporata.*

Streifrocus hic lacubus multis spoliatur & oris.
Pro quibus in diram militat vsque necem.

Successor ejus fuit Henricus III. Sornbom, Episcopus Varmiensis, IX. cujusdam Elbingensis Civis filius armis & nobilitate donati, Caroli IV. Cæsaris Secretarius, & ejusdem quoque Auinione Procurator in negotio D. Joannis de Essen Cantoris & Canonici Varmiensis. Hic à Gregorio, XI. prouisus, & ab eodem in Episcopum Varmiensem consecratus est anno supradicto, quinta die Mensis Septembris. Idem Pontifex eum Carolo IV. commendauit, ut ejus fauore & patrocinio pacificam Episcopatus sui possessionem, si eam Crucigeri prohiberent, assequi posset. Quamuis autem Crucigeri jurejurando se obstrinxerint, quòd neminem ad hunc Episcopatum admittere vellent, nisi qui ex illorum Ordine esset: quoniam tamen Imperator hunc Sornbomum in protectionem suscipiens, eum ex præcipuis ex nobilitate Boëmica viris huc deduci jussit: simulque à Crucigeris postulauit, ne ejus in legitimè adepto Episcopatu jus & æquitatem ulla ratione impedirent: coacti sunt Imperatoris voluntati morem gerere, & novum Episcopum admittere. Displicuit verò plurimùm Joanni Posilgero jactura Canonicatus (Presbyter hic fuit quondam in Cancellaria Heilsbergensi scriba) quare in vindictam hujus author est Magistro, ut cum Episcopo *Henricus III Sornbohm 9. Episcopus Varm. Ciuis Elbingensis filius.*

ratione Vartenburgensis, Allensteinensis, ac Meelsaccensis Cameratuum fines duceret, illicꝫ quadringentos quinquaginta mansos ademit de meliori & pinguiori fundo qui isthic habebatur. Vrgebat præterea Magister Episcopum ut fructus ex dictis bonis & alijs, quæ ex limitum directione illi obuenerant, plenè refunderet & restitueret. Et licet Episcopus non minùs literis & priuilegijs sigillatis, quàm viuis testibus dignissimis comprobaret, bona hæc per limites adempta, ad Ecclesiam suam omni jure pertinere, nihil hoc tamen illi apud Magistrum Ordinis profuit: cùm hoc tempore ex diuturna pace ad summam potentiam Ordo prouectus, omnia sibi licêre neminemqꝫ illi resistere posse arbitraretur. Quamobrem Henricus Episcopus injurias & grauamina quibus opprimebatur Imperatori permisit: qui negotium suscipiens, Episcopum Vratislauiensem, in Prussiam ablegauit, ut quòd cum æquitate conjunctum illi videretur, decerneret. Ibi cùm ab utraqꝫ parte confinium judicandorum arbitri delecti constitutiqꝫ fuêre: in quorum numero erat ille quoq; Parochus ex Prussia Ilauia Joannes Bosilger. Coràm hujusmodi arbitris Episcopus Sornbom cum sempiterna sui nominis ignominia & inæstimabili Ecclesiæ damno ad redimendam vexam facilè cessit & renunciauit tribus conformibus sententijs à sede Apostolica obtentis & literis executorialibus, quæ omnia gloriosæ memoriæ antecessor illius Episcopus Streifrocus immensis laboribus, vitæ periculis & multorum millium impensis ad veram justitiæ & æquitatis normam deduxerat. Ea ratione supra memoratus Joannes, Bosilger Parochus repulsam Canonicatus Varmiensis ultus est. Perdidit verò Ecclesia per istam nouam initam compositionem ultra sex mille mansos cum lacubus & terris supra specificatis. Conscientia tactus tandem Joannes Parochus qui aliter granities procedere ex Regestris Episcopatus Varmiensis nouerat, & aliter alios Commissarios instruxerat, atqꝫ facilè in sententiam suam pertraxerat, rem in ultimò exitu vitæ palàm professus est. Apponerem huc bullam Gregorij Papæ XI. qua compositionem limitum factam inter Episcopum & Crucigerorum Ordinem confirmat, si non longior esset, & nostro quoqꝫ tempore nonnihil per aliam nouam conuentionem, de qua suo loco, vel cum commodo vel dispendio Episcopatûs, immutatos limites, scirem. Pax certè inter vicinos, ex tali compositione constituta fuit. Personas tamen quæ antiquiori illi conuentioni interfuerint, adscribere libet. Sunt verò hæ. D. Henricus Episcopus & Henricus Præpositus, Michäel Decanus & Otto de Russis Canonicus Procuratores Capituli Ecclesiæ Varmiensis pro se & eadem Ecclesia. Magnificus & Religiosus Princeps D. F. Vinricus de Cniperode Magister Generalis: & honorabiles & religiosi viri, FF. Volferamus de Baldersheim magnus Commendator, Rodigerus de Eluer summus Marsalcus, Vlricus Vrike summus hospitalarius & in Elbingo, Conradus Zolner summus Trapiarius & in Christiburg: Theodoricus de Budenburg in Tonr, Gotfridus de Lunde in Balga, Juntherus de Hoensteni in Brandeburg, Gerhardus in Ragnit & Binchardus de Mansfelt in Osterrode Commendatores & Præceptores Ordinis supra dicti. Actum, anno Domini, 1374. die 28. Julij hora Tertiarum in castro Elbingensi Varmiensis Diœcesis: Præsentibus honorabilibus & discretis viris Nicolao de Groskau Præposito in Guttstat, Petro Damoritz Canonico Vladislauiensi, Alberto de Creitzburg, Joanne de Resenberg; &c. Postquam luce meridiana clariùs omnibus appareret Episcopum hunc Henricum Ecclesiæ suæ jura non ea diligentia & solicitudine tutatum fuisse, quemadmodum

admodum ab ejus antecessore factum fuit, quodq; multa palàm sibi adimi passus est, dummodò cum Ordine in quiete & amicitia bonaq; vicinia viueret, cœpit à multis passim contemni: idq; eo magis, quòd in aula sua multam & inutilem familiam ex nobilitate Boëmica aleret, quod vasallis molestias, damna & injurias inferebat. Quamobrem cum illo sæpiùs Capitulares expostularunt, eumq; monuerunt, ut scandalosam, subditis valdè grauem molestamq; familiam à se amoueret. Quod ad primum respondere solebat: præstat habere id quàm nihil. Quo ad secundum morem gessit Capitulo, & Boëmos ab aula sua ablegauit.

Cùm Brunsbergenses animaduertissent Magistrum Ordinis multa Episcopatûs bona cum aliquot oppidis sibi usurpasse & Episcopum Sornbonum in tuendis Ecclesiæ juribus antecessore suo longè factum esse remissiorem, arbitrati sunt magis honorificum illis futurum, si non sacerdotum sed Magistri Teutonicorum potiùs subditi essent & vocarentur. Quamobrem missâ ad Magistrum legatione, significabant ei, se in illius potestatem cum bonis omnibus libenter concessuros, si eos in fidem reciperet, ac juribus & libertatibus suis uti permitteret. Respondit Magister, non decere omninò, ut eos pro subditis reciperet, qui successu temporis pari leuitate ducti, à se quoq; ad alios deficere possent. Discederent itaq; & ipsi sua potiùs curarent. Re per Magistrum Ordinis ad Episcopum delata, cùm quid machinarentur Brunsbergenses didicisset, statim Brunsbergam cum 30. tantùm aulicorum comitatu accurrit: magistratum ad se citatum & comparentem, illi nequitiam & proditionis nefariæ crimen objecit: quòd cùm negare non possent, veniam sibi dari petiuerunt. Episcopus injuncta eis leui mulcta pro facinore tàm graui, illos abire jussit. Quibus in prætorium reuersis, cùm populus ex illis scire vellet, quid in tanti momenti negotio constituisset Episcopus, illi cum magna querimonia & ejulatu ad vulgum detulerunt quòd Episcopus ciuitatem destruere illosq; trucidare decreuisset. Quamobrem quicunq; posset, se vitamq; suam contra Episcopi tyrannidem defenderet ac tueretur. Dato deindè signo tumultûs campanâ prætorij, Ciues, plebs, & omnis incondita multitudo arreptis gladijs, hastis & fustibus ad arcem cucurrit, ut Episcopum occideret, cumq; fossâ ruderibus repletâ portam arcis effregisset, ut se præsenti periculo eriperet Episcopus, per posticum fune è muro demissus, pedum celeritate salutem quæsiuit. Eam rebellionem ut ulcisceretur Episcopus & insigne aliquod exemplum in Brunsbergenses statueret, Ordinis Magister eum diligenter admonuit: qui consilio cum suis secretè communicato coactisq; nonnullis partim ex vasallis Ecclesiæ, partim ex amicis qui rei indignitate commoti, spontè confluxerant: equestribus copijs & aliquot peditum turmis Brunsbergam perrexit, eamq; obsedit. Intereà denuò Brunsbergenses, Magistri Ordinis, in quem plurimùm spei collocarant, opem & auxilium contra Episcopum supplices implorabant. Sed cùm ab eo responsum retulissent, quòd proditores tueri & juvare nollet, sed potiùs ad eos mactandos operâ suâ præstò adesse vellet D. Episcopo: ea re vehementer exterriti, alia ratione rebus suis præsidium quærere constituerunt. Quamobrem ij qui in Senatu erant positi, fune ad collum appenso, capite detecto, nudis pedibus, genibus reptantes extra Ciuitatem ad Episcopum in castra peruenerunt, sibiq; misericorditer ignosci petiuerunt. Quod etiam ab Episcopo ijs conditionibus impetrarunt: nempè, ut omnia damna ratione tumultûs illata resarcirent: ut murum justæ altitudinis, quem diruerant cum turribus, ciuitatem versùs, denuò è solidis lateribus

Perfidia Brunsbergensis.

1
2

extrue-

3. extruerent: Vt armis quibus contra Dominum suum nefariè sunt abusi, & Campanâ senatoriâ & Prætoriali, qua plebem ad seditionem exci-
4. tarunt, priuarentur. Ad extremum, ut pro expensis belli Domino Episcopo, duo millia flor. Vngar. vel mille marcas (nam decem grossi argenti puri, unum Vngaricum florenum constituebant) intra unius anni terminum persoluere tenerentur. His conditionibus satisfecerunt Brunsbergenses. Atque ita omnia sunt sopita. Quæ adhuc restant de hoc Episcopo, dicentur sub annum Domini 1401. quo ex hac vita migrauit.

Nicolaus Episc. Pomesaniensis, moritur.

Anno 1376. è viuis excessit, Nicolaus I. IX. Episcopus Pomesaniensis, à Capitulo electus, ita Magistro jubente. Nam isto tempore violentia præstabat juri: gerebantq; se Crucigeri pro fundatoribus Episcopatuum. Quod dum Capitulares negarent: respondit Magister, quòd si non sint collatores, nec futuros defensores. Prodierunt proindè clàm latrunculi, qui Ecclesiam affligebant, dissimulantibus omnia Crucigeris cum Magistro. In his aduersis mortuus est Episcopus Risenbergi, & Quizini 28. Octob. sepultus. Successit ei in Episcopatu Ioannes I. Officialis Risenburgensis.

Samogitiam sibi subjiciunt Crucigeri.

Anno 1378. venerunt in Prussiam Albertus Dux Austriæ & Eberhardus Comes Katzemelenbogensis cum plurimis copijs. Quibus auxilijs Crucigeri Samogitiam sibi sine omni resistentia subiecerunt: præfecitque Magister terræ generalem Commendatorem Dionysium Binstock, addito ipsi non contemnendo præsidio. Huic tempestiuè vita decedenti suffectus fuit F. Gallus à Techrichwalt iuvenis & venationibus deditus: quibus vt eò meliùs vacaret, alijs jura dicenda reliquit: ob quod odiosus Boiaris factus est, & tandem consilijs Vitoudi Junioris in venatione cum alijs Germanis a Samogitis occisus. Memela succensa vlturis injuriam Marquardus Rischinensis cum octo FF. &, 4000. electissimorum virorum vicissim Samogitiam vastat: incolæ verò ad altas syluas profugerant, quas Crucigeri cum sine Ordine transeunt, eos Samogitæ adorti vel cædunt vel in paludes agunt. Marquardum sanè captum & equo impositum igni Dijs more suo cremarunt. Alterius Fratris per manus in sublimi suspensi, tibias baculis: deinde totum corpus ac ipsas manus concusserunt. Plurimos alios alijs supplicijs excarnificarunt. Ædificarunt sequenti anno Samogitæ munitionem Fridlandiam. Fuit annus is non solùm fertilissimus sed & præcocissimus. Nam pro festo S. Ioannis jam omnes segetes horreis illatæ erant. Emebatur verò modius siliginis duobus schotis. Magister censum commutavit cum siligine, & aliundè etiam multam coëmit: ita vt in granarijs suis solis Marieburgensibus coâceruauerit, 4900. lastas.

Circa annum Domini 1380 quòd certè silentio præterire non debeo, machinam æneam, quam à sono terribili bombardam vocant, certissimo vitæ & virtutis humanæ exitio Germanus homo apud Venetos excogitauit. Mortuo Oldegordo anno Christi; 1381. (erat hic frater Keistuti, vt dictum est, ambo verò Duces Lituaniæ ex patre Gedimino, qui fuerat Magister stabuli apud Vitenem, de quo supra, vir ambitiosus, qui intersecto Domino suo, dominatum inter suos arripuit) erat apud Keistutum gratiosus in primis Voidilo quispiam rusticanæ & obscuræ sortis homo callidus & impiger. Huic Iagello Oldegerdi filius sororem suam in matrimonium collocauit. Quæ res non leuiter Keistutum offendit. Id vbi aduertit Veidilo, veritus ne eius authoritate honoris & gratiæ periculum adiret, apud Principem affinem, cri-

Keistuti perfidia.

minari Keistutum apud Iagellonem instituit: eoque consilijs suis iuuenem

nem perpulit, vt is clàm fœdus cum Crucigeris Pruſſienſibus aduersùs patruum iniret. De eo fœdere Keiſtutus Oſterrodenſis Commendatoris, qui filiam eius Ioanni Maſouiorum Duci nuptam de ſacro fonte ſuſceperat, proditione certior factus, tamen Vitoudo filio chari patruelis crimina diluente, quieuit, donec Iagello bellum contra Polocenſes, imperium ſuum detrectantes, ſuſcepit. Quò cùm ei Magiſter Liuonienſium Crucigerorum in ſuppetias veniſſet, tunc verò ſublata omni dubitatione Keiſtutus, contractis raptim copijs Vilnam inuaſit, & in poteſtatem ſuam redegit. Accitoq; Vitoudo filio (neq; enim is arma contra amicum ceperat) deprehenſa fœderum monumenta oſtendit. Veidilonem verò in crucem egit. Deinde Keiſtutus à Samogitis ferè, Iagello è Pruſſis & Liuonibus exercitus compararant. Sed cùm in conſpectum veniſſent, antequam infeſtis ſignis concurrerent, Iagello Keiſtutum & Vitoudum per ſpeciem colloquij ſeuocatos, cepit: & quidem Keiſtutum necauit, Vitoudus verò Vilnæ in cuſtodia diutiùs aſſeruatus, neq; Lituanorum neq; Magiſtri Pruſſienſium Crucigerorum, neq; fratrum & Patruorum deprecationibus liberari potuit. Poſtea Creuam miſſus & morti deſtinatus, vxoris miſericordiâ doloq; liberatus eſt. Nam ea cùm liberam haberet commeandi ad virum poteſtatem, nocte quadam commutato cum una de duabus pediſſequis habitu: veſte muliebri indutum eduxit, relicta ibidem ancilla. Emiſſus ille in Maſouiam ad Ioannem Ducem affinem ſuum, atq; in Pruſſiam ad Crucigeros confugit. A quibus obiurgatus primùm, quòd aduerſo demùm tempore ſuo ſocietatem ipſorum expeteret, deindè benignè recreatus & benè ſperare juſſus eſt. Iagello verò Dominatu pacato potitus. Quanquam enim fecerunt Cruciger i cum Samogitis, qui Vitouto non obſcurè fauebant, impetum in Lituaniam, ſed mox indè eiecti à Iagellone, ad ſua ſe receperunt. Cùm ſuperiùs prædicta bella Magiſter Vinricus & alia quædam cum Lituanis, quæ apud authores peſſim leguntur, geſſiſſet & Ordini ſuo triginta & ſemiduos annos quòd alius nemo Magiſtrorum in officio eſt aſſecutus, præfuiſſet, moritur, anno, 1382. die ſacro Diuo Ioanni Baptiſtæ. Moritur eodem anno Ludouicus Rex, quem ſecutum eſt Interregnum. Vti verò Vinricus extra fortis & fortunatus fuit, ita domi quoq; circumſpectus erat, & officio ſuo intentiſſimus. Et quòd quidem ad ſui Ordinis Fratres ſpectabat, ordinauit ipſe & diſtinxit Conuentus hoc modo: Vt ſex Sacerdotes & duodecim Equites cum vno Commendatore efficerent vnum conuentum. Qui adeò perſonis idoneis prouiſi erant, ut rarò aliquis reperiretur, ex quo non deſumi poſſet unus vel alter ad officium ſupremi Magiſtratus. Erat verò in Schaken vnus Conuentus. Item vnus in Labia. In Tapia vnus. Regiomonti duo. In Lochſtet vnus. Brandeburgi vnus. Balgæ vnus. Ragnitæ vnus. Barteniæ vnus. Elbingæ ſemitres. Gedani totidem. Meue vnus. Fuſci medius. Slochauiæ vnus. Suece vnus. Althauſij vnus. Birgelauiæ vnus. Toruniæ duo Golubi vnus. Strasburgi vnus. Grodeci vnus Radzini vnus. Chriſtiburgi vnus. Hollandiæ vnus. Morangæ vnus. Oſterrodæ vnus. Marieburgi quatuor. vnus ſc. ad S. Laurentium vbi cantabantur horæ de paſſione Domini. Alter ad S. Bartholomæum, in quo cantabantur horæ de B. Virgine Maria. Tertius in Crypta S. Annæ vbi cantabantur Vigiliæ Defunctorum poſt prandium. Quartus ad S. Mariam, cantabat diuina iuxta rubricam Ordinis. Ædificauit Vinricus Tolckmitam propter copioſam capturam Anguillarum, eſocium, & ſturionum. Item Mulhauſum contra Capitulares Fraumburgenſes, vt non Fraumburgum

Vitoudus dolo liberatur ex carcere.

Conuentuum distinctio.

Tolckmita.

gum, vel Vormditum aut Brunsbergam sua frumenta Hoggerlandi, sed Mulhausum veherent. Item ille ordinauit vt Culmenses ac Dobrinenses suas merces Torunium deferrent. Pomesanienses & qui ad Masouiam habitabant & in inferiore Prussia Elbingæ. Sambienses & Nactangi ac Lituani Regiomonti & non alibi. Marieburgi conuocatos habuit ex Italia & Germania Doctores iuris Cæsarei, qui junioribus Fratribus leges prælegebant, causasq; tàm exterorum hominum, quæ sæpè huc deuoluebantur quàm domesticorum Prussorum dijudicabant. Nam longè lateq; fama disperserat Crucigerorum in Prussia modestiam & singularem prudentiam: ita vt de ijs proverbium nasceretur, quo dicebatur. Si sapis, elude Ordini in Prussia: paulò diuersum ab illo quod habetur in libris Regum: Qui interrogat, interroget in Abela. Nemo Judicum sententiam ferre debuit, si eam exemplo simili vel sententia ex sacra scriptura deprompta, aut lege diuina vel humana aut naturali ratione comprobare non potuit. In Ordinem non solùm homines Nobiles, sed etiam plebeios virtute præditos cooptauit, cuius ille respectum vel maximè habuit. Non passus est ab Officialibus subditos Ordinis nouis oneribus aut operis premi. Insolescere incipientes Commendatores ab officijs deposuit, nec illis temerè sed matura habita deliberatione alios substituit. Sodalitia Sagittariorum constituit, ut haberent Ciues exercitium bellicum (nam tunc temporis hæc arma valebant; bombardarum recenter inuentarum necdum erat vsus in Prussia) in quo sagitta petebatur diebus Pentecostes in sublimi erecta lignea auis: quam qui dejecisset, honoris gratiâ Rex vocatus est, & cum Senatoribus in Processionibus sacris, cinctus catena argentea, procedebat: de qua deaurata auis dependeret. Ii qui vel caput, alam alteram aut caudam aut aliquam aliam partem erectæ auiculæ dejiciebant, clenodijs propositis honorabantur & donabantur. Qui mos ad hæc tempora in Prussia perdurat. Multas arces & Monasteria atq; Ecclesias ædificauit, tùm etiam Regiomonti Cniphouiam quæ ab authore nomen retinet: priùs Prægola munda dicta, quæ jam antea sub Vernero Magistro initium sumpsisset, dilatauit. Arcem Schalauoniam à Lituanis dejectam restaurauit: fossa deducta à Ragnitensi lacu vsq; huc per medium milliare: Cùm ipse arci ædificandæ intenderet ac omnia lustraret, ex tabulis scansorijs decidens, dexteram tibiam fregit. Nouam monetam scotos dictam quorum singuli quindecim denarios continebant, cudi curauit. In marcam computabantur viginti quatuor schoti vel sexaginta solidi. Vngaricus florenus æstimabatur duodecim schotis, vel triginta solidis. Rhenensis florenus valebat octo scotos. Si quis aurifabrorum monetam auream vel argenteam conflasset, & res testibus demonstrari poterat, manu plectebatur. Præscripsit idem cuiq; statui suorum subditorum rationem & modum vestitûs. Permittebat vt vir Senatorius, si tantæ facultatis esset, circa collum marturem portaret & pallium oblongum: pileum cum tribus bullis argenteis: cingulum argenteum cum pugione argento munito atq; vesticulam curtam lope dictam ex serico: Ciues pretiosiorem pannum Lundinensi Anglicano deferre non poterant. In lopijs suis vti poterant argenteis Malgen. Pallia eorum vt in anteriori parte essent clausa, ad latus verò aperta. Vxores Senatorum atq; Mercatorum portarent vittas ex Holoserico, sed non item artificum. Similiter Senatorum filiæ & quæ erant de familia eorum vti poterant Coronis ex perlis: bullis, ac in pectore aureâ laminâ. Qui non erant de familia hac portabant Perle/ de argento deauratas. Statuit quoq; pretium

Auis ligneæ origo

Cniphouiæ nomen à Kniperode.

Vestitus modus & ratio.

tium & taxam omnium rerum. Mandauit aliquando prælegi sibi Annales & seriem belli Samogitici cognitumq; fuit jam durasse istud 85. annis: in quo perijssent Ordinis Fratres 49. Communis familiæ nobilium 28. Clarissimi sanguinis 4000. Ciuium 11000. Nobilium 8000. militum auxiliariorum, & communium militum 15000. ex rusticis partim cæsis partim abductis 168000. Ipso administrante res Ordinis, Pontifex Summus Vrbanus V. vel VI. decimas petebat à Sacerdotibus in subsidium belli contra Turcas. Quas cum negasset Ordo in excommunicationem incidit. Sed & Imperator facessebat Ordini negotium nomine Michalouiensis terræ. Hæ rixæ dum hærerent, Lituani & Samogitæ multas prædas impunè ex Prussia & Lituania egerunt. Sed & Suitrigello filius Keistuti deprædatus Barteniam & Galindiam, saluus abijt.

Vidboldus Episcopus Culmensis cogitur exulare.

Vixit tempore Vinrici Cniperode Magistri Vigboldus Episcopus IX. Culmensis, Doctor clarissimus ex oppido Nossen in vicinio Coloniensi: imò ab ipso tanquam Patriota ex singulari affectione ad Episcopatum promotus fuit. Sed cùm accidisset ferri Interdictum in Magistrum, quòd is in Streifrocum Episcopum Varmiensem gladium vibrauerit, & illud Vigboldus exequeretur: & cum præterea hic promulgauerit sententiam excommunicationis propter retentas decimas Archiepiscopo Gnesnensi, exulare coactus est. Antequam in exilium iret, 21000. aureorum Nossam ex Prussia præmisit. Cùm postea thesaurum cum uno Sacerdote insequeretur, excussus fuit in itinere; sed nihil præter viaticum inuentus est habere, quod ei relictum fuit. Ejectio illa Episcopi Pontifici summo magnoperè displicuit: scripsitq; illi quid vellet fa. ctum. Num repetere sedem? Sed cùm rescripsisset Vigboldus, ut ita negotium relinqueret, Episcopatum Joanni Schadlant Monacho Dominicano qui sibi aderat, contulit. Sed is receptus à Vinrico non est, quamuis antea illi gratissimus fuisset. Ita repudiato, Joanni Halberstadiensem Episcopatum contulit: Cui successit in XI. Episcopum Raynardus Doctor & Canonicus Culmensis; Sed confirmationem non est assecutus. Nam coacta illa cessio Vigboldi non acceptabatur. Quamuis in literis quibusdam quæ postea adferentur, Reynardum Conradus Celner nominet. Vixit Vigboldus tribus annis cum dimidio in exilio, testamentumq; 12000. florenorum ad pias causas fecit, & in Monasterio mortuus est. Præfuit Vinrici tempore Ecclesiæ Elbingensi M. Alexius de Nyzevitz. Is conscripsit librum, qui incipit. Liber antiquitatum vitæ & mortis gentis Bruttenorum aut Brudenorum, jam verò Prussorum, cum insertione nouarum Prouinciarum. In eo continuat author historiam quam Jareslaus Canonicus Plocensis conscripserat, de quo supra, usq; ad tempora hujus Magistri. Sed hic Alexius Parochus Elbingensis occisus fuit à quodam aulico Crucigerorum, quòd quidpiam contra honorem Ordinis in Prussia dixerit. Germanicè quidem: Die seeligen Fürsten mit der Creutzfartt / haben auß arme schebelisten hochtragend gemacht in Preussen. Vndt sie ihrem Blutt gar wönig danckbar seyn / den sie meinen den beuttel der Preussen. Quod sonat. Crucigeros progressos esse ex infimis ad summam fortunam, opera Germanorum Principum: qui eorum causa sanguinem suum in Prussia fuderunt: & Crucigeros parum eis gratos esse. Ab eo quoq; Magistro Henricus II. Kuhwald, Episcopatum, in ordine VIII. Episcopus Sambiensis sine electione Capitularium accepit: qui interdicto astricti erant, eò quòd sententiam quam Episcopus Heilsbergensis aduersus eorum Magistrum obtinuerat exequi noluerint. Romæ consecratus ad Episcopa-

scopatum redijt. Sed cùm eum Crucigeris conuenire non posset, resignauit Episcopatum, & Rigensem Suffraganeatum acceptauit. Vbi quoq; mortuus est. Quod ad IX. Episcopum Sambiensem attinet, dictus is fuit Henricus III. Sefelt, eum Capitulares è gremio elegerunt, in quam electionem Conradus Juningus Magister consensit, & quidem etiam Henricus prædecessor hujus Episcopi, qui Episcopatum reliquerat. Parùm fortunatus fuit. Ejus enim tempore contigit illa pugna in Tanebrico. Et ut Polonos ac Cæsarem Crucigeri contentarent, Clenodia & thesaurum ejus Ecclesiæ exhauserunt. Irascebatur illi Magister F. Henricus Reus Dominus à Ploy siue Plauensis, ob quandam fraternam correptionem. Sepelitur Regiomonti. Demortuo verò Magistro successit eodem anno in officio XX. Magister Conradus Celner à Rotenstein ex Trapiario. Non adhibuit nouos officiales, veteribus contentus, præter Collegas F. Conradum Juningum, & F. Hellembolt. Hujus tempore Ordinis homines respuerunt nomen Fratris, siquidem illi essent Nobiles & ex illustribus prosapijs progeniti: voluerunt dici Creutzherren. Admonuit ipsos Magister ut priore denominatione, quam à Pontifice Max. accepissent retenta, veri Fratres sint & permaneant, ac in simplicitate, humilitateq; animi & nominis perseuerent. Irridebatq; vulgus nouitatem appellationis affectatæ: illucq; eam torquebat, quòd quasi Crucifixores hominum der Menschen Creutziger, dici facilè possent. Sed neutrum apud arrogantes effecit fructum aliquem. Et in defectu hujus, si non dicerentur Creutzherren, dici volebant, die Deusche Herren, id est Teutonici Domini. Ad ipsius quoq; regiminis tempus, ad annum scilicet, 1381. referunt scriptores fundationem Carthusiæ, quatuor circiter milliaribus Gedano distantis, ascitis Monachis Pragâ. Nomen accepit Manasterium id Paradysi Mariani, fortè ad differentiam illius Paradysi Ordinis Cisterciensis, qui in Polonia ad fines Silesiæ situs est. Fundator Carthusiæ istius fuit Nobilis Joannes Rusinicius, qui Monasterio tres pagos Cœlplin, Ozemlin, & Gedingen inscripsit. Ecclesiam ipsam Ciuis Gedanensis Joannes Tirgart suis sumptibus ædificauit. Recepturi sunt viri hi pietatis suæ præstitæ præmium æternæ vitæ à DEO. In tredecennali illo bello, de quo postea dicturus sum, à Polonis omnes ejus villæ exustæ sunt, quòd ex parte Ordinis staret. Euertissent quoq; ipsum Monasterium, ni id Fricius Robonecius (Raunechius alàs) defendisset. Eo anno quo pax confecta est, nempè, 1466. direptum fuit à militibus quibus non erat solutum stipendium. Sed ad alia. Vocatus Jagello Dux Lituaniæ ad regnum Poloniæ, Cracouiam venit anno Christi, 1386. quarto scilicet post Ludouici mortem, habens in comitatu suo cùm alios plures Duces atq; proceres Lituanos atq; Russos, tùm Borissum & Suitrigellonem fratres Germanos & Vitoudum Patruelem. Jam enim eum sibi reconciliauerat, & è Prussia reuocauerat. Deinde Jagello decima quarta die Februarij à Bozenta Archiepiscopo & Joanne Episcopo Cracouiensi sacro fonte ablutus, & religioni initiatus Christianæ Vladislai nomen accepit, Lituaniamq; omnem cum Samogitia & ea parte Russiæ, quæ in ditione ipsius, fratrumq; & Patruelium ejus erat, Poloniæ jure sempiterno adjunxit & in unum corpus redegit jurejurando interposito: & mox matrimonium cum Regina Heduige sollenni ritu contraxit. Indultumq; est conuiuijs, choreis & lusibus complures dies. Per quos dies Magister Prussiensium Crucigerorum Conradus Celner, spreta inuitatione Regis & Reginæ, qua ad nuptias per Demetrium Goraium inuitatus erat, hostiliter in Lituaniam, vacuam tunc Ducibus & militibus, dupli-

Carthusiæ fundatio.

duplici agmine inuasit, & longè latéq; eam depopulatus est. Lucomliam arcem vi cepit, & Andream Jagellonis fratrem apud Russos religionem Christianam professum, quo authore & concitatore expeditionem illam in Lituaniam susceperat, cum præsidio in ea reliquit. Cui se Polocenses quoq; dediderunt. Russorum historia non à Prussiensibus, verùm à Liuoniensibus Crucigeris Andream hunc adjutum esse memorat. Quod sanè probabilius est, quandoquidem ij viciniores sunt Polosco & Liuoniæ: extantq; in archiuo literæ induciarum anno sequenti inter Lituanos & Liuones constitutarum. Nisi fortè & hi & illi operam Andreæ nauarunt. Id quod indè non malè colligitur, quòd Duglossus memorat, Crucigeros duplici agmine Lituaniam tunc infestasse. Antequam hæc longiùs prosequar, placet huc apponere ordinationem quam Magister Ordinis hoc ipso anno, 1386. in coëmendo censu annuo fecit. Illa verò sic se habet.

Nos F. Conradus Celner à Rotenstein, Magister Ordinis Fratrum hospitalis Sanctæ Mariæ Domus Teutonicæ in Ierusalem. Notum facimus his literis, quòd nos de consilio & consensu nostrorum Concommendatorum cum venerabilibus in Domino Patribus ac Dominis Reinardo Culmensi, Ioanne in Marieuerdero, & Henrico Braunsbergensi Episcopis, & unà cum spiritualibus Dominis Petro Pelplinensi, & Sifrido Oliuensi Abbatibus, ac alijs Prussiæ Prælatis, conuenerimus ac constituerimus de censu qui in regione hac in usu fuit, quo emebatur marca una pro decem marcis redimibilis pecuniæ. Quocirca hæ conditiones obseruabuntur in Censu emendo vbiq;, uti hic præscribitur. I. Census antehac iustè emptus, conuentione facta de reemptione, is manere debet tamdiu, donec capitalis summa reddatur qua emptus fuit. II. Si is qui censum soluit, fundo cedere velit pro summa deposita, id ei licebit: liberabitur verò hoc ipso à solutione census: & qui hunc censum tunc habuerit, is fundum accipiet, dominioq; quod suum est faciet: similiter Senatui & vicinis, ubi ille fundus situs est: aut certè renunciabit censui & fundo. III. Nemo posthac censum emet, nisi super fundo libero aut censuali: nemo etiam in his fundis emet aut vendet censum sine scitu & voluntate Dominij. Tandem verò census emptionem facient aut propalabunt coram judicio bannito, quod eum ad dominium referet, Id illum confirmabit literis & sigillis prout voluerit. IV. Posthac etiam emetur aut vendetur marca pro duodecim marcis. Qui igitur censum dictum reemptionis aliter emerit, quàm modo supradicto, in pœnam amittet ille pecuniam suam & censum. V. Ob jemandt sein Erbe Vorkaufft auff tage/ der soll seinen Zinß oder Geltt darfür nemen. Der aber Zinß oder Geltt darfür nimpt/ der soll es abschlagen/ an dem Hauptgutt. Ist aber daß Hauptgutt nicht mehr; so soll das wiederkehren. Thutt er das nicht/ so rechnet man ihm das Geltt für Wucher/ das er hat auffgehoben. *In hujus majorem fidem & securitatem sigilla nostra appendi fecimus. Datum anno, 1386. proximâ feriâ quartâ post Philippi & Jacobi Apostolorum. Testes sunt charissimi nostri Fratres. F. Cuno à Lichtenstein magnus Commendator, F. Conradus à Vallenrod supremus Marsalcus. F. Sifridus Valpode à Bassenben supremus Hospitalarius & Commendator Elbingensis, F. Henricus Gans supremus Trapiarius, F. Vlricus ab Hackenberg Thesaurarius. F. Hannos à Froburg Commendator Christiburgensis, F. Ludouicus Vaseler Commendator Torunensis. F. Fridericus Egloffsteimer Commendator Balgensis, F. Fridericus à Wenden Commendator Brandeburgensis. F. Ioannes Beffart. Commendator Osterrodensis, F. Rutcherus ab Elnern Aduocatus in Tauchel. D. Martinus Capellanus noster & Canonicus Ecclesiæ Culmensis. F. Carolus à Lichtenstein & F. Ver-*

nerus à Tettendingen Collega noster, & multi alij honesti.

Notandum est, Martinum illum, quem Magister in hoc diplomate Capellanum suum, & Canonicum Culmensis Ecclesiæ nominat, post mortem Vigboldi Episcopi, & Reinardi reiectionem in XII. Episcopum Culmensem à Capitularibus electum esse: qui etiam Archidiaconus erat ac familiaris Papæ. Scripserat electo Magister, se permissurum ei libenter aditum ad Episcopatum, si Censuras in se & in Ordinem latas remitteret. Id renuit Martinus, ac strenuè peractâ causâ suâ adijt Episcopatum. Inuitatus ad conuiuium, vno die ita exceptus est & lautè tractatus, vt altero mortem obierit.

Lituanorum mores. Sed ad Lituaniam iterum. Et quoniam illa superiùs attigi, operæ pretium erit de eius gentis moribus hîc etiam aliqua breuiter, vt tùm erant, dicere. Et quidem quod ad religionem pertinet, ignem pro Deo colebant, & eum in celebrioribus locis atq; oppidis perpetuum asseruabant. Fulmini quoq;, quod Percunum vocabant, diuinum honorem gens tribuebat. Lucos & eximias quasdam arbores in siluis sacrosanctas habebat: ita vt violare eas ferro nefas esset, nec impunè erat tale quicquam ausis. Nam violentiâ dæmonum vel interibant subitò, vel membro aliquo capiebantur. Viperas item atq; serpentes diuinitatis non extorres esse credebant, & alebantur ij quasi lares quidam familiares in singulis domibus atq; familijs. Lac eis litabatur, & galli gallinacei immolabantur. Eratq; inauspicatum & exitiale toti familiæ quempiam ex ijs occidisse aut violasse. Erat autem apud eos quotannis solenne sacrificium sub initium mensis Octobris post collectas fruges, ad quod frequentes, cum uxoribus, liberis & seruitijs conueniebant, ac toto triduo epulabantur de ijs quæ mactarant & obtulerant. E bellis etiam reuertentes manubias & vnum aliquem de captiuis eximium, victimæ loco igni cremabant. Corpora mortuorum cum pretiosissima supellectili, qua viui maximè vsi erant, & cum equis & armis more Prutenorum veterum cremabant, & ad busta propinquorum lacte, melle, & mulso parentabant. Ad hæc euertenda Iagello conuentum Vilnæ edixit ad initium quadragenarij jejunij. Quo dum Rex proficiscitur, Archiepiscopum Gnesnensem & multos Sacerdotes ac pios homines secum duxit. Quo conuenerunt Skirgello Trocensium, Vitoudus Grodnensium, Vlodomirus Kiouiensium & Coributus Nouogrodiensium Duces, fratres Pricipis & infinita equitum plebisq; multitudo. *Iagello Lituanos instruit in fide.* Ibi de religione Christiana populariter suscipienda ac de exterminando cultu falsorum Deorum & omni superstitione, diligenter actum: ipso Rege maximam ei rei nauante operam, non solùm hortando & orando & præmijs inuitando, sed etiam docendo, cùm Sacerdotes linguæ imperiti essent, ipse autem Russicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Ægrè gens barbara majorum suorum religiones relinquebat. Sed cùm iussu Regis ignis extinctus, templum araq; eius diruta, & adytum vnde oracula à Sacerdote edebantur, euersum Vilnæ esset, necatiq; serpentes, & succisi luci, nulla cujusquam læsione, quod præter opinionem barbarorum acciderat: tùm verò barbari vanitate sua agnita, alacriores ad Principum suorum religionem facti, & aliquot diebus capita religionis, quod Symbolum vocatur & orationem Dominicam, pio Rege nullum laborem subterfugiente, edocti. Christianis mysterijs de more

initi-

initiati ſunt. Rebus in Lituania diſpoſitis pius Rex in Poloniam reuertitur. Inde in Sileſiam exercitum duxit, arceſq; & Ciuitates aliquot Ducis Opolienſis rebellis occupauit. Qui videns ſe reliquas defendere à potentia Regis non poſſe, eas Pruſſienſibus Crucigeris pro quadraginta millibus florenorum vendidit. Mox verò Iagello Vitoudum cum Lituanis, & cum Polonis voluntarijs in Lituaniam miſit, qui feſtinantes cùm Crucigerorum exercitum Lituaniâ exceſſiſſe didiciſſent, Lucomliam partim trucidato partim eiecto Andreæ præſidio receſſiſſe. Cùm autem eſſet æmulatio inter Skirgellonem & Vitoudum & indignum duceret Vitoudus excelſi animi vir deteriori parere, nec ſtare promiſſis Regem aut reſpondere ſpei meritiſq; ſuis animaduerteret, nec ignoraret etiam Skirgelloni homini feroci & lingua manuq; prompto & qui per ebrietatem compotatores ſuos plerumq; ferro peteret, viciſſim ſe ſuſpectum eſſe, metuens eius inſidias, Grodna & Breſte arcibus ſuis valido præſidio firmatis, in Maſouiam ad Ioannem Ducem ſororis ſuæ maritum cum Anna uxore profugit: inde ad Ziemouitum eius fratrem ſe contulit. Sed cum ab utroq; maligniùs tractaretur, in Pruſſiam ad Crucigeros contendit. A quibus comiter acceptus & habitus eſt, quòd ij per eum facilè ſe Samogitiâ & Lituaniâ potituros eſſe ſperarent. Commoratus autem ibi aliquamdiu adminiſtrationem rei familiaris & linguam Germanicam aliqua ex parte didicit. Interim Lituania & Crucigerorum Pruſſienſium pariter & Liuonienſium armis vexata eſt: & in duas factiones, quarum altera Vitoudo, altera Skirgelloni fauebat, diuiſa, inteſtinis diſſidijs laborare cœpit. Icerat quidem Vitoudus fœdus cum Crucigeris & ſpe potiundæ Lituaniæ ab eis onerabatur: ſed cum ſuſpectam eorum fidem, ſiue vana ſuſpicione, ſiue coniecturis quibuſdam habere cœpiſſet, clàm ſibi per internuncium Vladislaum Regem, proditionem Ruſſorum & Lituanorum metuentem, reconciliauit: & accepta ab eo ſpe adipiſcendi Principatus, ſiue magni Ducatus, vt vulgò dicunt, in Lituaniam inſcientibus Crucigeris reuertitur, & in itinere tres arces eorum Samogitis confines Iurgenburgum, Mergenburgum, & Nauanſum (Neuhauſum fortè) cùm velut ſocius & amicus intromitteretur, cepit & exuſſit: præfectis & præſidiarijs militibus Crucigerorum partim cæſis, partim in ſeruitutem abductis, vt aliquo tamen cum munere ab hoſtibus ad ſuos rediret. Cùm autem ſpem ſibi datam à Rege diutiùs duci videret, conſilium cœpit Vilnæ per proditionem capiendæ. Verùm fraude intempeſtivè detecta, ſpe fruſtratus, in Pruſſiam, reconciliatis ſibi per literas & internuncios Crucigeris, ſeſe recepit, indèq; triennio Lituaniam cum auxilijs eorum infeſtauit.

Anno 1393, pro feſto omnium Sanctorum Diuerdus Dux de longo Caſtello ex Anglia & Dominus Joannes Tyrgewiſt cum multis nauibus & copijs Gedanum animo auxilij ferendi Crucigeris contra Samogitas appulerunt. Dum è nauibus egrediuntur, concitant milites inter ſe tumultum, occiditurq; Joannes. Timens Diuerdus ne viciſſim à milite concitato Joannis perimatur, domum redijt. Nihil tamen id moratus Conradus Valerodus cum juſto exercitu ſine ullo ſuorum damno Samogitiam (interim Vitoudus contra Moſcum pugnabat) occupauit: præfecto eidem generali Commendatore F. Gothardo à Golmau cum juſto præſidio. Redeuntes verò Samogitæ ad Memelam octingentos artifices varij generis,

qui circa ejus restaurationem occupabantur, occiderunt, obsessumq; Commendatorem generalem fame ad deditionem faciendam adegerunt, dijsq; immolarunt. Jagello Rex anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo expeditionē in Lituaniam fecit, ut gliscens inter Lituanos & Russos studio partium dissidium reprimeret: Vitoudiq; potentiam frangeret, atq; excursiones arceret: cujus juuandi gratiâ Crucigeri Prussienses exercitum in Germania comparabant. Inde aliquot arcibus Vitoudi expugnatis, Jagello Grodnam obsedit. Non latebant hæc Vitoudum, nec ignorabat is, Grodnensis diuturnam obsessionem ferre non posse. Properè igitur cum non parua Prussorum & Crucigerorum manu in auxilium suis aduenit, ac cis Nemenem è regione arcis castris positis, nouam arcem in aggesto de terra tumulo munire instituit. Verùm ea re nihil obsessi releuabantur. Insequente ergò nocte Vitoudus cum suis desperata defensione arcis, fugienti similis discessit, & arx post quinquagesimum obsidionis diem in deditionem Regis venit. Ab ea Grodnæ deditione Jagello profectus in majorem Poloniam Varcislaum Ducem Pomeranorum Scecinensium ritu sollenni juratum in fidem & clientelam suam atq; regni & in societatem contra Crucigeros Prussienses accepit. Hoc ipso anno dum officio Visitationis in Prussia instat & jam Brodniciam venisset, infirmatur Conradus. Jussit se deferri Christiburgum, ubi postquam Ordini præfuisset octo annis, semper aliàs valetudinarius, vitâ decessit. Marieburgi in crypta sepelitur. Alia ejus acta, & quæ illius tempore acciderunt, & ad annum certum referri non possunt, nunc ad calcem vitæ ipsius adijcio. Cùm videret Nactangiam multis modis à Lituanis direptam ac vastatam, publica fame divulgari fecit: si quis vellet desertos mansos in ista regione, huic se velle venire subsidio pecuniæ, ut ædificia excitet, ac sibi dimidium censum per triennium soluat. Cumq; plurimi adessent, inter eos, 30000. alij. 3000. marcarum distribuit. Hanc summam alij Magistri posteà à subditis receperunt. Cùm sub ejus regimine quoq; grauis fames Prussiam vexaret, magnam laudem assecuti sunt Oliuenses Patres, qui Eleemosynis pauperum necessitatibus succurrerunt. Quod eorum opus pium etiam miraculo DEUS mundo testatum esse voluit. Quadam enim die dum solito modo certam mensuram potûs, olerum ac panis aduenientibus pauperibus distribuerent, quispiam professione Sutor Velauiâ oriundus ac peregrinus adfuit cum alijs, ac eleemosynam accepit. Olus statim & potum mox absumpsit: panem verò pro futura refectione in sinu reposuit. Obuia ei fuit paupercula mulier in itinere, quam ponè puerulus sequebatur: alterum illa brachijs continebat: supplexq; factâ à peregrino panem petit. Ille panem se habere negat. Tùm illa, certè video vos panem gerere in sinu (obtumuerat enim vesticula) rogo detis paululum pro puello propter DEUM. Peregrinus inquit, lapis is est contra impetus canum & abijt. Post aliquantulum temporis dum ex pane recondito edere vult, in sinu lapidem reperit. Nec dissimulat rem, sed regrediens, quid sibi contigerit Patribus exponit, & lapidem qui panis fuerat, ostendit. Emebatur primo anno annonæ necessariorum (nam diutius durauit) lasta siliginis, 15. marcis, lasta tritici, 21. marcis, hordei. 17, marcis: auenæ, 12. marcis, Secundo anno duplo omnia emerant. Tertio deniq; anno tanta erat segetum ubertas, quod lastam siliginis emerint, 5 marcis; Istius Magistri

Conradus Celner moritur.

Panis in lapidem versus.

quoq;

quoq; tempore amisit Ordo bona sua in Boemia hac quidem ratione. Mortuo Archiepiscopo Rigensi Capitulares in locum ejus è medio suo Canonicum, qui erat Cancellarius Caroli Cæsaris elegerunt. Id ægrè ferens Prouincialis, bona Episcopalia inuasit ac meliora ademit. Nam volebat is eligi eum qui esset ex Ordine: vel certè mox crucem susciperet. Cùm igitur electus Episcopus ac operâ Cæsaris consecratus à prouinciali Liuoniæ admissionem ad Episcopatum postularet, admissus non est. Expostulauit ejus causâ Cæsar cum Prouinciali, qui pro consuetudine sua, non nisi insolenter se gessit in literis ad eum datis. Quo motus Cæsar, consilio habito, Crucigeros infra quatuor hebdomadarum spatium ex Boëmia migrare jussit: traditis eorum bonis Archiepiscopo ad vitam. Et quamuis hæc successu temporis recepissent, Venceslaus tamen Boëmiæ rex, rursus illa eis ademit, anno Christi, 1499. propter sectam Viclefij quam fouebant: nec eadem ampliùs recuperarunt. Servitorem quendam Magister is in aula sua habebat Seualdum Tharsen potatorem & maledicum insignem. Is quandoq; perpotus domum rediens vocabat puerum qui ipsius ocreas detraheret: quem cùm excitare non posset, etiam diaboli operam more suo inclamauit. Nec defuit ille inuocanti: nam confestim horrendum in modum comparuit, ac carnem pedum ejus, unà cum ocreis abstraxit. Superuixit verè miser & ter infelix viginti & una septimanis in summis doloribus & fœtore.

Demortuus Magister accepit successorem Conradum à Valpot siue Valerodum ex Marsalco supremo: qui fuit XXI. Magister Ordinis. Asciuit is ab Oue sibi commendatorem magnum, Cunonem ab Hennenstein Marsalcum. Joannem ab Hatzinberg hospitalarium: Conradum Juningum Trapiarium: Joannem à Langroken Thesaurarium Sifridum Zcyrken truchsessum: Alexandrum à Blumenstein & Cunonem ab Ebenleben Collegas. Maturescentibus autem segetibus, cum Lancaster Henrici Regis Anglorum, Francorum, Theutonumq; voluntariorum manu in Prussiam piæ contra Barbaros militiæ opinione venisset, triplici agmine in Lituaniam itum est, Vitoudi vindicandi restituendiq; prætextu: reuera autem ut Lituaniam sibi Crucigeri subjugarent. Ducebat unum agmen Vitoudus, alterum Magister Liuoniensium Crucigerorum: tertium ipse Dux belli Conradus Valerodus, Magister Prussiensium. Apud Caunam quod oppidum in confluente Nemenis & Viliæ fluviorum situm est, eæ copiæ conuenêre. In hac expeditione Trocos oppidum exustum est: item arx inferior Vilnensis, in qua ad quatuordecim millia hominum perierunt: Superiorem arcem Poloni cum Nicolao Moscorouio Præfecto tenebant, nec aut clade suorum & conflagratione arcis inferioris aut minis hostium & ostentatione capitis Corigellonis fratris Regis, qui dum se ex incendio arcis inferioris subduceret capite plexus fuerat ab hostibus, ac ne acerrima quidem oppugnatione, qua pars muri non exigua dejecta erat, ad deditionem compelli poterant. Veriti autem proditionem, ipsi inter se custodias ac cætera defendendæ arcis munia, submotis Russis atq; Lituanis partiti sunt. Loca dejecti muri vel fimo humoq; opplebant, vel corijs pecudum & jumentorum laxè prætendebant, & sic tormentorum ictus eludebant: deniq; corporibus suis hosti irrumpere conanti aditum obstruebant Skirgello quoq; Regius frater noctu ferè cum suis Lituanis & Russis erumpens, non

Arx superior Vilnensis oppugnatur.

paruis detrimentis atq; cladibus hostes afficiebat. Cùm autem tres menses plus minus arx irrito labore obsessa & oppugnata esset, primis demum Octobris diebus hostes magna non modò prophanarum, sed & sacrarum ædium vastitate & inermium hominum atq; infantium cæde perpetrata, ab obsessione discessêre. Non paucos tamen & ipsi fortes viros in ea obsidione desiderauêre. In his fuit Algardus Comes Hoensteinensis. De Ducibus autem hinc Narimundus Jagellonis, illinc Totiuilus Vitoudi frater periêre: hic quidem tormento ex arce ictus: ille verò in singulari certamine victus, captus & pedibus suspensus ex ulmo jussu Vitoudi & sagittariorum spiculis confectus. Depopulatus est deinde Vitoudus finitimam Prussiæ Samogitiam cum Commendatore Ragnitensi & Præfecto Insterburgensi, quibus hoc negotij datum erat à Magistro. Æstate sequenti rursus Vitoudus cum Crucigeris ad Vilnam duxit exercitum, spe proditionis ab ijs quibus exosus erat Skirgello (quem inde amotum esse nondum cognouerant) faciendæ inductus. Qua non procedente Vitoudus & Crucigeri paucis diebus soluerunt obsidionem: & ne nihil egisse viderentur, reuertentes castella quædam à Skirgellone condita cepêre. & incendêre. Duabus deindè alijs excursionibus eadem æstate Lituaniam populati, Mednicos & Velzanos in Samogitia exussêre. Hyeme verò ad Caunam, quæ Regio præsidio tenebatur, profecti, tres munitiones in circuitu excitarunt Neugardum, Metemburgum Ritterwerderum. Et hæc quidem extrema Vitoudo cum suis concessa: reliquas verò duas Crucigeri suis præsidijs firmarunt & ex his subjectam oram infestarunt. Porrò Joannes Olessnicius, ut hostium conatus reprimeret, Alexandrum Vogundum Regis fratrem cum expeditis copijs ad expugnandas eas munitiones misit. Et tentauit is quidem Ritteruerderum, sed mox infecta re discessit, cum propè affuisset, quemadmodum postea cognitum est, ut id caperet. Cæperat jam Vladislaum ejus belli sacietas propter Polonicas occupationes, ac iccircò reconciliauit sibi per Henricum Ziemouiti Masouij filium designatum Episcopum Plocensem, Vitoudum, dato ei magno Ducatu Lituaniæ, de quo Alexander Vigundus Dux veneno sublatus decesserat. Vitoudus autem rebus suis cum Vladislao ex animi sui sententia compositis, Crucigeros atq; Teutonas mercatores in Riteruerdero castello secum commorantes comprehendit, & incenso Castello vinctos in Lituaniam abduxit. Abeuntem Crucigeri è reliquis duobus Castellis persecuti, & adorti, paruo negotio fusi fugatiq; sunt, & castella à Vitoudo vi capta & exusta. Veniens autem Vilnam Vitoudus cum captiuis & non contemnenda præda parta de Crucigeris, honorificè ab Olesnicio, quemadmodum Rex jusserat, acceptus est. Quibus de rebus certior factus Vladislaus, ad finem mensis Julij properè in Lituaniam profectus, apud Ostrovum Vitoudum cum suo comitatu supplicem obuium habuit, & clementer eum consolatus, cum Skirgellone in gratiam reduxit, cùm ei Rex promitteret, ac diplomate etiam caueret, se Vilnam, Vitepsum, Mereciam & Garsenam arces, ipso inscio nemini traditurum esse. Vbi Vilnam ventum est ibi Rex Vitoudum, amoto de Præfectura Olesnicio, summæ rerum apud Lituanos atq; Russos præfecit, accepto ab eo jurejurando quòd in fide & Clientela Polonorum semper futurus esset. Id adeò anno Christi millesimo trecentesimo nonagesimo secundo actum est. Nec tamen concessus Vitoudo Principatus,

Vitoudus in gratiam Regis suscipitur.

1392.

cipatus, pacem Lituanis attulit. Nam Suitrigello & Skirgello indignè tulerunt, quòd Germani fratres Vitoudo Patrueli posthabiti essent. Ac Suitrigello quidem cum minus animi haberet & virium, ad Crucigeros confugit, & Lituaniam cum eis ultrò in Vitoudum incitatis, crebris populationibus diuexauit. Per quod quidem tempus Surassum, Gartenam & Stramelam arces Crucigeri de Lituanis cepêre. Skirgello verò majore animo & opibus præditus ex æmulatione & jurgijs ad testatas cum Vitoudo inimicitias venit. Sed is placatus est. Rursus etiam ij post hæc incitante Suitrigellone, Lituaniam crebris excursionibus longè latèq; vexarunt: munitiones etiam nonnullas ceperunt, & caput gentis Vilnam tentarunt spe subornatæ per Russos monachos proditionis & incendendarum arcium. Sed cùm ab vno ex ipsis detecta esset proditio, sumptumq; de conscijs supplicium, Crucigeri re infecta recesserunt. Erant quidem ad manum Lituanis non contemnenda Polonorum, partim à Rege missorum, partim voluntariorum auxilia: sed nusquam ad vniuersam dimicationem cum hoste ventum est. Satis habuêre Poloni ex insidijs hostiles vires carpere, nonnunquam etiam ipsi in hostilem agrum populabundi excurrere. Quo factum est, vt non minùs incommodi acceperint Crucigeri, quàm intulerint. Vladislaus verò Dux Opoliensium Magistro Conrado Valerodo, atq; Ordini Crucigerorum Prussiensium primùm Zlotoriam sex millibus sexcentis triginta duobus aureis Vngaricis, mox totam Dobrinensem terram quinquaginta millibus, oppignorauit. Christianus Castellanus Sendomiriensis, iussus à Rege Dobrinum oppugnare, vt eam oram acciperet, arcem obsedit. Sed cùm accepisset Magistrum Crucigerorum Prussiensium Conradum contra se cum validis copijs aduentare, soluit obsidionem. Anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, moritur Conradus Valerodus, in magna tempestate fulminum ac tonitruum, quod vulgus malè interpretatur. Præcesserunt quoq; eius mortem pluuiæ continuæ, per quas segetes in campis computruerunt: Vistula & Nogatus aggeres perruperunt. Homo niger, majoris vultus, iracundus, cupidus honorum, auarus, impius, prout patebit ex sequentibus. Conradus Celner, eo nomine commendatissimus erat, quòd fratrum suorum ambitiosè nomen nouum aucupantium immoderationem quantum potuit, cohibuerit, veteremq; Apostolicum titulum retinendum suaserit, & pro sua persona seruauerit: hic verò primus Principis titulum sibi arrogauit, cùm se Dei gratiâ Magistrum scriberet: authorq; extiterit, vt eodem magnus Commendator, Marsalcus, & quidam alij officiales vterentur: quod in vsum deinceps transijt. Quamuis his titulis, concessione Imperatoris vt in initio Ordinis dictum est, licitè vti possent. Existimabat paulò ante mortem bello Lituaniam debilitandam vel etiam subijciendam: quod vt in rem deduceret, copioso milite opus habebat. Ipse pro sua parte educere potuit octodecim millia. Vt plura congregaret, diuulgaint Symposium honorificum more Principum, vulgò Einen Ehrentisch/ literis longè latèq; dimissis: nec fefellit eum opinio. Nam præstereà sibi quadraginta sex millia militum asciuit. Peragebatur hoc Conuiuium die celebri Diuo Ægidio Confessori in Insula quam Nemenes penes inferiorem Caunam, quo loco antehac Ordo arcem Marieuerderum dictam, habuisset, efficit: qui dies clarissimus fuit. Nihil omninò in mensam ferebatur vasorum, *Conuiuium honorificum.*

quod

quod non esset aureum vel argenteum. Imponebantur exquisitissimi cibi, & potus varij generis, architriclino Engelberto Raab supremo Marsalco. Mensæ, sub pretiosa vmbella duodecim assidebant.
1. Primus Kynodius eques Richarsdorfius Austriacus, vir fortissimus, qui vnus sexaginta viros, quos Turca capiendi eius ergò miserat, trucidauit.
2. Alterum locum tenebat Fridericus Marchio Mishensis, qui nunquam Ordinem in quacunque necessitate deseruerat.
3. Hunc sequebatur Heildermidus Comes Scotus, cujus pater pro Rege interfectus obijsset.
4. Quartus Ordine fuit Rupertus Vitenbergensis Comes, qui electus in Imperatorem, dignitatem tantam ex Christiana humilitate alteri resignauit.
5. Quintum locum tenebat Magister Ordinis, hoc elogio decoratus, quòd, cùm opibus abundasset, & ei nobilissima simul, & elegantissima puella nuptui oblata fuisset, eam tamen Mariæ Matris Dei causa recusauerit.
6. Sedebat post hunc Degenhardus vexillifer Vestphalus. Hic hosti qui Patrem eius occiderat, culpam condonarat, quòd eum per nomen Mariæ Virginis obtestatus fuerit.
7. Fridericus de Buchwalt, qui nemini quidquam denegabat, qui ab eo sub nomine S. Georgij aliquid postulabat, sextum locum tenebat. Reliqui deinceps. Pro majori securitate hospitum conuiuantium, circumdabatur locus custodiâ, ita vt ab Oriente Sole adstaret exercitus Prussicus: ab Occidente magnus Commendator cum auxiliarijs. Scribunt authores in mensam illatos missus fuisse triginta, durasseq; conuiuium à nona hora antemeridiana vsque ad secundam postmeridianam: per id tempus caduceatores ad mensam laudes eorum Principum, quorum opem Ordo in Prussia accepisset, decantasse. Quem scyphum, quem cantharum, patinam & simile quid vel semel quispiam hospitum degustasset, illud donatiuum pro se accipiebat, siue aureum, argenteum aut deauratum fuisset. Æstimata fuit tractatio quingentis millibus marcarum Prutenicarum. Quem in finem Magister quacunq; potuisset arte, æs corraserat, ne quidem Ecclesijs, Xenodochijs & Parochis quantumuis pauperrimis parcens. Triennalem præterea ciuibus & rusticis censum imposuerat, non solùm de mercantijs, domibus, agris, & hominum capitibus, sed etiam censebat eorum boues, oues, vaccas, porcos, anates, gallos, canes, & minima quæq;. Propter commodum aliquod, eius iussu recipi debebant contra data Priuilegia in Ciues Poloni, Lituani, Semigalli, & quicunq; alius cupiuisset. Prandio absoluto Magister hospites in amplissima forma rogauit, vt contra Vitoudum, qui & Vitoldus, eant, ac injurias quas Venerabili Ordini intulisset, vindicent. Continuò etiam aliam mensam proclamari fecit honorariàm, ac etiam tertiam quas celebraturus esset Regiomonti & Marieburgi: accendebantur partim hospites ac animum sumebant oratione Magistri, partim promissis: diuidebantque exercitum trifariam, conueneruntque vt pro die Natiuitatis Virginis Mariæ omnes ad Vilnam comparerent, vbi se Vitoudus continebat. Quid futurum esset, non obscurè pridem Vitoudus intellexerat, & viciſſim copias ex Germanis, Polonis, Lituanis, Russis, Moscouitis & Tartaris, contraxerat. Dum proficiscebantur exercitus illi Crucigerorum, erant verò in illis quinquaginta duo millia, quà ibant omnes rusticos necabant. Etsi verò Christianos esse se, & baptizatos dicebant, nihil curabant, sed respondebant, illos esse quidem baptizatos in aqua per Sacerdotes, sed modo debere baptizari in suo

san-

ſanguine more Germanorum. Generalis Dux totius exercitus erat F. Conradus à Kiburg. Atq; aderant pro die dicto omnes ad Vilnam, ac caſtra in monte albæ arenæ poſuerunt: ſed inediâ confecti, ac pluuiâ continuâ madidi & frigore tabeſcentes. Neq; pro equis qui grauiores erant pabulum habebant. Vlricus Iuningus, qui domi remanſerat pro cuſtodia auertendi Regis Poloniæ ab impreſſione Pruſſiæ, interim literas accepit à Magiſtro vt honorariam menſam Regiomonti inſtrueret pro reditu hoſpitum. Sed iam annona omnis in Pruſſia per priorem tractationem abſumpta erat. Et quamuis in Poloniam, pro rebus neceſſarijs pecuniam mitteret, nihil tamen prohibente Rege accepit. Quod vt vlciſceretur in Rege iam conſtituerat. Et iam ad Vilnam exercitus deſcenderant ex equis, cùm ecce ſubitò in fatigatos Tartari irruunt vna parte: ex altera ex Ciuitate Poloni cum Ruſſis: ex tertia Sudomuntus cum Lituanis, & ex eis 30000. occidunt. Et quidem hoc recepiſſe videntur mercedis loco pro baptiſmate, quem miſeris Lituanis contulerunt. Reliqui fugâ elapſi ſunt, neq; quidquam omnes Duces de honoraria menſa quàm ipſam vitam, cum periculo retulerunt. Vitoudus verò illa omnia quæ occuparant Crucigeri in Lituania occupauit, & præſidijs muniuit. Audiens hæc quoq; Vlricus Iuningus ab apparatu menſæ honorariæ deſtitit, & magis à bello Polonis inferendo, ob negatam iuſtè annonam. Non verò ſatis fuit Vitoudo hanc crudelitatem Crucigerorum de illa violentia in novellos Chriſtianos Lituanicos vindicaſſe, ſed etiam de ea ille cum Iagellone coram ſummo Pontifice queſtus eſt. Sic fruſtratus eſt Magiſter propoſito ſuo. Quin etiam dum ab illa tractatione domum redit, in itinere ſacro igne internè correptus in maniam ex dolore nimio incidit, ita vt cum canibus decertaret. In tali rabie infælicem animam exhalauit. Et niſi Deus eum ex humanis exemiſſet, ex conſpiratione quorundam occidendus erat. Obijt, vt meritò, ſine confeſſione & abſolutione Sacramentali, ac ſacra communione. Cùm enim in viuis Sacerdotes tàm ſæculares quàm religioſos, ac etiam proprij Ordinis odiſſet & contempſiſſet, quos canum curatores vocarat: indignus eis tanquam Dei miniſtris & inſtrumentis ab eodem judicatus eſt: vel etiam tanquam hæreticus & hæreticorum fautor caruit Eccleſiæ Sacramentis. Nam (etiam antequam Magiſtratum adijſſet) apud ſe fouit Leandrum Doctorem medicum Albanenſem hæreticum è Gallijs pulſum, ac in delicijs habuit. Et quamuis Doctrinâ abſurdiſſimâ vtebatur, nihilominus audebat ad defenſionem eius deſcendere cum Monachis etiam ſub pœna ignis, qui cauſam amitteret.

Crucigeri caduntur ad Vilnam.

Conradi Valerodi manſia & mors.

Erant articuli ab illo propoſiti ſequentes. 1. Omnes qui monachis & Sacerdotibus eleemoſynas præbent: ſub Diaboli poteſtate eſſe. Nam fouerent otioſos: cum Deus hominem ad laborem creauerit. 2. Omnes Principes qui Monaſteria extruxerunt: quamdiu ſalua perſtant, non poſſe Dei conſpectu frui. 3. Omnes Monachos & Sacerdotes eſſe hæreticos mendaces. Nam non ſeruarent ſua vota: nec facerent quæ jubent aut docent. 4 Omnes Concionatores teneri ſub poteſtate Diaboli, quod congreſſum cum mulieribus prohiberent, quem Deus conceſſiſſet. 5. Cujuslibet hominis precationes, ſtatus, opus ac fides æqualiter Deo placere. Neq; eſſe infernum niſi pro ijs qui non obſequuntur appetitui ſuo. 6. Miſſas legere, concionari, confiteri, cantare, feſta celebrare, je-

Articuli iniqui.

juuare

junare, obsistere desiderijs animi, inuenta esse auarorum sacerdotum. 7. Omnes qui sibi bene persuaderent de Pontifice Max. de indulgentijs, de censuris ejus, ac juribus: non posse saluari ante extremum judicium. 8. Omnes fœminas qui postulantibus masculis coitum negarent: ac vicissim omnes masculos qui rem negarent fœminis, visuros esse Deum tanquam per velum obscurum: nisi pœnitentiam agant se prostituendi extra matrimonium. Dum igitur hic cum Monachis solennem disputationem Quizini inire deberet, & jam prope oppidum venisset in argillæ fodina aquis interijsse inuentus est, cum fautore suo Valerodo infælicem finem vitæ nactus, sed factis suis aptum & doctrinæ. Nihilominus ea quæ docuit in multorum animis penitus resederunt.

In Prussiam circa hæc tempora trecentæ naues ex Hispania, Gallijs ac Hollandia pro frumento appulerunt: soluebantq; lastam siliginis nouem marcis mercatoribus, qui cum omnem siliginem vendidissent, soluebant nondum oneratæ naues Magistro pro lasta duodecim marcas. Vtriq; verò, id est Magistro & Ciuibus dabatur pro frumento aurum quod postea Magister à Ciuibus per commutationem exegit, ex quo cudi monetam fecit in valore unius Rhenensis floreni. Distracto frumento orta est penuria in Prussia ac hinc fames in populo. Cujus necessitatibus ut succurreret Magister, pretium in Poloniam pro coëmendis frumentis misit, sed ea non concedebantur. Vocabatur passim Valerodus Magister Waltrödde, quod Germanicè siluaticam caniculam sonat, contumeliæ causâ. Ipse se amicum DEI & inimicum Sacerdotum, Gottes freund/ Undt aller Pfaffen feindt, vocabat. Solitus quoq; fuit dicere, in singulis ditionibus, singulos nutriendos Sacerdotes cum Episcopo in loco aliquo editiore, ne cuiquam obsint, & haberi possint tunc cùm sola necessitas eos requirit ad id propter quod instituti essent. Gessit is cum Samogitis & Lituanis plurima bella: utq; ab eorum incursionibus esset tutior, arces Memelam & Ragnitam fossis & muris altissimis munire cœpit. Ad eas operas præstandas Episcopi Varmiensis quoq: vasallos & rusticos cogere instituit. Cumq; ejus huic cupiditati resisteret Episcopus, ille plurimos equites in Episcopatûs bona immisit, & rusticis qui operibus in sistreis intenti duris ejus mandatis parere recusabant, inaudito crudelitatis genere manus & pedes præcidi jussit. Erat horrendum & miserabile spectaculum videre in siluis tot rusticos manibus & pedibus præcisis jacentes, & cœlum ejulatibus ferientes. Ea res tantum terrorem miseris colonis incussit, ut 500. viros proprijs expensis conductos Memelam & totidem Ragnitam miserint, qui operas hasce præstarent. Cæterum ij qui erant ad Memelam, cum Samogitæ ex insidijs in eos irruissent die Corporis Christi, omnes ad unum interfecti miserè interierunt. Sepultus fuit Valrodus Marieburgi in crypta S. Annæ. Successit ei eodem anno Conradus Juningus XXII. Magister ex Thesaurario, vir pius, sobrius ac castus, & vel maximè pacis amans: cum è contrario Ordo uniuersus quasi furiosus ad bella prospectaret, ut ita veluti pro freno ipsis datus esset. Vsus est magno Commendatore, F. Israële à Reisenstein: Marsalco, Vlrico Jungingen: F. Stephano à Viltaro, hospitalario: Trapiario F. Alberto à Schwartzborg: F. Demetrio ab Homberg thesaurario. FF. Guntero à Nassau & Alberto Velitzer collegis.

Valerodi crudelitas.

Anno 1395. cum quispiam Elbingæ malefactor vitâ & libertate dona-

Pluvia

donatus fuisset, malè gratus strues lignorum accendit, unde etiam granaria Elbingensium perierunt. Ex continua pluvia hoc anno in campis fruges computruerunt. Aggeres etiam suos Vistula & Nagotus perruperunt. In die S. Lamperti orta tempestas ex Septentrione, quinq; diebus durauit, obstruensq; portum Lochstetensem, aperuit alterum versùs Rosichenberg 9. **faden tieff**, quem nunc Pilauiensem vocamus.

Anno, 1398. moritur Nicolaus XIII. Episcopus Culmensis ex Cancellario Ordinis. Cùm scripsisset illi Magister Conradus Celner, ut Episcopatum susciperet hac conditione, ut amplectatur & Ordinem: respondit ille: fieri virum Spiritualem, rem arduam esse; assequi verò Episcopatum à Pontifice Max: quasi impossibile. Nam sua Sanctitas malè de Ordine persuasa esset. Si tamen fieret Episcopus, facturus equidem esset, quod sibi salutare foret. Et quidem factus est Episcopus, sed confirmationem Episcopatûs accepit, pluribus quàm decem millibus florenorum: quos in sumptus varios expenderat. Nam res in consultationem deuenerat, utrum quispiam Episcopus ex Ordine assumendus esset. Cùm reuersus esset Româ, & uno anno Episcopatui præfuisset, monitus à Magistro suscipiendæ Crucis, juxta promissionem factam. Respondit ille, se id promisisse aggredi quod sibi salutare esset: sed ut ingrediar Ordinem vestrum, mihi profuturum non est, quòd perpetuo odio Polonorum ardeatis. In qua opinione dum persistit, jussus est Episcopatum permutare. Quod ipse præstitit. Nam Cujauiensem acceptauit; quem illi Joannes Cropidlo Dux Opoliensis cessit. Culmensem assumens Rege consentiente. Intercesserat verò magna amicitia inter Magistrum Juningum & Joannem Cropidlo: ob id apud Polonos in suspicionem Episcopus venit. Quamuis cum tempore neq; Magister ipsi fidere cœpit. Quare in Silesiam abijt, Ligniciæq; mortuus est, post quem Episcopatus vacauit annis, 5. cum dimidio. Aderat prope annus 1400. annus Jubilæi, gratiarum & Indulgentiarum: quo Prussi salute animarum suarum exciti, Romam petituri erant. Verebantur ij Polonos Crucigeris offensos. Cùm tamen arbitrarentur vérituros eos censuras in Romipetas latas, iter tutum fore sperabant. Erant in comitatu uno, 118. Peregrini, partim Nobiles partim Ciues. Inter quos præcipui Ditrichus à Delau, Ludouicus Mortangus, Ditrichus ab Osschetanau, Lampertus à Vaplitz, ac Festus Basenus, viri illustres. Sed venientes Calissiam, à Capitaneo detenti sunt, missis literis ad Vladislaum Regem, quidnam cum ipsis agendum foret. Rescripsit Rex, postulandum ab eis esse Magistri permissionem. Qua si carerent, reseruarentur ad vlteriorem resolutionem. Sed nullas literas Magistri ostendere potuerunt. Supplicabant tamen ipsi per nuncios, vt fidem suam Magister apud Regem interponeret. Quod ille fecit: quamuis id alij dissuasissent. Dimissi sunt itaq; peregrini, sed vehementer attriti à Capitaneo, quod cibum & potum soluere eos necesse fuerit.

Nicolaus Episcopus Culmensis moritur.

Romipetæ.

Hoc anno, vno die eodemq; conflagrarunt igni cælesti Osterrode oppidum cum arce: & Preuscheylau. Fulmine hoc anno etiam oppida Allenstein & Seeburgum, sed non arces. Per incendiarios verò periere, Neuteich, Christiburgum, Risenberga, cum multis hominibus. Item Oliua Monasterium præter Ecclesiam: ac granarium Marieburgense cum frumento ac prædiis omnibus. Item Ecclesia S. Georgij Elbingæ de qua paulò pòst. Incendebantur verò illa ab ijs quos conduxerant mercatores, quibus Crucigeri bona sua lege Rhodia abstulerant.

Incendia.

Q

rant. Erat Jagello Rex iratus Crucigeris Prussiensibus, quòd ij violato fœdere, arma contra se sumpsissent, Dobrinumq; improbè intervertissent, simulq; (& magis quidem fortasse) quòd Lituaniam infestare non intermitterent: & magnam Samogitiæ partem occupassent, ideircò bello eos persequi cogitabat. Sed abhorrebant ab eo bello procerum Polonorum animi, quòd non ignorabant se vniuersam Germaniam in se concitaturos esse. Itaq; re in consultationem posita, cùm maxima pars Senatûs quieta consilia magis probaret, placuit vt conuentus cum Crucigeris ijs de rebus Inouladislauiæ ageretur, ad eumq; Conuentum vt Regina modò cum proceribus proficisceretur. Verebantur enim, ne Rex dolore acceptarum in Lituania injuriarum exacerbatus, asperiore aliquo dicto intempestiuum bellum exuscitaret. Neq; tamen sic æqui aliquid à Crucigeris impetrari potuit. Sed nectere ij moras & excusationes Polonorumq; patientiam eludere, vt sibi diuturnitate temporis possessionem Dobroni firmarent. Ibi Heduigis, reprehensa eorum cùm præsenti auaritia & fœderis atq; jurisjurandi violatione, tùm superiorum temporum ingratitudine & impietate qua in Patronos suos Polonos vsi erant, disertè quasi fatidico ore adiecit: se quidem viuente nihil eos aduersi pro illis ausis passuros esse: post mortem verò suam maximis incommodis atq; cladibus suis illa omnia expiaturos. Ita tunc rebus infectis, neq; certa pace, neq; aperto bello discessum est.

Conuentus Polonorum cum Crucigeris.

Heduigis Regina Poloniæ mala prædicit Crucigeris.

Cum Crucigeris deindè Prussiensibus & Liuoniensibus bellum paruo tempore intermissum Suitrigellonis operâ recruduit. Nunquam tamen Vitoudus hostibus ditionem suam infestantibus occurrere ausus est: Verùm Liuonienses cum præda reuertentes, vestigijs clam secutus, cùm ij diuersi domos abijssent, agros eorum vicissim longè latèq; vastauit, pagos, vicosq; incendit, ac Duneburgum munitum oppidum vi cepit ac diripuit: arcem verò oppido imminentem in deditionem accepit, incensisq; arce pariter & oppido cum ingenti præda in Lituaniam se recepit. Cùm hucusq; Ciuitas antiqua Brunsbergensis ad Episcopum Varmiensem: noua verò ad Capitulum ipsius spectasset, Henricus Episcopus Sornbonus vnà cum Capitulo ob graues causas, literis nouis cassauit, hanc elocationem prima die Septembris, anno Christi, 1398. ita tamen, vt in dicto nouo oppido Brunsberg Capitulum habeat vnam curiam integram ac omninò liberam. Anno 1400, effregit quispiam Ecclesiam in villa Contersuald, sublataq; pixide argentea, qua sacræ hostiæ, quales pro infirmis seruari solent continebantur, lupanar Marieburgi pro nocte intrauit. At lux clarissima in tenebris visa est irradiari: qua re insolita, mulier, vim inclamat. Transibant vigiles, & ad talem clamorem fores habitationis infringunt: sed sacrilegus per fenestram euasit, & sacrosanctum corpus Christi cum pixide abiecit, quæ sub gradus quosdam delabebatur, apparente desuper candelula. Res vbi adhuc eadem nocte ad Magistrum delata fuit: facta solenni processione, delatæ sunt hostiæ per Sacerdotes ad Marieburgensem Ecclesiam. Eodem anno accidit non minùs celebre miraculum præcedenti, in venerabili Sacramento, in suburbio Elbingensi. Etsi enim Ecclesia hospitalis, in honorem S. Georgij consecrata, per incuriam pauperum conflagrasset, inuenta est tamen hostia recens & intacta, etiam tabernaculo quod illam continebat, liquefacto. Ad æternam rei memoriam restaurauit Ecclesiam F. Heluigus Schwan, & ei titulum, jam non S. Georgij, sed Corporis Christi indidit. Quo anno Oliua septimùm conflagrauit. Anno proximè sequenti moritur Henricus

Düneburgum vastatur & incenditur.

Brunsberga antiqua & noua.

Lux ab Eucharistia furem prodit.

Eucharistia in igne conseruata.

ricus Sormbom 13 Ianuarij (alij 2. Ianuarij.) nonus Episcopus Varmiensis. Episcopus hic in interiore arcis Heilsbergensis parte Curritorium seu ambulatorium testudine perfecit & consummauit Idem Resselij & Seeburgi præstitit. Heilsbergæ quoq; aquæ ductus procurauit, & exteriorem partem arcis muro cinxit. Ciuitatem Vartenburg & Bisteinum muro itidem circumdari præcepit, Bisburgum elocauit. Collegiatam Guttstadiensem Ecclesiam & alias plures ædificauit. Inter alias quoq; Bisteinensem, quam cum paulò ante obitum suum dedicasset, & in ea ad altare, quod in ingressu ad sinistram est positum, Missam audiret, in ipsa eleuatione sacrosancta hostia guttas aliquot sanguinis stillauit. Quam etiam ob causam altare illud sacri sanguinis adhuc hodie appellatur. Ad quod miracula multa diuinitus exhibebantur. Obdormiuit Heilsbergæ. Sepelitur in Ecclesia Varmiensi ante Chorum sub lapide albo, vnà cum Fratre Præposito Varmiensi. Tali disticho notatus.

Henricus Sormbom Episc. Varm. moritur.

Sacra Hostia guttas sanguinis stillat Bisteinij.

Iuribus obtentis cedis Pater? O male Sorbom,
Non æquo patrios limite partis agros.

Electus fuit post eum Henricus IV. Heilsbergensis de Vogelsang I.V. Doctor & Canonicus Varmiensis in X. Episcopum: à Bonifacio IX. Pontifice Max. confirmatus eodem anno, 1401. quarto Calend. April. Reliqua quæ de eo dicenda restant, referentur sub anno Christi, 1415. quo mortuus est. Anno deinde, 1402. moritur Ioannes Comes de Oppeln 14. Episcopus Culmensis, cui successit Arnoldus Episcopus, 15.

Henricus IV. fuit Heilsbergen. X. Episc. Varm.

Ioannes Comes ab Oppeln Episc. Culmensis moritur.

Conradus Magister, vt verum id probetur, eum fuisse pacis studiosum, cum quandoq; damna à Polonis pateretur, & ob ea indignarentur Crucigeri, ac eum ad bella impellerent, illis inquit: Tolerabilius esse bouem vnam aut plures amittere, quàm totam Prussiam. Vt tamen eum incenderent, Martiniolum, alij eum Miricam vocant, pusionem instructum, quibus verbis loqueretur, submiserunt Qui aiebat Magistro sedenti ad mensam: valere ipsum pro Canonico pacifico Quizinensi. Ad quod ille: Scio, inquit, Martiniole, te hæc non ex tuo cerebro, sed ex alieno depromere. Sed dico, authores qui te in me incenderunt, mihiq; hæc enunciari voluerunt, tantum turbarum post mortem meam habituros, vt earum nullum finem inuenturi sint. Id alij consulto, alij ludibrio accepêre. Cùm etiam aliquando à Ioanne Cropidlo Episcopo Culmensi siue seriò siue ioco impelleretur verbis ad bellum, nullatenus acquieuit: sed eum durioribus verbis remouit.

Tandem Iagello afflictæ patriæ vicem miseratus, Suitrigellonem fratrem exulem è Prussia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi contraxerat, exsoluto. Conuentum deinde Rex cum Prussicis Crucigeris apud Racianzum Episcopi Vladislaviensis oppidum, ad Pentecosten anni sequentis habuit: vbi sic de pace conuenit, vt Rex quinquaginta 1.
millia florenorum Crucigeris exsolueret, Dobrinumq; & Zlotoriam 2.
reciperet: verùm vt ratas tamen Magistri donationes atq; largitiones 3.
haberet, & pacta à Casimiro magno cum eis conuenta rata esse jube- 4.
ret: deinde, vt Nouogrodi magni Dominatus Regi, Samogitia verò 5.
Crucigeris cederet: ipsi verò, vt omni jure, quod habebant in Litua- 6.
nia sese abdicarent: nec paterentur hostilem aliquem exercitum per
ditiones suas in Lituaniam transire, neq; ipsi per eam sine permissu
Regis copias suas ducerent: neq; receptarent proscriptos è Lituania, 7.
ac ne profugos quidem propinquos Regis: deniq; vt liberam merca- 8.
turam atq; societatem haberent inter se Lituani atq; Prussi. His autem conditionibus implendis annuum tempus constitutum. In his literis

Suitrigello exul reuocatur.

Conditiones pacis inter Regem Poloniæ & Crucigeros

pacis pro testibus adhibentur Arnoldus Culmensis, & Ioannes Pomesaniensis Episcopi. Sic necessaria magis quàm speciosa pace facta Rex inuitatus à Magistro Torunium cum magna parte Procerum diuertit, triduoq; ibi mansit splendidè & magnificè acceptus: per quos dies simulachro equestris pugnæ inter Teutonas & Polonos edito, cùm superiores illi ferè essent in eo genere, in quo sunt exercitatissimi; ad extremum tamen Dobeslaus Olesnicius vnus de Polonis palmam & brauium obtinuit. Dum autem Rex obequitans, situm, munitionem atq; ædificia vrbis contemplatur, sordibus culinæ à muljercula quapiam, seu casu seu datâ operâ perfusus, mulierculæ morti ob id destinatæ, impunitatem impetrauit.

Florentissima tẽpora Crucigerorũ. Circa hæc tempora erant res Crucigerorum tam domi quàm foris florentissimæ, & tali modo dispositæ. Primus omnium erat Magister Ordinis. Ipsum sequebatur magnus Commendator. Tertius fuit Marsalcus, penes quos imperium omnium rerum stabat. Fuerunt præterea in Prussia quatuor Episcopatus: *Dignitates.* nimirum, Culmensis, Varmiensis, Sambiensis, & Pomesaniensis, quos ex magna parte subiectos habebant. *Officia.* Commendatores nobiliores viginti octo: alij præfecti domestici, quos Haus compturs vocabant, quadraginta sex. Conuentus triginta octo. Præfecti hospitalium octoginta vnus. Pincernæ, sexaginta quinque. Aduocati octodecim. Præsides triginta septem. Moletrinarum præfecti, nonaginta tres. Piscium præfecti triginta nouem. Præfecti prædiorum, triginta quinque. Canonici, triginta quinque. Parochiales Sacerdotes viginti quinque. Centum sexaginta duo Chor-Herren. Tria millia, centum, sexaginta duo Equitum. Sex millia ducenti famulorum. Ciuitates habebat Ordo quinquaginta quinque. Arces quadraginta octo. Pagorum octodecim millia, trecentos sexaginta octo. *Proventus illorũ.* Parochias rurales sexcentas quadraginta. Prædiorum duo millia. In censibus annuis prodibant vltra octies centies millia florenorum Rhenensium. Quàm notabiliter vniuersa hæc decreuerint, suo tempore licebit videre. Sed & Marchia noua auctus erat Ordo, quam anno 1404. ab Imperatore emerat, ad quem hæreditate deuoluta fuit, centum & sexaginta millibus aureorum florenorum. Quam summam recepit Legatus Cæsarius Sciborius Basenus Eques. In quem finem contributionem grauissimam constituerunt in subditos: nempe de mobilibus & immobilibus decimum nummum. De vase cereuisiæ ab eo qui eam propinaret, Rhenensem florenum. De vase vini, duos vngaricos. De tonna medonis marcam. De qualibet braxatione ternas marcas. De singulis modijs frumenti, duos nummos. De singulis jumentis majoribus mactatis vnum fertonem. De equo venditor & emptor singuli fertonem soluebant.

Sequenti anno 1405. conuentum celebrarunt Cruciger i Prussienses & Liuonienses Marieburgi in Prussia, in quo controuersia inter Liuonienses & Archiepiscopum Rigensem finiebatur: sed diuturna pax ista non fuit. Nam finitis quatuor hebdomadibus, rursus altercatio cœpit. In eo quoq; conuentu oppida & terræ Prussiæ confirmationem Priuilegiorum, libertatum ac ordinationum plebiscitorum petebant. Factis deniq; articulis, de quibus hîc aliquot ponere volui, inde diuersi abiêre. *Articuli Crucigerorum.* Ne vllus Episcopus sit in Prussia, qui non sit ex Ordine Teutonico. Ne quis de Equestri Ordine plures equos subsequentes habeat, quàm decem. Si quis plures habuerit, de singulis qui numerum excedunt, centum marcas soluet Dominio. Nec Commendator quispiam in suo comitatu pluribus decem vtetur. Nullus ciuium

aut

aut mercatorum excepta nobilitate, in itinere bombardâ vtetur, ſub pœna decem marcarum bonarum. Singulis diebus feſtis & Dominicis ex ſingulis domibus vnus Eccleſiam viſitabit, ſub pœna decem marc. bonar. Nemo condemnatus ad mortem juſtificabitur, niſi proviſus Confeſſione & Communione ſacra: ſub pœna amiſſionis Priuilegiorum ciuitatis. Omnes incantatores, nigromantici & ſimiles, igni concrementur. Artifices non pluries quàm ſemel in anno conuentum celebrabunt: cui præſentes erunt quatuor viri Conſulares, ſub amiſſione libertatis ſuæ.

Hoc ipſo anno magna vbertas frumentorum extitit: ita vt laſta ſiliginis quinq; marcis, laſta tritici, ſeptem marcis, hordei, marcis tribus cum dimidia: auenæ, duabus cum dimidia: tonna mellis, quinq; fertonibus, tonna groſſioris ſalis, viginti ſchotis: tonna Luneburgenſis ſalis, duabus marcis, nam eius inopia erat: modius piſorum duabus ſchotis; tonna halecum, mediâ marcâ ſolueretur. Vt Magiſter provideret arci Marieburgenſi, ac alijs, emit in eum finem ſeptuaginta octo laſtas halecum, & quinquaginta duas laſtas mellis. Cœperunt his temporibus augeri grauamina Ciuitatum Pruſſiæ. Nam in initio Crucigeri conſtituerant, quinam Ciuicum jus aſſequi poſſent, ac artificium exercere aut mercaturam: nempe ij tantùm, qui ſe ex Patre, auo & atauo Germanis natos docere poſſent. Tùm etiam conſtitutum erat, quotnam in ſingulis oppidis, quorundam artificiorum perſonæ ſiue loca eſſe deberent: ne multitudo artificum ſibi obeſſet. In quorum atteſtationem etiam Crucigeri literas ſuas ſigillis confirmaſſent. Pertinebant verò ad arces agri & areæ magnæ. Ex his vt aliquod commodum haberent, ac ciuitatibus creſcentibus in fortunis impedimentum adferrent, Crucigeri has areas quibuſuis hominibus pro cenſu locarunt: & vt ædes citiùs ſuas extruerent, ipſis etiam operæ agreſtium adiumento fuerunt, & cenſum in tres annos remiſerunt. Recipiebantur itaq; Pruſſi, Poloni, Caſſubij, Samogitæ, Curlandi, ac aliæ nationes omnium artificum & mercatorum: cujus iam initium Magiſter Valerodus fecerat. Qua occaſione ſiue potiùs inuidentiâ Crucigerorum Elbingæ, Toruniæ, nouæ ciuitates cœperunt ædificari, & Regiomonti Lebenich, ac Gedani Poggenpul. Quo cùm frumenta aduëherentur, aderant aliqui, qui ſub ſua perſona illa coëmebant pro Commendatoribus ac alijs officialibus. Hi eadem non ſine magno damno ciuitatum, diſtraxerunt. Deferebant negotium Ciues Magiſtro: qui reſpondebat, ut inſpicerent priuilegia ſua, ſi quidpiam de hoc illic inveniretur. Nihil verò Civitates demonſtrare poterant. Ita ſuburbia vehementer creſcere inceperunt in fortunis, ac etiam ſuperare ipſas Ciuitates. Cujus cauſa etiam cædes fiebant inter oppidanos.

Vbertas frumentorum.

Quamuis verò, vt paulò antè dixi, pacem Crucigeri cum Rege Poloniæ confeciſſent, hæc tamen diuturna non fuit. Etenim cum expedita manu in Maſouiam ingreſſi Crucigeri, Joannem Ducem Cirnenſium nihil hoſtile ſuſpicantem in prædio quodam, ſiue apud Clotoriam arcem, quam tunc ligneam ædificabat, cepêre, & equo impoſitum ac ſubter aluum equi pedes indignè colligatum, arce incenſa ſecum abduxêre. Non multò pòſt tamen à Rege de violato fœdere admoniti dimiſerunt. Anno à Racianzenſi Conventu circumacto alter conuentus Gneucouiæ à Rege & Crucigeris de perficienda pace inchoata habitus eſt. Ibi noua res à Crucigeris oblata, negotium omne infecit. Poſtulabant ij, vt Rex Pomeraniæ nomen in inſcriptionibus & ſigillis ſuis non vſurparet, quemadmodum cum Caſimiro Rege multò

antè conuenerant. Negabat ille, consiliarijs dissuadentibus. Itaq; Crucigeris Dobrinum non reddentibus, infecta pace discessum est. Tametsi extant in archiuo Regio literæ Conradi Magistri hoc ipso tempore scriptæ, quibus testatum facit, quinquaginta millia Vngaricorum florenorum pro Dobrino & Zlotoria sibi numerata esse. Et sanè scribit Duglossus non multò post, bello conflato primum omnium Dobrinum à Crucigeris oppugnatum fuisse. Quo fit, vt conveniſſe tunc pacem Dobrinumq; redditum esse Polonis verius sit. Alterius quidem Conuentus cum eisdem Crucigeris à Vitoudo acti, deterior euentus fuit. Nam is cùm ægrè se aduersùs potentiam & vim Crucigerorum defenderet, cessit ipsis Samogitia. Detrectabant quidem Crucigerorum imperium Samogitæ, & nocturnis incursionibus atq; insidijs præsidium eorum affligebant, Vitoudumq; obsecrabant, ne se immanibus Teutonibus proderet, sed vincebat vtilitatem necessitas. Itaq; iussu Principis obsides dedêre Crucigeris. Quò faciliùs verò eos Crucigeri in officio continerent, tres arces in Samogitia condidêre. Duas supra Nauazam fluuium, tertiam verò in confluente Nemenis atq; Dubesæ. Profugerat iterum in Prussiam Suitrigello, spe totius Lituaniæ per Crucigeros potiundæ. Sed Podoliam nihilominus præsidijs suis tenebat. Itaq; conventu Gneusouiensi soluto, Rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit. Vitoudus verò pacem nactus à Crucigeris eodem anno, qui fuit, millesimus, quadringentesimus sextus, transmisso Vgra flumine, primam fecit in Moscos expeditionem. Maiore is vi postea in illud bellum, anno vno intermissum incubuit, auxilijs etiam Crucigerorum fretus. Moritur interim insequenti anno, millesimo, quadringentesimo septimo Magister Conradus Iuningus, qui hactenus, quantum potuit vel causas bellorum cum Polonis restrinxerat, vel auerterat, aliud semper suadentibus & machinantibus Ordinis hominibus, vsq; dum similem sibi Magistrum acciperent, qui erat XXIII. ex Marsalco Vlricus Iuningus, frater vel patruelis Conradi, vt quidam volunt: qui moriens dissuasit eius electionem, quod vir esset impatiens, & Polonis singulariter malè affectus: quod electores quidem ei promiserunt, sed minimè seruarunt. Tempus enim aduenerat, vt Ordo pateretur ea quæ Sancta Heduigis ei prædixerat. Morbo quo mortuus est Conradus, Venere ex medicorum consilio occurrere potuit: Sed.

Samogitia traditur Crucigeris.

Ne se pollueret, maluit ipse mori.

Historia varia

Referuntur variæ historiæ ab authoribus, quæ Conradi hujus tempore, vel maximè apud Groslichtnauienses contigerunt: qui assassent ex
1. insolentia hominem mendicum in taberna: Monachum Dominicanum
2. in fumum in sacco lupulario suspendissent: Parochum ad porcam, pro-
3. uidendam rebus diuinis, quasi ad infirmum, vocassent: & quod rusti-
4. cus Niclasualdensis vndecim tonnas pecuniæ habuerit: sed cum ex decantatissimæ sint, nec verendum quòd emorientur, ijs narrandis supersedeo. Sepultus est Conradus Marieburgi, in crypta S. Annæ. Anno isto quo mortuus est, apparuit per vndecim dies Cometes. Fortè etiam momus alter Magistri demortui, qui momus Cristellus Dominus à Lappenhaus dictus fuit: morbo correptus de illo Comete inaudierat, de quo varij varia referebant. Tum ille interrogatus, quid significaret, inquit: Significat hic futurum & sempiternum malum. Nam cùm per suos famulos nos Deus monuerit vitæ corrigendæ, quam tamen non solùm intermisimus sed etiam deteriorem exhibuerimus: nunc signis apertis nos pro bonitate sua adhuc monet. Quæ si spre-

Cometes præsagus malorum.

ueri-

uerimus quoq;, verendum est, ne hic & ibi pœnam soluamus. Sed dicebant Crucigeri; Stulto hæc pro stultitia sua excidisse. De quo & quod sequitur refertur: F. Engelbertus Parochus Marieburgensis à demortuo Conrado in pretio habitus, stultum Cristellum illum vocabat: quam appellationem ægrè ille pertulit. Mortuus deindè Parochus in Ecclesia sepelitur. Dictus verò momus exhumauit per noctem Parochum appenso collo eius fune: & illius loco reposuit in sepulchrum statuam pulcherrimam Mariæ Virginis ex altari desumptam. Vtriusq; verò rationem interrogatus dedit. Et quidem Parochum suspendere voluisse ob factas sibi injurias in vita. Quòd verò pulcherrimam Virginem defodisset in terram, causam esse, quòd illa cum pulchra sit, semper otiosa staret, amatorem nullum haberet, & nunquam saltûs gratiâ ad arcem veniat: cùm aliæ Virgines oppidanæ frequenter in aulam veniant. In eo Magister hic reprehensione non carebat, quòd lege Rhodia vteretur, ac nimium promoueret: quod præcipuè præstitit cùm illa contigisset inundatio, de qua superius dictum fuit. Nam cùm multæ arbores in flumina defluxissent, & in cœno subtus hærerent, multa naufragia fiebant, quas faciebant Torunenses, Culmenses, Graudenses, Meuenses, Marieburgenses, Elbingenses, Brunsbergenses, ac Regiomontani, qui naues cum mercibus amisissent. Ipso etiam authore, constituti sunt æstimationes rerum, illi qui vulgò die Bracker dicuntur, ad querelam dictarum ciuitatum. Sed ad acta Vlrici Magistri procedat oratio. Hic electus asciuit sibi in Marsaleum F. Fridericum à Walrod. F. Humbertum à Grunebach magnum Commendatorem, F. Albertum à Schwartzborg Trapiarium. F. Conradum ab Fybigen hospitalarium. F. Baltazarum Tzaum & F. Volfgangum à Tissau, ac F. Fridericum Leymigerum in Thesaurarios. F. Michaëlem à Fullenstein. F. Gulichium à Kistauden. F. Hermogastum à Tottangen, & F. Vitum ab Eschwangen in Collegas. Iste Conradus, promouit post quinq; annorum vacantiam ad Episcopatum Culmensem, hoc ultimo suæ vitæ fine Arnoldum XIV. obtenta à Pontifice confirmatione. Vir disertus fuit, ob quod vtebantur Crucigeri eius operâ in legationibus contra Polonos, qui sua repetebant: in defectu eorum Ordini bellum inferre cogitabant. Dum à Cæsare ex legatione rediret, frigoris vi affectus, obijt. Sed & inter Ordinem & ipsum dissenssio intervenit. Obijsse videtur anno Christi 1432. quo anno ei successit in XV. Episcopum Culmensem Ioannes IV. Marienaw.

Porrò in Lituania post Moschicam illam expeditionem, qua vires Lituanorum vehementer attritæ erant, Crucigeri nullum cupiditati suæ modum statuentes, nouas inimicitiarum atq; belli causas quærere, neq; injurijs abstinere. Quibus rebus adductus Rex cùm ad pacem quamvis iniquam pronior, quàm ad iustum bellum esset, conventum cum Vlrico Juningo Magistro Crucigerorum Prussiensium apud Caunam oppidum egit. Sed nihil æqui à feroci homine & ex mansuetudine aliena majores spiritus sumente, impetrare potuit: amicè tamen missis vltrò citroq; muneribus discessum est, Crucigeris bellum quod meditatum nondum maturuerat, dissimulantibus. Nec diuturna ea dissimulatio fuit. Nam vt reuertit Rex in Poloniam, viginti naues frumento onustas è Cuiauiensibus horreis suis, secundo flumine Vistula ad mare misit, vt indè porrò aduerso Nemene in Lituaniam ducerentur, subuenturus genti suæ inopia & tenui prouentu frugum tunc laboranti: eas naues Crucigeri intercepêre. Missi ad eos repetitum res legati Nicolaus Curouius Archiepiscopus Gnesnensis

& Nicolaus Michalouius Sendomiriensis Castellanus cum alijs, re infecta rediêre, caussificantibus & cauillantibus Crucigeris, arma ijs nauibus contra se barbaris supportata esse. Mox & alteram injuriam adiecêre. Etenim Lituanos mercatores apud Ragnetam violarunt & merces eorum diripuerunt. Hac geminâ injuriâ iratus Vitoudus, prior bello persequi Crucigeros adortus, Rumboudum Marsalcum clàm cum expeditis copijs in Samogitiam misit, præsidia Crucigerorum quæ erant cum Michaële Cochmeistro Præfecto seu Aduocato nouæ Marchiæ vel cepit vel intercepit vel ejecit, & Samogitiam omnem jam inde ab initio à Crucigerorum imperio abhorrentem in ditionem suam redegit. Hæc vt Crucigeri vindicarent, Vlricus ad conuentum Ciuitates Prussiæ conuocauit, expositisq; injurijs à Polonis acceptis, cives interrogauit, num ipsi à parte sua contra hostes stare vellent. Quibus non abnuentibus, simul accisam imposuit, quæ duratura esset per quadriennium: quaq; dependeretur de singulis rebus venalibus de marca vnus schotus: à capite humano duo solidi: de pecore vnus solidus: de braxatura cereuisiæ duo floreni Rhenenses. De vino, mulso, & frumento nihil soluebatur. Dabatur præterea ex singulis ciuitatibus & pagis, tertius quisq; vir pro bello. Torunia proinde producebantur 400 viri, cum vexillifero Joanne à Sagen ac Capitaneo Tyle Iungenmanno. Culmâ 200. cum Capitaneo Stephano Vulbenschlager atq; vexillifero *Henrico Damerau. Gedanum 1200.* sub Capitaneo Alberto Mantel & vexillifero Andrea Fechter. Elbingâ 600. cum Capitaneo Hermanno Fellenuerder ac vexillifero Nicolao Quast. Regiomontum, 800. cum Volfgango Nordost, ac vexillifero Tidemanno Heiliger. Ita quoq; reliqua oppida suos produxerunt. Toto illo tempore, quo apparatus belli in Prussia fiebant, Regio tripudiabat, & comessationibus resonabat. Dicebant enim omnes, se prædam opimam à Polonis accepturos. Omnem enim spem victoriæ in milite, armis, ac tormentis collocarant. E contra in Poloniæ regno prohibita erant omnia lætitiæ signa sub pœna graui: habebanturq; singulis ferijs secundis, quartis, ac sextis Processiones atq; similia pietatis officia: quibus adhibebantur jejunia, quibus DEum sibi propitium reddebant. Anno, 1409. Martij die 7. moritur X. Episcopus Pomesaniensis Ioannes I. ex Officiali Risenburgensi. Fertur precibus institisse apud Magistrum pro assecutione Episcopatûs, quem si assecutus esset, omnia præstiturus pro voluntate Magistri. Cum itaq; in electione constituti essent Capitulares, venit ad eos Commendator Marieburgensis cum mandato, Magistrum neminem cupere Episcopum quàm Joannem officialem. Responderunt Capitulares, illum futurum quandoquidem ita velit Magister. Consecratus est in Episcopum in sua Ecclesia Quizinensi. Iste Joannes historiam Prussorum & Fratrum Teutonicorum conscripsit. Magister Conradus Iuningus memor promissi Joannis & verborum, postea ab eo postulauit vt susciperet Ordinem. Quod se non solùm facturum promisit Episcopus, sed etiam congregatis Capitularibus, idem cœpit persuadere: adducens minas Crucigerorumq; potentiam. Nam si nollent crucem suscipere spontè, coactos certè suscepturos. His consentiebant aliqui, cum hac conditione, vt bona Ecclesiæ in dispositione sua per-

Vitoudus recipit Crucigeris Samogitiam.

Dambrowski

Ioannes I. Episcopus Pomesaniensis moritur.

permanerent: alij Canonici ad summum Pontificem appellárunt. Quid multis opus? Mox adueniens Magister non solùm hoc promisit, sed & pluribus alijs, se capitularibus sanctè obstrinxit: ac persuasos inuestiuit. Qui non consenserant, solum vertere debebant. Pro deliberatione sua in hoc negotio à Magistro Episcopus duos menses impetrauit. Sed cùm jam adesset feria quinta magna vt susciperet habitum, pridie morte obijsse repertus est. Sepelitur in Ecclesia Quizini septima die Martij. Successit ei in Episcopatu Pomesaniensi Joannes II. Venêre deindè anno eodem Obornicos ad Regem Legati Crucigerorum questum de erepta Samogitia, captisq; & cæsis ibi præsidijs suis: & cùm bello sibi tantam injuriam vlcisci necesse esset, propterea quòd res repetitæ à Vitoudo non redderentur, quærebant ij à Rege, essetne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vladislaus, quid faceret. Si deesset Vitoudo, Crucigeris eum atq; patriam suam planè prodebat: sin opitularetur, omnem difficillimi belli molem in se & Poloniam, commodiorem prædas agentibus & bellantibus quàm Samogitia est, attrahebat. Et abhorrebant ab eo bello Polonorum animi. Itaque ad amplissimum consilium atque comitia rem integram rejecit: neq; certi quicquam legatis tunc respondit. At illi elati superbiâ & impatientiâ, & protestati non à se verùm à Rege fœdera violari, minabundi discesfêre. Comitia deindè Rex Lenciciæ, ad 17. diem Julij habuit. Indè cùm omnia priùs experiri, quàm ad arma venire in commune placuisset, tres legati ad Magistrum missi ijdem qui priùs, ultimo excepto. Postulabant hi à Magistro, ut conuentu constituto amicè cùm Rege de omnibus injurijs transigeret. Regis enim non Vitoudi proprium & hæreditarium esse Dominatum Lituaniæ. Excandescere Magister & moram pati nolle, confestimq; arma se Lituaniæ illaturum esse minari. Ibi, Archiepiscopus non ferens Magistri superbiam: desinas, inquit, nos bello terrere. Si arma contra Lituanos ceperis, vicissim arma nostra domi tuæ senties. Quod dictum in mandatisne Archiepiscopus à Rege acceperit, an bili percitus, inconsideratiùs protulerit, incertum est: Optatum quidem certè Magistro accidit. Quocirca statim is subjecit. Benè se rem habere: cùm sententiam Regis teneat, caput se potiùs petiturum quàm pedes, & culta magis, quàm inculta: agros uberes potiùs, quàm syluas & solitudines. Ita tunc legati impatientiâ bellum approperatum est. Nec mora, dictis facta Magister adjecit. Dimissis enim legatis ad medium Augusti mensis cum exercitu Dobrinum oppugnauit cum nonnullis oppidis & arcibus. Zlotoria deindè acriter oppugnata, post octavum diem in deditionem Crucigerorum venit, cùm magna pars defensorum, ictu balistarum & bombardarum interfecta esset: reliqui captiui abducti. Cùm de commutatione captiuorum posteà cum Vitoudo conuenisset, tamen Crucigerorum perfidia, cum ij suos non recepissent, dimissi non sunt. Bydgostia etiam corrupto præfecti vicario potiti sunt. Rex ubi hæc crebris certisq; nuncijs accepit, minimè cessandum sibi ratus, expeditionem & ipse toti Poloniæ, Russiæ & Lituaniæ contra Crucigeros indixit: minores Poloni cum Russis ad Volboriam, majores ad Lenciciam conuenire jussi. Quòd ubi factum est, recensito apud Radeouiam exercitu, ad Bydgostiam sub finem Septembris castra admouit, arcemq; obsedit. Ibi Magister, cùm retinere se eam posse diffideret, Conradum

dum Olesnicium Ducem ad Regem cum his mandatis misit; ut Rex Venceslaum Regem Boëmorum de Bydgostia secum pariter arbitrum caperet. Quanquam autem hoc ille agebat, ut apparatum Regium illuderet, non abnuebat tamen Rex, se non modò de Bydgostia, verùm de cuncto Dobrinensi tractu, atq; adeò de omni controuersia Magister illum sibi arbitrum ferret. Jam enim hyems appetebat, nec Vitoudus cum Lituanis veniebat, missoq; excusandi sui causâ ad Regem nuncio inducias suadebat. Dùm cunctatur Magister conditionem oblatam à Rege accipere, Bydgostia post octavum diem à Polonis expugnata & mox refecta præsidioq; munita est. Magister ad Suece suos conuenire jusserat. Quod ubi Rex cognouit, partem copiarum statim eò misit: pulsi dissipatiq;, qui primi de hostibus conuenerant, & castris exuti. Intereà interuenêre Oratores Regis Venceslai, Conradus senior Dux Olesnicensium, & Jenco Vratislauiensium ac Suidnicensium præfectus; bellumq; inducijs utriusq; partis consensu usq; *ad vicesimam quartam diem Junij sequentis anni constitutis*, diremêre, ut interim Venceslaus de tota controuersia inter dissidentes arbitraretur. Quo nomine Senatus Regius vulgò malè audit, quasi corruptus à Crucigeris, non satis decoras sibi inducias fecisset. Ita tunc ab armis discessum est. Quanquam Sigismundus Coributus frater Vitoudi, cùm nihil adhuc de inducijs compertum haberet è Lituania excursionem fecit cum Lituanis in Prussiam, ac tribus oppidis hostilibus plurimisq; pagis direptis & incensis, magnam prædam reportauit. Quos vt vlciscerentur Crucigeri qui excusationem ignorantiæ non accipiebant, mense Martio anni sequentis clàm per aujas solitudines atque syluas tacito agmine progressi, transmisso Neutupa amne & statione Lituanorum apud Iascrum, prodente eam fumo, oppressa, in Volcoviscos improuisò impetum fecerunt, moltosq; mortales qui ad rem diuinam, festo die, conuenerant, vico incenso, captiuos abduxere. Vitoudus verò cùm septem milliaribus ab eo loco abesset, ac de aduentu hostium certior factus esset, raptim in interiores syluas cum vxore se abdidit, donec discessisse eos cognouit. Meminisse necessè est, sub initium hujus belli Prussici concilium Pisis in Hetruria apertum esse, extinguendi Schismatis causa, quod supra quadraginta annos, binis, ac interdum ternis de summo Pontificatu contendentibus, Rempublicam Christianam afflixit. Per idem tempus Praga ac mox tota Boëmia nouis motibus agitari, Ioanne Husso & Hieronymo Pragensi authoribus, cœpit.

1410. Reuersus à bello Prussico Rex per majorem Poloniam, apud Nepolomiciam comitia habuit. His peractis, legatos ad Venceslaum Regem ad tractandum de pace cum Crucigeris designatis, mox Breste Lituanicum contendit, & ibi cum Vitoudo de ratione totius belli gerendi secreto, solo Nicolao Tramba præsente, constituit. Post Pascha Sandeciam pariter cum Vitoudo aduenit, quo jam complures Proceres jussi conuenerant. Expectabat etiam Kesmarci Sigismundus. Nec tamen conuenerunt Reges. Sed missus à Vladislao cum nonnullis Proceribus ad Sigismundum Vitoudus, de stabiliendis cum eo in reliquos quatuor annos, inducijs quæ in sexdecim annos olim pactæ erant, id responsi accepit: Si Vladislaus bellum Crucigeris faceret, Sigismundum eis deesse non posse. Etenim Roberto Cæsare per id tempus vitâ functo, adspirabat is ad Romanum Imperium quod & consecutus est. Quamobrem gratiam

tiam Germanorum Principum apud quos gratiosi erant Crucigeri, aucupabatur. Quin ipsi Crucigeri quadraginta millia nummûm aureorum ei promiserant, si Polonis bellum indixisset. Cæterùm ad pacem componendam operam suam Regi pollicitus est Sigismundus. Cùm Vitoudo autem secretos sermones absq; arbitris habuit, quibus eum ad se allicere & à fide ac societate Vladislai, spe regni Lituanici injecta auocare conatus est. Verùm Vitoudus dolis Sigismundi intellectis, insalutato eo discessit. Sed intra vnum milliarium consecutus eum Sigismundus, honorificè magnis donis muneratum dimisit. Nec celauit is Vladislaum de Sigismundi consilijs atq; artibus: quibus etsi tunc captus non est, posteà tamen irretitus fuit, quemadmodum suo loco dicemus.

Ad bellum deindè Prussicum summo studio cœpit Vladislaus incumbere, spe pacis Crucigerorum improbitate, & iniquitate Venceslai, præcisa. Nam is cùm arbitrium inter dissidentes ex compromisso ad se delatum recepisset, vt erat homo nihili & voluptatibus atq; ebrietati penitus immersus, ne cognita quidem causa, de sententia Iodoci Marchionis Morauiæ ita pronunciauit, vt nullam prorsus justitiæ neq; æquitatis rationem duceret. Adhæc ineptissimè quæ extra controuersiam erant, adiungeret, vt Poloni scilicet non nisi ex Occidentalibus oris Regem deinceps sibi peterent. Dobrinensem autem tractum vt ipse vno anno obtineret, atque interim deliberaret vtri parti eum adjudicaret. Quæ sententia cùm Germanica lingua à Scriba recitari inciperet, Poloni discessêre, negantes se Germanicæ concioni propter linguæ imperitiam interesse velle. Desperata igitur æqua pace Vladislaus, dimissis in omnes partes literis restibus alligatis, quæ ex eo restium nomen obtinent apud Polonos, expeditionem cunctæ Poloniæ edixit. *Literæ Restium.* Ne quid autem absente se & in Prussicum bellum intento Sigismundus turbaret, quemadmodum præseferebat, Ioannem Scecocinum Castellanum Lublinensem cum quibusdam alijs, ad tutandam illam oram ab Vngaris reliquit: Vitoudum & aulicum suum comitatum, vt se ad bellum compararent, dimisit: militem mercenarium cum Ductoribus Ordinum atq; Centurionibus, metandorum castrorum & instruendarum acierum peritis è Bòëmis atq; Morauis de sententia Sbignei Brezy Marsalci (alijs aduersantibus & sumptuum magnitudinem dubiamq; & infirmam externorum militum fidem causificantibus) acciuit: cùm Sbigneus diceret, victoribus quidem illos victos hostes stipendia pensuros esse: si verò victi fortè essent, pro cæsis captisq; non fore qui ea peterent: quos stipendia facerent, dimicantes & infamiam ignauiæ siue perfidiæ ex disciplina militari metuentes. Misit tamen iterum Vladislaus legationem ad Sigismundum Regem, eumq; & fœderum & promissi de tentanda pace inter se & Crucigeros admonuit. Et prolixè quidem ille promisit, ipsum se ad Crucigeros ea de causa profecturum esse, sed mutatâ sententiâ, Nicolaum Geram Vngariæ Palatinum & nonnullos alios legatos misit in Prussiam, non tàm pacis tractandæ quàm quadraginta millium florenorum à Crucigeris emungendorum causâ. Benigneq; ij legati à Vladislao habiti, & in Prussiam vsq; eius jussu atq; sumptibus deducti sunt: nihilo tamen magis remittebat is institutam expeditionem.

Erant in aula & ministerio Sigismundi complures Poloni equestris Ordinis, qui propter præclara merita sua non contemnendas facul-

facultates & possessiones in Vngaria beneficentiâ ejus Regis adepti erant. Qui omnes ubi Regem suum Vladislaum ad Prussicum bellum proficisci & Sigismundum ad violandum cum eo fœdus pronum esse senserunt, relictis possessionibus & ingentibus Sigismundi pollicitationibus repudiatis, memorabili exemplo Vladislaum secuti sunt. Nec malè eis postea respondit Vladislai gratitudo & liberalitas. Proficiscens autem is ad bellum Prussicum, Nicolaum Curovium Archiepiscopum Gnesnensem Cracouiæ cum imperio reliquit, & quacunq; iter faciebat, profusa in egenos largitione utebatur. Cùm autem Slupiam, quod oppidum Episcopi Vladislauiensis sub Lyssecensi Monasterio situm est, peruenisset, biduò ibi commoratus, diluculò ad ædem Sacram, ligno Crucis celebrem in excelso monte positam pedester ascendebat, nec nisi vesperi ad sumendum cibum in oppidum descendebat, cùm totum diem precationi flexis genibus in templo vacasset. Jam induciæ cum Crucigeris expirarant: Poloniq; equites, quos Rex de aulico suo comitatu ad præsidium Inouladislauiæ, Breste & Bytgostiæ præmiserat, initium belli fecerant, incensis compluribus pagis in ripa Vistulæ, Magistro Crucigerorum cum legatis Sigismundi non sine perturbatione animi inspectante. Sed furore ejus mitigato, legati decem dierum inducias per quas de pace ageretur, rursus confecerunt. Quæ quidem induciæ, tametsi nihil per eas de pace actum est, tamen ex re Polonorum fuêre: quòd nondum copiæ ad constitutum locum conuenerant. Cùm autem eæ apud Ciruescense Monasterium conuenissent, nauali ponte juncto, qui multo ante ad eum usum apud Cozinicos saltus paratus erat, Vistulam cum impedimentis curribus & bombardis transmisêre, & in ulteriore ripa castra posuêre. Eo Vitoudus cum Lituanicis ac Tartaris copijs aduenit. Neq; verò is suos tantùm Lituanicos Tartaros adduxit, sed Zauolgenses siue Transuolganos etiam quos per hyemem unà cum liberis & uxoribus eam ob rem sustentarat. Exactis decem dierum inducijs, cùm ne tentata quidem pax esset, Joannes Broglouius quem Rex præsidio Bytgostiensi præfecerat, cum non contemnenda suorum manu noctu in Suecense territorium ingressus, insidias opportuno loco posuit: ipse verò postridiè cum paucis circum arcem & oppidum populabundus hostes elicuit, & simulatâ fugâ in insidias induxit: ubi à fronte & à tergo circumuenti, omnes ad unum partim cæsi, partim capti sunt. Quo cognito Crucigeri Henricum Plauenium Commendatorem Suecensem cum præsidio tueri oram illam jusserunt. Venerunt deindè in castra Regis legati Sigismundi, & perspecta voluntate Regis ad pacem æquis conditionibus componendam inclinata, ad Crucigeros reuerterunt. Fuerunt autem conditiones à Rege editæ, ut Crucigeri Dobrinensem tractum sibi redderent: Samogitiâ abstinerent: de damnis verò ut Sigismundus arbitraretur. Nec eas tamen Crucigeri accipiebant: indignum rati, ab hoste armato ac ditiones suas infestante cujusq; modi conditiones accipere: quasi victoriam in manibus haberent. Cùm autem nihil responsi Rex ab Vngaricis legatis acciperet, misit ad eos Petrum Corsbocum Equitem, ut de Crucigerorum sententia certior fieret. Re in Crucigerorum consultationem à Magistro posita, fremere omnes & bellum quàm pacem malle, unus ab omnibus Commendator Meuensis, Comes Vendensis, annis & usu rerum prudentior, dissentiebat, pacem suadens, & communem esse Martem dubiumq;

umq; euentum belli dictitans. In quem Vernerus Tetinger Elbingensis Commendator grauiùs inuectus: poteras, inquit, cum isthoc animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille, Ego, inquit, quæ recta & utilia judico, in medium consulo. Sed tamen, si his aliter videbitur, ita me DEO propitio geram, ut genere meo dignum est: tu vide, ne sis dictis ferocior quàm factis fortior. Intercepit rixam Commendatorum Sciborius pacemq; enixiùs suadere cœpit. Sed eum quoq; Magister increpuit; Polonus inquiens, cum sis Scibori, quæ in rem Polonorum sunt loqueris. Sed & Albertus Schwartzemburgius Commendator Christiburgensis bellum non optauerat, debuit tamen ad id suo tempore etiam inuitus proficisci. Aderat abeunti ex arce Chori summus rector, qui his verbis ad prælium euntem allocutus est: Cùm tu abeas, cui interim commendas arcem? Non ex sperato respondit ille. Tibi & omnibus Diabolis, qui hoc bellum suaserunt, arcem commendo. Quid ex his diris secutum sit, paulò pòst ut mortuus est timore correptus Chori rector, suo loco referetur. *Imprecatio.*

Interim dum hæc fiunt, promouebat castra Vladislaus, & quodam tempore ex composito, hostium aduentum nunciari jussit, ut inopinato tumultu negligentiam & securitatem suis excuteret. Cùm autem ad Vucram amnem castra haberet (qui locus Masouiticæ quidem ditionis erat, sed eum tunc Crucigeri datis Duci mutuo quinq; millibus marcarum Pragensium, hypothecæ nomine obtinebant) ibi Lituani atq; Tartari non secus ac in hostes omnem crudelitatem, nulla, neq; sexûs neq; ætatis miseratione, exercuêre. Qua de re grauiter reprehensus Rex à primoribus Polonorum, cum se ij cum omni nobilitate Polonica tam impia castra deserturos esse minarentur, captiuos solui jussit ac dimitti. Motis autem ex loco castris, cùm primùm hostium fines attigit, expandit acies in latè patenti planicie, acceptumq; manu sua vexillum maximum, cujus insigne est alba aquila coronata hiante rastro & extensis alis explicat suspiransq; & lachrymabundus sonora voce ita fatur. Deus Optime Maxime, non modò factorum atq; dictorum sed & cogitationum omnium cognitor, tu mihi testis es locupletissimus, me inuitum ad hoc bellum cum Christianis qualibus qualibus Christianis tamen, gerendum descendere, maximis & intolerabilibus Crucigerorum injurijs prouocatum: & officio meo adductum, ut populos abs te curæ & fidei meæ concreditos de rapacibus & cruentis eorum manibus & nefandis contumelijs vindicem. Tu nosti, consilia pacis me nunquam defugisse, & vel iniqua pace justum bellum redimere cupiuisse, si quem religiosi homines insatiabili cupiditate & irreligiosæ superbiæ suæ modum statuere voluissent. Sed quando nihil apud eos mansuetùdine & patientiâ, vix priuato homini, nedum Principi consentaneâ, proficio, tuæ justitiæ fiduciâ justa piaq; arma sumpsi, tuisq; auspicijs vexillum hoc nunc explico. Tu quæso justiori causæ faueto & sanguinem Christianorum hominum, qui immaniter hactenus à Crucigeris trucidati sunt, quosq; hoc bellum utrinq; absumet, ab illis qui bello causam dederunt, expetito. Hæc Rex, collacrymante toto exercitu. Idem fecêre deinceps Vitoudus & Masouij Duces & Proceres tàm Poloni quàm Lituani. Deinde Poloni abstersis lachrymis, carmen patrium siue pæana Virgini Matri DEI dicatum, cujus authorem Divum Adalbertum Archiepiscopum ferunt, cecinêre. His peractis quæsitus est cui summa *Vladislai Regis oratio.*

ma administratio totius belli secundùm Regem committeretur. Detrectantibus autem tantum onus maximo cum periculo conjunctum Boëmis & Morauis, qui scientiâ rei militaris præstare inprimis videbantur, ad Zindramum Mascouicium ensiferum Cracouiensem, ortum ex ea familia, cujus insigne Sol est, munus id defertur. Erat is quidem staturâ paruâ, sed ingenti spiritu & ingenio solertiaq; non vulgari. Huic adjuncti consiliarij Vitoudus, Christinus Ostrouius Castellanus Cracoviensis, Joannes Tarnouius Cracouiensis, Sendiuojus Ostrorogus Posnaniensis, Nicolaus Michalouius Sendomiriensis Palatinus, Nicolaus Tramba Præpositus apud S. Florianum & Procancellarius, Sbigneus Brezius Marsalcus, & Petrus Saffranecius Magister Cubiculi siue succamerarius ut vocant, Cracouiensis. His constitutis ad Luterbergam hostile oppidum, quod jam Poloni succenderant, castra mota. Ibi res horrenda accidit, ac barbarico duorum Lituanorum supplicio disciplina militaris in exercitu sancita est. Dira ac detestanda scelera Lituani atq; Tartari in excursionibus atq; populationibus pagorum nihilominus patrabant, matronas atq; Virgines cum quibus nudis choreas duxerant, constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebant, & quodam loco sanctissimum Christi IEsu corpus, quod in templis de more apud Christianos seruatur, de argenteo ferculo profanè in terram abiecerant. Id vbi resciuêre Poloni, fremere cuncti: & ni plectantur sacrilegi, militiam se deserturos esse populariter minari. Hoc clamore & fremitu commotus Rex, authores sceleris perquiri jussit. Inuenti duo Lituani, Vitoudi iussu ipsi sibi patibulum excitarunt, & suis vterque manibus, barbaro, sed tamen patrio more sese suspenderunt, obiurgantes sese mutuò, ne sua cunctatione iram Principis in se magis accenderent: quasi is atrociùs etiam aliquid in eos posset statuere. Nec ferè tale quidpiam postea designatum est, territis cunctis duorum supplicio. A Luterberga deinde ad Curentnicum, quod oppidum cum arce superposita ad Rubicouum, lacum est, haud procul à Deruancia flumine, castra mota. Vndè cum pabulatum nonnulli de Polonis excurrissent, quinquaginta equos hostium qui in flumine adaquabantur, sessoribus deiectis cepêre: & cum his reuertentes, eminus conspecti, cum speciem hostium aduentantium præbuissent, tumultum in castris conciuêre. Sed mox is resedit errore cognito. Quod ne deinceps accideret, edictum est publicè regis iussu, ne quis absque commeatu castris egrederetur, néue in castris tubâ vteretur, præter vnum Regium tubicinem. In mouendis autem castris hæc ratio instituta, vt ad primum Regij tubicinis cantum cuncti sese armarent, ad secundum equos sternerent & frenarent, ad tertium verò vt Marsalcum cum Regio vexillo minore præcedentem compositi suo quisq; ordine sequeretur. Omnia deniq; cautiùs & accuratiùs fieri cœpta, propterea quòd haud procul castra habebant Crucigeri, trajectu fluminis Polonos prohibituri, cuius utramq; ripam & alueum densis stipitibus & sudibus præfixis impedierant. Quibus rebus cognitis Rex, ne suos in extruendo ponte fatigaret ac dimicationi objiceret, reflexo ad caput amnis per aspera & montosa loca itinere, propè Soldauiam oppidum castra metatus est. Venit eò ad Regem Fricius Reptius Silesius cum mandatis legatorum Sigismundi Regis & quando frustra de pace apud Crucigeros tentatum esset, bellum Vladislao Sigismundi nomine in secreta Ma-

Supplicium ab ipsis sceleratis exactum.

ta Magistri militiæ, & octo consiliariorum audientia, literis Sigismundi exhibitis, denunciauit. Soli autem Regi secretius in aurem insusurrauit, ne quid ea denunciatione terreretur: quadraginta enim millium aureorum à Crucigeris emungendorum causâ, eam factam esse: animauitq; eum, vt ne conserere manus cum Crucigeris, quorum vires longè essent inferiores, reformidaret. Dimissus cum eo responso, quo Vladislaus Sigismundo extremam pro compluribus maximisq; suis beneficijs ingratitudinem exprobauit, & vltionem diuinam in caput eius, qui prior fœdus rumpebat, imprecatus est. Vbi in castra Crucigerorum redijt Fricius, certiores eos fecit de castris Regijs. Crediderant enim ij Polonos atque Lituanos subitò pauore perculsos, fugâ dissipatos esse. Nec multò pòst, ab exploratoribus nunciatum est, Polonos Dambrouunum, quod Gilgenburgum Teutones vocarunt, oppidum frequens & opulentum & lacu in orbem ferè circumfuso & spisso muro munitum, expugnasse direptumq; incendisse, & versus Marieburgum iter intendere. Quo nuncio accepto Crucigeri irâ perciti, vociferari, indignissimum facinus impunè ab his ditiones suas vexari, quibus ipsi prius Pomeraniam atque Dobrinum eripuissent & quorum Regionem ferro & igni quodam tempore longè lateq; peruastassent: nec ferendum amplius quin de summa rerum cum Polonis primo quoq; tempore decernerent. Itaq; in hostem se duci flagitabant: neque Magister abnuit. Rex cum altero quoq; die apud Dambrouunum expugnatum statiua habuisset, captiuosq; omnes exceptis Crucigeris Religionem professis, benignè relaxasset, prædaq; & commeatu copioso exercitum ditasset, tertia die, hoc est, quintadecima mensis Iulij facto duûm milliarium itinere, inter fruteta & nemora prope Gruneualdum & Tanebricum pagos castra metatus est. Fuerat nox præcedens tempestatibus inquieta, sed tam apud Crucigerorum quàm Polonorũ castra longè inquietior, ita vt eorum tentoria disijceret: manè autem validiores venti flare cœperant. Quam ob rem cùm Rex non facta re diuina præter morem castra mouisset, apud Gruneualdum demum erecto tentorio, rei diuinæ vacauit. Interim ei nunciatur ab exploratoribus alio super alium accurrentibus, hostes adesse. Ad extremum veniens ipse Vitoudus, nunciat hostes in conspectu esse: ni maturetur, in imparatos impetum daturos: nec tamen auelli Rex ab altaribus potuit. Et fuit sanè res in periculo si hostes aciebus Polonorum nondum instructis, illicò signa intulissent. Sed ne id facerent, diuinitus, vti creditum est, impediti sunt, veriti, ne quid fraudis & insidiarum Poloni nemorum opportunitate occultarent. Intereà commodè à Zindramo & Vitoudo acies instructæ: læuum cornu Poloni, dextrum Lituani tenuêre. Quinquaginta fuêre signa Polonica, Lituanica quadraginta. In prima acie robur totius exercitus & veterani milites collocati. Iamque pugnæ signum à Rege poscebatur, & singuli, bini ternique inter duas acies procurrentes, cum pari hostium numero manus conserebant. Et Rex jam peractis sacris armatus in aciem procedebat, imbellemq; Sacerdotum & scribarum turbam in castris relinquebat, cùm ex hostili acie duo caduceatores progressi, quòd mandata ad Regem à Magistro ferre se significabant, intacti ad Regem deducti sunt. Hortabantur autem ij Regem Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnam iniret, & quo incunctantius id faceret duos gladios

Grunovaldi

Gladij duo Vladislao Regi à Crucigeris missi.

strictos & cruentos (quemadmodum carmen vulgare, de prælio hoc compositum, quod in hanc usque diem extat, habet) ei & Vidoudo obtulêre, vt vel ijs aduersus Crucigeros vterentur. Ne quam verò angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent, néue inter nemora latitarent, concessurum ipsis esse Magistrum plus campestris spatij. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, intereà Crucifericus exercitus, vt fidem dictis eorum præstaret, non modico intervallo retrocessit. Rex (nam Vitoudus aberat, Lituanicam aciem obequitans.) communicato cum his, quos circa se, quemadmodum diximus habebat, consilio, placidè & modestè caduceatoribus respondit: Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in nomine Dei gladios, contumeliæ causâ ab hoste missos: atq; ita accipere, vt omen victoriæ, quam sibi armorum traditio portendat. Nunquam se quidem à pace abhorruisse, sed quando bellum mallent Crucigeri, & sanguinem Christianum tantoperè sitirent, sperare, mansuetudini suæ & iustiori causæ diuinum auxilium affuturum, ac de illis condignas crudelitatis atq; superbiæ pœnas expetiturum. Omnem autem eam rem vnà cum electione campi, se diuinæ sapientiæ & iustitiæ committere. Accepti gladij, in ærario Regio in hanc usq; diem assermantur. Caduceatores autem alter Sigismundi Regis, alter Scecinensium Ducis insignia præseferebant. Mox Vladislaus paucis pro tempore milites adhortatus, excedens ex acie (nam ita visum erat proceribus atque consiliarijs, vt is aliquo loco cum delecta manu, quæ ipsi custodiæ & præsidij causâ attributa erat, extra discrimen prælij consisteret) canere signa jussit, simulq; exercitus omnis alacer pœana patrium cecinit. Editiore loco Crucigeri constiterant: inde cum duas bombardas dato loco ejaculati essent, nec vllo tamen ferè detrimento Polonos affecissent, per decliue cum infestis signis decurrerunt. Occurrêre & Poloni aduenientibus: commissum vtrinque summa vi prælium, ita vt fragor sonitusq; armorum procul exaudiretur. Iamq; ad vnius fermè horæ spatium pugna durauerat, & neutro tamen inclinabat victoria: ibi Crucigeri animaduertentes debilius esse dextrum cornu Polonorum, in quo Lituani, Russi atque Tartari armis, equis & multitudine Polonis aliquantò inferiores, turmatim instructi erant, cum aliquot alarum subsidijs maiorem in id impetum dedêre, eo consilio, vt eo pulso, totis viribus læuum, in quo pertinaciùs Poloni dimicabant, adorirentur. Nec vanus omninò conatus hic fuit. Statim enim res Polonorum in ea parte deteriore loco esse cœpit, Lituanis atque Tartaris sensim pedem referentibus, & ad extremum, cum ad vnius iugeri spatium tamen vtcunq; hostium impetû sustinuissent, in fugam, necquicquam reuocante Vitoudo effusis. Nec ij sisti ullo modo potuêre, sed perpeti fuga pleriq; in Lituaniam contendentes, actum esse de uniuerso exercitu renunciarunt. Soli Smolenscij Russi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœditatem fugæ detestati, eximiæ virtutis, fortitudinis laudem meruêre, & unâ turmâ penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in læuo cornu sese conjunxêre. Alia ibi erat rerum facies. Poloni enim acerrimè dimicantes, vexillum Regium, cujus signifer fuit Martinus Vurocimocius vexillifer Cracouiensis ab hostibus dejectum summa vi connixi recuperarunt. Ibiq; primùm inclinari cœpit hostilis acies. Instabant Poloni perturbatis: & commodum

Prælium committit Vladislao cum Crucigeris.

Lituani fugiunt.

Smolenscij Russi perdurant.

leni pluvia delapsa, puluis, qui longiorem aspectum adimebat, resederat. Affuêre quidem, sed post tempus fermè ij qui Lituanos à dextro cornu pulsos longiùs persecuti erant. Et ni confusi jam fuissent suorum ordines, restituissent procul dubio pugnam. Verùm ij quoq; & fatigati & suorum perturbatione consternati, & sine ordinibus inuecti, non diu Polonorum impetum sustinuêre. Erat extremum agmen Crucigerorum sub sexdecim signis, quod nondum prælij fortunam tentauerat, in quo Magister & primores Crucigerorum erant. Id ubi suorum fortunam cognouit circumduci cœptum, ut ab latere Polonos inuaderet. Fortè in ea parte Rex cum globo suo & minore vexillo constiterat, euentum pugnæ expectans: ratusq; in se aciem illam dirigi, Sbigneum Olessnicium scribam in aciem ad suos misit, ut cohortes aliquot subsidiarias inde sibi adduceret. Sed is rejectus à Nicolao Kelbassa gente Nalencio, negante id fieri commodè posse, ne speciem fugientium exhiberent: & hostibus perculsis quidem, sed non devictis terga objcerent: retulit, nullum in acie cujusquam imperium exaudiri. Ibi Rex cùm experiri nihilominus fortunam prælij cuperet, retentus est ab his, quorum fidei à toto exercitu commendatus erat: & vexillum minus, ne ex eo ibi esse agnosceretur, occultatum. Interim Lusacius quidam Dipoldus Kikericius, miles strenuus, totum corpus armis tectus, ex hostili acie procurrens, Regem, & ipsum armis insignem infestâ hastâ petere videbatur. In eum & Rex vicissim hastam direxerat. Sed Sbigneus Olessnicius inermis cum semifracta hasta præcurrens, ut vel suo periculo Regium periculum auerteret, ab latere vibratâ hastâ de equo Dipoldum dejecit: dejectum Rex hastâ in frontem, revoluta casu casside apertam ferire satis habuit. Sed Regij satellites eum interfecerunt. Præclarum & memorabile nobilis Adolescentis facinus; quod Rex posteà magnis donis & Episcopatu Cracouiensi remuneratus est, cùm ille sacris initiari cogitans, baltheum militarem abnuisset. Jam Poloni totam hostilem aciem, seu quæ in initio contra se constiterat, seu quæ actis in fugam Lituanis posteriùs accesserat, ingenti strage fractam profligarant, cùm illum fortè cuneum sub sexdecim signis procul aspexêre: & primùm quidem Lituanos esse è fuga reuersos credidêre: deinde cùm error Dobeslai Olessnicij operâ & audaciâ discussus esset, signa in eum cuneum à nostris illata sunt: & auctus erat is accessione non modica eorum qui è profligata acie fugâ eò dilati erant. Sed eadem ibi fortuna fuit, victi hostes non maximo negotio: Cæsis enim primoribus, inter quos ipse Magister, dum in monticum currit, ac faciem operit, visurus quid cum suis agatur, à Baygardo Tartarorum Ductore, hastâ per os & collum transfixus (quem tamen Ductor non agnouit) deijcitur: facilè reliqua multitudo, cùm nihil jam spei opisq; usquam cerneret, in fugam acta est. Fugientium terga Poloni prementes, eodem impetu castra junctis carris atq; curribus munita ceperunt: & plurimos ibi mortales, irâ nihil pensi faciente contrucidarunt: ita ut inde torrens sanguinis longiùs profluxisse memoretur. Sed reuera vinum id fuit, sanguine cæsorum tinctum. Nam cùm Poloni captis castris ad prædam versi essent, & magnam vini copiam, ut in opulentis ac delicatis castris, reperissent, auidiùs eo se, ut qui æstu ac labore diuturno & vulneribus confecti impensè sitirent, ingurgitare cœperant. Quare, ne à continuanda victoria retraherentur, neu

Crucigerorum cædes.

Vinum mixtum sanguine.

immoderatiore potatione morbum contraherent, diffectis Regiò iuffu vafis, vinum inter cæforum corpora profluens, fpeciem fanguinis præbuit. Neq; verò longiore fugâ multi hoftium euasêre. Nam fugientes quoquo verfus Poloni perfecuti ad aliquot milliaria partim cæciderunt, partim captiuos abegerunt. Quodam autem loco paluftri, aliquot turmæ latitantes, armorum fplendore proditæ, abiectis armis pecudum in morem Polonis præ fe agentibus, in caftra compulfæ funt, paucis qui primùm refiftere aufi erant, interfectis. Cæfa feruntur hoftium ea die quinquaginta millia, in quibus Magifter & Commendatores, paucis exceptis, fuêre: atq; inter ipos viginti millia ex Ciuibus, Rufticis, & Vafallis Pruffiæ: capta ad quadraginta millia: figna militaria relata vnum & quinquaginta. Nec id mirum cuiquam videri debet: nam ad centum quadraginta millia fuiffe, authores habeo. Et fanè omnis ferè Germania tunc authoribus Crucigeris in exitium Polonorum confpiraverat. Silefiorum item & Slauorum, qui ad Oceanum Germanicum accolunt, Duces, in confanguineorum ac progenitorum fuorum perniciem deuoti, armis Crucigeros, virisq; iuuerunt. Ex his Conradus albus Oliffnicienfis & Cafimirus Scenicenfis, qui foli per fe ipfi cum auxilijs affuerant, viui capti: multi item alij infignes & illuftres viri, caftra opulenta direpta. Ibi magna vis tædarum ad incendia Poloniæ, magna catenarum ad vinciendos Polonos comparatarum, malo dominorum fuorum reperta. Uldarici Magiftri torquem cum Cruce aurea gemmis pretiofis diftincta Mfciugus Scrinnius ad Regem attulit, à gregario milite fuo, qui eum interfecit, detractum. Fertur autem à multis, ex utroq; exercitu per omne tempus prælij, confpectus effe in aëre vir venerandus, Pontificali habitu, dimicantes Polonos confirmans, hoftibus verò terrorem incutiens. Atq; is Diuus Stanislaus Epifcopus Cracouienfis fuiffe exiftimatur. Quin & ea nocte, quæ prælium hoc præceffit, oftentum in cælo circa Lunam, euentum prælij portendens, multis teftibus apparuiffe memorant. Monachum enim cum Rege aliquamdiu depugnaffe, & ad extremum Monachum victum, ac cælo deturbatum effe. Nec fanè nouum & inufitatum eft, futuros maximarum rerum euentus oftentis & prodigijs quibufdam, fiue cœleftium conuerfionum efficientia, fiue fanctiffimarum mentium, quos Angelos vocamus, fiue impurorum Dæmonum, caliginofum hunc aërem ac terræ vicinum incolentium minifterio, non fine diuino tamen nutu, editis fignificari. Et affuit fanè Polonis non obfcurè diuinum Numen in eo prælio. Nam præter Tartarorum, Rufforum, Lituanorum ftragem, quæ non parua fuit, de nobilioribus Polonis perpauci cecidêre. Nonnihil fortaffe momenti ad victoriam Polonis, & Boëmi Morauiq; mercenarij, fed imprudentes attulere. Nam ij cum vno vexillo, cuius fignifer fuit Ioannes Zarnouius Boëmus, fiue metu, fiue auro Crucigerorum corrupti, fub initium pugnæ fecefferant. Confpicatus autem eos in filua Nicolaus Tramba procancellarius, cùm ex acie iuffu Regis in caftra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos, & grauiter obiurgatos, in aciem redire compulit, in Ductorem fuum Zarnouium culpam omnem referentes. Qui quidem ita deinceps infamis fuit ac defperatus ob id factum, vt ne vxor quidem conjugali thoro eum dignaretur. Hi ergò reuertentes in aciem, fpeciem noui exercitus hoftibus præbuére, terroremq; addidêre. Dum

autem

autem Poloni post victoriam pertinacius hostes fugientes persequuntur, Rex cum impedimentis subsecutus, haud longè à loco prælij versus Marieburgum fixit tentoria, & ad vesperam suos cum spolijs & magna captiuorum multitudine reuertentes, ingenti cum lætitia in castra recepit. Ibi defessa totius diei labore, æstu & inediâ corpora, cibo potuq; ac deinde somno curata sunt. Quo quidem factum est, vt complures saucij in loco certaminis neglecti, nocturni cæli & pluuia per noctis intemperiem afflicti extinguerentur. Insequenti die sacris in primis Deo solemni pompa peragendis, hymnisque iussu Regis vacatum est. Hinc cæsorum funeribus cura impensa: collectaq; Magistri Vldarici & Principum Crucigerorum (inter quos Comes Vendensis erat, qui ita vt prædixerat fortissimè dimicans occubuerat) corpora, & curribus imposita Marieburgum transmissa sunt à Rege, mortem hostium simul & humanarum rerum vicissitudinem pijs suspirijs & lachrymis prosequente. Relata deinde ad Regem capta signa, & captiui omnes exhibiti, ac secundum nationes distincti atq; descripti. Ac cæteri quidem omnes sponsione militari, vt se ad diem S. Martini Cracouiæ sisterent, à Sbigneo Marsalco & Petro Saffranecio Succamerario Cracouiensi obligati, iussu Regis domos dimissi sunt, dato etiam pro cuiusuis conditione viatico. Casimirus verò Scecinensium & Conradus Olessnicensium Duces, Christophorus Kersdorfius Silesius, Venceslaus Dunius Bòëmus, & quicunque erant de Crucigerorum Ordine, in Poloniam missi, per arces asseruandi distributi sunt. De duobus modò, Marquardo Salisbachio Commendatore Brandeburgensi, & Sumbergio nequicquam deprecante Rege, à Vitoudo sumptum supplicium: quòd ij in colloquio quodam propè Caunam, matri eius probrum obiecissent, & tunc captiui nihil de fastu suo diminuissent.



LIBER IV. HISTORIÆ PRVSSICÆ.



Imiſſi autem in Poloniam Veredarij, cum nuncio victoriæ, & literis ad Archiepiſcopum, Epiſcopos, ac Præſides Academiæ, & ad Senatum Cracouienſem à Rege ſcriptis, celeriter cunctam Poloniam immensâ lætitiâ repleuêre. Quamobrem ſolennes ſupplicationes in omnibus templis habitæ, diesq; iduum Iulij Menſis tàm inſigni victoria memorabilis, quo dimiſſio ſiue Diuiſio Apoſtolorum Chriſti repræſentatur, inter feſtos relatus. Amiſſæ verò victoriæ Crucigerorum, & quòd Magiſter cæſus eſſet, Marieburgi, primus nuncius fuit F. Hermelaus. Quod ei non ſucceſſit fœliciter: quamuis bono fine eam cladem nunciauerit, vt ſcilicet Henricus Vicegerens ſibi & reliquis provideret. Nam is curauit nuncium talem incarcerari decollandum. Qui tamen à quibusdam dimiſſus, evaſit. Loco verò eius caput equi, in quo venit, abſciſſum eſt, & in terrorem aliorum portæ affixum. Nam conjurarant Crucigeri ad bellum euntes, hoc ei euenturum qui ſine Magiſtro rediiſſet. Triduò verò in ijsdem ſtatiuis Poloni mansêre, non optimo conſilio & contra ſententiam eorum qui magnum in re militari vſum habebant: quibus placebat, continuari curſum victoriæ, neq; vllum recolligendi ſeſe ſpatium dari hoſtibus. Si mox ad Marieburgum eatur aut pars modò exercitûs integrior præmittatur, paruo negotio arcem eam capi poſſe. Eâ verò captâ, omnes Crucigerorum munitiones in poteſtatem Regis & Polonorum venturas eſſe. Et ſanè ita eveniſſet: perpauci enim eam arcem aſſervabant, atq; ijs victis, & ad internecionem cæſis, ſuis, inopes animi & conſilij, partim de deferenda arce, partim de deditione cogitabant: donec tertio die Henrici Plauenij Suecenſis Commendatoris, qui ad Præſidium eius oræ relictus, prælio non interfuerat, aduentu confirmati ſunt. Adduxit autem is quinq; millia hominum ex omni vicinia collecta. Porrò legati Sigiſmundi Regis, cum de clade Crucigerorum & nece Magiſtri Marieburgi cognouiſſent, acceptis Gedani reliquis viginti millibus, ad Regem ſuum reverſi ſunt. Acceperant Poloni, qui ad præſidium oræ Pomeranis finitimæ, cum Mathia Vanſoſſio, gente Toporo, Palatino Calliſſienſi, & Præfecto Naclenſi, relicti à Rege erant, nonnihil incommodi à Michaële Cochmeiſtro, Aduocato nouæ Marchiæ tertio die ante Gruneualdenſe prælium, cùm in hoſticum populabundi excurriſſent: eiusq; rei culpâ in præfecto hæſit, qui Polonis acriter cum hoſte obuio dimicantibus, primus fugam inijt: ſed percommodè accidit, quòd de ea clade poſt victoriam demùm in caſtris Regijs cognitum eſt. Debilitaſſet enim procul dubio Polonorum animos, ſi ante conflictum nunciata eſſet. Mouit deinde caſtra Rex: & cùm oppida quædam cum arcibus, nempe Hoenſteinium, Morangum, Preuſmarcum, Zargonum in deditionem accepiſſet, repertamq; copioſam ſupellectilem Crucigerorum in milites diſtribuiſſet, ſeptimis demum caſtris Marieburgum peruenit, & poſtridiè oppidum expugnauit, parumq; abfuit, quin eodem impetu, arcem quoq; caperet, Polonis refugientium è capto oppido terga prementibus. Quoniam autem

tem arx amplo & spatioso ambitu est, veriti hostes, ne si undiq; ea eodem tempore oppugnaretur, deducti & rarefacti pauci sufficere defensioni non possent, pontem quo Nogat9, qui Vistulæ pars est, jungebatur, exusserunt, vt ab ea duntaxat parte, qua flumen arcem alluit, securi essent. Arx deinde distributo in terna castra exercitu, obsideri à Polonis cœpta: quorum vna Poloni in superiore parte, altera Lituani in inferiore, tertia verò inter vtrosq; interiecti, ad meridiem Russi & Podolij obtinebant: bombardisq; distributis & nonnullis in templo oppidi alijs in ea parte, vbi pons fuerat, trans flumen collocatis, vtrinq; quassata mœnia. Dum hæc ita apud Marieburgum geruntur, pleraq; omnis nobilitas Prussica, Culmensis, & Pomeranica, cum quatuor Episcopis Culmensi, Varmiensi, Pomesaniensi & Sambiensi vltrò in potestatem Regis venit: arces quoq; & oppida in deditionem accepta, inprimis Gedanum, Elbinga, Torunium, Chelmum siue Culma, Regiomontum, Suece, Meua, Tisciouum siue Dersauia, Nouum, Brodnicia, Brandeburgum, Copriuunum siue Engelsberga, Grabinum, Venceslaum, Golubum, Graudentum, Allenburgum, Osterroda, Neideburgum, Couale, Hamersteinum, Bythouia, Lemburgum, Holandia, Piscaria, Rogosnum, Stuma, & Taucholia. Sed Elbingensium maximè studium in Polonos enituit: qui Vernerum Tetingerum commendatorem suum, hominem dictis quàm factis ferociorem ex arce, quo se ex prælio Grunevaldensi turpi fuga receperat, eiecerunt, arcemq; Regi dediderunt. Eam verò Rex Ioannis Tarnouij Palatini Cracouiensis fidei commendauit: repertaq; ibi centum vasa partim aurea partim argentea & bona fide ab eo missa accepit. Nobilitatem verò omnem & oppidanos, cùm in verba sua iurassent, suo sibi iure, vtrumq; ordinem viuere permisit. Ex his verò arcibus atq; oppidis, Regiomontum & Hollandiam Vitoudo Duci; Osterrodum & Neudeburgum Ioanni, Soldauiam & Scythnum Ziemouito Masouiorum Ducibus: Bythouiam verò ac Hamersteinum, itemq; Sipelbeinum, Fridelandiam & Balgenburgum ac dimidium Sclochouiæ Bogusláo Stolpensium Duci concessit. Coniunxerat quidem se Boguslaus hic anno superiori cum Crucigeris prioris pacti cum Rege oblitus: verùm pari leuitate ijs desertis, post pugnam Grunevaldensem ad Regem in castra venit, & in fide atq; Clientela eius Polonorumq; se fore deinceps suisq; impendijs contra Crucigeros & quemuis alium hostem intra fines majoris Poloniæ, extra verò Regis stipendijs perinde atq; alij clientes militaturum esse, solenni jureiurando interposito, consignatoq; diplomate promisit. Vngaros modò excipiens, quatenus ij ab æquis conditionibus pacis abhorrerent. Ac de his omnibus etiam subditi ipsius Pomerani, pro ipso fideiusserunt Regi. His igitur legibus addixit ei Rex ea, quæ modò enumerauimus. Quin & Casimirum fratris eius filium dimisit, cùm ipse Boguslaus cum suis, eiusq; subditis de sistendo eo, quo Rex iuberet, fideiussisset. Cæteras verò arces inter proceres & Equites Polonos, ne quidem Boëmis prætetitis, pro meritis cuiusq; distribuit. Ciuitati verò Gedanensi dimidium omnium emolumentorum molæ farinariæ, agrumq; vnius milliarij spatio circum vrbem (exceptis Ecclesiasticis, & priuatorum hominum proprijs bonis & pratis ad arcem spectantibus) aliasq; item certas villas, & liberam in mari piscationem per duo milliaria in parte Orientali portûs; denique parœciæ primariæ scholæq; & Campanaturarum, vt vocant, conferendarum jus donauit. Reliquæ erant arces Radinensis, Gedanensis, Plochouia, Suecensis, Brandeburgensis, Balga, Ragneta, & Troipeda siue Meme-

la,

la, quæ hostium præsidijs tenebantur. Ex his Gedanensis, ne quid aduersi à Polonis pateretur pacto de deditione cùm primùm Marieburgo Rex potitus esset, facienda sese liberauit. Dum autem continuatur Marieburgi obsidio, quadam die obsessi cùm negligentiùs stationes à Polonis seruari animaduertissent, cum impetu erupêre: sed mox concurrenttibus Polonis non sine strage in arcem compulsi sunt, quos Poloni temerè prouecti, vsq; ad murum arcis persecuti sunt. Erat is ab ea parte ictu bombardarum labefactus: itaq; facilè eum hostes in Polonos incautiùs succedentes impulerunt, eaq; ruinâ non paucos oppresserunt. Fuerunt in ea statione ij qui sub Dobeslai Olesnicij, Cmithæ Visuicij & Gryphium vexillis militabant. Petijt deinde & impetrauit Henricus Plauenius à Rege colloquium: adueniensq; in castra cum fratre & paucis Boëmis atq; Silesijs supplicis habitu: ita apud Regem verba fecisse perhibetur.

Deuicti abs te, Rex maxime, grauissimo bello & ad extremum ferè deleti, nihil est, quod vel tua victricia arma incusemus, vel fortunæ succenseamus. Penes nos ipsos, hujus cladis atq; omnium malorum, quæ cumulatè nunc in nos inundârunt, culpa est. Nos iniustè tua appetiuimus atq; diuexauimus: nos stultè mansuetudinem tuam contempsimus: nos deniq; te grauiter læsum, & tamen æquissimas pacis leges ferentem, superbè aspernati sumus. Itaq; iustâ diuini numinis vindictâ abs te tuoq; inuicto exercitu perculsi & afflicti sumus, sed jam satis abundè pœnarum tibi, Deoq; ultori dedimus, nonmodò exercitibus nostris ad internecionem deletis, verùm etiam Ducibus & authoribus horum malorum extinctis. Jam agnito errore & culpâ nostrâ exiguæ miserorum Crucigerorum reliquiæ ad tuam Clementiam confugimus, ne ad extremum nos excindas. Eiusdem est virtutis, Rex inclyte, parcere subiectis & debellare superbos. Nouimus te Christianum Principem esse, & clementiæ magis atq; bonitatis quàm fortitudinis laudem expetere. Quanquam quæ fortitudinis laus esse potest, si prostratos atq; iacentes proteras? Ne leones quidem atq; vrsi id facere dicuntur. Quid tibi seu commodi seu voluptatis nostrum afferet excidium? Multa fateor in te tuosq; Lituanos atq; Polonos peccauimus. Verùm quò major est culpa nostra, hoc illustrior erit clementia tua. Neq; nos tamen tibi omnem victoriæ fructum eripimus, neq; incolumitatem impudenter petimus, Pomeraniam, Culmensem & Michalouiensem tractum, & si quid aliud de Polonis siue bello siue qua alia ratione quæsiuimus, & usurpauimus, tibi ut habeas, per nos licebit. Prussiam modò, quàm olim nostri majores dum Masouiam atq; Poloniam, illo præmio inuitati defendunt, iustis armis & sanguine suo barbaris eripuêre, nobis concedas, per salutarem Christi IEsu mortem & sanctissimæ Matris ejus Mariæ nomen, sub cujus signis militamus, petimus & obsecramus. Maiori tibi tuisq; Polonis & Lituanis usui posthac fuerimus, in extremo illo terræ angulo relicti,

licti, quam ex his sedibus nostris penitus eiecti & exterminati.

Variè hæc oratio Plauenij à consilio Regio excepta est. Flexerat enim nonnullos ad misericordiam, humanitatis atq; religionis intuitû & ipsa æquitate conditionum atq; postulatorum, perpendentes secum fortunæ inconstantiam, & rerum humanarum varietatem. Alij verò secundis rebus elati, præsentisq; fortunæ cursum proprium ac perpetuum sibi pollicentes, præsertim quod innata genti Teutonicæ siue magnitudo animi, siue superbia verisimile faciebat, nonnisi ab extrema desperatione tam demissam atq; supplicem orationem profectam esse, incumbendum esse periculis extirpandumq; penitus ex illis oris germen improbum & insatiabile: ne, quæ tunc necessitate concederet, mox resumptis viribus per vim atq; fraudem vsitatam repeteret. Et videbatur Marieburgum, vbi tunc summa rerum erat, diuturnam obsidionem tolerare non posse. Vicitq; hæc in Senatu sententia: in quam Sbigneus Brezius Marsalcus Plauenio respondere à Rege iussus: accipere eum, à victore conditiones pacis non dono afferre debuisse, dixit: aut si afferret, non ea sanè victoribus eum concedere oportere, quæ ipsorum & olim fuissent & nunc denuò jure belli atq; deditione facta essent. Marieburgum potiùs & quæ alia in potestate sua haberet, dederet, ac tunc demùm Clementiam victoris imploraret. Offensus hoc responso Plauenius, cum aliud instanti non redderetur: At ego, inquit, æquissimas vobis & ultrò expetendas conditiones attulisse me arbitrabar: sed quando aliter vobis & Regi vestro videtur, Marieburgum cæterasq; munitiones, quas adhuc retinemus Crucigeri priùs quàm ego dedam extrema quæq; experiar, & respiciet iam nos, vti spero deinceps magis propitius Deus, quandoquidem iram & offensionem eius ruptione fœderis & superbiâ nostrâ contractam, partim supplicijs nostris & mortibus eorum, qui in hoc bello ceciderunt, partim tam demissâ & supplici hac petitione nostra satis, vt opinor, expiauimus. Et cum his dictis multa Deum omnium arbitrum & inspectorem testatus, in arcem se recepit. Neq; irritæ fortassis eæ Plauenij preces Deo acciderunt. Nam ex eo tempore minùs prosperè Polonis res esse, retroq; labi cepêre. Paucis diebus, quibus hæc acta sunt, statio Velunensium pulsa, bombardæ deiectæ, & alia quædam parua incommoda accepta.

Plauenius offensus responso Sbignei.

Nec multò pòst Hermannus Liuoniensium Crucigerorum Magister, clàm cum quingentis militibus in Prussiam aduenit, occasionem benè gerendæ rei captans: qua quidam non difficulter per fraudem potitus est. Nam ut Rex de eius aduentu cognouit, Vitoudum cum suis, & cum duodecim vexillis Polonorum contra eum misit. In quem cùm Vitoudus apud Passariam amnem ultra Hollandiam oppidum impetum facere vellet, ille ab armis ad dolos conuersus, colloquio Vitoudi secretò impetrato, persuasit ei vt suam potiùs quàm Polonorum rem ageret, ac Samogitiam Sudorumq; oras pactis secum & cum Crucigeris ineudis sibi pacaret & stabiliret. Itaq; eo authore Hermannus cætera manu apud Balgam & Brandeburgum relicta, cum quinquaginta equitibus ad Regem in castra, atq; inde permittente Rege in arcem obsessam quasi sequester deditionis vel arbiter pacis peruenit, Plauenium & obsessos confirmauit, cùm eos de voluntate Vitoudi certiores fecisset: ac de ratione prosequendi, si opus sit, belli & amissa recuperandi cum eis constituisset. Quibus peractis, pace infecta discessit. Indè iam auctus animo Plauenius, nullam facere pacis mentionem: à nostris verò factam ita accipere, ut quas ipse priùs conditiones tulerat, abnueret. Vitoudus verò & ipse missionem à Rege flagitabat, eumq; ad soluendam

obsidi-

obsidionem cœptam, inducebat. Verùm hoc tamen non persuasit; illud tamen partim precibus, partim odio, multa causificando, post Natalem demùm Sanctissimæ Mariæ impetrauit. Mox & Masouiorum Duces indulgente Rege discessêre. Interim dum hæc ita fiunt, paræcus Gedanensis, senex admodùm, quasi molestias obsidionis diutiùs tolerare non posset, ex arce Marieburgensi Polonis permittentibus, & nihil fraudis subesse suspicantibus, ætatiq; & Sacerdotio honorem habentibus, excessit, & inter supellectilem suam triginta millia aureorum nummûm duplicium siue nobilium, ut vulgò vocantur, ab Henrico Plauenio accepta secum exportauit, & Gedanensi, Slochouiensi, & Succensi Commendatoribus, vt ij mercenarium militem inde conducerent, distribuit. Sed lentius id erat, quàm vt sustineri posset tamdiu obsidio: quæ difficilis atq; molesta esse Boëmis mercenarijs, propter frumenti penuriam dysenteriâ vulgò afflictis incipiebat. Itaq; illi priuato consilio per Joannem Socolum Boëmum & ipsum in castris Regijs militantem, de arce dedenda cum Rege constituebant, incolumitatem & quadraginta millia florenorum pacti. Sed re ad Senatum relata, turpe visum Polonis auro & proditione hostilium munitionum potiri, victores dudum & ferrum in manibus habentes. Ita reiecti Boëmi. Falso deinde rumore in castris Regijs percrebuit, Sigismundum Cæsarem cum valido exercitu in Poloniam inuasisse: quo commoti Poloni missionem à Rege flagitabant. Et suadebant id Regi complures Proceres, inprimis autem Andreas Tencinius Castellanus Voiniciensis non ferens pulchræ & iuuenculæ vxoris quemadmodùm Dlugossus memorat, desiderium. At verò primores nobilitatis, Ciuitatumq; Prussicarum & Pomeranicarum, quæ post victoriam Gruneualdensem ad Regem defecerant, sedulò dissuadebant, ac ne præcipuum illius victoriæ fructum Marieburgi expugnationem omitteret, orabant. Ni faceret, omnia mox rursùs Crucigerorum fore, quæ in potestatem eius dudum venissent: excusantiq; Regi defectum pecuniæ in stipendium, suadebant, vt tributum sibi imperaret. Cùm ille in nouo imperio, nouis dedititiis oneri esse nollet, fuère qui suaderent, vt arces atq; oppida earum regionum mercenarijs militibus debiti stipendij nomine pignori daret. Ne id quidem probauit, veritus ne milites illi ciuibus graues essent: neu qua siue ab his, siue ab illis proditio fieret. Durante verò adhuc obsidione res instar miraculi accidit, quod huc adscribere volui.

Miraculum B. V. imaginis. Conradus Iuningus prædecessor Uldarici statuerat in fenestra muri Capellæ arcis Marieburgensis ab extra effigiem Beatæ Virginis Mariæ ex ære fusam, in igne deauratam, vlnarum duodecim altam. Ductor Tartarorum ad hanc collimarat, & exonerarat bombardam. Instructus enim erat falsò à Rectore Regio tormentorum, quod si ad hanc Imaginem collimaret, assecuturum se singulis diebus tres ictus certos. Sed ita edoctus Tartarorum Ductor cùm emisisset tormentum, cæcutijt. Irridebat eum instructor & iteratò oneratam bombardam explosit ad Imaginem. Sed disrupta, Tartarorum Ducem, & alios plurimos ex spectatoribus enecauit. Ob cujus necem Tartari irati, instructorem Polonum frameis dissecuerunt. Scribitur hic fuisse, qui Magistrum Vldaricum in prælio Tanebrico de equo hasta deiecisset. Contigit quoq; quod sequitur in eadem obsidione.

Habebant Cruciferi in arce Marieburgi famulum, cui multum ob generis claritatem fidebant: reuera tamen eorum interitum, ob conceptum quoddam odium in eos, omnibus modis quærebat. Jagello etiam fouebat Germanum quendam Magistrum tormentorum, oriundum

Tznaim

Tznaim Morauum. Ille in hujus familiaritatem se insinuauerat, quòd coniunctus esset eis, qui ad Regem legationis officio ad castra ex arce mittebantur. Iam igitur famulus ille videns se occasionem nactum, qua proderet Crucigeros: exposuit Magistro, quo in loco considere solerent Crucigeri, quoq; ordine. Esse in illo loco præterea unam columnam quæ totum fornicem sustineret, qua deiecta columna opprimerentur Crucigeri in consultatione. Promisit quoq; proditor se in fenestra rubrum pileum positurum, quo columna illa indicaretur: collimaret illuc se sua spe non frustratum iri. Itaq; repudiatis salutaribus consiliis, quorum author præcipuus erat Nicolaus Tramba Procancellarius, non modò verbis, sed etiam lacrymis suadens, nequaquam cœpto desistendum esse, ad tertium decimum Calendas Octobris incensis statiuis & mediocri aulicorum Comitum præsidio cum Andrea Brochocio Stumæ, ad infestandam oram Marieburgensem relicto, ab obsidione discessum est. Jucundum id fuit spectaculum obsessis, qui eo jam inopiæ redacti fuerant, vt vix pauculos dies Henricus Plauenius ab eis impetrauerit, ne sese, arcemq; Regi dederent, quod diceret, exploratum se habere soluturos esse obsidionem Polonos. Ni facerent ante quintum decimum diem, tunc demùm milites arbitratu suo arcem dederent. Quo minùs autem lætus discessus ille discedentibus Polonis esset, non maxima res effecit: nempè quod equus Regius, qui dudum alacriter hinniens, terramq; scalpens vngulâ adstiterat, dum Rex eum abiturus conscendit, subitò exanimatus concidit. Quæ res mali ominis vulgò est habita. Discedens autem Rex, Radinum arcem permunitam, in qua obsidenda & expugnanda pars exercitûs à prælio Grunenaldensi frustra tempus triuerat, in deditionem accepit: cùm iam eam milites facto impetu portaq; effracta ferè cepissent. Quindecim ibi insignes reperti, & in Poloniam captiui abducti sunt. Reliqua multitudo nihil aduersi passa. Arx Joannis Socoll Böëmi fidei commendata. Eoq; mox Torunij, quo Regem secutus erat, veneno à Ciue quodam Torunensi extincto, Dobeslao Puchalæ & Alberto Malscio pariter Rex curam eius mandauit. Socoli verò paruos filios propter merita patris honestè & liberaliter educari Cracouiæ iussit. Cùm sic arx Marieburgensis obsidione soluta esset & tutum iter commeandi Crucigeri comperissent, de eligendo Magistro cogitationem suscepêre. Supererant tantùm tres ex præcipuis, scilicet Henricus Reus Marsalcus, alter Henricus Reus commendator Gedanensis, & Michaël Cuchmeister: ex quibus vnus in Magistrum assumendus erat. Alij inferiores electionem Magistri his commendarant. Rursus Commendator Gedanensis & Michaël Cuchmeister eam Marsalco commiserunt, ita vt quem ille per veli impositionem in conscientia elegisset, eum illi gratum & ratum haberent. Manè in conuentu post diuina in Ecclesia peracta interrogauit Marsalcus præsentes, num constent in hesterna compromissione de electione Magistri? Quibus annuentibus, velum de altari sumptum sibi imposuit, veniam ab eis deprecans, ne hujus causâ offendantur. Nam cùm ipsi imposita fuerit prouincia eligendi Magistrum ex conscientia, nesciatq; quo animo alij erga Ordinem affecti sint, se verò sincerè affectum esse scire: ideò seipsum eligere. Obstupefacti illi, contuebantur sese. Sed cùm nihil contra afferre possent, porrecta manu eum Magistrum salutarunt. Neq; enim iam locus inter se altercandi erat. Non cessabat interim Henricus Magister, sed undiq; contrahebat exercitum, acceptis mutuò in stipendium centum millibus florenorum à Ciuitate Gedanensi, quæ iam rursus in fidem Crucigerorum inclinarat: totidemq; & insuper quinde-

Nicolaus Tramba.

Obsidio Marieburgensis soluitur.

cim millibus à Venceslao Rege Boëmorum, cùm ei bona Chomentouiensia, quæ adhuc Ordo Crucigerorum in Boëmia habebat, hypothecæ nomine tradidisset. Et quæ prima manus è vicinioribus oris conuenerat, eâ Michaële Cochmeistro aduocato nouæ Marchiæ Duce, Taucholiam arcem obsedit. Nam oppidani primo aduentu hostium, deditionem fecerunt. Nessouiæ tunc Rex erat, cùm hæc ad eum perlata sunt. Neq; is expendebat, quomodo cùm his, tum alijs suis, qui similem fortunam ab hostibus expectabant, succurreret, vastationemq; ditionis suæ prohiberet. Centum modò vel paulò plures hastatos de aulico suo comitatu & ipsos necessariam missionem flagitantes, precibus promissisq; adduxit, vt cum suis quisq; ministris, quibus merebat, Taucholiam præsidij causâ proficisceretur: quibus Petrus Miezuuecius, præfectus est. Opportunè autem Sendiuoius Ostrorogius Palatinus Posnaniensis, & Dobrogostius Samotulcus Castellanus cum suis cohortibus & nonnullis maioribus Polonis, & Martinus Labissinius Palatinus Brestensis cum his sese coniunxêre. Atq; hæc manus omnis, seu quòd aditu Taucholia interclusa esset, seu qua alia de causa Coronouiæ (quod oppidum neq; arte, neq; naturâ munitum) haud longè abest à Taucholia, substitit. Cuiauiensem verò atq; Dobrinensem nobilitatem Rex Brodniciæ, Breste, Ripini, & Nacli in præsidijs esse iussit, ad tuendas eas munitiones arcendasq; hostium excursiones. Ipse Inouladislauiæ cum exiguo comitatu mansit, & quidem damnans consilium suum de soluta obsidione Marieburgi dimissoq; exercitu, cùm alia super alia aduersa ipsi renunciarentur. Nam & Osterroda, Neudeburgum & Soldauia arces per eos dies ab hostibus receptæ sunt: & Stanislaus Charbinouius cùm de præsidio Coronouiensi decessisset, adueniens perterruerat Regem, quòd diceret, præsidium esse in magno periculo. Erant enim in propinquo iam satis magnæ vires hostium cum Michaële Cochmeistro. Atq; ij quidem, vt de aduentu & paucitate Polonorum cognouerunt, paucis ad obsidionem Taucholiæ relictis, raptim tanquam ad certam prædam Coronouiam contenderunt, vt Polonos nec opinantes opprimerent. Et sanè aspirare initio conatibus eorum fortuna visa; tamen non ad extremum usq; respondit. Etenim cùm exploratores Polonos incautiùs progressos excepissent, & ex his, callidè & constanter omnia minuentibus, exiguam modò promiscuæ & imperitæ multitudinis manum Coronouiæ coaceruatam esse didicissent, contemptim turbatisq; ordinibus ex equis delapsi, latrocinantium in morem impetum fecerunt in oppidum. Poloni vbi adesse hostem sensêre (& forte tunc prandebant) tumultuariè correptis animis ad monasteriũ in crepidine montis supra Berdam amnem situm, intrepide sese recollegêre, celeriterq; aciem instruxêre. Quod cùm præter expectationem hostibus accidisset, curriculo ij sese ad equos suos recepêre, atq; his conscensis retrocessêre: idq; siue re inopinata perculsi, siue certo consilio, vt equites Polonos à peditum auxilio longiùs abducerent. Nec sanè impigrè Poloni pugnæ auidi, redeuntibus institêre, audaciùs adequitando, iaculando & cominus etiam feriendo, remorantes agmen donec pedites consequerentur. Ubi ad Lanseum, qui pagus Monachorum Coronouiensium est, vno ab oppido milliario, non sine multis hostium vulneribus peruentum est, substitêre Teutones in collo quodam editiori & ordines instruxêre. Ne Poloni quidem pugnandi moram fecêre. Erant enim vtrinq; milites & numero & virtute & scientia rei militaris ferè pares. Sed erat ascensus ad hostem ab ea parte qua Poloni constiterant, arduus atq; difficilis. Itaq; ne simul cum hoste &
cum

cum iniquitate loci dimicarent, circumuecti, leniori & accliuiori ascen-
su aciem aduersus collem erexerunt. Prius verò quàm signa cane-
rent. Conradus Nemcius Silesius de cohorte Regis Sigismundi ex ho-
stili agmine eques in medium procurrit, aliquem de Polonis ad singu-
lare certamen prouocans. Incunctanter se ipsi Ioannes Scycius, gen-
te Doliuius obtulit. Concursum infestis hastis: victus atq; captus à
Polono Silesius, non leue de euentu vniuersi præl j omen atq; præ-
iudicium suis vterq; attulit. Confestimq; sublato vtrinq; clamore si-
gna collata. Aliquandiu pugna dubia fuit, nemine ex eo loco, quo
primùm constiterat, referente pedem. Itaq; defatigatis militibus quasi
ex composito pugna vtrinq; intermissa, diuersi paulùm retrocedunt,
saucios summouent, vulnera alligant, commutant captiuos, sudorem
sibi equisq; otiosè abstergunt. Quin & pocula inter se misisse memo-
rantur, ita vt colludentium, non infestis odijs concurrentium agmina
videri potuerint. Vbi aliquantisper respiratum est, signo dato redin-
tegrant prælium, non minore quàm priùs pertinacia. Vulnerantur &
cadunt vtrinq; multi: nec tamen in alterutram partem inclinat victo-
ria. Rursus ergò consensu quodam mutuò cessatur & respiratur. Re-
focillatisq; sicut priùs viribus tertiò concurritur obstinatis vtrinq; vel
ad vincendum vel ad moriendum animis. Ibi Ioannes Ostrouicius,
cognomento Nassianus, gente Toporus, adacto equo, vexilliferum
hostilem obtruncat: vexillumq;, quo vno totus eorum exercitus (iti-
dem atq; Polonicus) vtebatur, abripit. Quare tandem hostium acies
perturbari, ac deteriore loco esse cœpit. Institêre Poloni acriùs tre-
pidantibus: ibi verò illi metu pudorem superante, auersi fugam capes-
sunt. Premunt fugientium terga Poloni. Nox tandem persequendi fi-
nem fecit. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad duò millia: capto-
rum numerus non memoratur: non exiguus tamen esse potuit. Insi-
gnior hæc victoria superiore illa Grunewaldensi habita est, propterea
quòd majore contentione & labore parta est: & quòd ita eâ vires at-
que animi Crucigerorum fracti sunt, vt per multos annos posteà nun-
quam auderent rem uniuersæ dimicationi committere. Parta est au-
tem decima die Octobris. Sequenti die spolia à Polonis lecta humati-
que qui ceciderant. Deinde motis castris, Bydgostiæ prædam inter se
partiti, Inouladislauiam ad Regem cum longo captiuorum ordine per-
uenêre. Ibi omnibus à Rege gratiæ actæ: compluribus, quorum illu-
striora merita esse constabat, perampla munera data sunt. Captiuis
verò lauta instructa cœna, qua peracta, sermonem apud eos Rex de
Crucigerorum superbia & iniustitia, ac de sua mansuetudine & æqui-
tate habuit: illosq; quòd iniquiori causæ fauissent, clementer obiurga-
uit. Deinde benignè consolatos & militari sponsione vt sese certo lo-
co ad præstitutam diem sisterent, obligatos omnes dimisit: excepto
Michaële Cochmeistro Duce exercitûs, quem aliquandiu posteà in ar-
ce Chencinensi in vinculis habuit. Nihil tamen consternati animis
ex ea clade ij qui ad obsidionem Taucholiæ relicti erant, dolo etiam
locum ex ea inuenêre. Subornatis enim transfugis Polonis, & qui in-
ter ipsos Polonicæ linguæ gnari erant & pro captiuis eos ostentan-
tes, magna strage se deuicisse Polonos apud Coronouiam illis testifi-
cantibus mentiti, persuaserunt Ioanni Broglouio præfecto arcis atq;
præsidij, vt arcem sibi dederet. Augebatur autem indies Crucigero-
rum exercitus nouo milite mercenario & à Taucholia in Poloniam
excursionem facturus esse videbatur. Id ne accideret celeri concilio
prouidendum sibi esse Rex Vladislaus existimauit. Quocirca nouam

Pugna inter Polonos & Crucigeros.

expeditionem Poloniæ, exceptâ eâ quæ minoris nomine censetur, atque Russia, indixit. Nec segniter ea manus Bydgostiam, vt à Rege imperatum erat, conuenit. Inde porrò eam cum cohorte Regia coadunatam Petrus Saffranecius Succamerarius Cracouiensis sub signis duodecim ad Taucholiam duxit. Præmissisq; sexcentis balistarijs, qui prædas agendo, vastandoq; subiectam Taucholiæ oram hostem elicerent, ipse cum reliquo exercitu opportuno loco in insidijs substitit. Simul atq; conspexêre equitatum Polonicum per agros palantem hostes, contempta eius paucitate, cùm pertinaciùs eum fugam simulantem insecuti essent, in paratas insidias præcipitati sunt. Quas cum maturè animadvertissent, pedem retulêre. Ibi Poloni tandiùs quàm res postularat signo dato, pauciores aduersùs plures coorti ex insidijs, vsq; ad portas oppidi fugientes persecuti sunt. Et quoniam agilioribus equis vtebantur, multos ex illis partim interfecêre, partim viuos cepêre, & castris hostium, quæ ante oppidum posita erant, vacuis potiti sunt. Non pauci oppido, ne Poloni simul irrumperent exclusi, inconsideratè in vndas sese præcipitantes, mersi sunt. Fuêre inter captiuos insignes quinq; Ductores Ordinum, tres Boëmi, vnus Silesius, & vnus Lusatius. Porrò Ioannes Dux Monstenbergensis, & Eberhardus Episcopus Virceburgensis, qui & ipsi voluntarij in castris Crucigerorum militabant, fugâ euaserunt. Quod si maturiùs Poloni ex insidijs consurrexissent, creditum est, & oppido & arce eos potiri potuisse. Sed siue imperitiâ siue insidias & ipse metuens Saffranecius, tardiùs signum dederat. His ad vicesimam octauam diem Octobris gestis, captiuisq; ad Regem missis, exercitus omnis præter aulicam cohortem, mox iniussu Regio domos delapsus est propter tempus anni, cuiuis rei magis quàm bello gerendo commodum. Captiuos Rex, accepta ab eis itidem atq; ab alijs priùs sponsione, dimisit.

His verò cladibus permotus Plauenius Magister Crucigerorum, non ausus denuò fortunam aduersùs Regem tentare, in interiorem Prussiam reliquias profligati exercitus deduxit, & Stumam arcem aliquamdiu obsessam in deditionem accepit. Polonis qui in præsidio eius arcis erant, propter incendium turris in qua tormenta & pulueres bellici fuerant, longiorem obsidionem ferre non valentibus, & vt sibi saluis rebus suis abire liceret, pactis. Eandem deditionem Morangi quoq; deditio secuta est. Inde ad Radinum castra mota circumsessaq; ea arx sex septimanis. Sed cùm in spem Torunij Gedaniq; per deditionem recipiendi Magister venisset, soluta obsidione saucijsq; quorum non exiguus erat numerus, cum præsidio in oppido Radino relictis, ad recipiendas eas vrbes profectus est. Quo discedente, Poloni accitis celeriter his qui erant in præsidio Brodniciæ, impetum fecerunt in oppidum, expugnatumq; paruo negotio diripuêre & incendêre. Non parum autem & ibi fortuna Polonos iuuit. Erat in porta oppidi, quæ ad arcem spectat, sita bombarda: ea, cùm hostes conferti apertâ portâ in Polonos fortè erupissent, à Sacerdote quodam temere succensa, non modicam in suis stragem edidit, de Polonis tres modò extinxit. Quo factum est, vt illi perculsi dolumq; subesse rati, abiectis armis viui ferè in potestatem Polonorum venirent. Temperatum est autem à cæde supplicum. Porrò Torunenses & Gedanenses ciues aduentante Magistro cum exercitu, miserunt ad Regem, vt sibi celeriter opem ferret, quòd ipsi per se oppida sua defendere non possent. Sed cùm præter opinionem eorum accidisset, vt Rex tempore se illis affuturum esse promitteret, nec mora eò contenderet, rursus

ſus ei legationem obuiam misère Meuam, ſe iam neceſſitate adactos, deditionem cum Magiſtro pactos eſſe. Itaq; Rex dimiſſis contra ſententiam multorum legatis ſaluis, quòd diceret, teſtatum ſe cunctis facere velle, non ſuam illis, ſed ſibi illorum fidem defuiſſe, Inouladislauiam ſe recepit. Magiſter acceptis in deditionem Torunio & Gedano oppidis, arcem Torunenſem nequicquam oppugnauit. Nam ea ſtrenuè à præſidio Regio defenſa eſt. Rex Gneſnam ad ſepulchrum Diui Adalberti & Poſnaniam ad ædem Sanctiſſimi Corporis Chriſti, votorum, quæ ante prælium Gruneualdenſe, nuncuparat, exoluendorum causâ profectus, equeſtrem ordinem totius illius tractûs denuò ad expeditionem in Pomeraniam exciuit, & quibuſdam arcibus expugnatis & alijs omiſſis longè latèq; ferro & igni vaſtauit.

Dum hæc ita geruntur in Pruſſia & Pomerania, interea Sigiſmundus Rex Vngarorum, vt Vladislaum à Crucigerorum bello auerteret, promiſſiſq;, ob quæ quadraginta millia florenorum à Crucigeris acceperat, ſatisfaceret, miſit militem ad infeſtandam Poloniam. Deinde miſit Vladislaus ad Magiſtrum de inducijs. Conſtituta colloquio dies Racianzi ad octauam diem Decembris. Interea verò Poloni penultima Nouembris memorabili rurſus victoriâ de Liuonibus petiti ſunt. Hermannus Magiſter Liuonienſium Crucigerorum validum exercitum è Germania & Boëmia adduxerat in Pruſſiam: eoq; apud Golubum relicto, ipſe cum paucis equitibus Marieburgum, vt de ratione belli cum Pruſſienſibus Crucigeris conſultaret, profectus erat. Id vbi comperiſſent Poloni qui Ripini & Bobrounicis erant, auſi facinus audax, Ductore Dobeslao Puchala gente Vienauio, ad hoſtem viris armisq; longè ſuperiorem contendêre, inſidijſq; loco apto diſpoſitis, paucos per agros palantes & prædas agentes ſub Golubo ſeſe oſtendêre. Quos hoſtes correptis armis auidiùs perſecuti, locum inſidiarum incautè præteruecti ſunt. Ibi conſurgens Puchala cum toto agmine à tergo eos adortus, perterritos & incompoſitè fugientes vſq; ad oppidum inſecutus eſt. Oppidani, vbi id animaduertêre, veriti ne patentibus portis Poloni permixti ſuis fugientibus pariter in oppidum irrumperent, portas clauſerunt. Ita excluſi oppido hoſtes, cùm cæderentur paſſim in medio, proiectis armis Polonis ſupplices ſeſe dediderunt: & quadruplo maior numerus captiuorum, quàm eorum, qui eos ceperant, fuiſſe proditur. Verùm illi re inopinata perculſi, alium maiorem exercitum Polonorum in ſyluis latuiſſe crediderant. Ripinum tandem captiui cùm appulſi eſſent, ingenti cum dolore ac pudore errorem ſuum cognouerunt. Inde porrò Breſte ad Regem transmiſſi, ſub militari ſponſione omnes dimiſſi ſunt: Curouienſibus modò, quòd fidei tenaces non eſſent, & ijs qui religionem profeſſi erant, retentis.

Sigiſmundus Rex Vngariæ infeſtat Poloniam.

Crucigeri Liuonienſes cæduntur à Polonis.

Conuentus deindè inter Regem & Crucigeros habitus: verùm in eo tamen de inducijs non conuenit. Poſteriùs eæ menſtruæ tantùm per Petrum Saffranecium confectæ ſunt. Quibus durantibus, Rex properè in Poloniam excurrit, & apud Radoſſice oppidum cum Regina congreſſus, excitisq; denuò ad expeditionem cunctis Polonis ad integrandum cum Cruciferis bellum poſt noui anni initium reuertit. Vitoudus quoq; cum Lituanicis auxilijs Vladislauiam ad eum venit, eiusq; conſilium de circumuallando Torunio, vbi Magiſter & primores Crucigerorum erant, ſpe pacis iniecta, mutauit:

 perſua-

persuasitq; vt in sylua quadam castra haberet. Interim de pace in insula Torunensi agi cœptum. Forte accidit, vt induciæ expirarent, & consensu mutuo in longius tempus prorogarentur. Sed eius rei ignarus Ioannes Broglouius, Præfectus Bydgostiensis præsidij, cùm permagnum numerum equorum hostilium apud Papouiam esse didicisset, traiectâ cum quadraginta modò equitibus Vistulâ, & facto impetu ex improuiso in antemurale Pappouiense, equos ibi stabulantes abegit, & antemurale incendit. Qua re Torunium subitò nunciata, emissi sunt non pauci equites, qui eum persequerentur. Hoc animaduerso Broglouius, cæteris cum equis captiuis præcedere Vistulam iussit, ipse cum duobus modò equitibus persequentes se hostes sustinuit; non ausos sensim cedentem, pertinaciùs sequi metu insidiarum. Receptus deindè in naues paratas, nullo accepto incommodo flumen traiecit. Pax deindè victoribus quàm victis iniquior, instante maximè Vitoudo, Proceribus verò Polonis Regi dis- *Pacis conditiones*
suadere non ausis, confecta est: cujus hæc potissima fuêre capita,
1. vt Samogitiam Vitoudo & Regi quoad illi viuerent Crucigeri con-
2. cederent: ducentaq; millia florenorum Pragensis pecuniæ intra
3. annum vertentem tribus pensionibus numerarent. Ziemouito au-
4. tem Masouiorum Duci Zauerense territorium redderent. Rex
5. 6. Crucigeris, quæ de ipsis bello ceperat, remitteret. Dobrinum sibi
7. haberet: captiui omnes inuicem vti dimitterentur: de Dreno &
8. Santoco & alijs controuersijs seni viri vtrinq; delecti arbitraren-
9. tur: Quod si inter eos non conueniret, Pontificis Max. arbitrio staretur. Complexi sunt autem hoc fœdere; Rex quidem Duces Stolpensium & Masouiorum: Magister verò Sigismundum Regem Vngarorum, si is vellet: interim autem ne ei Polonus bellum faceret. Hæc tam iniqua Polonis pax, stipulatione vtrinq; interposita, cùm Magister Henricus in castra Regis venisset, firmata est, & mox captiui omnes sponsione soluti. Munera deinde inter Principes vltrò citroq; missa. Per idem tempus inter Reges Vngariæ & Poloniæ octo mensium induciæ constitutæ sunt, ea lege, vt Polonis cum Crucigeris pax rata maneret. Quòd si eam Poloni nouo bello rupissent, illæ quoq; induciæ cum Sigismundo & Vngaris irritæ forent. Sin Crucigeri priores id facerent, Sigismundus deinceps sese ab amicitia & societate eorum seiungeret. Vladislaus verò ad Ioannem Pontificem, qui Alexandro V. successit, oratores misit cum peramplis donis, nempè quatuor patinis, duobus crateribus magnis aureis, tribus vestibus Sabellinis, & culcitra ab altera parte è Panterarum: ab altera ex armellinorum pellibus consuta: obedientiam suam ipsi delaturos, postulaturosq; vt Pontifex declararet, ipsum iustè bellum contra Crucigeros suscepisse: & quicquid rerum sacrarum è templis Prussicis per illud bellum ablatum esset, rectè in Polonica templa distributum esse.

Vexilla 51. suspensa Cracouiæ in Ecclesia.

Venit deindè Rex Cracouiam pedester religionis gratiâ incedens, vexillaq; & signa militaria vnum & quinquaginta de Crucigeris capta ad sempiternam tam insignis victoriæ memoriam in basilica suspendit, quæ in hanc vsquè diem exstant.

Cùm casus aduersi, qui nos infirmitatis admonent, hominem prudentiorem & mitiorem reddere soleant, tamen Crucigeri infortunijs fracti nihil remiserunt de immanitate, quam in sibi subiectos iam à longo tempore exercebant: immò insolentiores facti grauiùs in eos debacchati sunt. Ac quidem nefas ipsis non læsis erat cum externis

litiga-

litigare, ſed grandius facinus fuit ſuis hominibus à quibus ſtudia humanitatis per totam vitam ſuam, & fidelitatis accepiſſent, iniurias non quasuis, ſed etiam grauiſſimas inferre. Sed hoc nunc poſt bellum initium dolorum Pruſſiæ pono. Nam, vt contentaret Henricus ſtipendijs milites, ac vt inſuper numerum ciuium occiſorum repleret & Ciuitates, coëgit viduas & virgines militibus nubere. Undè contigerunt inter omnes ferè maritatos iurgia: cùm inæquales coniungerentur, & milites otio ac comeſſationibus aſſueti, rem familiarem non curarent. Conſumptis itaq; paratis, contra Magiſtrum egerunt debita ſtipendia poſcentes. In defectu ejus pecuniæ, corraſit undequaq; quacunq; arte potuit veterem monetam. (Nam prætendebat Magiſter, ſe his Polonos contentaturum, ut quasdam arces ſibi reddant) ex qua atq; alio argento, leuiſſimam cudi curauit. Præerat monetæ cudendæ Gedani Benedictus Peynigius Proconſul. Cùm itaq; moneta vilior ex bona, quàm vel conſuetudo hactenus fuerit vel æquitas admitteret, cuderetur, exprobrauerunt ei hoc ipſum ciues. Qua de re tumultu exorto, non paruum periculum Senatui obortum eſt. Paulò pòſt conuentu Senatus facto Conradus Letzkauius alter Proconſul Collegæ ſuo Peynigio obiecit, quòd ipſo authore propè vitæ periculum cuncti Senatores ſubierint, niſi id Deus clementer auertiſſet. At Peynigius, aliò eius verba detorſit, ſubdens: Commendatorem Gedanenſem cauſam eſſe leuioris monetæ. Ad quod Letzkauius ait: ſe non loqui de moneta, ſed de eo, quòd verbis ſuis anſam vitæ ſuæ & aliorum perdendæ Peynigius dediſſet. Et ſiquidem ipſemet Magiſter talem iuberet monetam fieri, non eſſet extra culpam. Quæ dicta actutùm delata ſunt ad Commendatorem, inde ad Magiſtrum, & eò detorta, quòd rebellionem aut tumultum ſaperent. Fuit verò Conradus Letzkauius vir egregius, Principibus quoq; viris cognitus & de Ordine optimè meritus. Nam ipſe & Bartholomæus Grotten gener eius, vir item Senatorius, induti habitu mendicorum, mendicantes ipſi ſtipem, ad poſtulationem Magiſtri, ad Principes Germaniæ cùm viæ vndiq; obſtructæ eſſent, clàm profecti, auxilia ab ipſis pro Ordine impetrarunt. Quod obſequium ſe remuneraturum Magiſter dictis nuncijs, ampliſſimè promiſit. Quàm præclarè id Ordo præſtiterit, iam patebit. Ludouicus ab Alſatzen Oeconomus Scharpauienſis (Scharpau verò prædium Crucigerorum fuit in maiori Inſula) motus ab Officio ex Magiſtri offenſa, in Germaniam diſcedebat. Tranſiens verò Gedanum, veteri amicitia deuinctos, adijt Arnoldum Hecht, & Conradum Letzkauium Proconſules, & Bartholomæum Grotten virum conſularem, qui in Eccleſia, feriâ ſecundâ Palmarum, deuotionem ſuam peragebant, eos ad conuiuium, quod parari iuſſerat, amicè inuitauit. Læti conuiuabantur in hoſpitio apud Nicolaum Thomam Conſularem quoq; virum. Intereà à Magiſtro literæ miſſæ ſuperueniunt ad Commendatorem, declarantes Ludouicum ab Alſatzen Ordinis inimicum. Abſoluto conuiuio inijt viator Ludouicus viam ſuam: alij verò tres, vocati Commendatorem adeunt: acceptis alijs duodecim ſecum, eò quòd eis mentes mala ominarentur. Mox Commendator alijs ad oppidum remiſſis, tres illos in arce retinet: eisq; quòd cum inimico Ordinis Ludouico ſcilicet, familiariter conuerſati fuerint, exprobrat, ac eos in carcerem compingi, pòſt pluribus vulneribus confici, & tandem guttura eorum inſcindi iubet. Occiſi cum veſtibus in fimo

sepeliuntur. Uxores putantes viros viuere, eis cibos & vina mittunt. Tandem eorum cadauera feriâ secundâ post Pascha redduntur, lustrantur, terræq; mandantur. Neq; hic substitit immanis truculentia Commendatoris. Viduæ enim necatorum spoliabantur insuper omnibus bonis. Anna filia Conradi vxor Bartholomæi vrbe præterea pellebatur, patre, marito, bonis orba. Hæc nimirùm, mulier fortis ausa fuit, iusto dolore suadente, crudele facinus Commendatoris exprobrare. Inuenta est posteà in syluis mortua. Et quidem hoc statim post cladem illam Gruneualdensem, anno, 1411. Christi accidit.

Tales quidem iniurias suis Crucigeri exhibuerunt: à quibus etiam ab ipsis inferis moniti, non sibi temperabant. Nam anno proximè sequenti, contigit fabrum quendam Christiburgensem quinto demùm anno à peregrinatione Romana & aliorum Sacrorum locorum redire. Inter alia reuerso à vicinis narrabatur de insolentiis Dæmonum & spectris arcis Christiburgensis, & quòd compater eius F. Otto Sangeruitz Commendator hìc aliquando, occubuisset in prælio illo. Faber non multò pòst animi causâ, tum quoq; ut rem experiretur, ad arcem ascendit. Vbi primùm pontem pensilem attigisset, videt Compatrem quem ferebant mortuum, stantem: accedit, salutat, aitq; ei: Iam video non omnia vera esse quæ vulgò feruntur. Affirmabant vicini mei, te cum reliquis in certamine proximo occubuisse, nunc verò sanum & viuum reperio. Inuitauit verò phantasma fabrum, veniret secum, & non metueret: non verbis sed visionibus sibi satisfacturum promittens. Neminem alloqueretur interim, nec vlli se præberet obsequentem. Cum itaq; intrasset arcem, audiunt in quodam palatio blasphemias, detractiones, execrationes, maledicta. Transeuntes vlteriùs, viderunt alios in alio palatio græcari, chartis & aleis ludere. Item in alio ad fides saltare, amare. Ex his locis egressa spectra transeuntes amicè inuitarunt, vt secum lætentur & conuersentur. Pergebant illi taciti vsque ad Ecclesiam. Ibi reperiunt spectrum ante altare in modum sacrificuli somnolenti conformatum: cantores in stallis dormitabant. His visis & auditis arce egressi sunt. Tùm spectrum ad socium inquit: Spectasse te hæc omnia oculis scio: talis erat vita Crucigerorum per omnia vt vidisti. Et nunc in illa vita recipiunt. Vade igitur, dic Magistro, vt desistat à conatu suo. Iudicium enim Dei super Ordinem, & seruiet alijs. Ipse quidem Magister occidet te, sed & tu meritus es, scis in illa re, mortem. Ibat ille & singula Magistro in ponte Nogati reperto, recensuit: At ille indignabundus ad eum: Impie, inquit, hoc tu, cum tibi similibus proditoribus ad terrendum nos ex cerebro tuo excogitasti. Cùm verò dicas ipse te mortem meruisse, iubeo te de ponte deijci. Atq; ita deiectus aquis miser perijt.

Spectra in arce Christiburgensi.

Incepit verò dicta arx Christiburgensis infestari à spiritibus infernalibus iam statim post cædem Gruneualdensem. Cùm assiderent aulici aut familia ad mensam, visus est sanguis inesse patinis, alibi minimè. Gualtherus Commendator inuentus est per manus in arbore arcis alligatus, qui cum magno vitæ periculo deponi potuit. Hic etiam alia vice ad summum tectum delatus fuit. Dormientis barba quandoq; accendebatur. Propter has & similes illusiones abscessit, nec eum alter Commendator secutus est. Relicta familia in arce præterea mirum in modum vexabatur. Nam cùm

Arx Christiburgensis quando cœpit infestari spectris.

ad illum locum abiret, inuenta est in alio. Inueniebantur equi in culina ac etiam in cellarijs. Audiebantur vlulatus luporum ac canum, quorum terrore multi obierunt. Persuasum fuit vulgò, id arci contigisse ex imprecatione Alberti Schuartzburgij, euntis ad bellum, & hanc arcem Dæmonijs malis commendantis, vt supra dictum fuit.

Ægrè ferebant Prussi suorum commilitonum, ciuium ac amicorum corpora in Tanebrico, loco pugnæ, sine honore & suffragijs viuorum sepulta esse ac iacere. Quapropter vt ijs auxilio essent apud Deum, impetrata venia ab Henrico Magistro cum murario quodam conuenerunt, vt ædificaret in loco præcipuo pugnæ commissæ Capellam de suis lateribus, calce, lignis, fenestris ac alijs rebus quæ necessitas postulabat pro ædificio in debita crassitie: acciperet pro singulis vlnis latis & altis murarius septem schotos monetæ nouæ. In quem finem Defunctorum amici quinq; millia marcarum contribuerunt. De quibus non solùm capellam soluebant, sed & pro sex Sacerdotibus prouisionem fundabant: quorum quilibet haberet annuatim triginta marcas leues: ac sex cantoribus, quorum singuli viginti marcas acciperent. Ædificauerunt ijsdem Ecclesiæ ministris habitationes congruas, eisq; attribuerunt prædium sedecim mansorum liberorum. Cùm tempore legabantur testamento eidem loco plurima fiebantq; offertoria à peregrinantibus ob gratam memoriam suorum. Cantabantur singulis diebus in Capella manè Vigiliæ Defunctorum & Missa pro ijsdem ac de Passione Dominica. Deinde horâ debitâ horæ Dominæ cum Missa de beata Virgine Maria. Ista pietas cessauit ante centum annos. Nostro tempore antiquæ pietatis indices supersunt ruinæ murorum.

Vsq; in hunc annum ab initio Magistratus sui Henricus Magister non asciuerat sibi Officiales. Nunc igitur assumpsit iuuenes ac recenter in Ordinem inuestitos, quales etiam ad Præfecturas promouit præteritis senioribus. Quo maiorem odij materiam inter Crucigeros excitauit: quæ augebatur, quòd præcipui & nobiliores Viclefiticam imbiberent hæresim. Hi minoris Nobilitatis vocabant, die Wachtelbuben. Nec parcebant hi illis quos viciſſim die Rabennester/ ac proditores fidei appellabant. Heresim verò Viclefiticam primus omnium in Ordinem introduxit, F. Guilelmus à Katzenelbogen.

Habuit Sigismundus anno Christi posito secretum colloquium cum Vladislao semotis arbitris, blanditijs eius inuitatus & in gratiam cum eo pactis iureiurando mutuò firmatis, rediјt. Erat autem in pactis vt Sigismundus cum Vladislao & Vitoudo Duce contra quosuis hostes, & in primis ad extirpandos Crucigeros, arma coniungeret: ac Prussiâ quidem eiectis Crucigeris inter Reges pro portione copiarum vtriusq; ad id bellum adductarum, diuideretur: Pomerania verò, Culmensis & Michalouiensis integrè Vladislao Polonisq;, quorum fuissent olim, cederent. Hæc ita tunc inter Reges priuatim conuenêre. Publicè verò, ne qua mentio Prussiæ & Crucigerorum fieret, Sigismundi precibus perfectum est: quòd is diceret, minimè sibi expedire id palàm tunc fieri. Et erant fortè tunc apud eum Crucigerorum legati, quibus seorsim prolixè omnia pollicebatur, vt aliquid rursus ab eis emungeret. Quo factum est, vt caput illud de Prussia diplomatis, à Regibus & Proceri-

Pacta inter Sigismundum Vladislaum & Vitoudum.

ceribus eorum consignatis disertè non inferretur, sed in genere modò caueretur, vt Reges contra quosuis alterius hostes, nemine prorsus excepto, fœderati inter se essent, ac ne assensu quidem alter alterius hostibus & rebellibus faueret: quin vterq; alterius incommoda pro viribus præmonendo & omni ope auerterent. Nec hoc solùm perfecit Sigismundus, verùm etiam cùm Vladislaum sub specie venationis in Vngariam secum, necquicquam reclamantibus consiliarijs & in primis Ioanne Tarnouio Palatino Cracouiensi extraxisset, persuasit homini simplici & credulo vt se iudicem & arbitrum propitium quidem, vt videri volebat, controuersiæ cum Crucigeris per compromissum sumeret: promittens idem facturos Crucigeros & iudicato parituros. Ni facerent, vim suam experturos. Iam enim rursus Vladislaus non obscurè præsefere-bat inimicum contra eos animum: propterea quod ij primam pensionem ex pacto Torunensi ad præstitutam diem sibi non soluissent. Cùm autem id iudicium Sigismundus sanè quàm libenter assentientibus Crucigeris instituisset, varias nectebat moras, vt cùm Vladislaum spe pacis duceret, tum Crucigeros obnoxios haberet. Tandem grauiores occupationes & expeditiones contra Venetos caussificatus, cognitionem causæ inter Vladislaum & Crucigeros, ne deseruisse videretur Proceribus quibusdam Vngaris delegauit. A Crucigeris autem ea pecunia sumpta est: quibus Sigismundus eam multam irrogarat, quòd pactis in Insula Torunensi cum Vladislao initis non satisfecissent. Ita quidem habet Duglossus. Verùm Cromerus reperit in archiuo literas Ioannis XXIII. Pontificis Max: quibus is postulat à Vladislao, vt proroget Crucigeris tempus numerandæ pecuniæ, quam ij ex pacto ipsi deberent. Vndè illi verisimile fit, in pactis Torunensibus de ea pecunia numeranda, Crucigeris cum Rege conuenisse, licet literis pactorum id insertum non sit: quin extant testimonia Benedicti Macrini, cui Sigismundus delegarat arbitrium, & in rem præsentem in Prussiam & Lituaniam eum miserat: qui testificatur, Vladislaum & Vitoudum iudicatum quidem fecisse, Crucigeros verò minimè. Indè autem apparet, Sigismundum iudicasse quidem tunc inter diffidentes. Quid autem iudicarit, non liquet, præter, quòd Vladislaus & Vitoudus parentes rei iudicatæ, tradidère Magistro Crucigerorum diploma super Samogitia: tametsi Heduigis Regis filia testata est, se ei traditioni aduersari. Postquàm Rex peragratâ Prussiâ in Poloniam redijsset, inde in Lituaniam secessit. Hinc iterùm in Poloniam & indè rursus in Lituaniam profectus, cùm in Samogitiam venisset, gentem eam, quæ nondum falsorum Deorum cultum penitus abdicarat, magno studio magnaq; curâ extinctis sacris ignibus, succisis lucis, necatisque serpentibus & alijs sacris animalibus, ad religionem Christianam conuertit, partim donis alliciens, partim authoritate & minis adigens, non modò pij Regis, verùm etiam Doctoris & Apostoli fungens officio, sugge-rentibus Sacerdotibus Polonis, quæ diceret, quæue faceret, cùm ipsi barbaros loquentes non intelligerent, nec ab ipsis vicissim intelligerentur. Populariter autem Samogitæ tunc religionem Christianam susceperunt per quendam natu maximum apud Regem professi, se quos in eum diem Deos coluissent, velut infirmos & ignauos deserere: & in eius ius concedere, cuius numine illi à Rege victi & profligati essent. Cùm autem nonnulli adhuc se resuscita-

Vladislay conuertis Samogitas.

re

re ignem extinctum è calidis fauillis post Regis discessum possent, relapsuri esse in pristinum errorem viderentur, & hæc inter se mussitarent, substitit ibi Rex diutiùs, quàm statuerat, locumque ignis largiore aqua inundare jussit. Episcopum apud Mednicos, attributis agris & redditibus & paræcos duodecim (tot enim territorijs continetur Samogitia) vt ijdem Canonici Mednicenses essent, instituit. Qnanquam hæc quarto demùm anno pòst à Ioanne Archiepiscopo Leopoliensi, & Petro Vilnensi Episcopo consummata sunt. Tunc autem Rex Præfecto genti Kesgellone nobili Lituano & religionis curam in primis in rudi populo gerere iusso; in Lituaniam atqne inde porrò post anni sequentis initium in Poloniam & in Cuiauiam ad constitutum cum Crucigeris apud Slonscum conuentum contendit.

Anno Domini, 1414. plurimi Monachi, deserta religione & fide Catholica Vicleffij errore decepti, vxores duxerunt. Permittebat id fieri Magister, imò & grata ei res accidit. Nam cùm Regio viris exhausta esset proximo bello, putabat vel ratione ista, restauratum iri. Videns tamen eorum religiosorum vxoratorum pessimam conuersationem inter alios ciues, sceleribus tantis offensus: aut eos è finibus prouinciæ eiecit, aut cucullum recipere coëgit.

Aggressa est eo tempore virgo quædam facinus præclarum, & æternâ memoriâ dignum. Potuit id permissu diuino contingere, vt viso tanto exemplo integritatis ac fortitudinis in fragili puella nullo voto aut lege castitatis adstricta, libidinosi illi & petulci hirci tam Monachi, quàm Sacerdotes sæculares atq; Crucigeri, qui Deo virginitatis candorem iureiurando emisso consecrarunt, ac ab eodem resilierunt; aut ad mentem priorem redirent, aut maximè confunderentur. Nam illa oculorum priuationem, perferre potiùs maluit, quàm contra honestatem agere: cuius illi nullam rationem habèbant. Sic verò res se habuit. Fuit Marieburgi in obsequijs cuiusdam ciuis, nobilis sed pauper virgo patre ac matre orba. Pater enim ipsius occubuerat in Tanebrico: mater verò morte pridem obierat. Occupabatur eodem momento in officio cubicularij iuuenis nobilis, qui alios dignitate antecedebat. Ardebat hic amore illius & vt sibi pararet aditum securum, multis muneribus eam affecit. Accepit puella munuscula transmissa aut etiam manu porrecta, non alia mente, quàm quòd persuasisset sibi, ea commiseratione suæ sortis dari ab adolescente. Durabat hæc largitas non pauco tempore, donec tandem vulnus mentis suæ virgini aperiret: non tamen expresse, sed longo circuitu vsus. Atq; eius animo nunc hoc nunc illo modo tentato, propiùs ad rem accessit. Nam coram ea inquit, Deum præcepisse auctionem mundi: decipi mundum à Monachis, qui docent castitatem: cùm voluptas percepta ex amore mutuo sit iucundissima. Nunc isto iuuentutis flore vtendum: fore tempus, quando cùm animus tum corpus ad amorem frigescet; quod demùm ætas extrema allatura esset. E contra illa laudare castitatem & munditiem corporis, quantum poterat. Tum ille quid cuperet apertiùs dicere: ita vt rem puella caperet. Quæ subiunxit: Certè hoc ob prohibitionem diuinam nequaquam tentare ausim. At ille, memineris charissima, me per tuos istos ocellos captum amore tui: & illi iidem tibi virginitatis periculum adferent. Si tamen nolis consentire mihi, amodò nihil à me munerum non modò non habebis, sed & repetam à te, quæ in te ingratam hactenus contuli. Respondit

Castitas egregiè defensa.

spondit

spondit illa: se isto fine munuscula vltrò data non acceptâsse: si sciuisset ob fœdam rem missa, se ea angue magis fugisse. Si tamen adeò magno eius amore captus sit, si iure connubij id fieri deberet, quòd ob dissimilem fortunam non futurum credit, non se detrectare pro more recepto cum illo viuere. Nunc satiùs mihi est ipsorum etiam oculorum, quos in me adeò amare te dicis, iacturam subire, quàm vitæ meæ labem perpetuam inurere. Iuuenis dixit: Omninò debes vsui meo cedere. Quare si ad te nuncium misero, sis parata eos participare mecum, quos in te tantopere dilexi. Per noctem virgo rem secum voluebat. Manè accepto instrumento sibi ipsi, cuius instinctu, Deus scit, vtrumq; oculum eruit ac iuueni transmisit cum mandato, vt vteretur eis, quos adeò dilexisset. Laudabatur facinus virginis mirum in modum: è contra intemperantia iuuenis euangelicis (nam hoc se nomine Vicleffitæ insigniebant, qualis & iuuenis fuit) in contumeliam cessit.

Cœperat iam pridem Henricus Magister odiosus esse non solùm Incolis Prussiæ, sed magis etiam Crucigeris ipsis. Quare isti conscriptos articulos contra illum Romam miserunt, petentes à Pontifice Max: eum ab officio deponi. Quibus respondit Pontifex literis redditis ad seniores Ordinis: Quòd si articuli contra Magistrum producti veri essent, eum ipsi sine ulteriore mora, ab officio amouerent. Erant articuli sequentes. Suis consilijs eum non adhibere Fratres sui Ordinis: sed arcana cum sæcularibus communicare. Quicquid illi definierint, ratum haberi. Si necessitas quandoq; postulet, vt Fratrum consilia adhibeat, ea aperire illis, qui aiunt cùm ait, negant cùm negat, eaq; ludibrio habere, atq; his contraria statuere. Si quidpiam Fratres cum Terris pro suo commodo & vtilitate conclusissent ac abiuissent, rati hoc permansurum in suis terminis: id ipsum cum patruelibus suis, agnatis & affinibus inuertere. Omnes literas quas accepisset, & de pace agebant cum Polonis, solitum nulli legendas dare, sed exurere: quæ verò bella nunciabant, has palàm legi præcipere. Patrueli suo, 100071. florenos Rhenenses, contra Ordinis & terrarum Prussiæ sententiam misisse, pro quibus, 5000. nebulonum, qui Ordinis homines expilârunt, prodiderunt, ac vendiderunt, accepisset. In visitatione Regionis, arcium, ac ciuitatum secum solitum in comitatu habere quadringentos equos. Cancellario suo, momo, ac nebulonibus alijs mandâsse munuscula dari, etiam sub amissione gratiæ suæ. Sententiam Cæsaris latam in causa Ordinis, Terrarum Prussiæ atq; Regni Poloniæ calumniatum esse atq; despexisse, & illi contraiuisse: excepto eo, quòd pecuniæ postulauerit summam, quo quidem ludibrio Ordinem alijs nationibus exposuisset. Sæuijsse planè in miseros, dum illos vel multaret pecunijs, vel incarceraret, non vt Christianum aliquem Principem, sed vt tyrannum. Cùm hujus causa à Capitularibus admoneretur, respondisse se esse Dominum, ipsos Capitulares seruos. Monetam terrarum corrupisse: eo accidisse, quòd rerum pretia in duplo creuerint. Largitiones factas causâ necessitatis, cassasse. Ciuitatum, quibus fauebat, earum Priuilegia conseruare: quas odio prosequeretur, proterere ac arrodere. Fouisse & fouere penes se diuinos, astronomos, nigromanticos, hæreticos: quibus fidem adhibet de Polonis subiugandis in tali ac tali signo. Toto spatio Magistratus sui non esse Sacramentaliter confessum, nec Eucharistiam accepisse, nec ieiunâsse, nec vlla alia statuta Ecclesiæ obseruâsse. Ipsum velut Vicleffitam

hæreticum, Ordinis Sacerdotes ac alios pro canum seruis habuisse. Prohibuisse Sententias SS. Patrum in concionibus proferri, & saltem simplicem textum Euangelij recitari sub amissione gratiæ suæ. Eiecisse Episcopum Varmiensem, & eius loco Henricum à Schwartzenborg nequam & impium sicarium instituisse: cuius rei causa vniuersus Ordo maledicatur ac excommunicetur. Solitum fuisse dicere: Pontificem summum esse Antichristum. Pronum fuisse & inconsideratum ad effundendum sanguinem spiritualium & sæcularium hominum: propriorum ac alienorum subditorum. Nunquam sincerè affectum fuisse erga suos. Quicquid illi susurrones ac palpones suggessissent, fuisse illi loco Euangelij. Quidnam nunc Frater eius cum hostibus consilij habeat & conetur, omnibus constare. Hucusq; articuli. Erat in Ordine senior omnium F. Otto Lernstein Marieburgi in Prussia. Ut is satisfaceret mandato Pontificio, magno Commendatore Scharpauiensi, Elbingensi ac Brandeburgensi Commendatoribus adhibitis, ac item Varmiensi ac Sambiensi Aduocatis: Magistrum in arce Schakensi adijt, ac ita allocutus est. Reuerende Domine Magister, Nos ac nostri Ordinis subditos sæpè vestram violentiam ac iniustitiam perpessos esse, plùs quàm luce meridiana constat. Idcircò vos Sanctitas Sua ab Officio deponit. Appellauit Magister ad Capitulum generale: quod illi non ægrè permissum. Interim ab eo sigillum ac alia, quæ ad Officium Magistri pertinebant sustulerunt, deductumq; Tapiam sub custodia honesta detinuerunt, & ne cuiquam sine teste loqueretur, mandârunt. Commendator Gedanensis Henricus Reus Frater Magistri mira interim tentabat. Sed & hic captus est à Crucigeris & incarceratus. Uterq; tamen consilijs suorum Symmistarum è custodia elapsus est. Et quidem Commendator omninò euasit: Magister verò ex itinere podagrâ correptus, retractus, & Regiomontum ductus est. Congregati deindè Crucigeri vndiq; in Prussia pro generali Capitulo ad diem Exaltationis S. Crucis anni 1415. conuentum egerunt: in quo prælecti sunt Magistro articuli prædicti, & testimonijs firmati. Interrogatus deindè ab externis Fratribus, num ita res se haberet: respondit, se quædam ex his egisse, vt suo generi æternum nomen conciliaret: quædam vt obseruaretur magis ac timeretur: quædam quòd aliter facere nesciuisset. Non putâsse verò adeò grauia esse: permitteretur adhuc in officio, omnia se correcturum. Delatus est hinc Engelsburgum, & in honesta rursus custodia detentus. In qua cum eiusdem perfidiæ Vicleffiticæ socijs egit, de tradenda Prussia Polonis, si Rex eum rursus ad Magistratum promouisset. Quod vt sensit Michaël Cuchmeister, eum in Lochstet incarcerauit, vbi mortuus est, ac Quizini in Collegio sepultus.

Magister Crucif. ferorum deponitur.

Eodem anno congregato Capitulo pro festo S. Hieronymi ex communi consilio elegerunt Crucigeri in XXV. Magistrum, Michaëlem Cuchmeistrum ab Ottenberg. Commendatorem magnum sibi adsciuit Gulichum ab Hausach. F. Leonardum à Rumpenheim Marsalcum. F. Ulricum Seilenberg, Thesaurarium. F. Petrum à Seyntzenhaus trapiarium. FF. Lysartum à Schangau, & Joannem à Scharau Collegas. Ex senioribus promouit fratres ad alia officia, quos etiam suis consilijs adhibuit. Iuniores in belli negotijs exercuit. Hoc ipso quoq; anno, moritur Henricus IV. Heilsberg à Vogelsang Iurium Doctor, decimus Episcopus Varmiensis, ex Canonico Varmiensi; ac Varmiæ sepelitur. Eo tempore cùm Magister Or-

dinis, cum sexcentis Fratribus & 40000. militum occubuisset (quamuis superius alter occisorum numerus positus sit, nam variant authores) in Tanebrico, & mouisset Vladislaus versus Marieburgum castra, Vitoudus autem Regiomontum copias duceret, passim omnia igni & ferro depopulatus, iamq; Varmiensem tractum attingeret; Episcopus cum aliquot Canonicis illi occurrit, petiuitq; vt à cæde & vastatione suorum abstineret, qui nullam unquam causam belli præbuerint. Quod quidem factum est: à Vitoudianis eam pacem multa æris, argenti, & auri signati quantitate redimere coactus fuit: vt in eum vsum Calices, & alia sacra diuinoq; cultui dedicata argentea vasa conflare necessè habuerit. Postea verò cùm exercitus è Prussia in Poloniam ad auertendas Sigismundi Vngariæ Regis excursiones mouisset, cœpit Henricus Reus Plauensis (qui sibi magni Magistri munus & authoritatem usurpauerat) in Episcopum acriter insurgere, illiq; crimen proditoris palàm impingere quòd cum hoste clanculum conuenerit, vt bonis Episcopatûs intactis, vim omnem ad Ordinis damnum & destructionem conuerterit. Quamuis autem Episcopus de ijs, quæ illi objiciebantur abundè innocentiam suam comprobaret, nullum tamen his Magister apud se locum dedit: immò denunciari iussit eum tanquam proditorem interfecturum, collectisq; viribus Episcopatûs bona inuasit per vim, oppida & arces diripuit & occupauit, subditosq; sibi tributarios fecit, ac vt Episcopus ne elaberetur, aditus & vias obseruari & præcludi iussit. Cæterùm Episcopus habitu pauperis mercatoris assumpto, exiguâ scaphâ Brunsbergâ Gedanum, deinde Lubecam delatus, postea ad Imperatorem Sigismundum peruenit, apud quem de summa vi illata grauiter conquestus, litem Magistro per quatuor annos intentauit. Cùmq; Magister probare non posset Episcopum aliquid proditoriè egisse, condemnatus à Cæsare pœnâ talionis fuit: vtq; pro quadriennij fructibus perceptis & damnis Ecclesiæ Varmiensi illatis Episcopo quinquaginta Vngaricorum aureorum millia, vel viginti quinq; millia marcarum (vno aureo æstimato decem grossis puri argenti) absq; vlla tergiuersatione numeraret. Atq; ita Episcopus rursus omnia sua recuperauit, exceptis quinquaginta millibus Vngaricorum, quorum solutio executioni demandata non fuit. Magister Ordinis constituerat in Episcopatu generalem Aduocatum F. Lucam de Halffstein, qui vasallos diuersis mulctarum generibus adeò emunxit, vt spatio quatuor annorum ad quinquaginta octo millia marcarum (prout ex rationibus constitit) sibi vsurpauerit. Porrò Episcopus eodem hoc anno, quo redijt domum Heilsbergæ diem extremum clausit, & in Ecclesia Varmiensi sepultus est. Elogium Henrici Episcopi.

Mors Henrici Vogelsang Episcopi Varmien., præfuit Ecclesiæ 15. annis.

Exulat Henricus Vogelsang quatuor annis,
Martia Vitoldi dum fugit arma Ducis.

Sed quid sibi vult, quòd dicit versus vltimus causam eius exilij fuisse Vitoldum? Nonne iam Episcopus hic in fidem Regiam cum cæteris Prussiæ Episcopis & nobilitate susceptus erat? Nonne etiam Vitoudianis se & Episcopatum suum litro grandi redemerat, vt ipsi necesse esset ex Episcopatu in exilium fugere? Scias itaq; optimè lector hunc Episcopum non Vitoudi armorum causâ, sed Magistri violentiæ Episcopatu per quadriennium cessisse. Idcircò etiam cùm Capitulares Crucigeri contra Magistrum articulos constituissent, inter

er eos vnus sonat, quòd ipse Magister Episcopum ex Episcopatu eiecerit quasi probum hominem, & eius loco intruserit quendam impium sicarium Henricum Schwartzenborg, vt paulò antè dictum est. Quare sic versus ille restituendus videtur.

Exulat Henricus Vogelsang quatuor annis,
Dum contra Henricum Reus, sacra iura vocat.

Cùm autem quatuor annis exulauerit, & hoc anno mortuus sit, sequitur illum in exilium pulsum anno Christi, 1410. statim postquam à Rege susceptus in defensionem fuit. Qui eum secutus est in Episcopatu Joannes III. Abenzir, vndecimus Episcopus Varmiensis, fuit ciuis Torunensis filius. I. U. Doctor, Præpositus & Canonicus Varmiensis, Martini V. Pont. Max. Camerarius Apostolicus, concordibus Capitularium votis die octaua Iunij anno quo supra electus, & in Constantiensi Concilio ab Archiepiscopo Rigensi Episcopus est consecratus. Huic Concilio tunc Vladislaus Rex, & Crucigeri causas suas commiserant. Causam Magistri & Ordinis agebat Ioannes Vollenratus Archiepiscopus Rigensis. Cùm partes rationes causarum proposuissent, iussit Concilium eas quarto die adesse, & sententiam audire. Cæterùm nouus Episcopus Varmiensis, cùm videret quantum in eo positum esset, si Crucigeros, in quorum vicinia illi manendum erat, sibi amicos & beneuolos redderet; inter alia officia fecit etiam hoc, vt ad Magistrum Ordinis per nuntium, magnis itineribus ex industria missum, de omnibus ijs, quàm celerrimè referret, quæ ad Polonorum querimonias ab Archiepiscopo Rigensi prolata fuerunt, & quibus in terminis eorum negotium versaretur. Nempè non solùm Archiepiscopus nihil contra Polonorum querimonias opposuerat, sed etiam copiosè enumerauerat, varias & multiplices ac graues iniurias, quas Teutonicus Ordo indecenti ratione & modo in Liuonia exercebat: atq; in eum finem totius orationis suæ seriem ordinauit, vt orbi persuaderet vniuerso, Teutonicos non solùm non esse defensores, sed potiùs magnos Ecclesiastici Ordinis persecutores & oppressores. Respondit Episcopo Ioanni statim Magister, & pro tam amica erga se Ordinemq; suum voluntate gratias egit; petiuitq; ut deinceps causam hanc eorum ita promoueret, vt ad optatum exitum deduci possit: se vicissim omnia facturum, quæ ad veræ amicitiæ bonæq; vicinitatis iura conseruanda pertinerent. Episcopus itaq; causam Crucigerorum tuendam suscepit: qui apud Pontificem tum etiam in Concilio præsertim gratiâ non parùm valebat, quòd esset auditor Rotæ quam vocant: eoq; rem deduxit, vt Pontifex cum Concilio negotij hujus tractationem suspenderet, dum Commissarij pro diligentiori omnium inuestigatione eò mitterentur. Interea soluto Concilio Episcopus ad residentiam suam ob Heilsbergam veniens, magnâ Teutonicorum lætitiâ beneuolentiaq; nauatam illis egregie operam exceptus est. Quòd cùm vidissent Domini Capitulares, monuerunt sæpè Episcopum, vt, 50000. ducatorum Vngaricalium, ad quæ Ecclesiæ Varmiensi Sigismundi Cæsaris decreto persoluenda tenebatur, ab Ordinis Magistro repeteret. Porrò Episcopus nondum esse negotij aggrediendi tempus respondebat, quandoquidem cum Polonis Teutonici bello adhuc implicati essent, nihil ab eis proculdubio obtineri posse. Rejiciendum potiùs in illud tempus, quo ad pacem vel ad aliquam compositionem deueniretur. Non multò pòst Crucigeri ad ingenium reuersi, cœperunt

Ioannes III. Abenzir XI. Episcopus Varmiensis, Torunensis.

1415.

perunt Episcopum & Ecclesiæ bona vexare & persequi. Conclusum est itaq; consilio Capituli, vt Episcopus ipsemet ad Pontificem & Cæsarem proficisceretur, ab illisq; contra vim & potentiam Ordinis opem, & auxilium exposceret atq; imploraret. Cumq; Episcopus se iam in viam dedisset & Torunium peruenisset, misit ad eum Magister orans, vt à cœpto desisteret, nullaq; externa præsidia quæreret. Paratum se esse ad negotium hoc amicè componendum, iustitiamq; administrandam, ne Ordo, quòd Ecclesiasticos persequeretur, in maius odium & contemptum apud Christianos adducatur. His persuasionibus Episcopus statim dedit locum, & Heilsbergam reuersus est.

Vicleffitarum hæresis in Prussia, quæ mala causauit.

Sub hæc tempora nefaria Vicleffitarum hæresis in has terras irrupit, multumq; mali & licentiæ inter vulgum disseminauit. Nam plurimi qui huic sectæ nomina dabant, à recto veri Euangelij tramite recedentes, Ecclesias non frequentabant: Sacramenta irridebant & contemnebant: præsertim sacrosanctum Missæ sacrificium: in cuius contemptum manè Dominicis & festis diebus surgentes, loco Ecclesiæ tabernas, in quibus cereuisia vel mulsum propinabatur ingressi sese ingurgitabant: & sic benè poti in contemptum Dei Ecclesiæ, & Sacerdotum cantilenas hæreticas passim concinnebant. Porrò vt Deus omnipotens ostenderet, qui impietatem detestatur & malos punit, permisit vt maligni Spiritus multa horrenda non solùm in castris & arcibus spectrorum specie apparentes, perpetrarent, sed homines etiam inter edendum & bibendum ingressi, eos mirum in modum cruciarunt: vt in rabiem & insaniam versi, more canum per plateas discurrentes, horribili voce inclamarent: Quod quærebamus, inuenimus. Alij in ignem insilientes, cremabantur. Alij in flumina & puteos se præcipites dabant, & suffocabantur. In summa, tantus terror hac vltione diuina hominibus est iniectus, vt nemo deinceps non modò antè, sed nec post Missam quidem cibum vel potum attingere auderet, quod eiusmodi insaniæ morbo inter edendum & bibendum homines corripiebantur. Huius itaq; Episcopi authoritate coacta est Synodus, cui cæteri quoq; qui sunt in Prussia Episcopi interfuerunt, in qua inter cætera constitutum etiam hoc fuit, vt ne quid ante Missæ sacrificium diebus festiuis venale esculentum vel poculentum proponeretur, excepto vsu infirmorum vel peregrinantium. Item vt singulis diebus Monachi vel Vicarij Sacerdotes domos obirent circa horam octauam, & aqua lustrali homines & cibos aspergerent: & modicum benedicti salis pro ciborum aspersione ibidem relinquerent. Qui id adhibebant, à periculo supradicto infirmitatis tuti & illæsi reddebantur. Vnde fiebat, vt Salis & aquæ exorcisatæ vsus frequentior haberetur, cuius eam quantitatem quilibet Paterfamilias à Sacerdote die Dominico benedici procurabat, quæ pro integra hebdomada sufficeret. Sacerdotibus autem, qui munus hoc præstabant, Eleemosynæ nomine aliquid conferebatur. Quæ accidentia posteà Parochi, tanquam illorum superiores illis ademerant: ipsimet domos cum aspersorijs circumeuntes. Posteà tamen id lucri pro sustentatione Ludimagistrorum cessit, qui vicatim & ostiatim incolarum domos aspergentes obulum emerebantur. Hæc memorabilis, iusta tamen diuina vltio plurimos deterruit ab amplectenda Vicleffistarum hæresi, qua relicta, ad vnitatem & obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ reuertebantur.

Aquæ benedictæ circumlatio, à scholaribus unde habeat originem.

Statuta in Synodo

Statuta sunt quoq; sequentia siue renouata: Vt nemo diebus Ieiunio-

iuniorum sub pœna vitæ carnibus, ouis, butyro & caseis vtatur. In quo negotio in omnibus oppidis ac pagis inspectores ordinati sunt. Ne intra diuina comessationes discursusq; fierent, aut deambulationes, sed in Ecclesia se quisq; detineret. Vt nemo Viclefitam ad sepulturam sub pœna triginta marcarum comitetur. Vt iuxta consuetudinem Ecclesiæ, jeiunia feriæ quartæ, sextæ, Sabbathi, per quatuor partes anni obseruentur. Item Quadragesima tota, exceptis Dominicis. Omnium Apostolorum Vigiliæ, exceptis Philippi & Iacobi. Pridiani dies ante Natalem Christi & Pentecostes. Ieiunium S. Ioannis. S. Laurentij & Assumptionis Mariæ Virginis. Omnium Sanctorum. Tres dies ante Ascensionem Domini. Vigiliæ Patronorum cuiuslibet Ecclesiæ. Excipiebantur à Ieiunijs & quibusdam cibis infirmi, & qui conualescere incipiebant: senes, prægnantes & lactantes. Qui grauiter laborant, & non habent quo semel reficiantur. Hi possent cum scitu sui Parochi comedere quod necesse haberent. Aliter sub pœna Capitis minimè. Festi dies præcipiebantur obseruari. Circumcisio Christi. Tres Reges. Purificatio Mariæ & Annunciatio. Paschæ tres dies. Ascensio Christi, Pentecostes tres dies. Corpus Christi. Omnes dies Apostolorum. S. Ioannes. Laurentius. S. Michaël. Omnes Sancti. De consuetudine obseruandi festi dies, Conuersio S. Pauli. S. Albertus. Feria VI. magna. S. Marci dies ad meridiem. Cathedra Petri extra Quadragesimam. Vterq; dies S. Crucis. Visitatio, Nativitas, Conceptio Mariæ. S. Maria Magdalena. S. Martinus. S. Elisabeth. S. Catharina. S. Barbara. Item sancitum fuit, vt qui infirmitate correptus esset, ante communionem, Extremam Vnctionem susciperet, sub denegatione Eucharistiæ. Et si talis conualesceret, ante vexilla in Processione nudus procederet. Quâ pœnâ etiam qui meretricabantur affici debebant.

Ieiuniorum dies.

Dies festi.

Unctio extrema.

Sed ad res inter Polonos & Crucigeros actas reuertor. Rex nunc Slonsci ad constitutum diem cum Crucigeris erat. Pace ibi cum Crucigeris tentata sed non confecta, causa verò tota à Strigoniensi Archiepiscopo delegato Sigismundi Cæsaris, iniquissimè disceptata, cùm Crucigeri iniurijs nullum modum statuerent, mercatoresq; Posnanienses Gedani, direptis eorum mercibus crudeliter interfecissent, & per subornatos homines, quemadmodum ferebatur multa oppida & pagos in Polonia incendissent, latrocinantiumq; in morem è Dobrinensi & Poloniæ finitima prædas agerent, & captos homines non modò plebeios, verùm etiam equestres in patibulum agerent: cumq; ad extremum sub signis populabundi in Dobrinum excurrissent ac subito pauore turbati diffugissent, nouam in eos expeditionem Rex Poloniæ Russis atq; Lituanis cunctis indixit. Dum autem bellum id adornatur, ipse majorem Poloniam percurrit.

Iniuria à Crucigeris illata.

Anno Christi, 1416. conuentum Crucigeri Brunsbergæ fecerunt: vbi etiam nuntij Germanorum ac Liuoniensium Crucigerorum cum plena potestate sanciendi erant. Adfuerunt quoq; Episcopi Prussiæ, tum nobilitas ac Ciuitatum plenipotentes. In hoc agebatur, quomodo Prussia, quæ ob dissensiones Crucigerorum in varias partes abiret, ad vnionem reducenda esset. Nam sectæ duæ in Ordine ortæ erant, quarum vna Nauis aurea: altera Fluuius aureus, nouis inuentis vocabulis, ab illa dissensione, cuius supra memini, appellabatur: Alteri enim earum cùm Prussi adhærerent, & ipsi ab

Conuentus Brunsbergæ habitus.

Sectæ, nauis aurea, & fluuius aureus.

inuicem dissentiebant. Erant nauis aureæ illi, qui sentiebant cum Magistro pro bono & parte Prussorum: Fluuij verò illi, qui animis elati subditos æstimabant, ac in illos rigidiores essent. Petebantur quoq; in isto conuentu Chronica Prussia ab incolis: vafro quodam consilio, pro ijsq; pecuniam paratam offerebant. Nam cùm laudem quærerent Crucigeri inde ac gloriarentur, quòd ipsi terras Prussiæ sibi armis & virtute subiecissent: annales verò Prussici clarè è contra ostenderent factum istud fuisse auxilio & constantiâ Principum Germaniæ: hac de causa conquirebant scriptos libros, vt eos perderent, ne memoria talis rei superesset. Adferebant quoq; Prussi grauamina sua: ac inter alia querebantur, quòd cùm præcipuum onus bellorum sustinere debeant, nempè, contributiones facere ac militem in aciem producere: nihilominus tamen pleraq; quæ belli causâ fierent earum consultationum ignaros esse. His propositis, consultabatur in medium de remedijs adhibendis. Quod ad primùm attinet, videntes consultores discordiarum inter Crucigeros ac populum ipsum originem non ex alio procedere, quàm ex Vicleffitica hæresi: adhoc Euangelicos solummodò insolentijs & liberæ voluntati studere: vt eum errorem tolleret penitus, ex omnium sententia Magister sanxit & prohibuit lectionem librorum Vicleffij & eius complicum, necnon eorum colloquia & prædicationes. Inhibuit quoq; nomen Euangelicum quod hucusq; assumpserant. Si quis prætereà Vicleffitam curaret sepeliri in loco sacro, aut funus eius comitatus fuerit, solueret triginta bonas marcas. Deberent verò tales in Prussorum Paganorum cæmiterio humari. Ac vt deniq; quisq; profiteretur in testamento, cuiusnam fidei & professionis esset. Quod ad Chronica pertinet, tantùm aberat, re non obscurè intellecta, vt ea Prussi concederent, quòd ea muris obstruxerint ac alijs quibuscunq; modis diligentissimè ab Crucigerorum manibus & conspectu, conseruauerint. Quorum magna pars tempore Grunauij reperta fuit. Vt tandem grauamini Ciuitatum ac terrarum Prussiæ remedio salubri succurratur: statutum fuit, vt Magister Ordinis prudentissimos quosq; Fratrum eligeret, ac decem ex vniuersâ nobilitate: ex Gedanensibus binos, totidem ex Elbingensibus, Culmensibus ac Regiomontanis: qui consilia sua de bellorum causis ac necessarijs, quoties opus erit, conferrent, ac Magistro referrent. Quicquid verò cum authoritate eius constituissent, tanquam ius quoddam inuiolabiliter obseruaretur. Quodq; absq; consilio talium consultorum, nulla contributio pecuniæ fieret. Nec mora: tales electi & nominati sunt in præsentia omnium. Displicere ordinatio facta Commendatoribus cœpit. Nam nobiles ac ciues contra illorum violentias ad consiliarios prouocare cœperunt. Itaq; & tales conuentus fieri desierunt. Neq; adhibebantur in consultationem consiliarij terrarum ac Ciuitatum, nisi causâ contributionum faciendarum. Dum consultant his diebus Gedanenses in senatu, qua ratione facerent, ne Commendatores ampliùs mercantias exerceant: néve adeò grauiter vel etiam leuissimè delinquentes mulctent: ac præcipuè qua via præcauerent, ne ita communiter in ædes suas irruant: atq; etiam nonnulli ira & indignatione correpti dicerent: tales mereri dissectionem membrorum: aderat his omnibus Gerardus Beck Proconsul Gedanensis, ac sententias dicentibus consensit. Nihilominus clàm omnium dicta & consilia ad Andream à Festenborg Commendatorem detulit.

Nec

Chronica Prussica quæruntur.

Vicleffij libri prohibentur.

Nec ſilentij iſte tenax, quid ſibi retuliſſet Gerardus, paulò pòſt Senatui aperuit. Vnde Ciues illum in proceſſione cum Corpore Chriſti occidiſſent, ſi comparuiſſet. Nam monitus ſeſe ſubduxit. In domum eius interim irruentes, quicquid repertum fuit, confregerunt: plumis lectiſterniorum in ventum deiectis. Res delata ad Magiſtrum, multis exilium inauditis attulit, multis mortem ipſam. Sed ad acta inter Polonos & Crucigeros redeo.

Iam ingentes copiæ ex omni Polonia, Ruſſia, Lituania & Maſouia cum ſuis Ducibus Volbariam conuenerant, Tartarorum etiam non contemnenda auxilia Vitoudus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Boëmis atq; Sileſijs non exiguus numerus. Ad hæc Sileſiorum Duces, Bernardus Oppolienſis, Ioannes Ratiborienſis, Boleslaus Ceſſirenſis, Conradus Oleſnicius, Venceslaus Zegnanenſis, Ioannes Lubinenſis, Conradus albus Cozlenſis, & Venceslaus Opauienſis auxerant exercitum Regium. Quin & Lacicus Crauarius Præfectus Morauiæ vnum vexillum militum in auxilium Regi miſerat: ita vt tantus ille eſſet exercitus Regius, quantus non modò ad Pruſſiam, ſed ad magnam Orbis partem perdomandam poſſet ſufficere. Itaq; Rex non moratus diutiùs, in terram hoſtilem eum duxit inſtructum inſpectantibus legatis hoſtium, qui ſiue ad auertendum bellum, ſiue ad ſpeculandum vires Polonorum venerant. Verùm non ita multùm operæ pretij cum tantis copijs factum eſt. Oppida modò & caſtella quædam ignobilia partim vi expugnata, partim in deditionem accepta, partim vacua dilapſis habitatoribus occupata, direpta & exuſta. Allenſteinium, Guttſtadium, Zirgonum, Prabuta, Biſſouiſuerderum & Cruciburgum. Nam ab Heilsbergæ obſidione Ioannes Varmienſis Epiſcopus, cuius ea arx eſt, precibus Regem auertit. Holandiæ obſidio cum in longum extractum iri videretur, omiſſa eſt. Et nonnihil incommodi ibi Lituani, cùm incautiùs prædas agerent, accepêre. Capti ab hoſtibus Butrini Magiſter curiæ ſiue Marſalcus Vitoudi Mikita (ita Ruſſi Nicetam vocant) & nonnulli alij. Peruaſtati tamen agri longè lateq; nemine obuiàm prodeunte. Cùm autem Chelmi ſiue Culmæ atq; Torunij oppidorum dedendorum Regi nulla ſpes facta eſſet, eò moturus caſtra erat, ni eum Magiſter Crucigerorum vafro conſilio eluſum aliò auertiſſet, ſubornato homine cum literis, Commendatoris Brodnicienſis nomine ad ſe confictis: quibus perſcriptum erat, arcem Brodnicienſem à commeatu, tormentisq; bellicis imparatam, longiorem obſidionem ſuſtinere non poſſe. Quæ literæ capto & excuſſo tabellario, cùm fidem feciſſent noſtris, hoc perfecerunt, vt eius arcis potiundæ ſpe conatus meliores fruſtrarentur, viresq; Polonorum non hoſti magis quàm ſibi ipſis propter difficultatem annonæ graues, inerti obſidione languidas & inutiles redderent. Nam Brodnicia, præterquam quòd natura arteq; permunita eſt, valido hoſtium præſidio tenebatur, & commeatu armisq; abundabat. In eius igitur obſidione Rex cum omni exercitu totum menſem fruſtra conſumpſit. Inde Vitoudus, necquicquam retinente Rege, non ſine animi eius offenſione diſceſſit. Et iam morbus vulgò in corpora militum ex panis penuria graſſari cœperat. Continuabat tamen Rex obſidionem, dimiſſisq; quoquo versùs frumentatoribus cum præſidio armatorum, frumentum in caſtra comportabat. In eos dum quadam die hoſtes ad omnem occaſionem rei benè gerendæ intenti, impetum feciſſent, longè plures à paucioribus fuſi fugatiq; ſunt, ſexagin- *Brodnicia.*

ta captis, ducentis desideratis. Sub idem tempus veriti Gedanenses, ne pacem factam, Poloni etiam suam Ciuitatem oppugnarent, & sibi præsidium constituerent in domo Episcopi Vladislauiensis, quæ est in Schottland eandem cum Capella adiuncta diruerunt. Huic diuulsioni Rudolphus Eilenstein Commendator Gedanensis primam manum admouit. Quod negotium postea delatum ad Pontificem Max: tandem per Vladislaum compositum fuit. Venit interim ad Regem legatus Pontificius Ioannis XXIII. Ioannes Lausanensis Episcopus, qui facilè impetrauit à Rege desidis & famelici belli, (sic enim vulgò appellatum id est postea) iam pertæso, vt duorum annorum inducijs cum Crucigeris constitutis, Constantiensis Concilij iudicio causam & controuersiam suam omnem cum Crucigeris permitteret. Itaq; Rex dimisso exercitu reuersus in Poloniam de amplissimi Consilij sententia Legatos ad concilium misit. Episcopi Prussiæ sub his, orationes & supplicationes publicas ad DEum instituerunt, vt res bonum finem sortiretur, néue Polonis Prussia adiudicaretur: ne fortè se redimere pecunijs necesse esset. Peragebantur verò Litaniæ, singulis ferijs secundis, quartis, & sextis. Quod opus pium Crucigeri deridebant: Vicleffitæ calumniabantur. Dicebant enim hi iuxta Euangelium suum, Deum non attendere vociferationes nostras, sed ordinare res pro arbitrio. Prohibebant quoq; Episcopi hoc tempore omnia lætitiæ signa, præter nuptiarum dies. Perfecit his diebus Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, qui tunc in Consilio Constantiensi gratiosus erat, cum Collegis suis, vt Ioannes quispiam Falchembergius sodalis Dominicanus decreto Concilij in tetrum carcerem compingeretur, quòd subornatus à Crucigeris, satyram siue famosum libellum in Vladislaum Regem & in omne Polonum nomen conscripserat.

Capella in Schottland diruta.

Anno 1417. die quarta Septembris, moritur XI. Episcopus Pomesaniensis, Ioannes II. Hunc coacti Capitulares à Magistro in Episcopum elegerunt, iam in Ordinem inuestitum. Adeo rerum erat indigus, ut etiam habitatione commoda careret. Nam incidit in id tempus, quando Poloni Crucigeros in Tanebrica pugna fuderant, & omnia deuastarant. Pace vtcunq; cum Polonis composita, Henricus Reus Plauenius, bona cum Ecclesia Pomesaniensi diuisit. Ita sanè fidem capitularibus & Episcopo, vt superiùs dictum est, datam de augendis illorum bonis Magister seruauit. Sed non semel quid fecissent deplorarunt. Mortuus Marieburgi, sepelitur Quizini. Successit ei in Episcopatu Gerardus XII. Episcopus Pomesaniensis. Prorogauit deindè Vladislaus Rex inducias cum Crucigeris in aliud biennium Cæsare & Carolo Rege Francorum petentibus: & anno 1418. rursus apud Velunum Samogitiæ cum Crucigeris de pace conuentum egit, deductis secum primoribus Polonorum. Vndè cùm re infecta discessisset, dimissisq; Proceribus, ipse cum paucis apud Vigros, syluæ id nomen est, venationi vacaret, parùm abfuit, quin in Rastenburgensis Commendatoris insidias incideret.

Ioannis II. Episcopi Pomesaniensis mors.

Non parùm Gedanenses exacerbati erant, vt supra dixi contra Gerardum Beck, cùm ob delationes factas ad Magistrum, tum quòd eum Magister in perpetuum Proconsulem contra libertatem Ciuitatis creâsset. Hoc etiam anno 1418. odij maioris causam aliam subministrauit. Nam his diebus Gunterus Tilmannus vxoris Gerardi frater Parochiam Gedani ad S. Maiorem mercatus erat: cumq; esset discipulus Hieronymi de Praga, qui anno Christi 1414. Constantiæ

1418.

ob

ob hæresim fuit exustus, eius sectam publicæ prædicare cœpit. Vt eam euaderent Ciues, Monachorum Dominicanorum templum frequentabant, eorumq; conciones audiebant: relicto Parocho ac Ecclesia Parochiali. Rursus Parochus sibi animos aliorum Religiosorum deuinxit, eosq; à parte sua habebat: nec alieni erant ab eo reliqui Sacerdotes. Disputauit Gunterus frequenter de fide cum Dominicanis, à quo isti semper victores recedebant. Quo accidit in dies partes eorum meliores fieri apud plebem. Quod fit? Gerardus, ne penitus destituatur Gunterus, patrocinium affinis sui suscipit. Vocabatur tunc vulgò Gerardus, ferreus Proconsul. Non credebat hic aliam vitam post finem huius. Itaq; in defensionem suam & affinis Rudolphum ab Eilenstein Commendatorem Gedanensem sollicitat & accipit: coniuraturq; in expulsionem Dominicanorum. Quod vt faciliùs efficerent, eleemosynas dari Monachis sub pœna centum marcarum prohibuerunt: ac vt nemo illorum Ecclesiam frequentaret, nec vllam conuersationem cum illis institueret. Tantùm verò aberat, vt horum mandatis obsequerentur, ut eò etiam maiores largitiones Dominicanis facerent. Prohibuerunt proindè vlteriùs, ne Parochi, qui stabant ex parte Gunteri cum Capellanis suis, illis, qui conuersarentur cum Dominicanis, sacram Eucharistiam porrigerent. Inuenti verò plurimi sunt, qui priùs quàm communicarent cum hæreticis sine Sacramentis decederent. Sed & in vita functos, eorum crudelitas abibat. Nam terræ mandari non permittebantur, nisi priùs quàm è domo exportarentur, Parocho florenum Rhenensem soluissent. Sed & nonnulli Parochi deniq; quartam partem Eleemosynæ, quàm Dominicani in pagis acquisiuissent & impetrâssent, vi quadam ademerunt. Non ferentes vlterius Monachi has iniurias, Magistrum adierunt, atq; negotij seriem exposuerunt. Quos cùm patienter audiuisset, Gedanum se quàm primùm venturum promisit, & causam auditurum ac dijudicaturum. Fecit promissioni suæ satis, veniensq; iuxta allegata & probata contra Gerardum, ac alios Monachorum hostes ita sanciuit. Quandoquidem Dominicani ante nostrum Ordinem Gedani habitauerint, à nobis & nostris non pellantur: cumq; nihil proprij possideant, eis dare Eleemosynas non vetamus. Contigit verò omnes illos tres, Commendatorem, Parochum, & Gerardum Beck infra hebdomadam vnam paulò pòst mori.

Hieronymi de Praga secta Gedani.

Gerardus Proconsul Gedanensis.

Dominicani Gedanenses vexantur.

Insequenti anno venêre ad Regem in Poloniam duo Legati Martini Pontificis Max: Iacobus Camplus Spoletanus, & Fernandus Hispanus Lucensis Episcopi, de pace cum Crucigeris conficienda postulantes: qui comiter & liberaliter à Rege habiti, cognita eius voluntate ad pacem propensa in Prussiam inde ad Crucigeros contenderunt, Quorum corrupti muneribus, cùm monumenta ad causam ipsorum pertinentia ijsdem ipsis exhibentibus, inspexissent ac descripsissent (ad quam fortè rem magis quàm ad pacem faciendam, Crucigerorum rogatu atq; sumptibus venerant) Regis causam incognitam temerè testimonio suo damnarunt. Qua de re grauiter posteà Rex coram Pontifice questus est. Ac fecit is deindè potestatem Regi, producendi documenta causæ suæ. Dimissis autem Legatis Pontificijs, Rex Cassouiam profectus est ad colloquium à Sigismundo Cæsare inuitatus: ibiq; blanditijs eius inductus, arbitrum eum tulit Crucigeris ex compromisso de contumelijs, damnis & injurijs quas ab illis acceperat, reclamantibus quos secum duxerat Proceribus & ad extremum vt certa tamen formula, certoq;

Legati Pontificij ad Regem Vladislaum.

certoq; die id compromissum adstringeret, suadentibus: quorum Princeps fuit Albertus Episcopus Cracouiensis, Idemq; Cancellarius Poloniæ. Recusabant autem id compromissum Crucigerorum Legati, qui tunc ibi aderant, siue adeò recusare se ex composito simulabant. Quare Cæsar vehementer, vt videri volebat, irritatus, arma se cum Vladislao contra eos coniuncturum jureiurando interposito pollicitabatur. Qua de causa remittere ei Vladislaus pecuniam, quam mutuam dederat, Scepusiumq; mox reddere cogitabat, ni Proceres, cum quibus ea de re communicarat, id ei dissuasissent. Soluto Conuentu Vladislaus in Poloniam reuersus magnâ curâ bellum aduersus Crucigeros apparauit. Misit & Cæsar Episcopum Potauiensem Imperialem Cancellarium & Ioannem Comitem de Herdeck Cracouiam, vt in speciem arma & cætera ad Prussicum bellum necessaria exercitui suo compararent. Quibus lautè à Rege sumptus suppeditati sunt. Sed ij cum supra quadraginta dies Cracouiæ mansissent, vltronè an reuocati, incertum est, in Vngariam ad Cæsarem reuerterunt. Redijt deinde ad Regem ex Vngaria Sbigneus Brezius Marsalcus, qui ad deducenda à Cæsare auxilia relictus erat, vanitate Cæsaris perspecta. Lactatus inanibus Cæsaris promissis Vladislaus, tamen institutam in Prussiam expeditionem non remisit, ne legatione eius quidem motus, qua ille ab eo contendebat, vt in aliud tempus id bellum differretur. Iam copiæ omnes Volboriam conuenerant indeq; per Masouiam progressæ ad fines hostium peruenerant, cùm venit ad Regem in castra Bartholomæus Capra Archiepiscopus Mediolanensis legatus à Cæsare dirimendi eius belli causâ. Et confecit is quidem rursus adiuuante maximè Vitoudo & adiuuante Pontificis Max. authoritate duorum annorum inducias, cùm compromissi sui Regem admonuisset, & aliud ei ex aduerso respondens ipse à Crucigeris attulisset. Præfinita autem compromisso dies ad Octauum Idus Ianuar: quam Epiphanias Christiani dicimus. Itaq; irritus ille apparatus belli fuit. Cum Erico autem Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ Rege, ac Duce Pomeraniæ eiusq́, consiliarijs publicè à Vladislao & Vitoudo in castris tunc ictum est fœdus & societas cùm contra alios utriusq; partis hostes, tum nominatim contra Crucigeros, ea lege, vt etiamsi quis Principum ab eo fœdere vellet discedere, subditi tamen ipsius eo nihilominus tenerentur: ne tamen vteruis altero inscio Crucigeris vel cuiquam omninò bellum inferret. Excepti sunt autem à Vladislao & Vitoudo Sigismundus Cæsar & Venceslaus Rex Boëmorum, propter priora cum ipsis fœdera. Sigismundus Vratislauiam se sequi legatos Polonorum & Crucigerorum iusserat, vt ibi inter eos de controuersijs arbitrum ageret. Sed ipse ad extremam demum compromisso præfinitam diem, post initium noui anni eò venit. Veritus igitur ne die lapsa, irritum esset compromissum, vt Crucigeris gratificaretur, causâ non cognitâ neq; disceptatâ, sententiam ex scheda, quam in pera paratam habebat, insertis quibusdam quæ in controuersiam non venerant, recitauit, reclamantibus necquicquam Polonis, & fidem religionemq; Iudicis requirentibus. Fuêre autem Archiepiscopus Gnesnensis, Cracoviensis & Plocensis Episcopi: Palatini Cracouiensis, Posnaniensis, & Zendomiriensis: itemq; Calissiensis Castellanus, Mareschalcus Regni & Zauissius Niger: qui omnes duobus relictis actutum discessêre, Cæsare necquicquam retinente & errorem quidem agnoscente, sed culpam in alios transferente, & moderationem decreti pollicente. Quam tamen legati Crucigerorum fieri passi non sunt. Eò verò potissimùm spectabat decretum

illud

illud Cæſaris, vt abolito decreto delegatorum Apoſtolicorum, Caroli Vngarorum & Ioannis Boëmorum Regem arbitrium, pactaq; apud Torunium inter Polonum Regem & Magiſtrum conuenta, rata eſſent, quamuis ijs pactis juxta ac arbitrio priores Crucigeri non ſtetiſſent. Additum nonnihil de Zlotoria Iaſeniciaq; arcibus, Lubicia moletrina (erat autem Lubicia moletrina fortiter ædificata à Crucigeris in fluuio Dreuancia, ad prohibendum Polonorum impreſſiones in Pruſſiam) & finibus ditionum Crucigericarum cum Maſouia itemq; cum Samogitiæ parte, quæ Lituanis relinquebatur: qui fines tantiſper duraturi eſſent, quoad Rex & Vitoudus viuerent. Pœna autem appoſita eſt decem millium librarum ſeu marcarum argenti. Quod decretum cum magnoperè diſplicere Regi Cæſar intellexiſſet, miſſis duobus legatis ad eum, correcturum ſe eſſe pollicitus eſt, quòd non malitioſè, verùm imprudenter Crucigerorum fraude circumſcriptus deliquiſſet. Verùm ne in eo quidem ſeruauit fidem, cum Vladislaus rurſum Epiſcopum Cracouienſem & Marſalcum ea de re ad eum miſiſſet. Relata deinde re ad Senatum, parendúmne eſſet iniquiſſimo decreto Cæſaris, an eo ſpreto inferendum bellum Crucigeris, placuit ad tempus quieſcere & expectare, ecquam priores Crucigeri, non parendo decreto Cæſaris, iuſtam belli occaſionem darent. Nec ea diu expectata eſt. Cùm enim Crucigeri duodecim millia & quingentos aureos nummos Regi decreto Cæſaris ad certam diem numerare deberent, nec ſatis auri parati haberent, legati Regij Ioannes Coſcelecius Palatinus Vladislauienſis, & Sbigneus Oleſſnicius Secretarius, argentum quod in ſupplementum auri dabatur, non accipiebant, dieq; lapſa, teſtati priores Crucigeros judicatum non fuiſſe, diſceſsêre. Quæ res apprimè grata & exoptata Regi Poloniſq; atq; etiam Vitoudo accidit. Quietæ tamen aliquamdiu poſtea res fuêre inter Polonos & Lituanos atq; Crucigeros. Interim miſit Vladislaus Legatos ad Sigiſmundum Cæſarem pollicens ei omnia auxilia contra hoſtes: modò vt poſtea viciſſim Sigiſmundus cum ipſo contra Crucigeros, ſecundùm pacta conuenta, tandem arma coniungeret. Ei autem rei præſtandæ pignus interim Sileſia in poteſtate Vladislai vt eſſet tantiſper, quoad Sigiſmundus fidem ſuam apud eum liberaſſet. Grata fuit hæc legatio Sigiſmundo, majoraq; is vltrò Vladislao, quàm quæ poſtulabant legati, obtulit: nimirum coniugium vnicæ filiæ ſuæ, cuius Vngaria & Boëmia hæreditaria regna futura eſſent: aut verò Agathiæ Viduæ, quæ cum Venceslao Rege fratre ſuo nupta fuiſſet, ſi magis per coniugium ipſi placeret. Adhuc enim impubes erat filia Sigiſmundi: ei verò viduæ dotem fore Sileſiam & centum millia florenorum. Res hæc reiecta eſt ad comitia. Interea Vladislaus Rex cum Friderico Marchione Brandeburgenſi affinitatem iunxit, deſponſa filio eius natu maximo Friderico, vnica filia ſua Heduigi. Pollicebatur autem Fridericus Pater Vladislao magna aduersùs Crucigeros auxilia, quoties opus eſſet. Sed ea cùm ex pacto paulò pòſt poſcerentur, negauit in eum annum ſe mittere poſſe: perſuaſitq; Regi, vt in ſequentem annum bellum Crucigericum differret, quòd diceret, initurum ſe eſſe rationem, vt Crucigeri vltrò imperata Regis facerent, & vel culinarium eius currum ducerent. Acceſſit etiam ni fallor ad prorogandas inducias Pontificis Max. authoritas, apud quem tunc cauſa inter Regem & Crucigeros Paulo Vladimiro Cuſtode & Canonico Cracouienſi negotia Regis Romæ gerente, diſceptabatur.

Hanſiaticæ ciuitates, 1421. anno, per nuntios egerunt cum Crucigeris

Portoria. geris de portorijs, quæ accipiebat Ordo: motæ ea ratione, quòd illa non ab Ordine instituta fuerint, sed à Ciuitatibus in communem vtilitatem inuenta: & tamen sibi vsurpâsset ea Ordo. Res tandem ita inter ipsos conuenit, vt de perceptis portoriorum hactenus Magister Ordinis nullam quidem rationem daret, sed retineret: at in posterum tales redditus permitteret ciuitatibus. Hoc anno lasta siliginis empta est triginta sex marcis. Tritici, 62. marcis. Hordeum non creuerat. In autumno orta pestis, iuniores mulieres præcipuè sustulit. Et venit sequentis anni initio, qui fuit à Christo, 1422. Legatus Pontificius Antonius Zenus Iurisperitus, vir integer & incorruptus, siue ad componendas res inter diffidentes Polonos & Crucigeros, siue ad cognoscendam diligentiùs causam & audienda vtriusq; partis testimonia, describendaq; monimenta. Secutus est autem is Regem in Lituaniam.

1422.
Legatus Pontificius

Ioannes Hintze Hempel Episcopus Sambiensis. Decimus Episcopus Sambiensis fuit Henrico Ioannes vulgò Hintze Hempel, mirabilis nomine, admirabilior vita & conuersatione: accepit Episcopatum à Magistro Fratre Michaële Cochmeistro. Nam cùm ex nobiliore familia esset, eorum à Schauenborch; suscepit quoq; unà Crucem & Ordinem. Sacerdotium verò non accepit, cùm toto tempore suo in bellis vexilliferum egisset, & vitam profligatam duceret, cum suis in crapula & alijs sceleribus. Nam eo tempore viuebat in Ordine prout quis voluit. Vehementer Episcopatum debitis grauauit. Repertus est mortuus tandem. Sepultus fuit Regiomonti, nullo Sacerdotio insignitus. Nam probauerat se bonum Capitaneum Magistro Vinrico in multis prælijs. Cumq; Keistutus fugâ Marieburgo elapsus fuisset & rursus Crucigeri eum insequerentur: isto Episcopo vsus est Capitaneo, cui commendarat 11000. militum, & triginta tormenta, quorum quodlibet projiceret lapideam pilam ad mensuram vnius capitis humani. Nec mora, Caunam obsedit, vbi se Waydotus senior Keistuti filius detinebat: qui egressus etiam ad Castra Magistri, ab ipso Episcopo baptismum accepit, Henrici nomen sortitus.

Henricus IV. Episcopus Sambiensis, Vndecimus Episcopus Sambiensis fuit, Henricus IV. oriundus ex oppido Salefelt Prussiæ, Canonicus Regiomontanus: in Episcopum ad intercessionem Magistri à Capitularibus electus; Episcopatum inuenit grauatum quadraginta tribus millibus marcarum: quæ maiori ex parte pro vino & aromatibus exposita erant. Ad quorum solutionem ipse adstringebatur: quæ quoq; soluit subtractis sibi & suis necessarijs. Ipse fundauit maturam de Domina nostra in collegio Regiomontano, coempta mola in eundem finem, pro 1700. marcis. Post mortem ipsius inuentæ sunt in thesauro eius in auri & argenti pretio, marcæ 24. Sepultus est ante altare maturæ Missæ.

Hoc anno Michaël Cuchmeister ab Officio depositus est, ob certas causas. Defendit se quidem rationibus allatis Magister, sed tandem persuasus à Germaniæ Fratribus, vt voluntati deponentium propter communem pacem officio cederet: Id etiam vltrò resignavit. Inter Germaniæ Fratres, qui aderant, fuit quispiam vir insignis F. Ioannes Tawulerius dictus, Custos Francofortensis ad Mœnum. Is tunc in Conuentu orationem habuit, in qua Crucigerorum errores in medium adduxit: & ad correctionem eorum modestè inuitauit. Horum verò post imprecationem salutis præcipuè meminit. Paruam scilicet vel potiùs nullam curam salutis Prussorum haberi, pecunijs enim perceptis, ij sua sacra & superstitiones peragere permitterentur: alios quoq; in errores Hussiticos ruere, quibus Fratres ad interitum exemplo certo præeant. Subditorum insuper Priuilegia ac libertates, quod ne quidem infideles Tur-

Ioannes Tawulerius.

cæ

cæ facerent effringi: pupillorum & viduarum sub nomine tutelæ, bona auferri. Sed & tales Prutenis Sacerdotes; eorum conniuentiâ præfici, ac beneficia pecunijs assequi, qui sæpiùs canes copulârunt, quàm libros euoluerunt, pro consuetudine sua ebrij, lusores, ac mercantias exercentes: quibus etiam subtractis decimis, agri dentur, quorum gratiâ eos talem familiam alere oportet, quæ eis maioris ruinæ causa sit. Festos non dies ritè coli, sed choreis, lusibus, compotationibus, ac operis rusticorum communibus absolui, ita ut nulla sint festi alicujus indicia, quàm campanarum strepitus. Pauperioribus Ecclesijs non succurri; vt lampas ante Venerabile Sacramentum accendatur: cùm aliquot millia canum alantur. Facere illos, vt pastores, contra quos Ezechiel Propheta aliquando c. 34. grauem querelam iustè deposuit. Meminerint sanguinis illius innocentium effusi in Tanebrico, templorum spoliatorum, matronarum ac Virginum constupratarum, quorum scelerum illi causa fuissent. Cuius rei ac aliarum nomine modò Prussia sine cessatione pestem, & omnium rerum defectum pateretur. Vereri se, ne etiam aliquando excidium & exilium patiantur, cuius indicium non leue esset, quod etiam inter se Fratres contendant ac digladientur, more Judæorum refractariorum, qui ob similes causas patriâ suâ orbi, exilium septuaginta annorum perpessi fuissent. Ordinem non debere spem suam in armis ac munitionibus firmis ponere, si Deus illos perstringere velit, esse hæc aranearum telas: Ad iustum dolorem ac pœnitentiam accederent, si fortè ab instanti interitu eripi velint, qua ratione etiam Iudæi vsi essent, vt suo loco restituerentur.

Post hæc, processum fuit ad noui Magistri electionem. Sed cùm Sueui ex suis ac Bauari, Francones, Vogtlandi, Austriaci, Rhenenses, Misnenses ac aliæ nationes singulæ etiam ex suis quempiam eligerent, nihil operæ pretij in hac electione actum est: qua de causa infecta re Germaniæ Fratres discessum cogitabant. Indictus fuit demùm pro Conuentu dies S. Valentino sacer: ita tamen, vt nemo quenquam eorum, qui antea nominati fuissent, proponeret. Sic die comparente, vnanimibus votis electus fuit Paulus Bellitzer à Rusdorff è Carinthia, Commendator Christiburgensis. Assumpsit is in Marsalcum F. Ludouicum ab Aytsheim: in magnum Commendatorem F. Ludouicum à Lantzberg: in hospitalarium Henricum Holt ex Commendatore Elbingensi: in trapiarium F. Conradum ab Erlichhausen: in thesaurium Fr. Nicolaum à Goyliten: in Collegas FF. Martinum à Kempraden & Nicolaum Fulingerum. Hi in usum induxerunt titulum Principis, quòd se scriberent, DEi gratiâ tales esse.

Anno sequenti, tantum per hyemem frigus inhorruit, ut in litore maris Venedici Gedano Lubecam usq; viatores equis & curru ire redireq; potuerint. *Frigus ingens.*

Anno vno dehinc, Dominica *Misericordia Domini*, omnia granaria Gedani: pro festo verò SS. Petri & Pauli tota Lastadia cum toto prope Suburbio, & Ecclesia Beatorum Apostolorum Petri & Pauli: in Octobri tandem platea, die Dreyergaß/ dicta: item prope istud tempus latomia, igne perierunt. Emebatur isto anno in Prussia modius siliginis vnâ marcâ. *Incendium Gedani.* Bellum deinde Regi cum Crucigeris præter omnem opinionem exarsit. Nauiter operam dabat causæ disceptandæ Zenus legatus: & iam finis induciarum inter Regem & Crucigeros appetebat. Egit ergo legatus cum vtrisq; de prorogandis inducijs: eoq; rem perduxerat, neutris recusantibus, vt eæ conuenirent, ni fraus Crucigerorum deprehensa esset. Offensus enim iniquitate Cæsaris Vitoudus, Sigismundum Co- *Bellum cum Crucigeris.*

V cibutum

ributum fratrem, cum non contemnendis Polonorum & Lituanorum copijs in Boëmiam ad recipiendum ac defendendum aduersus eum gentis illius regnum haud multò antè miserat, si non annuente, certè non aduersante Rege. Id cùm ægerrimè ferret Cæsar, Crucigeros ad inferendum Polonis bellum incitabat. Et vt faciliùs incautos fallerent, suadebat, inducias non abnuerent: illa conditione in pactis adiecta, vt eatenus eæ firmæ essent, quatenus ipsi quid aliud siue à Pontifice Max: siue à Cæsare in mandatis non haberent. Ea de re cùm Cæsar aliquot hominibus habitu mendicorum ornatis literas ad Magistrum Crucigerorum perferendas dedisset, vnæ ex his inter vestes mendici apud Coninum fortè mortui inuentæ, dolum detexerunt. Itaq; bellum comparatum. Nam intra paucos dies cunctæ copiæ è Polonia, Russia & Lituania, quò iussæ sunt, conuenêre. Interim autem Zenus cùm cognitioni causæ apud Vratislauiam insisteret, mandato Pontificis importunitati Cæsaris concesso, reuocatus est. Suspecta enim eius fides & integritas Crucigeris esse cœperat. Ingressus autem Rex terram composito agmine, perindè ac si hostes in conspectu essent, incedebat. Et habebat ij sanè supra triginta millia equitum atq; peditum, commissuriq; erant rem vniuersæ dimicationis discrimini, ne vastari sua sub oculis paterentur: nisi Conradus Nemcius Silesius, vir scientiâ rei militaris præstans, temeritatem eorum, qu cum tanto exercitu pauci dimicare vellent, redarguisset. Erant enim supra centum millia bellatorum in castris Regijs. Itaq; Crucigeri mutato consilio ad tutandas munitiones suas, dilapsi sunt: relicta manu ad prohibendum Polonis Deruanciæ transitum. Sed ea facilè à Polonis pulsa est, cæsis captiuatisq; compluribus. Circum castella deinde & oppida Poloni arma circumtulêre. Fridericum, quod Vambreznum Poloni vocant, vbi domicilium erat Culmensis Episcopi & Golubum oppida cepêre, diripuêre, incendêre. Duæ Golubo arces imminebant: ex his inferiorem præsidiarij milites Crucigerorum ipsi incenderunt, quò faciliùs superiorem defenderent: & equos suos, ne prædæ Polonis essent, interfecêre. Sed superiore quoq; Poloni, cùm machinis quassassent, per deditionem potiti sunt. Præsidiarij omnes, qui plures quàm quadringenti fuerunt, cum quindecim Crucigeris in vincula coniecti. Ibi dum Rex castra habebat, venit ad eum Corbauiensis Episcopus legatus à Cæsare, petens, ne Crucigeros bello vexaret: Si quid ij deliquissent, iure cum eis apud Cæsaris tribunal, cui illi subiecti essent, ageret. Quòd si iniquitate sententiæ Cæsaris offenderetur, Cæsarem, si quid eiusmodi esset, correcturum esse. Si qua aliâ iniuriâ læsum se esse à Cæsare arbitraretur, Polonis & Vngaris proceribus rem disceptandam secundùm fœdera permitteret. Ad hæc sic ei responsum est. Quod ad Crucigeros attineret, Regem satis perspectam fidem & æquitatem Cæsaris habere: pariturum tamen eum fuisse eius decreto iniquissimo, nisi Crucigeri priores id contempsissent. Deindè prorogaturum quoq; nihilominus inducias cum eis fuisse, ni subiectam fraudem ex literis Cæsaris deprehendisset. Illud etiam quale esset, quod is opera sua Antonij Zeni, legati Pontificij, incorrupti viri iudicium intercepisset? Itaq; oportere Regem armis sua repetere, quando aliter non possit. Coributhum non Regis iussu in Boëmia cum exercitu esse, sed Vitoudi. Cum hoc responso dimissus legatus. Non intermittebant interea Poloni populabundi hostiles agros longè lateq; dispersi infestare. Fortè quadringenti Valachi expediti (tot enim Palatinus Regi in auxilium miserat) sub Marieburgo prædas agebant. In eos Crucigeri magno numero ex arce effusi, impetum fecerunt. Valachi venientium contra se hostium

Golubum capitur.

Valachi contra Crucigeros.

stium multitudine animaduersa, in proximam syluam se recipiunt, ex equis desiliunt, non insueto genere pugnandi pedestres inter condensas arbores sese defensuri. Descendunt & Germani, hostes vt latitantes, quemadmodum opinabantur, è latebris extraherent. Sed mox denso sagittarum imbre à Valachis obruti, cæsis captiuatisq; primis fugam capessunt. In fuga quoq; à persequentibus Valachis non paruam cladem accepêre. Victores Valachi cum præda & captivis in castra reuersi sunt.

Alia quoq; non minori clade per idem tempus Crucigeri inter Orlouiam & Murinouiam pagos profligati sunt ab Angrea Brochocio præfecto Brestensi, gente Ossorio, non magis viro forti quàm pio atq; religioso. Erat is cum Mathia Labissinio Brestensi & Ioanne Coscelecio Inouladislauiensi Palatinis, & cum omni nobilitate Cuiauiensi relictus à Rege ad præsidium eius oræ cum imperio, ne quid à Crucigeris ibi moueretur. Indignati verò Palatini sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis, per speciem comparandi commeatus recesserant. Perstitit in castris Brochocius, nihil ea discessione deterritus, diligentiusq; seruabat excubias quoquoversus dispositas. Erant in præsidio Nessouiæ octingenti equites Crucigerorum: ij vt incautos Polonos opprimerent, silenti agmine circumvecti, à tergo, vbi nullas rebantur seruari excubias, noctu eos adorti sunt. Sed non fefellêre tamen. Et vltimas quidem excubias securas oppreſsêre, verùm à secundis ad tertias & inde in castra clamor perlatus, Brochocium cum suis excituit. Armis raptim correptis, hosti septa castrorum conuellere iam incipienti intrepidè occursum est: commissoq; prælio (& lucebat fortè luna) cessit Polonis victoria: dissipati fugâ hostes cùm per incognita sibi loca syluasq; errarent, agrestibus prædæ fuerunt per subsequentes dies. Magnusq; fuit numerus captiuorum, in quibus Commendatoris Torunensis Vicarius, ac duodecim Crucigeri fuerunt. Nam Commendator ipse elapsus est. Rex Golubensi arce potitus ad Coualouiam, quàm Germani Schonese vocant, castra mouit, & arcis illius oppugnatione nonnihil incommodi accepit. Nam oppidum ipsi Crucigeri succenderant. Captus cum paucis Dobrogostius Camenecensis Castellanus, per cuius incuriàm Drahimum haud multò antè interceptum erat à Germanis militibus in Prussiam contendentibus. Tametsi intra paucos dies arx ea à Polonis recuperata fuit, Pauli Venzici Germani operâ: qui cùm esset inter præsidiarios hostium, Polonos clàm noctu cassibus venatorijs in arcem sustulit: à quibus mox præsidium hostile deiectum est. Paulus perpetuo censu donatus à Rege in salinis Velisconsibus. Omissa Coualouiæ oppugnatione ad Torunium Rex duxit. Fortè didicerat ab exploratoribus, Crucigeros non contemnendas copias coëgisse: quanquam non habebant ij in animo aperto prælio cum Rege manus conserere, sed occasionem benè rei gerendæ captabant. Contra hos ergò sexdecim Polonorum totidemq; Lituanorum vexilla misit. Sed priusquam in conspectum ventum est, hostes aduentu Polonorum cognito, fugâ dilapsi sunt. Rex cùm pestem grassari Torunij accepisset, contagionem metuens, mutato consilio, vastatis modò suburbanis, in Culmense territorium exercitum reduxit, vt id siue peruastaret siue in potestatem suam redigeret. *Brochocius vincit Crugeros.*

Moritur verò anno Christi, 1424. Die 11. Febr. Heilsbergæ Ioannes Abenzir XI. Episcopus Varmiensis, nondum pace facta inter Iagellonem & Ordinem. Elogium eius ita sonat. *Mors Ioannis Abenzir Episcopi Varmiensis.*

Me vota consultum fecit, Constantia sacrum
Pontificem, ingratis obsequor ipse viris.

Franciscus Kuschmaltz Ressel. XII. Episc. Varm.

Sepultus est in Ecclesia Cathedrali Varmiensi. Electus verò est in XII. Episcopum Varmiensem anno eodem 13. Februarij Franciscus Kuschmaltz fabriferrarij Resselienſis filius, decretorum Doctor, Præpositus & Canonicus Varmiensis, à Capitulo: & consecratus in Ecclesia Heilsbergensi.

Interea Crucigeri & ipsi inauspicati belli pertæsi, oppidanorumq́ suorum clamoribus & querimonijs defatigati, legatos ad Regem de pace miserunt. Non difficulter impetratum. Pacis leges supra Ossam flu-
1. uium, & apud Melnum lacum in castris conscriptæ. Inter quas erant præcipuæ: vt Rex Galardi & Petri judicium à Pontifice Max. delegatorum decretum: magistri verò Crucigerorum Prussiensium quidem Paulus, Liuoniensium verò Sifridus, pacta Torunensia & Sigismundi
2. Cæsaris decreta duo ex compromisso lata repudiarent. Samogitiam, Sudos, Nessouiam arce ab ipsis tamen dirutâ & materiâ asportatâ Rex
3. haberet, itemq; dimidium Vistulæ & naualis apud Torunium Crucigeris verò redderet quicquid de ijs tunc cepisset: præteritæ omnes
4. iniuriæ obliterarentur. Quod si vtriuis bellum renouare vellent, vt subditis eorum impunè liceret Dominis suis nullam opem ferre. Pe-
5. cuniam quoq; certam Regi Crucigeri numerare debebant: quanquam hoc monumentis literarum mandatum non est. Hæc ita conventa Eberhardus quoq; generalis Crucigerorum Magister literis suis comprobauit.

Non parùm me angit, quisnam sit iste Eberhardus, quem hic dicit Cromerus fuisse generalem Crucigerorum Magistrum: cum paulò antè Paulum nominauerit Prussiæ Magistrum & Liuoniæ Sifridum. Paulus etiam non cognominatus fuit Eberhardus, sed Bellitzer à Rusdorf. Certum est quoq; inter generales Magistros nullum fuisse Eberhardum. Dum itaq; cogito, quidnam huic difficultati respondeam: non aliud occurrit, quàm quòd dicam, librarij esse errorem, qui Eberhardum pro Paulo reposuit. Nec tamen rata fuêre inita pacta. Nam discedente Rege, non impleuerunt Crucigeri promissa: ita iubente Cæsare. Vnde cùm irritatio animorum inter Principes majores motus parturire videretur, Vngarorum Proceres conuentum cum Polonis expetiuêre: nec difficulter impetrarunt vt ad Kesmarcum oppidum delecti a Rege de sententia comitiorum secum conuenirent. Ibi constitutum, vt ad medium Quadragesimæ anni sequentis ipsi inter se Cæsar & Rex conuenirent: & Proceribus Vngaris & Polonis arbitris, quemadmodum erat in fœdere, de injurijs mutuis disceptarent: Crucigerorum quoq; Legati cum luculentis mandatis vt adessent. Congressi deinde Cæsar & Rex ad præstitutam diem apud Staresolum, cùm de iniurijs mutuis inter se audientibus Proceribus, expostulassent, pacem inter se renouarunt. Crucigeri quoq; pacta conuenta apud Melnum lacum seruare iussi, dicto audientes fuerunt, & controuersa quædam pactorum conuentorum capita, ad mercaturam & commercia pertinentia, conuentu cum Polonis apud Nessouiam instituto, explicarunt. Missi deindè à Rege Sbigneus designatus Episcopus, Sendiuoius Ostrorogius Posnaniensis & Stanislaus Ciolcus Procancellarius ad regundos fines cum Crucigeris in Samogitiam certis signis a Crucigerorum ditione diremerunt.

Conuentus Cæsaris cum Rege.

Samogitiæ limites

Cum deinde eodem anno Sophiæ Reginæ corona imponeretur, adfu-

adfuerunt inter alios actui Elbingensis & Torunensis Commendatores, nomine Magistri Crucigerorum Pauli Rusdorffij, rogati & inuitati. *Sophia Reginæ coronatio.*

In comitijs deinde Lencicensibus anno à Christo nato, millesimo, quadringentesimo, vigesimo sexto habitis, permissum Crucigeris importunissimè efflagitante Vitoudo, vt moletrinam Lubicensem, quam ex pactis conuentis demoliti erant, instaurarent. Cùm ob temeram promissionem Vitoudum quidam ad eum ablegati, obiurgarent, inquit: nisi id precibus suis datum esset, se Dolangense territorium in Samogitia ad mare vergens, Crucigeris donaturum esse. *1426. Moletrina Lubecensis.*

Magnis nauibus ad hæc vsq; tempora Prussi non erant vsi: Crucigeri verò pro vsu suo sex nauigia habebant, singula ducentas lastas ferentia; quibus suas merces quas dimidio pretio acquisierant, occidentem versùs nauigantes distrahebant. Illa vicissim quæ adferrent, satis magno pretio vendentes. Ex alijs autem regnis, nullis in Prussiam adnauigare licebat, nisi Lubecensibus Priuilegio quodam donatis. Malè illi tamen soluebant Prussis merces: Vndè rixæ multæ & tumultus eius rei causâ Torunij, Elbingæ, Brunsbergæ, Regiomonti, & Gedani fiebant. Nec deerant nautæ qui operam suam nauarent ciuibus, sed minùs Crucigeris, quia minus soluebant. Anno 1427. non pluit à Paschate, vsq; ad S. Laurentium. Circumportabatur, tunc caput S. Barbaræ: tum Deus pluuiam præstitit, vsq; ad hyemem nunc majorem nunc minorem. Rumpebantur verò ex his pluuijs aggeres Vistulæ. Sed & pestis eodem anno orta, sustulit octodecim millia puerorum: famulorum & mendicorum, viginti quinq; millia; Ciuium ac rusticorum, triginta octo millia. Fratres ex Ordine, centum septuaginta tres. Tres Suffraganeos, Sacerdotes, & monachos ac monachas quingentos, sexaginta vnum. Itaq; penè deserta fuit Regio. *Naues magnæ. 1427. Pluuiæ defectus. Pestis absumpsit 81737.*

Gerardus XII. Episcopus Pomesaniensis, hoc quoq; anno moritur, ac Quizini sepelitur: vnus ex Ordine ex Conuentu Regiomontano. In Episcopum consecratus est Culmseæ, ad mandatum Pontificis Max: egestatis ergo. Creauit sex Canonicos, & inuestiuit eos, ac in communi cum ijs vixit impatienter. Nam adhuc Magister isto tempore vsus est bonis Episcopalibus. Successit ei Ioannes III. *Gerardus Epis. Pomesaniensis moritur.*

Vir pius anno Christi 1428. professione Monachus Carthusianus Henricus Boringer, vixit. Is præuiderat maximam cladem & ruinam Ordini præ foribus adstare. Nec id difficile illi fuit colligere, cum esset in sacris literis versatissimus, sciretq; Deum peccata hominum, quicunq; ij essent, iustis coërcere pœnis. Erant tùm enormia peccata in Ordine: neq; his soli inferiores homines Ordinis infecti scatebant, sed majores maximè, qui minoribus exemplo virtutum prælucere debebant: quales fuerunt Commendatores, Aduocati, Præsidesq;: & ante hos Prælati Spirituales: sed non leuiora erant in communi populo. Horum vitiorum Carthusianus ille, magnam partem collectam ac literis comprehensam Magistro Paulo legendam proposuit: ab eo seriò postulans, vt sumat animum ea corrigendi: aliàs non emansuras pœnas cùm in Ordinem tum in populum, quibus DEVS solitus fuit talia scelera castigare. Non otiosè fecero, si vel capita & summulam illarum literarum (quæ longiores sunt) huc apposuero. Incipit verò de judicijs, quorum Deus author esset, rectè constituendis & exercendis, Magistrum *Crucigerorum ruina præuisa. Scelera Crucigerorum.*

monere. Hæc enim ab superioribus, iuxta ac inferioribus judicibus, varijs modis inuersa essent; scilicet ignorantiâ, muneribus, cupiditate, multitudine assistentium, assentatione, amore, inuidiâ, timore & similibus. Monitores judicum Prælatos, altum dormire, egereq; ipsosmet excitatoribus. Excedere Iudices præterea terminos iudicij, adeò vt non solùm pauperes ijs quæ adhuc habere videntur, priuent: sed etiam innocentes morti adiudicent: quales iniustas spoliationes, cædesq; DEVS vindicaturus est. Necessariò aliquem reformatorem iudiciorum esse debere. Ob iudicum prauitatem DEum Regiones sterilitate terræ percutere; cùm è contrario ob recta piorum judicia eidem benedicat. Multos inferiores judices hac arte vti, vt si quando Superiores ad oppida deueniant, ipsi omnium primi aditum occupent, atq; informationes suas, licet falsas, quibus mordicus illi adhæreant, instillent. Iniustitias perpetratas non nisi pœnitentiâ seriâ deleri. Posthæc Magistrum alloquitur: Clementissime Magister, inquiens, sapientissimè Spiritus Sanctus cordi vestro inspirauerat, quando vigesimo quinto anno [regiminis vestri] terris Prussiæ grauaminum abolitionem promisistis.

Iudices praui.

Subijt mihi cogitatio, dum hanc periodum scribo, cuiusnam iste annus vigesimus quintus sit? Et certum est non esse Magistri. Nam constat illum non esse assecutum vigesimum quintum annum in regimine, quia est electus anno 1421. mortuus 1440. qui tantùm annos nouemdecim conficiunt. Vigesimus quintus annus est Christi supra millesimum quadringentesimum, in quem eius regimen etiam incidit. Duo verò illa verba *regiminis vestri* expungi debent. Sed hæc Epistola & alijs mendis infecta à Lutherano prædicante scatet. Dolendum est, quòd aliundè habere non potuerim. Sed pergit Boringer.

Pridem infernales Dæmones tantam in se vim & incursum non pertulerant: pridem adeò non exhorruerant: pridem tantùm gratiæ his terris & Ordini illuxerat, quantum hoc edictum conciliauerat. Hac enim via, Prussia ad pristinũ vigorem breui peruenisset. Væ illis, qui huic sancto proposito obstiterunt. Nam Prussiam per hanc conuersionem & vitæ emendationem Dominus DEus ab incursu & impetitione Polonorum, gentilium, hæreticorum, & omnium aliorum hostium immunem conseruâsset. Consideretis velim, DEUM, vos in Principem constituisse harum terrarum, quæ plurima mala à prælio illo hucusq; pertulerunt, dubio procul ob peccata iniustitiasq; potentium, qui à multis annis pauperes oppresserunt. Commendâstis alicui vestras oues, cui multum confisi estis, is verò lupo est illis infestior. Adueniat gratia Spiritûs Sancti in cor vestrum, vt secundò de proba aliqua reformatione juxta cuiusq; statum cogitetis, tollatisq; iniustitias & iniquitates. Non deerit DEus vestro conatui: qui etiam faciet vos securum in suo iudicio, cùm dicturus est, redde rationem villicationis tuæ. Concedat vobis is ipse ita officio vestro vti & Dominio, vt cum alijs iustitiæ ministris dici audiatis: Venite benedicti in regnum patris mei. Ita vos DEus adiuuet. Subdit pius vir, se debuisse hanc monitionem edere, ne se væ illud sempiternum, more aliorum tacentium canum, perpeti necesse sit. Sed pergit. Legimus, librum legis amissum fuisse, nec potuisse quempiam intelligere, cur DEus afflixisset populum, vsq; dum Iosias in Ierusalem Rex factus fuisset. Tunc enim inuentus est liber & palàm lectus. Ex quo intellexit Rex, mala ista ob neglectam legem

gem DEi populo accidiſſe. Præcepit proindè vniuerſo populo, vt iuxta legem vitam inſtitueret, & præcepta DEi ſeruaret. Cùm primùm Ordo in hanc regionem velut in terram promiſſionis deueniſſet, ac viueret in timore Domini, & iuxta regulam, eſſetq; exemplo bono ſubditis, benè res procedebant. Sed liber Moyſis paulò pòſt amitti viſus eſt, cùm Regulas Ordinis licentiâ viuendi prætergreſſi ſunt Fratres. Si enim conferatur præſens vita cum illorum conuerſatione, qui primi Regionem occupârunt, quaſi è diametro hæ pugnant. Si verò primi illi, qui in quercu viuebant, Torunia dicta, huiuſmodi vitæ fuiſſent, cuius nunc Ordo eſt: nunquam illum ad hunc florem DEus perduxiſſet. Propterea Clementiſſime Magiſter, referre perſonam Ioſiæ, & de noua reformatione cogitare velitis, vt quisq; pro vocatione ſua viuat: ſcilicet Regulares, iuxta regulam: Epiſcopi & Sacerdotes iuxta vitam Epiſcoporum & ſanctorum Confeſſorum; & ſæculares iuxta præcepta DEi. Hac enim ratione & via amiſſum codicem inuenietis. Ne prætendatis, quaſi id ſit Epiſcopi munus. Cùm enim caput regionis iſtius ſitis, ſi negotium vrgeretis, dubio procul læti Epiſcopi vobis præſtò eſſent. Accipite cordi ſententiam Domini, qua mandauit Moyſi inquiens: *Tolle omnes Principes populi & ſuſpende eos versùs Orientem ſolem in patibulo.* Quod Principibus ob illorum negligentiam, in correctione vitæ peſſimæ populi, iuxta gloſſam communem non obſcurè contigit. Non fruſtra vos DEus iſto honore inſigniuit, cùm vos quoq; per Ordinem, Fratres de Ieruſalem vocari voluerit. Voluit enim, vt per cognitionem peccatorum & correctionem ſcelerum veſtri Ordinis, ad eum ſtatum perueniatis, vt dominemini inimicis veſtris, & viſione pacis perpetuæ fruamini. *Scribit deindè*, non debere Magiſtrum de hoſtibus ſpem aliquam victoriæ concipere, quamuis opibus, potentiâ, armis, ac militibus multùm valeat; quamdiu vitia Ordinis ac populi non fuerint correcta. Videret ne ſuo Ordini contingat, quod ſectis Ioannitarum atq; Templariorum, de quibus cùm aliquando in flore fuerint ſummo, nunc niſi nomen ſuperſit. *Apparet certè, Monachum hunc non fuiſſe hypocritam & aſſentatorem.* Pergit. Clementiſſime Magiſter, cùm itaq; reformatio diſciplinæ & morum ad veſtrum officium pertineat, incipite & emendate inordinatam vitam, ac tollite omnia ea quæ illam cauſant: ſuccidite peccatum & iniquitatem, atq; veſtrorum ſubditorum vitam dirigite iuxta præcepta Domini & eius iudicium: vt DEus hanc regionem in obedientia Ordinis contineat, & non ad gentiles ſinat redire. Si verò DEus placari vobis & Ordini debeat: infraſcripti articuli, peccata atq; ſcelera, quæ multò magis hic quàm alibi vigent, omninò tolli debebunt. His dictis, Carthuſianus porrò oſtendit iudices non ſolùm iura peruertere, vt ſuprà dictum eſt, ſed etiam apertè parui pendere atq; contemnere, ſiue ea ſint Eccleſiaſtica, ſiue ſæcularia. Imò nihil unquam Commendatoribus magis aduerſi & peius contingere poſſe, quàm productio Eccleſiaſtici iuris. Pro inimico enim illud habent, nec ferunt mentionē eius. Nam factis eornm contrariatur. Deceret quoq; Iuris diuini maiorem rationem habere. Sed & ſæculare minùs ſeruare, quàm teneantur. Nec quidem ſubditis aliquod ius ſeruare vlteriùs neceſſe eſſe, cum illis non adlibeat. Nam ſtultè & audacter nimis ipſis quidā dicunt: Quid ius Culmenſe? Nos ſumus ius veſtrum. Si procurator ius ſcriptum referat, quòd ſit contra propoſitum Iudicis, inhibetur eius prolatio, ipſeq; aduocatus carcere

& sponsionibus faciendis deterretur. Quamuis tamen in maioribus ciuitatibus vtcunq; sæculare ius procedat: sed in minoribus ac villis sæpissimè petulanter si non per Commendatores, saltem eorum conniuentiâ per Officiales, syluanos, eorumq; Collegas euertitur, & interdum satis crassè. Communiter modò in ciuitatibus scultetus talis eligitur, qui multa noua aulica referre potest. In electione Syluani eodem modo proceditur: & talis Officialis mensæ Domini assidere debet. Scabini quandoq; iudicare debent pro voluntate Dominorum, de quo publicè coram populo conquesti sunt. Æquitatis ratio postulat, vt quando superior iudices eligit, eos verbis Iosaphat Regis alloquatur: qui ad Iudices, *Videte*, inquit, *quid faciatis, & quomodo iudicetis: non enim hominis exercetis iudicium, sed DEI.* Si contingat quempiam vulnerari aut occidi, tum ex auiditate pecuniæ Iudex supremus tantam multam vulneratori vel occisori imponit, vt pro dolore, sumptu & neglectu vulnerato modicum quid cedat. Nonnunquam inter altercantes honestæ compositiones ad euitandum iuramenta contingunt. His contractibus se Domini immiscent ac taliter contrahentes multâ plectunt: dicuntq; reos inueniri, quòd compositionem ineant. Si quando alter alterum leuiùs lædat, ac læsus propter DEum & amicitiæ ergò lædenti culpam condonet; tum necessè est iudici soluere eam pecuniam, quam vulneratus accepisset. Euanescit enim hic regula iuris: nullum iudicem esse, vbi accusator desit. Sed cupiditas habendi, quid non designat? Contigit anno vigesimo secundo vestri regiminis, indici rusticis pensionem auenariam in Insula Mariana. Quæ auena solui illis pecuniâ paratâ debuit: nam officialis illam, quæ prouenerat ex agris acceptare noluit. Necessè igitur rusticis fuit ex granariis Ordinis coëmere auenam, lasta sex marcis soluta. Cùm rursùs auenam ad arcem deuexissent, soluta est ipsis lasta quatuor marcis; sed & quatuor modij deerant mensuræ. In eo vel plurimùm erratur, quod progressum censurarum Pontificum & Imperatorum authoritate conditarum & confirmatarum Commendatores ac alij Officiales, nominatim excommunicationem, quæ virtutis & humanæ salutis causâ primùm à DEo, deindè à Sanctis Patribus iam ab initio Christiani nominis introducta fuit, impediant. Nam in populum hanc ferri non patiuntur, abducentes suos ab obedientia Ecclesiæ: cùm iura censeant, omnes Dominos qui suos populos contumaces & rebelles reddunt, bannis Pontificum subiacere. Id alter vix tanti facit. O quot in excommunicatione mortui sunt? Infligitur quandoq; alicui pœna pro delicto minori, non quæ de iure debet inferri, sed pro beneplacito, maxima. Si pauper taliter grauatus Magistrum conveniat, conqueraturq; se ad paupertatem cum vxore & liberis redigi: atq; Magister veritatem rei cognoscens, subsidij literas ei ad Officialem tradat, contingit, vt is delatorem adhuc magis puniat, incarceret cogatq; quæ habet vendere; solum vertere. Quo accidit, vt injuriâ affecti pauperes conqueri iam ampliùs non audeant. Hæc temporibus superioribus facta sunt, nec minus sub regimine vestro desinunt. Nihil verò peius in terris reperias, quàm cùm impunè contra leges iudices abeunt. Leguntur Reges à Christi cognitione alieni, non tulisse iudicum iniquitates, sed eos pœnis & torsionibus affecisse. Nominatim proditur literis, Alexandrum Magnum circuisse Ciuitates, negotijs ac legationibus Magistratus occupasse, & ijsdem interim absentibus in communitatibus inquisitiones instituisse.

fuisse. Constat verò quorundam Conuentuum Commendatores, præsides, syluanos, & Aduocatos, esse pœnâ & emendatione dignos. Id curant Magistri scilicet. Sed tales sententiam DEI exhorrescant, qui ijs Dominia in terris distribuit, qui etiam rationem percepturus est, quomodo commissos subditos virtute excoluerint. Id aliquis probè expendere debet. De anno in annum, nouæ consurgunt operæ, pensiones, contributiones. In defectu aliquarum rerum, eas pecunijs emere subditi debent. Cùm Commendatores, præsides & syluani mercatus exerceant, plurimùm miseros subditos aggrauant. Tenentur enim in illorum gratiam & commodum omnis generis ligna secare, & ad Ciuitates deuehere. Nonnulli Commendatorum, officialium & syluanorum coëmunt per factores suos siliginis modium per sex leuiores solidos: modium auenæ per tres aut etiam viliùs. In verè empta frumenta inter subditos distribuunt, recepturi pro siligine duodecim, & pro auena sex solidos. Ista scilicet cedunt in commodum Regionis. Cùm Commendator Præsidem, syluanum aut Camerarium creat, nullum eidem salarium assignat, sed dicit: vt de suo quilq; officio viuat. Væ indè pauperibus. Hæ inordinatæ quæsturæ Commendatorum, dignissimæ sunt correctione. Exemplum Commendatorum Præsides, Aduocati & syluani & alij qui officijs valent, sequuntur. In conuentibus piè viuendum est, decantandæq; sunt deuotè horæ Canonicæ: ad quas otiosè agentes Domini sunt obstringendi & compellendi. Nam auditur illos dum in Ecclesia canitur, in cellarijs vel palatijs græcari. Id non semel fieri dicitur, sed sæpissimè. Bonum esset singulis diebus Dominicis in Conuentibus Conciones fieri, atq; ad eas intentos Dominos reddere & egressu eos arcere. Nam pars maior eorum paucas conciones in vita audiuerunt: ita quidem vt aliqui difficulter orationem Dominicam calleant. Refertur plurimos Fratres conuentus fugere, & quacunq; arte possunt, declinare: quosdam etiam officia syluana pretio conducere, vt ipsis quodam intuitu abesse ab illis liceat. Adeò zelus pietatis expirauit, vt iam in conuentibus vix aliqua deuotionis species in habitu aut moribus referatur. Parùm præterea curatur, cuius scilicet Prussi fidei sint, aut qualis vitæ. Plerumq; suas adhuc obeunt Cæremonias atq; sacrificia. Dicitur Prussos, mansuros Prussos. Optimè consultum esset, si Commendatores in inferiori Prussia, modum ac rationem conuertendorum illorum excogitarent, ac eos ad pietatem veram inducerent. Quantùm verò ipsos Sacerdotes pij ad Ecclesias compellunt, tantùm illos è contra nonnulli Domini impediunt, siue vlla necessitate sæpiùs diebus festis eos ad operas communes præstandas non solùm messis tempore, sed per totum annum ad varios labores cogentes. Ac idcircò remanent in ignorantia, & nihil de DEO & fide addiscunt. Id non curant Domini, sed cogitant quomodo eis & eorum laboribus vti ac frui possint adducti auaritiâ, superbiâ & cœcitate: cùm non possint aut velint intelligere causam, cur tale Dominium in terris Prussiæ obtinuerint peregrini in eam deuenientes. Memineritis & animo suscipite de negotio conuertendorum Prussorum iam S. Birgittam vaticinatam & scripsisse, 2. lib. Reuelat. cap. 19. quando his verbis eam alloquebatur Dominus, inquiens: *Dixi de apibus, quæ triplicem fructum proferre debent in suis aluearijs. Dico tibi nunc, quòd tales apes deberent esse Crucigeri, quos in illis finibus terrarum Christianarum*

Prophetia S. Brigittæ de Crucigeris.

norum posui. Sed iam ipsi pugnant contra me. Nam de animabus non curant, non compatiuntur corporibus conuersorum ad fidem Catholicam, & ad me de errore. Opprimunt enim eos laboribus: priuant libertatibus: in fide non instruunt eos: Sacramentis priuant, & cùm maiori dolore mittunt eos ad infernum, quàm si starent in suo assueto Paganismo. Nec etiam pugnant, nisi vt dilatent superbiam suam, & augeant cupiditatem suam. Ideò veniet eis tempus quo confringentur dentes eorum, manus dextra mutilabitur, & subneruabitur dexter pes eorum, vt viuant & seipsos cognoscant. Hactenus Prophetia. Deus multis annis vsus in Ordinem patientiâ, aliquot vindictas exhibuit, dentesq; eius sunt attriti & pes dexter abscissus per illam cladem nempè in Tanebrico: videte, & cauete, ne & dextra Ordinis, id est, terra Prussiæ, quæ meritò vniuersi Ordinis dextra est, amputetur. Cogitetis tandem de melioratione & conuersione regionis. Singulariter meminit dicta Prophetia & conqueritur, qualiter Prussiam libertate Ordo spoliauerit. Durum hoc equidem atq; barbarum: Christiani esse debent, & vti rectè Christianorum iure non permittuntur. Dicunt enim: Si quis sine filijs decebat, aut filius eius non cum eo viuat, ad dominum eius bona deuolui: cùm è contra Dominus dixerit, vbi non sunt filij, filia hæreditabit. Prætextum huius adhibent, dum aiunt: aliàs agros desolatum iri. Sed hic vanus est prætextus. Inueniri enim posset alter modus, ne agri desolentur, sicut in alijs regionibus. Horrendum ijs contigit, qui hoc excogitarunt in dominijs suis & mortui sunt. Sed verò relinquendum est id iudicio diuino. Clementissime Magister, iam ad vos res deuenit, accipite eam cordi. Habebant gentiles quandoq; iura sua scripta: nunc horribiliora ipsis ab Ordine exhibentur. Prussorum iuramenta risui & pro nihilo à Dominis habentur, & coram Deo vera sunt. Et quia tam leuia æstimantur, iuraret quispiam per dies quatuor aut sex, quæ fortè iniusta essent. Ideò esset necesse reperire alium diuinorum modum iurandi. Ponendum verò existimo Crucifixi Imaginem, vt ipsi digitos imponant, & solita verba recitent, ne iniuriam iuramento faciant. Terrori hoc ipsis esset. Nam aliàs nimiùm faciles sunt in ijs præstandis. Quòd manum collo admoveant, contra DEum faciunt prohibentem iurare per creaturas.

Vitia populi. Enumeratis vitijs Officialium, Ordinis & subditorum eorum, qui rus habitant, progreditur author ad errores mercatorum, Parochorum atq; artificum, aitq;: Similiter reperiuntur in mercatoribus & artificibus iniquitates. Decipiuntur enim varijs modis pauperes ab ijsdem. Cui rei nemo eâ diligentiâ, qua par est, attendit. Quamuis eo in negotio statuta & mandata habeantur, non tamen dimidio anno durant: cùm nimirum res Ciuitatum maiores concernit. Sed nec Domini de tali negotio sunt solliciti, cùm putent id ad se minimè pertinere. Periuria, adulteria, vsuræ communia sunt, nec pro peccatis vltra in Prussia censentur. Nominatim, adulteria non puniuntur: imò iam Sacerdotes vix ausint ea reprehendere. In promptu causa est, quòd superiores nonnulli adulterijs inhient. Propter fœminam vnam quandoq; plurimas contentiones excitari certum est. Honestatis rationi id verè repugnat, ac cum scandalo hominum fit, & contra DEum grauissimè delinquitur. Sed quisq; pro voto agit, & pro animi sententia vivit, nec à Superioribus Ordinis coërcetur. Ita scilicet honoratur castitas Mariæ; cuius intuitu Ordo creatus & institutus est. Quin magis is æmulatur & sectatur Helenæ adulteræ libidinem, cuius

lus gratiâ triginta & plures Reges interierunt, Troia deuastata, ac vltra centum millia hominum deleta sunt, vt historiæ produnt. Sæpissimè contingit in Ciuitatibus per socios artificum Virgines deflorari sub promissione Matrimonij, qui posteà profugiunt desertis misellis. His non attenditur. Vsura pro communi ac licito modo viuendi habetur. Eques, miles, ciuis, rusticus, seruus, Prussus æquè ac Germanus, nemo istorum alteri marcam mutuam dabit, aut pecuniæ hereditariæ dilationem patietur, nisi sub censu. His diebus exorta consuetudo est, vt si quis alteri debeat pro frumento vel aliquo simili, si non sit soluendo, addit ei creditor tantum frumenti aut pecuniæ, vt habeat ab eius domo singulis annis marcam censûs. Propterea, inquit Propheta, quòd terra plena sit vsura & dolo, à DEo affligitur, prout Prussiæ in prælio illo accidit. Diebus Liberalibus Diabolici planè saltus exhibentur, spectatæq; Matronæ pallia virilia & similes vestes sibi fieri curant. Grauissimum omnium auditur, quòd nullibi minùs in Christiano orbe mandata DEi obseruentur, quàm in Prussia. Hic adhuc Dijs immolatur, & festi dies non coluntur. Qui conueniunt ad Ecclesias, ab ijs, qui merces suas tempore diuinorum exponunt, turbantur: aut etiam à tabernarijs cereuisiam propinantibus. Oportet talia prohibere. Homicidia communia sunt, præcipuè apud Prussos: nam hominem viliùs equo soluunt. Cùm verò puniuntur homicidia, non intenditur, vt hæc ampliùs in posterum non fiant, sed tantummodò lucrum quæritur. Propterea non curatur, etiamsi plura vno die contingant. Quæ si quis radicitus velit tollere, tollat causam necessè est: nimirum compotationes nocturnas (nam minùs homicidia de die fiunt) in tabernis, quarum copia plurima est causâ maledicti census, sed & indies plures fiunt, aliorum etiam seminaria malorum. De censu animarum DEo lucrandarum minùs solicitantur. Encænia siue anniuersariæ Ecclesiarum dedicationes multas quoq; cædes adferunt, quas solennitates interdixerunt quidem Episcopi, sed populus talia interdicta minimè curat. Foliorum lusus plurimùm increbuit, cùm in aulis tum in alijs locis. Ne cognoscantur in foro tales, iam de libo siue pane dulciario ludunt. Sacerdotes bona reformatione indigent: culpabiles enim verè sunt, cùm vita illorum plùs sæculum, quàm Spiritum sapiat. Culpam in Ordinem rejiciunt eiusq; consiliarios, qui eos agris & familia, qui multorum malorum origo sint, onerarint. In veteri testamento decimis Sacerdotes alebantur. Quod fieri DEus voluit, vt diuina sine solicitudine peragerent. Quantò magis inter Christianos id fieri deberet: exaudirentur enim faciliùs, amoueretq; DEus plagas ad preces illorum, sicut antiquitus. Nunc cùm oporteat Sacerdotes solicitos esse de negotijs mundanis, necesse est, illos multa officia negligere, aut certè si ea non negligant, tamen orationes suas cum multis distractionibus facere, nec intimè eas ad Dominum mittere. Oportet itaq; necessitatibus illorum succurrere, vt quondam Moysi oranti, ne cogitationes eorum in terram decidant. Si conqueratur Sacerdos coram Commendatore, nescit is quid ipsi antiquitus debeatur. Plùs itaq; fauet suis, quàm Sacerdoti: sed nec concedit illud, vt is in foro Spirituali quærat, num de pensione sibi debita quidquam in scriptis reperiatur. Itaq; necesse est, imò id Sacerdotes percupiunt (si nihil in veteribus codicibus reperiatur, quod Sacerdotibus in his terris antiquitus debebatur) vt propter DEum adhuc cum consilio Prælatorum iuxta DEum &

iura

iura in hac causa constituatur. Sed nulla cura Sacerdotum habetur nunc, nec pridem habita fuit vndè viuant: existimatum est, illos nimiùm abundare. Accipienda est animo sententia Malachiæ Prophetæ dicentis: *Quia mihi non dedistis decimas, idcirco in fame & penuria estis maledicti.* Tales & similes aptas & claras sententias sub quolibet rerum allatarum capite posuit author, quas breuitatis causâ omisi. Concludit tandem. Clementissime Magister, hæc admonitio ex pura opinione & bona voluntate processit, & solo DEO, nemine alio, cui omnia cordium secreta patent, conscio. Non intendo aliquam accusationem aduersus quempiam instituere, Quicquid feci, pro conuersione saluteq; hominum, conseruatione Venerabilis Ordinis, & ad promouendam gloriam DEI feci, vt auertat iram suam ab his terris. Moneo Clementiam vestram, per eum à quo Ordo signum Crucis accepit, & sub cuius vexillo pugnatis, vt clementer & beneuolè id mihi vertatis. Neq; excusationem adferatis & prætendatis, quasi majora negotia terras Prussiæ & Ordinem concernentia præ manibus habeatis, ac ideò his vos rebus minus posse intendere. Hoc quippe vobis inprimis necessarium constituere, quòd terris pacem, securitatem atq; salutem adferat. Quia cessante causa cessat effectus. &c. Hactenus ille. Apparet, verò ex sequentibus turbis & bellis in Prussia habitis, Carthusianum hunc apud Ordinem seriâ hâc monitione nihil profecisse, sed laterem, vt est in prouerbio, lauisse.

Vitoudus affectat Regnum Poloniæ. Circa hæc tempora incepit Vitoudus ambire regnum Poloniæ. Id fecit instinctu Crucigerorum, qui nullam incommodandi Polonis atq; Lituanis occasionem etiam in pace prætermittebant, fœdusq; & societatem cum Vitoudo inibant. Erat autem Vitoudus jam octogenarius. Intelligens verò Jagello Rex, quorsum Vitoudi & Cæsaris, qui ei magnoperè fauebat, conatus & molimina, & noua cum Crucigeris Prussiensibus atq; Liuoniensibus fœdera inita spectarent, anno sequenti, qui fuit post Christum, 1430. Comitia Ledlinam indixit. In quibus inter alia actum de alterutro ejus filio, uter aptior regno admistrando fore videretur, Rege creando, cùm adoleuerit & prærogatiuas atq; beneficia superiorum Regum cunctis Ordinibus publicè data confirmauerit, Rex ubi nulla ratione Vitoudum de sententia deduci posse animaduertit, negotium dat Ioanni Ciarnicouio Succamerario Posnaniensi, vt ad confinia Poloniæ & Saxoniæ obseruaret, atq; inter nuncios Cæsaris & Vitoudi per Prussiam ultrò citroq; commeantes interciperet. Nec malè successit Ciarnicovio negotium. Etenim Baptistam Cigallam Jureconsultum Genuensem, & Sigismundum Rothum Silesium à Cæsare ad Vitoudum proficiscentes cepit, excussosq; inconsultè dimisit. Scripturas autem ab eis ablatas ad Regem attulit. Habebant hæ inter alia mandata, de fœderibus & societate Prussiensium atq; Liuoniensium Crucigerorum aduersùs Polonos. Cùm & alibi itinera obseruarentur à Polonis, cœpit res suspecta esse Crucigeris suorum sibi consiliorum & conatuum conscijs, misitq; Paulus Rusdorfius Magister perquisitum ab eis, hostésne eos an amicos ducere deberet? Responsum est, nihil ejus referre, si ipsi intra fines suos armati rerum suarum curam haberent. Si bellum illaturi sint, indicturos id esse priùs. Ægerrimè hæc tulit Vitoudus, ubi rescijt: sed tamen dolorem apud hospites ad celebritatem coronationis suæ sedulò dissimulauit, & ad finem usq; Septembris eos apud

(margin: *1430.*; *Ioannes Ciarnicovius.*; *Baptista Cigalla.*)

se

se retinuit. Fuerunt autem ij duo Magistri Crucigerorum Prussiensium & Liuoniensium cum primoribus Commendatoribus Moschorum, Tunerensium, & Odojouiensium Russorum Duces & Principes Tartarorum. Sbigneus Olessnicius tandem, quòd ipsi data esset respondendi ad propositionem Vitoudi occasio, sic inter alia renunciari jussit: Ne erret, non honoris ejus gratiâ id ei suadere Cæsarem & Crucigeros, deuotos & sempiternos non magis Polonorum quàm Lituanorum hostes: sed ut duos conjunctissimos populos, qui conjuncti graues sibi essent, disjunctos commissosq; inter se, intestinis atq; Ciuilibus propè modum armis debilitent atq; deleant: idq; Cæsarem vulgò jactare, dictitantem, se os in medium duorum canum conjecisse, ob quod ij ad mutuum usq; interitum concertaturi sint. Nec multò pòst pœnituit Vitoudum facti, & apud Trocos mortuus est, cum aliquanto octogesimum annum excessisset. Post mortem Vitoudi exarsit bellum inter Vladislaum & Suitrigellonem fratres. Cùm verò Rex Biecium profectus bellum parat, eò venit ad ipsum Ludouicus Commendator Turonensis legatus à Magistro Crucigerorum, deferens ejus operam ad componendas res inter dissidentes fratres, ei gratiæ actæ, factaq; potestas, ut id ageret. Non intermittebat tamen Rex Suitrigellonem ad pacem inuitare. Sed nihil inde pacati referebatur. Sperabat enim ille Regem breui inde ad aliud bellum à Crucigeris, cum quibus fœdus icerat, reuocatum iri. Conueniebat jam de pace inter proceres, sed eam Suitrigello approbare noluit, nisi Crucigeri quoq; confœderati & socij sui pacis ejus legibus continerentur: quos magnis promissis adduxerat, ut violato fœdere Cujauiam atq; Dobrinum armis infestarent. Quod cùm facerent & Crainensem oram vastarent, non parua clade ab agrestibus Cujauijs ac Dobrinensibus, quibus se nonnulli pro Ducibus ex Polonis exhibuerant, affecti sunt. Neq; parsum est arma abijcientibus. Theodoricus modò Marsalcus Liuoniensis & septem Commendatores capti cum quatuor vexillis, Cracouiamq; ad Regem missi, omnes præter Theodoricum in carcere vitam finierunt. De vniuerso autem agmine illo in quo septingenti Liuonienses equites, præter cæteram Curoniensium, Suecensium, Tucholiensium, Schlochouiensiumq; equitum, pariter & peditum manum fuêre, paucissimi equestres ferè euaserunt. Nam reliquus Crucigerorum exercitus peruastata longè lateq; Cujauiensi ac Dobrinensi ora, viginti quatuor oppidis (in quibus præcipua fuêre Inouladislauia, Vladislauia & Nessouia Torunio æmula) & plus mille pagis direptis & incensis, arceq; Nessouiensi præsidio munita, incolumis & præda onustus domum reuerterat. Illos uberioris prædæ spes ab Jodoco Taucholiensi Commendatore ostensa longiùs prouexerat, & quidem non sine magno compendio, nisi id sanguine suo exoluissent. Nec mirum cuiquam videri debet tantùm detrimenti vna illa excursione acceptum esse. Proposuerant enim Crucigeri præmia incendiarijs, oppidorum quidem ternas marcas, pagorum verò singulas. Munitioribus autem oppidis & arce Nessouiensi, proditione Nicolai Tumigralæ Siecouij, quem Rex ad custodiam Cujauiæ reliquerat, potiti erant: Breste frustra tentarunt. Miserat quidem Rex, & Suitrigello pariter, inducijs inter se factis, legationem ad Crucigeros, ne Poloniam bello vexarent: sed tardiùs ea peruenit, cùm jam hostes satis in homines omnis ordinis atq; ætatis & innocua tecta debachati,

Vitoudus moritur

Crucigeri cæduntur à Polonis.

Crucigeri deuastant Poloniam.

prædâ graues reuerterentur. Illud Crucigerico illo bello animaduersum, variè suspicandi hominibus ansam dedit, quòd Masouiorum fines intacti prorsus ab omni hostium furore fuerint.

1431 *Ioannes Pfaffendorff hæreticus.* Anno Christi, 1431. in die S. Ioannis Euangelistæ ad Parochiam Torunensem S. Ioannis inuestitus D. Ioannes Pfaffendorff, mox altero die Crucem amplexus est. Cumq; assecutus esset Doctoratum suum à Hieronymo de Praga & Ioanne Hus, palàm suasit, quemlibet posse eos in causa necessitatis suæ, tanquam Sanctos Martyres inuocare. Nam cremati essent, propter veritatem Euangelij. Pro nouo anno idem quoq; ita concionatus est. Hactenus, inquit, vos Monachi mendicantes ab Euangelio Christi abduxerunt per suum Euangelium: quo seruilem timorem in hominibns excitarunt. Fecerunt enim eos nunc ab hoc, nunc ab illo cibo abstinere: quasi homines propter aliam escam damnarentur, ex altera saluarentur: cùm tamen liberi simus ac facere possimus quod adlibuerit, nullo respectu habito ad DEum. Ex hoc capite meritò, à Monachis Dominicanis hæresiarcha appellatus est. Sed non tulerunt id impunè: nam omnes ipso authore, Torunio pulsi sunt à Commendatore Elbingensi; paulò pòst reuocati sunt, præter duos qui id dixissent. Qui reducti erant, iurejurando affirmare debebant, se Doctoris concionibus non contradicturos. Delata etiam Polonorum & Ordinis causa ad concilium, Parochus is tractatus aliquot scriptis edidit, in quibus negotium Polonorum rationibus infringere, & conclusionibus quibusdam sententiam abiudicare visus est. Laudabant tractatus istos plurimi Crucigerorum: multi etiam nihil sibi de Doctore & scriptis eius promittebant. Nam censebant Polonos non verbis, sed armis debellandos. Præcipuè ijs displicebat titulus quem sibi author arrogauerat. Is talis erat: Doctor Andreas de villa presbyteri, fauore diuino, Ordinis Diuæ Mariæ, patriæ lumen, Domus Teutonicæ numen, & Monachorum dumen &c. Stetit ab eius parte non solùm Commendator Elbingensis, sed & Magister Ordinis: cùius ille permissu ac literis datis totam Prussiam obiret ac prædicaret. Si quis cum eo disputaret ac victus ab illo recederet, ac nollet eius Euangelio consentire, in talem Magistratus oppidi extremam sententiam pronunciarent. Impediebatur verò eius progressus cùm à Crucigeris, quod alij eorum contrarium sentiebant, tùm à Prutenis. Neq; commodum aliud inde promanauit, quàm augmentum discordiarum & disceptatioum. Gedanum veniens pro nundinis ad festum S. Dominici, cùm illuc diuersi generis homines confluxissent, ita aliquando auditoribus locutus est. Dilecti fideles, ordinis mei honorabilis; Quemadmodum is olim vos ab errore idololatriæ ad verum ouile fidei IESV deduxit: ita ex eo furtiuè maledicti illi mendicantes Monachi, veluti lupi rapaces, rursus extraxerunt ac disperserunt: nobisq; loco diuinorum præceptorum, obseruationes hominum obtruserunt. Et cùm egeant ac nihil habeant, nisi quòd more canum circumcursitantium ægrè emendicant, nos ad ea credenda & colenda, quæ docent, cogunt: scilicet, vt Missas illorum appetamus, & vicissim illis necessaria subministremus. Sunt verò nihil aliud quæ docent, quàm figmenta hominum scelestorum & nequam. Ego verò, qui non emendicata stipe, sed auro probato scientiam assecutus sum, quid vos scire & credere oporteat, in his nundinis exponam: prout id quoq; Torunij in initio noui anni præstiti: paratus, singula locis

sacræ

sacræ scripturæ adductis, confirmare & comprobare. Si cui animus est mecum de ijs disputationem instituere, eam prouinciam non refugio, sed non alio arbitro & iudice, quàm igne. Et hæc quidem summa disputationis erit. 1. Hominem cuiuscunq; sectæ, si DEum inuocauerit, non amittere beatitudinem æternam. 2. Petrum Apostolum, qui negauit Dominum suum, non peccasse: nam DEus præsciuisset id futurum ab initio. 3. Prælatum mandantem aliquid vel prohibentem subdito suo, quòd non reperiretur in Euangelio, proditorem esse: nec teneri quenquam ad obedientiam. 4. Dauidem peccantem cum Bersabea, & occidentem virum illius non peccasse. Nam Dominus posset vti proprijs prout velit: maximè cùm ex vtriusq; consensu & amicè id factum fuerit. 5. Vriam damnatum esse, quòd non vteretur vxore sua & præstaret ei debitum. Similem pœnitentiam accepturos omnes, qui non implent Dei præceptum: *Ite & multiplicamini.* 6. Omnes qui offerunt pecora, victualia, ceram ac candelas accendunt, derogare fidei suæ: nam imagines, quas prohibuisset Deus, illi adorarent. 7 Omnia vota peregrinationum, & ieiunij magis damnabilia esse quàm salutaria: maximè matrimonio iunctis: Nam viribus illos deficere tali ratione pro solutione debiti, certum est: de quo mandatum Dei ab initio esset. 8. Omnes qui diebus Dominicis in monasterijs Missas & Conciones audiunt, & non in sua Parochia, in excommunicatione Christianitatis esse, & indignos omnibus Ecclesiæ Sacramentis. 9. Non valere excommunicationem Papæ aut Episcopi quàm non reciperet Dominus aut communitas Ciuium. 10. Confessionem, in qua homo se dicat pœnitere solùm, esse bonam: eam verò, quæ Monacho fieret, similem esse canibus, qui se circa festum S. Ioannis inuicem à pulicibus purgant. 11. Qui Imagini IEsu in horto flectentis, aut Mariæ gestantis Christum in sinu honorem exhibet, hunc idololatram esse damnatum. 12. Quod ad externum diuinum cultum conuertitur, haberi pro amisso & damnabili. 13. Sacerdotes à Dominis suis ad officium promotos censeri aptos & dignos ad orationem, quamuis cum decem mulieribus per noctem vnam commisceantur. Hos articulos Monachis exhibuit in scriptis, posteà cum illis disputaturus. Et sperabat non leuiter, his se carnalibus lenocinijs & illecebris tanquam retibus Monachos extracturum è monasterijs. Aderant Carmelitæ, Franciscani, ac Dominicani Gedanenses pro die & hora constitutis cum ipso etiam sub ignis incendio disputaturi. Comparuit quoq; D. Pfaffendorfius, turba insigni stipatus, & cum illo publici notarij: lætaturq; non modice populus veritatis audiendæ & experiendæ desiderio incensus. Orsus filum disputationis Pfaffendorfius interrogauit Monachos, quid cucullati bufali, velint? Illis respondentibus, se adesse ad eius postulationem, vt disputent quo modo & forma velit de articulis propositis: subiecit ille, Estne inter vos stultos, aliquis Doctor? Non adesse talem aiebant Monachi: sed confidere in DEum, se posse illi veritatem demonstrare. Inquit Pfaffendorfius sibi & Venerabili Ordini in despectum cessurum, si cum pediculosis cucullatis & stipem quærentibus tam nobile membrum Ordinis, & non cum Doctore dignitate & professione pari, disputaret: iubere se itaq; cucullatos & rasos abire. Quo audito, abiuerunt Monachi: sed & Pfaffendorfius desertus fui. à communi populo, vocatusq; Doctor Tarantus. Porrò habito inter se

colloquio, Monachi alij ab confœderatione contra Pfaffendorfium destiterunt, eò quòd se Doctorem assequi pro sua parte non crederent: præter Dominicanos, qui Vicarium Ordinis sui Doctorem Caminâ euocarunt. Qui cùm in conspectum hæretici venisset, interrogatus ab eo fuit: Dic mihi Monache quis sis, & quare hic adsis? Tune mortuos excitaturus es? Monachus inquit: Ista est deniq; virtus Euangelij IESV, si mortuos in anima resuscitem. Sum F. Petrus Wichman, Monachus Prædicatorum & sacræ scripturæ Doctor Coloniensis, Instructor ac Pœnitentiarius hæreticorum. Hic verò adsum, vt vobiscum disputem de veritate Evangelij IEsu. Qui verò ex nobis repertus fuerit veritati contradicere, patiatur id, quod de iure est. Doctor Pfaffendorfius, inquit, ergóne putatis me esse hæreticum? Respondit Monachus, si vester sensus ita obstinatus est, vt chyrographum vestrum (articulos insinuans) tam estis hæreticus, sicut homo estis. Ad quod Pfaffendorfius vociferabatur, petijt mox Monachum hunc capi & incarcerari. Putabat enim se vehementi calumnia læsum. Commendator ad hoc sapienter respondit; ab ipso Pfaffendorfio rem initium habere, pergeret, demonstraretq; opinionem suam ex scriptura ac concludat negotium rectè. Impugnabantur itaq; articuli multaq; dicebantur, quæ notabant notarij publici. Sæpè itaq; cum negaret hæreticus, quæ priùs asseruerat, suæ contradictionis redargutus est à notarijs. Ob quam causam quasi in furias versus clamores excitauit. Cuius rei eum Monachus monuit, dixitq;: Si væ exclamare disputare est, semper, quo est aliqua vetula magis sonora, victrix recedet. Hoc audiens Commendator Monachos abire iussit. Sequenti die Doctor Petrus inauditus curruiq; impositus, auectus fuit Caminam. Monachi postularunt sibi disputationem exhiberi, prout erat à notarijs excepta, quamquè contestabantur Ciues: curauitq; Petrus citari Pfaffendorfium Romam. Quibus irritatus Commendator grauiùs in Monachos excanduit. Nam & eleemosynas eis dari prohibuit, & si eas peterent, incarcerari petentes iussit: ac eorum templa frequentari: proclamariq; fecit: si quis ciuium eius disputationem contestatus fuisset, is vrbe per carnificem esset pellendus. Hanc molestiam Monachi patienti fortiq; pertulêre animo: neq; defuerunt, qui ijs copiosè annonam suppeditauerunt. In grauem dehinc morbum Pfaffendorfius lapsus (ac vnà maximus eius Patronus Seligermanus à Ringelhaym Commendator Redynensis) cùm mortem instare videret, à Monachis culpam deprecatus, seq; errasse, & errorem reuocare professus est: sicq; in fide Ecclesiæ post aliquot dies obijt. Controuersia hæc inter Monachos & Pfaffendorfium per integrum annum durauit, quam Pruteni saltum mendicorum der betler Tantz appellarunt.

Post initium anni, 1432. Lublinum Rex profectus est: Proceresq; Parsouiam ad conuentum cum Suitrigellone agendum transmisit. Erat autem apud Suitrigellonem Ludouicus Commendator Torunensis, qui hoc agebat sedulò: ne pax cum Polonis coiret. Venerunt deindè in minorem Poloniam legati Boëmorum hæreticorum auxilia contra Crucigeros Jagelloni offerentes, Grata fuit illa legatio Regi & proceribus bellum in Crucigeros molientibus: ac propterea comiter & lautè legati habiti sunt. Quod Episcopis ac maximè Sbigneo summoperè displicuit. Ejecto verò Suitrigellone ex Lituania, dominatus ejus certis cerimonijs traditus est Sigismun-

do cuidam. Interfuit his omnibus Ludouicus Commendator Torunensis cum tribus collegis à Paulo Magiſtro Crucigerorum ad ineundam nouam cum Sigiſmundo ſocietatem miſſus. Atq; is enixè ſtuduit infecta reddere, quæcunq; à Polonis Proceribus agebantur, adjutorem ad id nactus Georgium Butrim Lituanum, hominem ingenioſum & callidum, quippè qui multas Chriſtiani orbis regiones peragraſſet. Sed irriti tamen ij conatus fuêre: juſſiq; Crucigerorum legati velut hoſtes, Lituaniæ finibus ſtatim excedere. Ad Comitia deindè Cracouiæ indicta ad Natalem Chriſti venit Rex: in quibus de Pruſſico bello agi cœptum, resq; integra ad alia Comitia, quæ ad ſecundam Dominicam Quadrageſimæ Sendomiriæ indicebantur, rejecta, Eò prrò aduenerunt Oratores ad Regem à Baſilienſi Concilio, qui inter cætera poſtulabant, ut vexandis bello Crucigeris ſuperſederet, concilioq; cauſam illam omnem cognoſcendam & arbitrandam permitteret, quibus reſponſum eſt; Non abhorrere à pace Regem, ſi à Crucigeris ipſi ſatisfieret. Ita dimiſſi Oratores Concilij in Pruſſiam ad Crucigeros, ut eos ad accipiendam conditionem pacis à Rege oblatam adducerent, profecti ſunt. Cæterùm in Comitijs Sendomirienſibus de cognitione & apparatu belli à Polonis nihil remiſſum eſt. Tametſi gerendi ejus ratio non expediebatur, propterea quod Rex ſenio confectus & caligantibus oculis munia belli per ſe ipſe obire non poterat: & Lituanorum, Ruſſorum atq; Valachorum auxilia, cùm eæ gentes partim proprijs ac domeſticis bellis implicatæ eſſent: partim à fide Regis deſciuiſſent, defutura erant. Itaq; tertia Comitia armatorum ad diem S. Joannis Baptiſtæ Natalem, Colum indici, & Boëmorum hæreticorum auxilijs utendum eſſe, quamuis refragantibus Epiſcopis, decretum eſt.

Legati à Baſilienſi Concilio.

Hoc eodem anno ad Epiſcopatum Culmenſem promotum eſſe Joannem Margenau dicere oportet, ſi is, ut infra dicitur mortuus eſt anno 1462. Nec ita multò pòſt anno Chriſti 1433. conuentu inter Polonos atq; Crucigeros operâ Oratorum Concilij de pace fruſtrà inſtituto, cùm Crucigeri quindecim dies ultra condictum expectati non venirent, euocati Boëmi à Rege Duce Ciapcone præſtò fuêre, conjunctiq; cum majoribus Polonis, quibus Sendiuojus Oſtrorogus juſſu Regis præerat, nouam Marchiam Crucigerorum imperio ſubjectam crudeliter vaſtarunt, duodecimq; oppida munita partim vi, partim per deditionem cœperunt. Subacta jam tota Marchia præter Landisbergam, in Pomeraniam progreſſi Choiniciam fruſtra duos menſes obſederunt. Quâ tandem omiſsâ, interiora Pomeraniæ populabundi progreſſi ſunt: prætergreſſiq; nonnulla oppida, direpto Pelplinenſi Monaſterio magnificentiſſimè ædificato & opulento ad Tyſciouiam ſiue Derſauiam peruenerunt. Præceſſerant & præterierant oppidum Boëmi, qui primas ſtationes ſeruabant & loca metandis caſtris capiebant. Poloni verò quo minùs in ſuburbana prædandi causâ diſcurrerent, cohiberi à Ducibus nequiuêre. Erat in oppido validum hoſtium præſidium. Nam ij quocunq; admoturos eſſe Polonos intelligebant, omnia præſidia ex propinquis munitionibus deducta, noctu eò contrahebant. Id igitur præſidium occurrit Polonis ad extrema ſuburbana: ſed tamen quò minùs ea incenderentur, prohibere non potuit. Itaq; latè vagante incendio, in oppidum ſe hoſtes receperunt. Nec mora, aduerſo ac vehementi vento flante, urbana quoq; ædificia flamma

Joannes Margenau Epiſcop. Culmenſis.

1433.

Marchiam ſubjugant Poloni.

Pomerania vaſtatur.

Derſauia conflagrat.

ma corripuit, nec ea restingui ullo cum hostium ipsorum, tum ad extremum etiam Polonorum conatu potuit. Sic oppidum longè munitius & opulentius quàm Choinicia quasi fortuito incendio conflagrat: præda omnis, præter eam quæ in subterraneis cellis & fornicibus absconsa erat, igne corrupta: captiuorum supra decem millia fuisse dicuntur. Ex his quicunq; Boëmici generis fuerunt, Ciapco reuertens, ut sibi condonarentur, impetrauit: traditos, grauiter, quòd Teutonibus contra Polonos ejusdem secum linguæ & originis militarent, corripuit, pyraq; ingenti extructa, exussit. Ejus exemplum secutus Joannes Strassus Bialaciouius, piratas seu nauticos homines in ergastulo conclusos, quorum non exiguus numerus inter præsidia Crucigerorum fuit, circumjectâ paleâ & aridâ materiâ, succendit. Et effregerunt quidem ij ergastulum ligneum: sed cùm effugere vellent, aduersis hastis à Polonis excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorum repressit, ignemq; restrinxit. Matronis verò & puellis captiuis justus honor habitus: adhibitæq; publicè custodiæ, ne quid in eas contumeliosè à quoquam fieret: factaq; diligenti conquisitione, ne qua priuatim à quopiam occuleretur, omnes ad Vistulam deductæ, trajectæq; nauibus, liberè dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit Polonis apud ipsos etiam hostes, omnesq; eis omnia bene precari: suis verò, qui longè essent fuissentq; in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. Atq; utinam in templis, monasterijs & rebus sacris Poloni eâdem abstinentiâ usi fuissent. Sed plus hic valuit ira & dolor immanissimè direptorum à Crucigeris in Cujauia templorum. Itaq; Oliuense quoq; Monasterium paulò pòst direptum & incensum est. Inde ad Gedanum castra mota quatriduoq; in conspectu ejus vrbis statiua habita: per quos dies omne id territorium peruastatum, munitio portûs lignea disjecta. Equites cùm ad mare venissent, longiùs in salum atq; fluctus ludibundi & gratulabundi sibi inuicem, quòd mare infestis armis attigissent, procurrêre. Feruntur etiam Bòëmi, marinam aquam haustam, lagunculis domum deportasse. Peruastatâ satis usq; ad mare Pomeraniâ reuertentes Poloni alio itinere, Taucholiensem & Jasenecensem oram vastabant. Cùm autem apud Jaseneciam statiua haberent, de pace ab hostibus tractari cœptum est. Dum colloquuntur inter se primores, pauci de Polonis juniores temerè impetum in arcem fecerunt: eosq; prægressos exercitus omnis, cùm esset sine imperio, quasi dato signo secutus est. Capta momento arx & dirupta, & improbitate cujusdam militis incensa est. Captiui ad unum omnes trucidati furore militum ob interfectum in oppugnatione Joannium Leuinum Vilcinium nemini parcente. Permolestè id factum, dum de pace agitur, tulêre Crucigeri. Sed Polonis injussu id suo & tamen jure belli neq; pace neq; inducijs adhuc constitutis, factum defendentibus, acceleratæ sunt induciæ trium mensium. Interim autem ad Calend. Decemb. agitatũ vt in conuentu Brestensi de conditionibus pacis constitueretur. Captiui Crucigerorum nobiliores facta sponsione sistendi sese, si de pace non conuenisset, dimissi: tenuiores & gregarij vel commutati vel binis florenis redempti. Poloni munitiones in noua Marchia quæsitas retinuêre: pacti nihil munire interim, nec reficere. Mirum autem est, tùm demum Crucigeros de pace & inducijs quàm diligentissimè egisse, cum Poloni peruastata omni Pomerania (ita vt soli quatuordecim pagi inter lacus &

Ciapco.

Ioannes Strassus.

Oliuense Monasterium direptum & incensum.

& paludes sibi intacti relinquerentur) domum reuerterent. Senserant fortassis nutare incommodis affectas plebes. His peractis exercitus omnis accepta à Michalouio missione, suam quisq; domum dilapsus est. Novum etiam tunc fœdus Casimirus Dux Pomeraniæ Scecinensis cum Rege icit, veteri, quemadmodum credere par est, violato: quo recepit sub fide & honore suo unà cum primoribus suis, nullam opem se laturum esse Crucigeris aduersùs Polonos: neq; passurum esse quenquam, qui contra eos arma sumpserit per ditionem suam transire. *Casimirus Dux Pomeraniæ.*

Habitus est postea Breste conuentus inter Polonos & Crucigeros. Verùm ex eo conuentu infecta pace & irritatis animis, incertum qua de causa, discessum est. Lenciciæ Rex euentum illius conuentus expectabat: vbi rediêre ad illum legati è conuentu, de bello agi cœptum, visumq; est, non expectandam esse æstatem, sed quàm primùm immittendum in terras hostiles exercitum. Expeditiora fore omnia concretis glacie fluminibus atq; lacubus, quibus abundat Prussia. Vna res difficultatem faciebat, quòd pecunia Regi deerat in stipendium: & propè abfuerat res à seditione superiore æstate apud Choiniciam, fremente vniuersa nobilitate contra Proceres, quòd ij bellum, extra fines Poloniæ sine stipendio decreuissent: receperantq; illi nonnunquam id se deinceps admissuros esse. Inuentus tandem modus est eius difficultatis explicandæ, vt Palatini suæ quisq; ditionis Nobilitati de stipendio soluendo cauerent. Hæc vbi didicêre Crucigeri, missis mox ad Regem legatis, quas anteà repudiauerant conditiones, vltrò acceperunt, in duodecim annos pacti inducias. Adiectum, vt ad Natalem Virginis Matris diem, sequenti anno apud Slonscum de pace perpetua tractaretur. Ibi tunc Marsalcus Crucigerorum Liuoniensium ex pacto dimissus, siue adeò sponsione militari solutus: dimissus enim erat, cùm de sistendo eo, cùm Rex iussisset Suitrigello quoq; cauisset: ac Theodoricus Buciatius Præfectus Camenecensis pro eo receptus.

Corcini porrò in Comitijs legati ad Concilium Basileense designati sunt, qui & vniuersi Regni personam ibi sustinerent, & Sigismundi Imperatoris & Crucigerorum obtrectationes & criminationes, quæ aduersùs Regem Iagellonem iactabantur, refellerent, ac de vniuersa causa cum Crucigeris disceptarent. Fuerunt autem principes eius legationis Sbigneus Cracouiensis, Stanislaus Posnaniensis Episcopi, Ioannes Conespolius Cancellarius Regni, & Nicolaus Lassocius Decanus Cracouiensis. *Legati missi ad Concilium Basileense.*

Mortuus est Iagello Rex pridie Calend. Iun. Anno Christi, 1434. cum regnasset annos duo de quinquaginta & tres ferè menses. Post eum suscepit regni gubernacula, filius eius Vladislaus III. Cum Crucigeris adhuc pendebant induciæ, & necdum pax certa confecta erat. Cum his igitur conuentus actus est apud Racianzum & Zlotoriam ad Natalem Diuæ Mariæ: sed vtrinq; re infecta discessum, propterea, quòd in expectatione erant Crucigeri, quonam modo succederet Liuoniensibus, qui Samogitiam & Lituaniam cum Suitrigellone tunc bello infestabant. Et iam Poloni discedentes, Breste Cuiauiense peruenerant, cùm eos Commendator Osterrodensis consecutus est, de pace postulans. Fefellerat enim Crucigeros euentus Samogitici belli. Nam Liuonienses prædâ onusti è Samogitia reuertentes, in sylua quadam succisis arboribus impediti *Iagello Rex moritur.* *Crucigeri Liuonienses à Samogitis cæsi.*

diti à Samogitis & circumuenti, magnaq; strage profligati erant: atq; id Poloni quoq; eo ipso puncto temporis, quo Commendator aduenit, cognouerunt. Prorogatæ sunt tamen induciæ ad tertium Non. Majas, insequentis anni. Conuentus deinde rursus anno Christi, 1435. cum Crucigeris apud Breste Cuiauiense & Sluzouiam eodem planè, quo superiore euentu, actus est, Crucigeris itidem ex euentu Samogitici belli pendentibus & Polonorum facilitate abutentibus, & ad octauum Idus Decembris conuentum & inducias prorogantibus. Autumno verò Suitrigellonis exercitus cum auxiliaribus Crucigeris Liuoniensibus insigni strage in Lituania à Polonis Duce Iacobo Cobilanio in auxilium Sigismundo Duci à Rege missis & Michaële Sigismundi magni Ducis filio ad Vilcomiriam profligatus est: multi mortales capti, multi cæsi: multi Suentæ fluuij vndis, vbi commissum est prælium, extincti. Ibi robur omne Liuoniensium cum Magistro & Marsalco concidit. Captus est in eo prælio Sigismundus Rotus Silesius, is qui à Cæsare ad Vitoudum proficiscens, à Ioanne Ciarnicouio captus, & sub militari sponsione dimissus fidem fregerat: itemq; Coributus qui paulò antè è Boëmia vbi negligi se iam animaduerterat per Prussiam cum auxiliaribus Boëmis & Silesijs reuersus, cum Suitrigellone se coniunxerat. Vterq; in profluentem demersus. Tametsi de Coributo fama variat. Suitrigello verò cum paucis Russis effugit. Sed ex eo tempore Smolenscum, Orsam, Poloscum, Vitepscum & Russiam ferè omnem, victoris fidem secutam, amisit. Miserat interim dum hæc in Lituania geruntur Sigismundus Imperator legationem ad Vladislaum Regem, vt bellum inter cognatos Duces dirimeret, non tam pacis cupidus, quàm quòd Suitrigellonis partibus, quem ipse vanis promissis ad id bellum concitarat, metueret. Ei legationi priusquam de exitu belli Lituanici cognitum esset, responsum est: Libenter id facturum fuisse Regem, si integrum esset: verùm credere eum, illos collatis signis iam ferro inter se decreuisse. Vtrilibet autem cessisset victoria, eum difficiliorem fore ad æquas conditiones pacis. Necdum legati discesserant, cùm de victoria Sigismundi allatum est. Quo minùs postea fuit negotij cum Crucigeris in conficienda pace perpetua, cum ij fracti animis, duriores etiam conditiones acciperent.

Crucigeri Liuonienses cæsi.

1436. *Pax cum Crucigeris.*

Sub finem anni, 1436. pax cum Crucigeris Prussiensibus & Liuonienssibus Breste Cuiauiensi facta est à Rege: qua cautum est fide & iurejurando Principum inter cætera, vt fœdus Crucigerorum
1. cùm Suitrigellone esset irritum: Episcopis & Ecclesijs
2. Polonicis bona sua ac decimæ in ditione Crucigerorum saluæ vt essent atque liberæ: fructus præteritorum duorum annorum in-
3. teruersi, ad Pascha proximum, vt eis à Crucigeris restituerentur:
4. Episcopo Vladislauiensi mille ducenti aurei pro domo Geda-
5. nensi diruta soluerentur: nouam Marchiam & Chosnum Rex Crucigeris, ipsique vicissim Nessouiam ac dimidium traiectum
6. Vistulæ apud Torunium Regi redderent, & nouem millia flore-
7. norum & quingentos aureos numerarent: Iaseneciam retinerent,
8. nec fraudi esset cuiquam à suis Dominis ad hostes defecisse: fi-
9. nium regundorum ratio certa præscripta. De controuersijs di-
10. rimendis conuenit, vt quotannis bini vtrinque delecti arbitri cer-

to lo-

to loco conuenirent: sed ita, vt Polonos Magister, Prussienses Rex
ederet. Atque hæc pacta conuenta noui Reges, atque Duces Ma- 11.
gistri intra annum vertentem à creatione sua: consiliarij verò at-
que subditi decimo quoque anno solenni iurejurando coram le-
gatis alterius partis approbarent: Nobilitas atque Ciuitates caue- 12.
rent sibi inuicem, non fore se dicto audientes Dominis suis, si ij
contra hæc pacta venire vellent: idque impunè fore. Principes
ipsi suis quisque subditis intra certum tempus cauerent, quod
quidem fecerunt postea. In quibus literis pacis non inhonori-
fica mentio Francisci Episcopi Varmiensis facta est.



LIBER V. HISTORIÆ PRVSSICÆ.



Multa hactenus incommdoa Prussi à Crucigeris suis tam tempore pacis, quæ raro his terris contigit; quàm belli; quod vti visum est sine cessatione patiebantur, acceperant. Talia certè fuerunt propter quæ etiam Regio ad nouas res spectare posset, singula paulò pòst in specie conscribentur. Inuenire verò satagebant Prussi aliquem modum abrogandorum & in futurum præcauendorum grauaminum. De quo negotio cùm soliciti sunt, ecce talis eis offertur occasio. Ex mandato Crucigerorum, agebant, anno Christi, millesimo quadringentesimo trigesimo nono, Elbingæ conuentum, vt consultarent inuicem de contributione facienda eius pecuniæ, quæ iuxta pacta superiùs inita, Regi Poloniæ à Crucigeris, intra Aduentum Domini & Pascha exsolui debebat. Dum igitur de pecunijs contribuendis conferunt, illud vnus, nunc alter aliud iniuriarum, quas à Crucigeris passus esset cum mussitatione enumerabat. Visum est tandem illis, postquàm plurima contulissent, per delagatos suos Magistro Paulo Rusdorffio, iniurias hactenus ab Ordine absq; causa sua acceptas, exponere, petereq; ab illo vna, vt modum huiusmodi grauamina tollendi inueniret. Quod si fieret facili negotio futuram contributionem. Quæ, dum nuntij Magistro latiùs exponunt, animaduertens ille rei veritatem, & æquitatem petitionis allatæ, tanquam bonus iustitiæ Patronus, concessit ipsis facultatem faciendæ ligæ & vnionis inter se, contra omnem vim quam à quolibet paterentur. Quæ liberalitas Magistri tanto citiùs indictam contributionem obtinuit: ipsi quoq; breui temporis interuallo confœderationem conceptis verbis, additisq; causis plurimis, pro honore suorum Dominorum, & conseruatione Patriæ charissimæ confecerunt, & dicto Magistro confirmandam exhibuerunt. Erat autem talis.

Anno Christi 1439 Conuentꝰ Elbingæ

In Nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Nos infrascripti Equites, milites, & terrarum Prussiæ Ciuitates, notum testatumq; facimus per præsentes omnibus has lecturis vel audituris: Quòd pro commodo & vtilitate communi, pro gloria DEI, honoreq; Clementissimi Domini nostri Magistri & vniuersi Ordinis, ac pro bono Reipublicæ, & omnium nostrorum maturo consilio, deliberataq; consultatione habitis; de scitu & voluntate communium Equitum, militum, ciuium & incolarum nostrorum, amicabilem, stabilem, perpetuamq; inter nos concordiam, cum scitu & voluntate ac consensu, R. Domini & F. Pauli Rusdorffij, Magistri in Prussia, Domini nostri clementissimi, iustis de causis vigore harum literarum, pro nobis, communitate nostra, equitibus, ciuibus, militibus, ac incolis præsentibus & futuris, & pro vniuersis vnitatis huius consortibus inchoauerimus, iniuerimus, & confecerimus, promittentes sanctè nos in eadem sine aliqua fraude do-

Confœderatio Prussorum.

leq;

*loc*q; *malo permansuros, at*q; *eidem in omnibus punctis & articulis integrè responsuros & satisfacturos, ut sequitur: Primum omnium, quilibet ex nobis infrascriptis, qui in ditionibus Clementissimi Domini nostri Magistri viuimus, præstabit eidem Domino Magistro, Venerabilibus*q; *Prælatis suis, & vniuerso Ordini, quòd ipsis de iure & honoris ergò iuxta sua Priuilegia, libertates & iura præstare tenetur. Vicissim similiter desideramus nos Equites, Milites; & Ciuitates, quod existimamus fieri posse & æquum esse, ut Dominus noster omnibus & singulis nobis, uti, frui libertatibus, iuribus & literis permittere, prout à prædecessoribus illius donati & priuilegiati sumus: grauamina vetera tollere, nec præterea alia noua futuris temporibus imponere velit. Si à quopiam ad quæ alia cogamur, ut Dominus noster tale permittere nolit, sed nos defendat, & in iuribus nostris præstò nobis sit. Et si ex nobis & infrascriptis terrarum & Ciuitatum, omnes vel aliquis nobilium, militum ciuium, & incolarum contra ius, literas & libertates cogatur aut violetur, aut bona ipsius tollantur: is de vi illata primùm conqueri debebit coram Domino nostro. Si nullum remedium indè affulgeat (quod de Domino nostro nobis non persuademus) is ad statutum terminum iudicialem, qui in anno semel causa iudicij & violentiæ celebrabitur, comparebit, querelam*q; *suam ibidem deponet. Si iudicium verò non probè constituatur, aut dies iudiciales progressum non habeant, & ius actori non administretur. Si hoc nobili contingat, tunc nobilitas idipsum sine mora nobilitati Culmensi veteri per literas & nuncios, perscripta recta rei informatione, intimabit, quæ nobilitas, unà cum Ciuitatibus Culmâ & Torunio potestatem istius terræ, & aliarum nobiles & ciuitates hujus vnionis pro opportuno loco & tempore conuocandi habebit: ubi etiam quilibet nostrûm de nobilitate & Ciuitatibus adesse debebit, ut causa audiatur. Re iudicialiter cognita omnes Equites, Milites, & Ciuitates adniti, quantum possunt, debent, ut executio debita fiat. Simili modo, si quispiam nostrûm ex Ciuitatibus, Ciuibus & incolis contra ius, libertates & inscriptiones cogeretur, is id Ciuitatibus Culmæ & Torunio indicabit. Ciuitates verò hæ unà cum Nobilitate Culmensi, potestatem habebunt nobilitatem ex alijs ditionibus cum omnibus alijs ciuitatibus in vnione comprehensis, pro opportuno loco & tempore conuocandi & veritatem rei indagandi per omnem modum, ut proximè de nobilitate expressum est. Si cui vis inferatur, quæ dilationem ad dictum iudiciorum diem (quod absit) non patiatur; vel si nobilitas aut Ciuitates adeò contra ius cogantur, tali casu fideliter alter cum altero in iudicio persistet, & tanquam propriam causam defendet, ac us*q; *ad finem deducet, & pro*

viris

viribus alter alteri in suo iure adsit atq; eum adiuuet, prout opportunitas & necessitas postulauerint. Si etiam quispiam ex infrascriptis Ciuitatibus, terris, nobilitate, militibus, & incolis tali casu vim patiatur, & in suo corpore lædatur, vel etiam innocenter morte multetur, quod futurum non confidimus, hoc deferemus ad Dominum nostrum, postulabimusq; ut sine longiore mora factum dijudicet. Si id non fiat, promittimus & spondemus nobilitas & Ciuitates bona fide omnibus inferiùs dictis, nos ita fideliter & seriò in hac causa processuros, ut clarè cognoscatur, nos omnes vicem hanc condolere: neq; sinemus in reo vel eius assistentibus in corpore & bonis, pro summis viribus nostris, inultam rem abire. Item vnusquisq; nostrum ex nobilitate & Ciuitatibus alterius res æquas sibi meliore modo commendatas habebit. Et si quis animaduertat vel certior aliundè fiat de instanti damno harum terrarum, vnius aut omnium, quodcunq; id sit, alter alteri id indicabit, deq; eo monebit illum, quæ admonitio apud eum loco consilij quiescet. Quod per terras Prussiæ & à Ciuitatibus in conuentibus concorditer de veteri consuetudine receptum & conclusum fuit, hoc ipsum à terris & Ciuitatibus infrascriptis obseruabitur. In fidem omnium supradictorum nos Ioannes à Ziegenberg vexillifer Culmensis, Cuntius à Schwenningen, Otto à Plenichau, Augustinus à Schewe eques, Alexander Machewitz, Fridericus à Pelkaw &c. Equites & milites totius terræ Culmensis. Ioannes à Basen, Gunterus de Delau &c. Equites & milites Osterrodensis ditionis. Equites & milites Risenburgensis ditionis. Equites & milites Elbingensis ditionis. Item equites & milites Meuensis ditionis: De plenipotentia, vnione & mandato omnium nostrorum communium equitum & militum qui nos ablegarunt: Et nos proconsules & Consules Ciuitatum Culmæ, Torunij, Elbingæ, Brunsbergæ, Gedani, Graudenti, Strasburgi &c. de pleno jussu & mandato nostrorum Scabinorum, Ciuium, Incolarum, & totius Communitatis Ciuitatum nostrarum majora sigilla ad hanc ligam appendi fecimus. Et ad majorem securitatem & pro firmiore argumento nos equites & milites spondemus nomine omnium qui in hac vnione comprehensi sunt, & qui posteà desiderauerint eam. Et nos Consules dictarum Ciuitatum spondemus de plenitudine potestatis pro nobis, nostris Scabinis, Ciuibus, incolis & communitatibus omnia puncta & articulos prout expressi sunt cum bona fide, remota fraude omni doloq; malo semper, firmiter & incorruptè seruaturos, & in his permansuros, & pro cunctis viribus nostris satisfacturos. Acta sunt hæc & finita Quizini, feriâ secundâ post Dominicam Iudica, *Anno Domini nostri, 1440.*

His

His etiam sigilla sua minores Ciuitates Pomerelliæ appenderunt: nimirum, Dersauia, Meua, antiqua ciuitas Gedanum, Nouum, Starigradum, Lauenburgum, Lubauia, Hela, Puscum Choinicia, &c.

Causas verò rationabiles ligæ conficiendæ producebant tres vniuersales. Quibus postea etiam aliæ nonnullæ accesserunt pro maiore confirmatione vniones. Erant verò istæ generales. I. Quòd Magister Ordinis & Officiales ipsius priuilegia Ciuitatum & Nobilium violent in multis. II. Quòd Magister & Ordo Ciues quosdam insignibus iniurijs affecerint. III. Deniq; honestas ciuium matresfamilias & filias sæpissimè à dicto Ordine dehonestari querebantur. Hæc generalia puncta in specie ponebant. Et quidem quòd ad violata priuilegia attinet, querebantur primùm: Ordinem erexisse satis graue telonium in loco Lamenhant dicto, vno milliario ab Elbinga, contra terrarum Prussiæ priuilegia, quæ eorum prædecessores cùm Nobiles tum Ciues sanguine atq; seruitijs fidelibus peperissent. II. Ordinem ligam fecisse quondam cum multis exteris Principibus, vtpotè, cum Rege Daniæ; Stolpensi, Stetinensi, & Volgastiensi Ducibus. Item cum Duce Suitrigellone, & cum multis alijs Principibus, terris & Dominis Russiæ, Lituaniæ, Valachiæ; quorum alij etiam gentiles erant, non requisito desuper Equitum & Ciuitatum consilio. Unde irreparabilia damna Prussia accepisset. III. Cùm aliquando Commendatores ac alij Officiales Ordinis Magistrum Plauenium ab officio deposuissent, id ægreferens frater ipsius Commendator Gedanensis, in auxilium contra depositores, Regem Poloniæ, & Vitoudum Ducem Lituaniæ acciuit. Hi auxiliantibus Christianis tum gentilibus, has ipsas terras Prussiæ, quæ in vnione præsenti comprehenduntur, ferro & igni longè lateq; deprædati sunt. IIII. Inierant quandoq; Crucigeri cum Rege Poloniæ pacem perpetuam cum scitu officialium suorum, equitum, ac ciuitatum: non multò pòst aliam concordiam Magister inscijs nobilibus & Ciuitatibus suis cum Lituanis & gentilibus pacti. Cùm itaq; exercitum Rex Poloniæ contra Lituanos duxisset, munitionemq; Lutzki dictam obsedisset: mandauit Magister equestribus suis viris, Regem Poloniæ in gratiam Lituanorum adorirentur. Postquam verò Rex Poloniæ cum Duce Lituaniæ pacem constituisset: memores Poloni injuriæ illatæ, cum Boëmis in Prussiam irruerunt, eamq; omnis generis cladibus immaniter affecerunt. V. Vigore Culmensis iuris requirunt hæ terræ monetam argenteam & vlnam Flaminiam pro agris mensurandis. Nunc verò moneta argentea in cupream versa est in notabile damnum russiæ. Requirebant terræ & Ciuitates Magistri iudicium & sententiam, qua par erat animi submissione supplices, vt sublatâ cupreâ, melior substitueretur, utq; id faciliùs in effectũ deduceretur contributio omnibus nobilibus & Ciuitatibus indicta fuit. Deposita verò & soluta tali contributione & percepta, nulla est monetæ melioratio secuta. Quod verò ad vlnam spectat, ita notabiliter illa decreuit, vt vbi antiquitus mensurabantur quatuor mansi agri, ibi nunc inueniantur quinq; eo quidem consilio, ut census copiosior accrescat. VI. Institutum & erectum est portorium, der Pfundt-Zoll dictum, contra Priuilegia terrarum Prussiæ. VII. Schalauinis ad fines Lituaniæ habitantibus demandata fuit custodia finium, & eo nomine darent Schalauinis pro hac illorum cura & custodia Siliginem & certam pecuniam. Sublato jam bello, nihilominus volunt Crucigeri talem pensionem à terris solui. VIII. Paulus Rusdorfius Magister promisit terris & Ciuitatibus vti, quibus velint, molentrinis & farinam distrahendi facultatem in foris, quibus liberet: quod Ordo modò non permisit. IX. Si

Confœderationis causæ.

Priuilegia violata telonium. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Equites & Ciues jure Magdeburgenſi vtentes, decedant ſine hærede,
ad eorum bona fratres & patrueles non admittuntur, ſed illa in vſum
10. ſuum Ordo trahit. X. Non concedit Ordo poteſtatem equeſtribus vi-
ris, qui heredibus carent, ſua bona vendendi, nec permutandi, ſed eos
11. pro adſcriptitijs habet. XI. Si quando Ordo famulos ſuos bonis donat,
ij verò illa vendant & moriantur, eo caſu Crucigeri pecuniam tollunt
nec eam adire permittunt hæredes, quamuis venditio ipſis ſcientibus
12. facta ſit. XII. Magiſter Plauenius depoſito veteri Senatu Turonenſi,
13. novum, contra Priuilegia, ſubſtituit. XIII. Elbingenſibus, qui quocunq́
reti, excepto Niſat, in fluvio Elbing, lacu Drauſen & in Pruſſico Ha-
bo vigore libertatis ſuæ piſcari poſſunt, interdicta nunc eſt piſcatio.
14. XIV. Ordo quandam partem mœnium & turrem contra data Priui-
15. legia, Elbingæ occupauit. XV. Portam ciuitatis è regione arcis ab
16. antiquo Elbingenſes claudebant: hoc jus illis quoq́ ademptum eſt. XVI.
Ijſdem ablata eſt libertas telonij, quam habent in Pomerania ſub Cru-
cigeris. Injuriæ etiam quas Crucigeri ſuis Nobilibus & Ciuibus intu-
1. liſſent, non erant paucæ, ſed hæ inſigniores. I. Magiſter Plauenius E-
quitem Eberhardum Renum, item equitem Eberhardum à Kœnigſeck
2. ſine judicio decollari fecit. II. Idem Plauenius Nobilem dictum Schwe-
luth captiuari fecit, & in carcere non auditum in judicio, computre-
3. ſcere. III. Commendator Elbingenſis Henricus Golt virum quendam
probum Rutgerum Clerick noctu captum ſubmergi juſſit, hac ſola de
4. cauſa, quòd aliquos Romam citauerit. IV. Supradictus Magiſter Do-
minum Joannem de Colonia Equitem capi fecit, in pago Einſiedel non
5. procul Brunsbergâ, & detruncari nullo præuio judicio. V. Joannes
Haſtlich & Scultetus Neidenburgenſis læſi ſunt in bonis & corpore,
6. propterea quòd in jus Ordinem vocauerint. VI. Iobus Treberger
theſaurarius Marieburgenſis Nicolaum à Pfeilſdorff capi & decollari
7. juſſit. VII. Commendator Meuenſis, pace durante, multos mercato-
res Poſnanienſes ex nundinis Gedanenſibus domum redeuntes, vitâ
& bonis priuauit: ex hac & alijs cauſis Rex Poloniæ Pruſſiam vaſta-
8. uit. VIII. Henricus Plauenius Commendator Gedanenſis, Ioannem
Conradum Letzkau & Arnoldum Hecht Proconſules, & Bartholo-
mæum Grotum conſulem inuitauit ad ſe. Cùm nihil periculi ſubeſſe
putarent, & Commendatorem acceſſiſſent, eos occidi mandauit: vt ſu-
periùs dictum eſt.

Injuriæ Nobilibus & Ciuitatibus illatæ.

Tertium caput grauaminum terrarum Pruſſiæ contra Crucigero-rum Ordinem erat deſumptum ex incontinentia & libidine eorun-dem. Quorum vnum erat cum injuria & inſigni crudelitate conjun-ctum, quòd Guilelmus à Sterne Commendator Torunenſis quendam fabrum cædi curauerit, vt eò liberiùs conſuetudine vxoris ejus vtere-tur. Alias hujuſmodi fœditates enumerant paſſim ſcriptores Pruſſica-rum rerum, ad quos benignum lectorem remitto. Vnum quod Cruci-gerorum aulicus recenter ſub Paulo Magiſtro perpetrarat, Mariebur-gi non debeo præterire. Ex quo quidem Virginis fortis animus elu-cet, aulici verò, quisquis ille fuerit, inſolens impotentia. Deperibat is nobilem & formoſam, ſed egenam puellam, genere Barthlauiam. Sed illa amatorem ſemper dextrè amouebat. Quâdam feriâ ſextâ, dum do-mum in qua puella famulabatur, intraret aulicus, & puellam ſinapi te-rentem in latiore teſta, quam pedibus, vt fit, circumdederat, reperiſ-ſet, inclamauit. Ah inquiens, à longo tempore vobis ſeruiui, nec-dum tamen aſſecutus ſum, vt eſſem vbi olla iſta. Illa ait, quid indè haberet? At ille, permultum ſanè. Tum puella ſubjecit, per me li-

teret vos esse ollam, atque intra pedes meos. Ille, rectè ais. Sed quid mihi exhiberetis? Ait puella: implerem vos (sit honos auribus) ejectumque irem per murum. Aderant complures juvenes è nobilitate, qui hujus responsi gratiâ impensè riserunt. Displicuit autem ipsi responsio puellæ, sed magis cachinnatio juvenum: adeò vt dictæ puellæ caput amputarit, quod in testam incidit. Quo facinore immani, exacerbati juvenes, vicissim illum in partes dissecuerunt.

Moritur eodem anno, 1440. Die 12. Maij Ioannes III. Episcopus decimus tertius Pomesaniensis ex Canonico Regiomontano: quem Magister propter amicitiam, quam coluit cum ipso, Romam misit ac Pontifici præsentauit. Cùm domum redijsset, omni studio fructus Episcopatûs ampliauit, & eum ad florem reduxit intra quadriennium. Nam tot annis censum rusticis remisit. At rebus jam optimè restitutis, cum ipso aduocatus Bratianensis de finibus agere cœpit, ipsique 400. mansos ademit. Similiter fecit Commendator Osterrodensis. Conquerenti Episcopo F. Michaël Cuchmeister respondit: Experiri se, quòd qui velit amico carere, ei committat prælaturam necesse est. Diceret sanè, quot gladios Ecclesia eius pro suis bonis adduxisset. Episcopus: Id profectò, inquit, egisse probos Principes ad prædicationem Crucis aduersùs barbaros pro Ecclesia, non Ordinem: vti Magister vellet dicere. Tunc Magister, Undè hoc habes, subdidit. Respondit Episcopus: Hoc ex literis & Chronicis passim constat. Magister inquit: Dominus vobiscum, abi, nec redeas, donec tibi scripsero; literarum tuarum, & Chronicorum oportebit te obliuisci. Abijt ergo Episcopus Risebergam, & ibi in lamentationibus ac curis moritur, ac Quizini sepelitur. Successorem accepit Casparum Linck consanguineum Pauli Magistri.

Ioannes III. Episcopus Pomesaniensis moritur.

Eius tempore vixit multis virtutibus ornata, non item natalibus clara Dorothea occlusa appellata. Nam orta erat ex pago Grossmontau dicto, ex Guillelmo & Agatha rusticanis parentibus: sed talibus, quos ob vitæ probitatem omnes vicini laudabant & stupebant. Erat hæc inter fratres & sorores, quos in timore Dei educabant, omnium moratissima, & silentio adeò adducta, vt nemini loqueretur aut responderet nisi parentibus. Interim Euangelia in Ecclesia percepta, tacita secum voluebat. Raró videbatur refici alimentis: nihilominus ad omnes labores rusticanos prima erat, à quibus etiam vltima recedebat. Neque se cubitum conferebat, nisi priùs amarissimè defleuisset passionem Christi. Mundanam lætitiam mira arte declinabat. Nam cùm sentiret se ad saltum & choreas inuitandam, vel pedem vel faciem lædebat ad sanguinem, vt iustæ excusationis argumentum domi remanendi haberet: parentibus id secum diligenter perpendentibus. Ducta deinde est in matrimonium à quodam Gedanensi Alberto sutore artifice, viro probo, quando erat sobrius: cui genuit quinque filios & quatuor filias. Mirùm tamen in modum affligebatur à viro suo poto, & suspecta habebatur, cùm sæpiùs confiteretur in Capella Marianæ Ecclesiæ Gedanensis, vbi domicilium fixerant. Tolerabat illa tamen omnia patienter. Factum porrò est, vt filij omnes intra spatium duodecim hebdomadarum peste exorta absumerentur. Ex communi deindè sententia coniuges hi omnia quæ habebant vendentes, vnà peregrinationem instituerunt Aggranum Einsidelum, ad S. Iacobum, ac in Marsiliam ad S. Mariam Magdalenam, perueneruntque Romam: vbi vir eius mortuus est, ac sepultus in agro peregrinorum. Cogitanti iam Dorotheæ de occlusione sua, inspirauit DEVS, vt in Prussiam reuerteretur. Rediens igitur Gedanum, Cameram sibi conduxit: pietatemque in

Dorothea occlusa.

ſuperiùs dicta Capella (quæ paulò poſt in clariſſimum templum, quod nunc videmus, euaſit) ad quam plurima vota fiebant, coluit. Hinc iterum monita vt ſe conferret Quizinum ad Epiſcopum Ioannem, eius nominis III. qui eius voluntati ſatisfacturus eſſet: mandato DEI obſecuta eſt. Curauit verò eam occludi Epiſcopus ad Eccleſiam: ibiq; occluſam, quàm diu vixit, neceſſarijs aluit. Claruit hæc mulier Prophetiæ Spiritu: Nam prædixit Ordinem Teutonicum floridum, cùm tempore defecturum. Quo ſibi Crucigeros infenſos reddidit: qui etiam eius causâ Epiſcopum, qui eam alebat, ſuſpectum habuerunt. Ediderat verò Dorothea vaticinium iſtud de ſtatu futuro Ordinis, quòd illam quiſpiam Præſes Papauienſis, optimæ vitæ vir: qui à die ingreſſûs in Ordinem loricâ pro induſio vtebatur: quarum duæ in corpore eius computruerunt, de eo ſollicitauerit. Et quamuis is talis eſſet, tamen omni æſtimatione & fama priuatus fuit, odio cuiuſdam Commendatoris Marieburgenſis. Quod tamen ex corde ipſi roganti dimiſit. Quod illa etiam per inſpirationem DEI didicit: cuius remiſſionis gratiâ à prædicta Dorothea plus commendatus fuit, quàm quòd loricas in corpore ſuo computreſcere fecerit. Inſtabat hora mortis Dorotheæ: idcircò rogabat ipſa Ioannem Canonicum Quizinenſem confeſſarium ſuum, vt ſibi Sacramenta neceſſaria pro vitæ exitu ſubminiſtraret. Quod cùm detrectaret ille, ſubdidit Dorothea: nec mihi ampliùs hæc pietatis officia præſtabitis. Contigit id, vt illa prædixerat: nam horâ noctis ſequentis duodecimâ cæleſtis ſplendor circa illam exortus eſt cum ſuauitate cantûs, qui per duas horas durauit, cum quo per Angelos ad DEum deducta fuit. Miraculum tùm ſanè aliud grande contigit: Nam ſonitus campanarum auditus eſt, cùm moreretur, ſine omni prorſus humano adminiculo. Honorificè in Eccleſia eam Epiſcopus Quizini in paruo Choro ſepeliuit. Nec defuerunt ſanctitatis eius indicia miracula quæ ibi fiebant: viſitabatur quoq; ſepulchrum eius ab exteris nationibus: ſolis Crucigeris eam calumniantibus, quaſi conficta edidiſſet contra eos.

Sed ad id à quo parumper deflexi pro inſtituto meo redeo. Viſas & lectas literas vnionis Magiſter, & cum ipſo triginta nouem Commendatores & Officiales, tanquam iuſtas confirmarunt. Verentes hoc maximè, ſi Ciuitatibus ac terris non concederent petitum, ad aduentum Polonorum Pruſſiam defecturam ab Ordine. Erant illi, qui conſenſerant, quos vocabant Crucigeros de minori nobilitate, Miſnenſes, Thuringi, Rhenenſes, ac Auſtriaci. Id malè habebat complures alios: nempè Francones, Sueuos, Bauaros ac Vogtlandos. Nam his literis quaſi freno in os iniecto coërcebantur ab iniurijs ſubditis inferendis: vti hactenus accidit. Idcircò non leui tumultu exorto Marieburgi, ad decimum ſextum diem Januarij, debuit, ſi ſaluus eſſe voluit, Magiſter, conſcenſo carpentulo, fugâ vitæ ſuæ conſulere. Venit is Gedanum ſub ipſis tenebris veſpertinis. Qui inexpectatus aduentus Magiſtri occaſionem Ciuibus varia ſuſpicandi ſubminiſtrauit. Nam vſu erat receptum, vt ſi quando ad eos Magiſter venire vellet, id tempeſtiuè denunciaret. Obuiàm enim illi Ciues honoris gratiâ facti, ad Ciuitatem deduxerunt. Manè Senatus ad arcem vocatus, non comparuit. Tota verò Ciuitas in armis erat: Tandem in Eccleſia S. Spiritus conuenit Magiſter cum Commendatore, & quibuſdam præcipuis Crucigeris: vbi Senatus comparuit. Ibi ſermonibus varijs & diſceptationibus habitis, Senatum ſecum Magiſter ad arcem duxit, & eidem cauſam inopinati aduentus ſui aperuit: ab eoq; & Ciuibus fidelem aſ-

ſiſten-

ſiſtentiam poſtulauit: omnem gratiam viciſſim promittens, ſingulariter verò obtentorum Priuilegiorum conſeruationem atq; defenſionem. Diem quoq; indicendum eis promiſit, quo controuerſia vniuerſa tàm inter Crucigeros ſeorſim, quàm inter ipſos & Crucigeros orta tolleretur ac conſopiretur. Permanſit verò Liga inita ſine impugnatione, cùm inter ſe mutuis rixis Crucigeri detinerentur. Primùm quidem vt dixi altercabantur Magiſter & Commendatores qui conceſſerant ligam, cum ijs qui ſe his opponebant. Ex parte Magiſtri nominatim ſtabant Balgenſis, Regiomontanus & Brandeburgenſis Conuentus. A quorum parte rurſus aliquot Ciuitates ſtabant, ſi fortè contra illos ab aduerſa parte Crucigerorum irruptio fieret. Contendebant deindè nationes inter ſe, quarum aliquæ, nempè, Sueui, Auſtriaci & Bauari Dominatum & præeminentiam in inferiores Germanos aucupabantur, Diſticho huius rei gratiâ effictо innuebant: Neminem clauum rerum habiturum in Ordine, niſi is eſſet Sueuus, vel Bauarus aut Franco. Germanicè.

Discordia inter Crucigeros.

Hier mag niemandt gebietiger ſeyn.
Er ſey denn Schwab/ Beyr/ oder Fränckelein.

Poſtquam verò Ordo maiorem partem Pruſſiæ perdidiſſet, ſcripſit altera ſecta ſequentes verſus.

Wir haben ein ander woll geheytt.
Und ſeynd eines gutten Landes queyt.
Habens niemandt zu dancken.
Dann Beyr/ Schwab/ und Francken.

Quos vtrinq; irridens poſtmodum Polonus: ita ſcripſit.

Ihr Deutſchen ward gar vermeſſen.
Den Pohlen hat ihr vergeſſen.

Sed hæc pleraq; anticipatè dicta ſunt. Deniq; Magiſter diffidebat à Prouincialibus Italiæ & Germaniæ, quòd hi electi fuiſſent abſq; ejus arbitrio. His controuerſijs dirimendis primùm præfixus dies eſt Elbingæ pro feſto S. Priſcæ. Paucis verò illic comparentibus prorogatus eſt terminus ad Dominicam *Reminiſcere*: quo præſente controuerſiæ vniuerſæ compoſitæ ſunt arbitris Franciſco Epiſcopo Varmienſi & Conrado ab Erlichauſen ſupremo Marſalco, ac primoribus Nobilitatis & Ciuitatum, excepta contentione inter Magiſtrum & Prouinciales, qui non niſi poſt mortem Magiſtri tardè aduenerant. Dum verò Ordo inter ſe altercatur, Vladislai Regis filius, Vladislaus quoq; nomine, cujuſdam debiti prætenſione Culmenſem terram deuaſtauit. Exhibebantur equeſtria exercitia liberalibus diebus hoc anno Marieburgi. Diprantus à Borkys eques Pruſſiæ, certabat propoſito honorario, cum Comite Georgio à Tromoyngen. Sed hic victus fuit. Cùm verò Eques more ſolito interrogaret, num ſibi palmam tribueret: Reſpondit Comes, minimè ſe fraudulento Pruſſo ac proditori victoriam concedere. Eques ait: ergò agas perdite quod potes. Ego certè teſtimonio omnium qui adſunt conuincam te à me ſine omni fraude in lutum protruſum. Quibus dictis deuectus eſt equo ad oppidum: hinc ſe ad prædium ſuum contulit. Diſplicuit res Comiti ac mox aſſumptis ſecum ſex famulis in hoſpitio equitem hoſtem quærit. Ille jam abierat. Ejus loco reperit ibidem nobilem Joannem ab Heiden cum alijs nobilibus Pruſſiæ. Cum his altercatus ad verbera deuenit. Pruſſiæ Nobiles ſuperiores facti, Comitem & ſex ejus comites in partes ſecuerunt. Et vt ſecuri eſſent in Poloniam abierunt ad Regem, ejusq; ſe famulitio tradiderunt. Paulus Magiſter cum illos citaſſet, & non compare-

parerent; confiscatis illorum bonis eos proscripsit. Ad hæc contumelijs varijs Crucigeri Nobilitatem Prussiæ proscriderunt. At memor Paulus Magister promissi, dictis aliquando Prussis, contumelias prohibuit. Eo verò magis eas illi in Prussos euomuerunt, ac hos versiculos in omni loco vbi essent, affixerunt.

Ein Pohl von Natur gutt Ritt
Der Preuß seinen Herren verritt.

Quibus Nobilitas exacerbata, malè erga Ordinem afficiebatur. Torunij ijsdem diebus exhibitus est ludus, quo agebatur de reformatione vetularum. Et cùm excogitassent adhunc ipsum opus esse copiam Diabolorum, omnes plateæ ijsdem personatis replebantur. Quosq; hi comprehendissent, multis vexationibus afficiebant. Sub his discursibus intrauit ciuitatem rusticus quispiam matrem suam seniculam secum vehens. Quam cùm aspexissent personati, turmatim advolarunt, ac aliqui illam aggressi, aliqui equos, aliqui etiam ipsum rusticum vexabant. Ipsa verò senicula insolitis rebus territa, etiam clamore edito, se lamentabiliter defendebat. Rusticus nolens deesse matri arrepto fuste ferrato, quem in curru habebat, aliquem ex ijs petijt & vno ictu prostrauit, alijs fugientibus. Captus agrestis, accusabatur perpetrati homicidij. Respondit rusticus, se in vita sua taliter hominem depictum nunquam vidisse: sed Diabolos. Atq; ideò se non hominem sed diabolum inimicum suum occidisse. At nihil horum valere poterat pro illo: ipse verò in verbis suis persistebat. Itaq; incarceratus sententiam expectare jubetur. Mittuntur exinde Scabini, qui lustrent occisum: at illi infra laruatas vestes nihil aliud repererunt, quàm sordentes cineres. Adductus rursus fuit rusticus ad Commendatorem: à quo, cùm iterum atq; iterum diceret, se non hominem, sed diabolum occidisse, liber dimissus est. In alijs quoq; locis alia contingebant his similia, quæ venturorum malorum in Prussia non leuia erant præludia.

Confederatio dicta continebat articulum præcipuum, vt singulis annis dies judicialis exhiberetur: quo quisq; læsus causam suam referre contra quemuis posset. Huic judicio præsidere debebant duo Episcopi, totidem Commendatores, ac Cruciger i Ex Culmensi Nobilitate duo: ex singulis territorijs Osterrodensi, Brandeburgensi, Sambiensi, Varmiensi, Elbingensi, Balgensi, singuli. Ex Pomerellia duo; & totidem ex Ciuitatibus, Culma, Torunio, Elbinga, Gedano, Regiomonto, Brunsberga & Cniphouia. Non multò post Magister Paulus Rusdorfius Marieburgi die S. Nicolao Confessori celebri, in Communi conuentu Crucigerorum officium deposuit. Proficiscens Regiomontum (alij Rastenburgum) vt illic quietam & à curis vacuam vitam ageret: in itinere dum Elbingam diuertit, 29. die Mensis Decembris moritur, postquam nouemdecim annis Ordini præfuisset. Quamuis velint quidam paralysi extinctum & Marieburgi sepultum. A Polonis ob probitatem & sana consilia Spiritus Sanctus dictus.

Michaël Iunge Episc. Samb. Decimus tertius Episcopus Sambiensis fuit Michaël Iunge Regiomontanus. Inuestitum in Ordinem Magister F. Paulus Rusdorfius Romam misit, vt illic contra Polonos ageret, qui sententiam contra Ordinem in Prussia edi poscebant. Romæ consecratus domum rediens paulò pòst moritur Labtauiæ & Regiomonti in Collegio sepelitur. Post Pauli obitum ad officium Magistri assumptus est anno eodem Chri-
1440. sti, 1440. ex Commendatore magno Conradus ab Erlichausen vir per se pius atq; alijs virtutibus præditus. Habebat magnum Commendatorem F. Magnum à Schwansberg. F. Venturam à Kynsberg Mar-

salcum

falcum. FF. Stephanum à Gamunder & Henricum Leyminger Collegas. Alij Officiales erant, qui anteà superius. Sperabant electores ejus, quòd cùm esset vir benignus & in æstimatione à subditis haberetur, posset illis ligam facile dissuadere, Sed aliter accidit res vt breui patebit. Electus verò is erat jam anno Christi 1438. sed non omnium calculo approbatus, nisi post mortem Pauli. Exercebat tunc temporis Aduocati generalis in Episcopatu officium F. Gumprechtus de Losenstein Teutonici Ordinis, qui rusticos Brunsbergensis, & Meelsaccensis districtuum ad rebellionem concitauerat, vt deinceps operas rusticas Dominis præstare nollent (Sonnenwalt, Sablen, & Lichtenwalt pagis duntaxat exceptis) palàmq; jactarent se, vbi Capitulo dimidiam partem census persoluissent, ad alia onera subeunda minimè teneri: quam libertatem se breuiter recuperaturos pollicebantur. Ea rebellio cùm in annum protracta esset, Episcopus primos pagorum ad se vocari jussit, & productis Oeconomiæ libris, quantum soluere & quas operas præstare deberent, illis apertè demonstrauit. Neq; tamen hoc juvit. Cùmq; eos etiam magis obstinatè agere videret, præcipuos eorum, præsertim Duces verbi capi & comprehendi præcepit, & ligatos partim Allensteinium, partim Seburgum carcere & turri coërcendos ablegauit: infimos verò quosuis Heilsbergæ in turrim injecit, paneq; & aqua duntaxat sustentauit. Sic aliquamdiu fame macerati, erga superiores, se mitiùs gerere cœperunt illisq; deinceps obedire & officia debita præstare promiserunt. Atq; ita ad nonnullorum preces dimissi è carceribus fuerunt. Præcipui tamen rebellionis antesignani, exilio multati, alij alijs pœnis affecti ad officium reducti sunt. Postea Episcopus Aduocatum Episcopatûs tanquam turbarum harum incentorem & architectum (quibus nisi maturè obuium itum fuisset, magnum procul dubio incendium excitari poterat) coram Ordinis Magistro grauiter accusauit. Qui factum Aduocati adeò ægrè tulit, vt eum non solùm ex officio deposuerit, verùm etiam liberam facultatem Episcopo concesserit, in posterum Aduocatum Episcopatus eum constituendi quem ipse & Capitulum eligendum existimaret. Insuper & obligationem Eberhardi Episcopi, qua cauebatur, vt Aduocatus ejusmodi ex Crucigerorum Ordine assumeretur, illi restituit. Ab eo tempore Officium hoc aliquis ex nobilibus hujus Episcopatus gessit & administrauit.

Rebellio Rusticorum.

Circa festum S. Laurentij præsenti anno cum maxima tempestate & nimbo aues plurimæ, habentes pennas nigras hinc inde albas immixtas deciderunt é nubibus: quales quidem aues nec anteà nec postea vnquam in Prussia visæ sunt. Anno Domini 1442. cùm Episcopus Franciscus esset in Germania, arx Heilsbergensis conflagrauit, & fornices collapsi, alias quoq; concamerationes ruderibus & ruinis oppresserunt. Quandoquidem Episcopus hic cum Ordinis Teutonicorum Magistro conjunctissimè viuebat, institit sæpè Ven. Capitulum, vt ab illo viginti quinq; millia marcarum, quæ ex decreto Cæsaris Ecclesiæ Varmiensi soluere debebat, Episcopus repeteret. Sed cùm is negotium de die in diem differret, nihil effici potuit; quòd Ordinis Fratres offendere noluit.

Aues non visa.

Arx Heilsbergensis conflagrauit.

In hujus Episcopi tempore incidit atrox & immane, quod annis tredecim durauit, bellum, occasione societatis nobilium & Ordinum Prussiæ, qui Crucigeros extirpare, & penitus in nihilum redigere volebant. Et quoniam Episcopus indissolubili quodam amicitiæ vinculo Teutonicis Fratribus adhærebat illisq; vires suas adjun-

Bellum 13. annorũ

adjungebat, maximum apud Prutenicam nobilitatem sibi conflauit odium: palamq; dicebatur, Episcopum propter differentiam, quæ ei occasione cujusdam lacus cum Joanne Baseno equite intercesserat, præcipuam causam huic bello dedisse. Joannes hic Basenus filius erat optimi equitis de Hancze, Conradi de Zailigen appellati, qui post cladem Tannenbergensem à villa Basen Cameratus Vormditensis (quam Episcopus Henricus primum illi aliquot florenorum Rhenensium millibus oppignorauerat, deinde vendiderat) nomen Basem sibi & successoribus suis in hanc vsq; diem acquisiuit. Ioannes itaq; Basenus multo tempore seruiuit Petro Aragoniæ Regi, qui tunc temporis cum Mauris atrox bellum gerebat. Accidit semel vt vtrinq; post vehementem & sanguinolentam in acie dimicationem absq; victoria certa discedendum esset. Quamobrem conuenit inter exercituum Duces, vt duo vtrinq; delecti milites de summa rerum singulari certamine dimicarent. Si Christianus vinceret, Mauri Aragonum Regi tributarij essent. Sin Maurus victoriam reportasset, Aragonij Mauris annuatim tributum penderent. Prodijt è Mauris in aream vir animo & robore præstans, cum quo qui congredi vellet, cùm è Christianis nullus reperiretur, descendit hic ipse Ioannes Basenus, Dei nomine inuocato, in pugnam, & Maurum virtute & armorum peritia, in eas redegit angustias, vt se illi dedere coactus fuerit. Sic robore vnius præstantissimi militis Mauri, Aragoniorum tributarij sunt effecti. Ipse Ioannes baltheo militari à Rege donatus, magnisq; honoribus & muneribus cumulatus, honorificè dimissus in Prussiam redijt. Attulit à Rege ad Magistrum Ordinis literas virtutis suæ, reiq; præclarè gestæ testes. Maurum etiam illum captiuum secum duxit illoq; ad extrema vsq; vitæ suæ tempora pro mancipio vsus est. Apud Magistrum Ordinis cùm plurimùm gratiâ & authoritate polleret, coëmit nonnulla bona in Osterrodensi districtu quæ in Allensteinensem oram limitibus productis ampliora reddere, & Ecclesiam Varmiensem piscoso lacu vicino priuare vehementer, de quo paulò pòst, cupiebat. Erat igitur XXVII. Magister Ordinis Conradus Erlichausen, detuleruntq; ipsi subditi consuetum iusjurandum (quamuis id aliter sibi exhiberi voluerit.) post longam atq; acrem disceptationem, in hac forma: *Juramus & spondemus vobis Conrado ab Erlichausen Magistro Teutonici Ordinis, vti verò Domino nostro, & promittimus vobis, nos fideles & addictos futuros, sicut decet fideles & veros subditos absq; fraude & dolo. Ita nos Deus adiuuet, & omnes Sancti eius. Promittimus porrò vigore huius iuramenti, si Magistrum decedere contingat, vel nobis iusjurandum remittatur iustè, tunc obedientes erimus Ordini, donec alteri Magistro iurauerimus.* Magister vicissim incolis Prussiæ immunitatem omnium priuilegiorum & libertatum ab Ordine hactenus perceptorum, spopondit. Qua equidem promissione, vt videre licet, etiam nouiter factam vnionem concessit & confirmauit. Memor deinde Magister nouus pactorum Brestæ in Cuiauia factorum, ad Vladislaum Regem Poloniæ intra annum ad festum S. Ioannis profectus est, & pacem perpetuam noua sponsione confirmauit. Vicissim Magister Regem Torunium inuitauit, ad Visitationis Mariæ Virginis festum. Vbi vterq; sacrosanctum cprpus Christi sub Missæ sacrificio in confirmationem pacis perpetuæ sumpsit. Quamuis verò Magister naturâ & ingenio optimus esset, cogebatur tamen ea frequenter, quæ nollet, agere,

Joannes Basenus.

quæ

quæ continuò molestationibus & vexationibus Crucigeri exprimebant. Iam itaq; in animo habebat & cogitabat de vectigalibus contra data Priuilegia, vno milliari Elbingâ in loco Lamehand, vbi alia via Marieburgum, alia Gedanum tendit, atq; alibi erigendis; item de portorijs recuperandis. Verùm prudenter Prussi & circumspectè rem agebant, & eò inflexerunt animum Magistri, operâ Episcopi Varmiensis Francisci vsi, vt penitus tollerentur vectigalia itinerum. Quod ad portoria pertinebat, negotium deniquè finiebat ita, vt Magister curaret colligi illa, sicut colligebantur tempore regiminis Pauli Rusdorfij. Colligebantur verò ab vno Crucigerorum & altero Senatorij Ordinis viro. De summa collecta accipiebant Ciuitates tres partes, ea conditione, vt in communes Ciuitatum vsus & necessitates eam conuerterent, quarta parte Crucigeris relicta. Atq; hæc adeò anno Christi, 1443. acta sunt, Sabbatho post Conuersionem Diui Pauli. Quo etiam anno à Rege Vngariæ ad Fridericum Cæsarem & ad alios Principes Christianos, & nominatim ad Crucigeros Prussienses & Liuonienses in hostes Christiani nominis militiam professos mittebantur petitum auxilia contra Turcam. Sed nihil à Crucigeris impetratum. Anno sequenti mortuus est Vladislaus III. Rex Poloniæ. Post quem Interregnum secutum vsq; ad annum Domini, 1447. quo Casimirus III filius Iagellonis natu minor in Regem electus est.

Vladislau in prælio à Turcis ad Varnam interemptus.

Circa hæc tempora Eremita quidam futurorum prædictione celebris, domicilium suum ad fines Germaniæ & Franciæ fixerat. Ex hoc duo Crucigeri, qui Cobelentiæ habitabant rescire voluerunt, quemnam finem sortitura esset causa incepta agi inter Crucigeros & Nobilitatem atq; Ciuitates Prussiæ, nomine vnionis. Nam Crucigeri inter se pace ad tempus composita, summa vi nixi sunt ligam oppugnare, euertereq;. Ejus causâ fama jam repleuerant totam Germaniam. Ne agnoscerentur verò duo illi Crucigeri, adierunt vatem deposito Ordinis habitu, assumpto alieno. Cujus rei gratiâ eos ille satis duriter increpuit primùm. Deindè inquit: In Prussia neq; sacra religio, nec pietas, nec fides, nec honesta vita jam ampliùs reperitur. Fratres Teutonici ansere Boëmico (quo Joannes Hus hæresiarcha innuebatur, qui Bòëmicè anser dicitur) ducuntur, & ejus pennis gaudent. In Ordine Teutonico in Prussia nunc nihil aliud inuenias quàm superbiam, honorum & diuitiarum cupiditatem, dolum, injustitiam, violentiam, libidinem dominandi. Qualem horum exitum, nisi pessimum fore suspicari potestis. Intuetur enim DEUS qui est in cœlis vniuersa hæc, ordinem omnibus bonis, quæ ei ob plantationem & propagationem rectæ fidei benignè concesserat, propter peccata sua priuaturus. Hactenus Propheta.

Eremita Propheta.

Anno Christi qui erat 1446. ex consilio suorum Commendatorum ad Christophorum Regem Danorum Magister literas misit, quibus postulabat, vt naues Prussorum interciperet. Putabat enim vel hac tandem ratione cogendos Prussos, vt resignent confœderationi suæ. Fecit id Rex in ejus gratiam. Nec tamen intercessorias à Magistro ad Regem ejus causâ petierunt: nec molestiâ affecti à liga destiterunt: licet redimendarum nauium causâ multas expensas illos facere oporteret. Erant verò ita obstinati Crucigeri in exterminanda liga, vt tunc temporis Vlricus Schuan magnus Commendator Stumensis, Henricus Reus Elbingensis, Ludouicus ab

Erlich-

Erlichausen Meuensis, Sifridus Flach Balgensis, Gilbertus ab Angellen Brandeburgensis & Sifridus à Bleijenbach Reinensis, Commendatores ac Sigismundus à Glantzstein Marsalcus Regiomontanus inuicem conjurauerint ac se mutuis votis obstrinxerint: vt quisquis eorum Magistratum aditurus esset, omni modo, quo posset siue jure siue injuriâ, lenitate, vi, acerbitate, ferro ac igne ligam exterminaret: quamuis eis ne pagus quidem unus in Prussia integer permansurus esset. Vt hujus rei initium facerent, censebant quidam, vt edicto caueretur, ne mentio aliqua ligæ à quopiam fieret sub amissione vitæ & bonorum.

Casimirus III. Rex Poloniæ. Anno Christi, 1447. Casimirus III: Jagellonis filius minor natu Poloniæ Rex creatur. Magister igitur Conradus, vt ipse initium ligæ impugnandæ faceret, certam diem terris & Ciuitatibus Prussiæ, Elbingæ indixit Comparentibus illis vel meliùs quidpiam, vel quod in simili posset valore consistere cum liga inita, cœpit prolixè promittere. Nam sine tali prætextu turpe putabat, cum is etiam ligam confirmasset, contra datam semel fidem agere. In rei certitudinem Ordinibus Prussiæ etiam literas certâ formâ conceptas exhibere est ausus: quas illi tamen nullo modo recipere voluerunt, contenti ijs quas vel semel magno labore pro defensione sua acquisiuissent. Hac igitur via quòd res minimè processisset, Prælati Ordinis confœderationem ratione impugnare cœperunt: inde ducentes argumentum; quasi esset liga contra jus diuinum, humanum, & naturale. Sed & id refellebant Ordines.

Accidit interim anno, 1450. mori Conradum Magistrum pridie S. Leonardi Marieburgi, & omnium postremum sepeliri in crypta S. Annæ. Paulò ante obitum suum ex hac vita, dum eum Crucigeri sui infirmum visitant, de futuris malis eos admonuit. Quæ si vellent euitare, ne fratrem suum Ludouicum, vel Henricum Reus Plauenium in successorem assumant; sed quendam Guilelmum ab Eppingen, Commendatorem Osterrodensem, virum mitem & humanum. *Castitas.* Fuit Conradus dictus vitâ castissimus: ita vt ne quidem sanitatis recuperandæ, aut etiam vitæ retinendæ causâ, votum castitatis infringere voluerit. Cùm enim aliquando grauiter laboranti è calculo medici conuersationem cum mulieribus suaderent, respondit: Non permittat DEUS, vt corpus quod Christus lauit, meretrix coinquinet. Nescitis quòd fornicatores & adulteros DEUS judicaturus sit? Melius est calculo premi ad tempus quam igne infernali in perpetuum cremari. Vltimus etiam fuit ex Magistris, qui Marieburgi habitarunt. Scripsit Joannes Lindeblat Officialis Risenbergensis librum Germanicè de rebus Prussicis; incipiens hystoriam à Magistro Vinrico: quam deduxit ad tempora hujus Conradi. Habet verò liber talem inscriptionem: Alhie fahett sich an die Beschreibung deß langen Jamers der von Preussen. Quod sic sonat. Incipit descriptio ærumnarum longarum Prussiæ. Crucigeri post hæc immemores dati consilij de eligendo Magistro, elegerunt ipsum fratrem Conradi Ludouicum Erlichausen Commendatorem Meuensem, quinta die Februarij, anno eodem. Adhibuit is sibi F. Joannem à Ronychingen Magnum Commendatorem: Marsalcum F. Kilianum à Gergsdorff: Trapiarium F. Guilelmum ab Helfenstein: hospitalarium Henricum Reus Plauenum: thesaurarium Vlricum Eysenhouenum: in Magistrum censuum accepit Joannem à Benhausen: Helfritum à Seuolden, &

Petrum

Petrum Hewichtler in Collegas. Hic, Petrum cognomine in arce vna secum ex seruis & famulis, non patiebatur: nam duo, inquit, Petri, quandoquidem omnis Petrus sit mirabilis, inuerterent vniuersa. Expedita electione Magistri & Officialium, consulebant Crucigeri, qua ratione ligæ rursus obuiandum esset. Et quidem
constituerunt in eum finem: Primùm, vt quodcunq; juramentum 1.
Magister à Prussis acceptaret Deindè, si nollent resignare Prussi 2.
confœderationi, vt legatus Pontificius ejus causâ per Germaniæ
prouincialem accersatur. Si hac via res non procederet, ad Cæ- 3.
sarem Prussi citarentur. Deniq; si non comparerent citati, vt bel- 4.
lum contra eos instituatur. Hæc in silentio seruarent sub amissione vitæ. Itaq; vtrinq; per aliquot tempora magnum silentium de ligæ negotio habitum fuit. Interim priuatim contra eam agebant Crucigeri pro viribus. Poscebat proinde Magister novus, juramentum ab Ordinibus Prussiæ: ij vicissim rogabant Priuilegiorum suorum confirmationem, & ante omnia, ligæ. Quam quidam ex Crucigeris nullo modo admittere volebant. Cordatiores suaserunt conniuentiam quandam habendam cum subditis, suauiterq; postulandum homagium: fore vt cum tempore sensim zelus iste defendendæ ligæ deferueat, qui modò tam acriter nititur. Ita quidem consultus per literas Prouincialis Liuoniæ Heidericus Fincken Oberbach, rescripsit. Ita quoq; censuit Iustus à Wemungen in Bahne Germaniæ Prouincialis, qui his diebus in Prussiam ad electionem noui Magistri venerat. Itaq; cùm Magister promissionem subditis de confirmatione Priuilegiorum fecisset, deposuerunt illi homagium. Interim ligæ causam ad Pontificem Max: deferunt Crucigeri. Quod cùm factum fuisset, venit in Prussiam legatus Nicolai Pontificis Ludouicus Episcopus Siluensis, & aduocatos Ordines Prussiæ Marieburgum, non solùm ligæ condemnauit, sed & nodo Interdicti, si non ab incepto desisterent, Prutenos innexuit. Quibus rebus interfuerunt Franciscus Varmiensis, Casparus Pomesaniensis, & Nicolaus Schlotterkopff à continuo motu capitis, quem ex dolore continuo contraxerat, dictus, Sambiensis, Episcopi. Et quidem de alijs aliàs, nunc de hoc dicendum est. Fuit is in Episcopum XIV. electus à Capitularibus è Canonico Regiomontano. Vixit tempore tredecennalis belli. Munierat arcem eius Fischausum Magister trecentis equitibus præsidiarijs insolentibus & impotentibus: qui in ea delitescebant, nec unquam intenti ad prædam excurrerant. Hos dexteritate quadam ad venationem eductos, & eidem instantes deseruit clàm & ad arcem abijt. Redeuntes milites non intromisit; propter quod ipsi illi maledictiones inferebant. Nicolaus inquit, eos debere iam esse contentos, cùm satis longo tempore Episcopum egerint: ipse verò Capellanum in arce. Irent aliò, ac etiam Capellanum agerent. Dicentibus rursus militibus, vt admitteret eos iuxta iuramentum suum, quo arcem se apertam illis relinquendam affirmauerat: Respondit Episcopus; patere ipsis arcem de sursum, quâ si possent ingredi licere. Mortuus senex Regiomonti sepelitur. Erant Prussi quoq; delati apud Pontificem de varijs criminibus, quæ ipsis legatus obiecit, sed egregiè se de ijsdem coram eodem purgarunt. Interim habito inter se consilio Prussi, nuncios miserunt ad Imperatorem Fridericum, petentes ligæ confirmationem, quam ipsi quoque sub dato anni, 1451. die *Purificationis beatæ Virginis Mariæ*

acce-

acceperunt. Quo eodem anno ex informatione Crucigerorum à pluribus Electoribus, Principibus, Vrbibus atq; Communitatibus complures literæ datæ sunt ad Status Prussiæ, tùm ad priuatas personas, ligam dissuadentes, cùm eam non esse aliud interpretarentur, quàm apertam rebellionem. Sed frustrà rem agebant, cùm externi, tùm Crucigeri, qui iam fraude doloque malo rem tentabant, quam aperto marte vincere non poterant. Nam pro decima die Maji, iuxta ligam factam Elbingam omnes subditos, qui se læsos ab Ordine putabant, conuocarunt: prætendentes se esse paratos cuiq; iustitiam administrare. Sed aliud dicebant, aliud intendebant. Nam minimè debito modo iudicium instituerant. Quod vt conuenientes status Prussiæ animaduertissent, ne quid in præiudicium causæ suæ, quod Crucigeri affectabant, attentarent: prolongationem termini ad quatuor hebdomadas petierunt, atque aliam iudicij formam. Sed Commendatores iudicem agentes, surgentes, dixerunt: Cùm nemo compareat coram iudicio à Magistro constituto, & querelam deponat, speramus nostro officio nos esse legitimè functos: Quod vt dicunt, abeunt. Quamuis rem alij ita referant, quòd in ista prima & vltima sessione, primùm venerit causa discutienda ratione cujusdam lacus inter Episcopum Varmiensem & Joannem Basenum à sententia Commissariorum ad Magistrum, & ab ipso, qui cognouerat standum esse Commissariorum decreto, rursus ad Ordinum iudicium prouocauerat: allegans Magistrum Iudicem suspectum, cui cum Episcopo tam arcta familiaritas & consuetudo intercederet. Monuit amicè Magister Ioannem, vt à cœpto desisteret, seq; pro vno lacu quatuor alios daturum pollicebatur. Sed vt erat vir acer, & feroci obstinatoq; ingenio, acquiescere noluit, & causam ad iudicium Ordinum Prussiæ deduxit, qui sententiam contra Episcopum tulerunt: contra quam protestatus est Episcopus, quod nulla esset: quandoquidem ab illis lata, quibus nullum Episcopum iudicandi ius competeret. Se potiùs Magistri & Commissariorum decreto stare velle. Proponebantur deinde querelæ contra Crucigeros. Quod dum fieret, Magister ac omnes alij iudices ex Crucigeris mox surrexerunt & abierunt, ac dixerunt: Non contingat Prussos superstites esse, vt Dominos suos iudicent. Ioannes porrò cùm de Magistro passim conquereretur, famamq; eius & æstimationem proscinderet, ille tanquam rebellem, bonis omnibus priuauit, & spe ordinum Prussiæ confœderatorum se velle experiri comminatus est, quisnam ad bona adimenda esset potentior. Cumq; aliquamdiu apud Fratres Gabrielem Basenum qui in Risenburgensi, & Sciborium qui in Christiburgensi ora consederant, versatus, ad extremum pulsus esset: duodecim equitibus assumptis in aulam Casimiri Regis venit, vtq; Magistrum Ordinis occasione bonorum ademptorum vlcisceretur; manibus, pedibusq;, vt dicitur, id egit: Vtq; Prutenos contra Teutonici Ordinis tyrannidem concitaret, illisq; persuaderet, vt se, liberos, bonaq; omnia Regno Regiq; Poloniæ in fidem & tutelam traderent. Quod etiam factum est, de quo posteà latiùs. Non solus pulsus fuit in exilium Ioannes, sed & ita Crucigeris procurantibus vna nocte occisi sunt in suis prædijs Petrus à Tergen, Christophorus à Polexen, Diprantus à Borkijs, Michaël à Tranguitz, Budiscus à Neudorff, Paulus à Veinnitz, Conradus à Buchwalde nobiles Pruteni. Quod vt audissent eorum vicini, de periculo suo metuentes, relictis pagis ad

gis ad

gis ad oppida clàm migrarunt. Accidit id ijs minùs proſperè. Nam cùm ſub prætextu luſtrationis equeſtres viri ex Marieburgenſi, Chriſtburgenſi, Riſenburgenſi & Quizinenſi diſtrictibus, conuocarentur: reuerà verò vt caperentur: ac illi ſubuerentes hoc ipſum, laterent ac non comparerent: eorum pagi confiſcati ſunt, ſed non aulæ. Putabant enim aliquando, ad eas reverſuros nobiles, quos hac ratione apprehenſuros ſperabant. At nobiles illi, habito inter ſe conſilio, vna nocte omnia ſua prædia & pagos igne ſuccenderunt, & ex Pruſſia abierunt. Ac etiam vt Crucigeri magis ac magis Ciuitates Pruſſiæ ad relinquendam confœderationem compellerent, equitatus vel potiùs latrones in earum vicinia immiſerunt. A quibus Gedanum, Torunium, Culma ac præcipuè Elbinga, cui vel maximè offenſi erant, quòd illic liga excogitata fuiſſet, ac Nobiles illi, qui pagos ſuos incenderant hoſpitati dicerentur, miſerè diuexatæ fuerunt. Moleſtias alias, quas Elbingenſibus intulit Ordo, ſuperiùs inter grauamina retuli. Nec intentatum reliquerunt id Crucigeri prodi nempè atq; edi ex vtraq; parte in hac cauſa, arbitros. Et illi quidem elegerunt quoſdam Germaniæ Principes, hi Poloniæ Regem. Sed neutra pars in alterius arbitros conſentire voluit. Tandem importunitate ſua terriculamentiſq; partim quoq; promiſſis effecêre Crucigeri, vt multi confœderatorum ligæ nuncium remitterent. Inter alios id fecerunt Choinicienſes, Marieburgenſes, & noua Ciuitas Torunenſis, quorum Proconſules in præſentia legati Pontificij ſuperiùs dicti, à confœderationis literis ſigilla repetierunt. Deniq; conſenſu mutuo res ad arbitrium Friderici Imperatoris delata eſt. Intereà dum cauſa ventilatur, firmis præſidijs & alijs neceſſarijs arces ſuas & oppida Crucigeri firmarunt & prouiderunt. Status certè præſeferebant non dubiè, non adeò ſe promotionem ligæ curaturos, modò Crucigeri non tantoperè eius negotium vrgerent. Dum agunt ſuam cauſam Ordines ad ſtuporem aliorum, ſuam verò laudem & maximam commendationem, incredibili ferè ſilentio vſi ſunt. Elegerunt enim Nobiles de ſuis numero decem perſonas, ac totidem Ciuitates, quæ rem pro fide ſua agerent: nam iudicarunt non rectè pluribus negotium iſtud debere committi. Horum agentium nomina planè ſecretò continebantur, & ab omnibus ignorabantur. Quibus verò res commiſſa erat, viciſſim de conſilijs ſuis nihil, niſi iam re peracta, euulgabant. Quo accidit, quòd Crucigeri toto eo tempore, quo de liga agebatur (agebatur verò tredecim annis) de ſecretis ſtatuum, quamuis id maximoperè curarent, nihil intelligere potuerint. Nam aliàs vtrinq;, ſcilicet ex parte perſonarum agentium, & ex parte cauſæ, non leue periculum impendere potuiſſet. Illis quidem quòd eas de proditione conſiliorum ſolicitare, aut etiam vitæ ipſorum inſidias ſtruere: huic vafro aliquo commento & conſilio occurrere quiuiſſent. Quæ de hac actione præterea memoranda reſtant, in oratione, quam habuit Joannes Baſenus ad Regem, inferiùs reperientur.

Anno Chriſti, 1452. Rex in maiorem Poloniam & inde Neſſouiam profectus, Ludouicum Erlichauſen Magiſtrum cum Epiſcopis & primoribus Crucigerorum ad ſe venientem lautè & magnificè accepit, viciſſimq; ab ipſo Torunium inuitatus eſt. Sed tandem cauſa ceciderunt Pruſſi apud Cæſarem, die 28. Nouemb. anni Chriſti, 1453. Quo anno per Aprilem tanta copia Culperſconum 1452. 1453.

in fluuio Motlau apud Gedanum etiam manibus capiebantur, ut non solum sufficerent in quotidianum vsum, venderenturque: sed etiam tonnæ integræ sale condirentur in futurum. Deinde
Piscis ingens. ingens piscis, nempe triginta quinq; pedum longus in autumno ante Laternam captus est. Habuit is os ingens, quindecim longos & plurimos minores dentes. Tertio die postquam fuit ad forum ductus pro spectaculo, computrescere cœpit. Deniq; in
Prodigia. Langart suburbio Gedanensi vitulus cum duobus capitibus, sex pedibus, quatuor oculis, ac totidem auribus natus fuit. Vnum caput cum capillis albis & auribus nigris: alterum caput nigrum erat, aures albæ, oculi cani. Omnes sex pedes, ruffi. His insolitis rebus dubio procul præsignabantur futura breui mala in Prussia. Ante tamen sententiam Cæsaris latam prouidere sibi Prussi contra vim, si quæ ipsis à Crucigeris iuxta superiores minas inferretur, volentes, legatos suos ad Casimirum tertium Poloniæ Regem miserunt, petentes Regis opem contra iniurias & impotentem Dominatum Crucigerorum. Crucigeri quoq; suos miserunt, qui ne Rex aduersus fœdera Prussis adesset, postulabant. Responsum est Prussis & Crucigeris, Regem veluti Christianum Principem diffidia alere nolle. Si eo arbitro vbi voluissent, quamuis iam Imperatorem recepérint, non se recusauisse. Iam verò percepto probè euentu causæ apud Imperatorem, quo etiam infames pronunciabantur Prussi, & mulctâ sexcentorum millium florenorum plectebantur, honestius esse duxerunt pugnando mori, quàm turpiter sub intolerabili iugo immanium Crucigerorum, quod satis superq; experti fuissent, viuere. Miserunt itaq; ad Magistrum Crucigerorum literas clarigationis in hunc sensum.

Reuerendo Domino Ludouico ab Erlichausen, Magistro Teutonici Ordinis, prout nunc mutatio rerum est, obsequijs nostris præmißis. Reuerende Domine Magister, post electionem vestram in Magistrum, postulastis à nobis homagium. Quod fecimus libenter, vt vicißim Reuerentia vestra iura & libertates nostras manuteneret, & communem diem iudicandæ violentiæ & iniustitiarum concederet. Hoc ipsum cùm essemus vestri subditi à vobis sæpißimè postulauimus. Sed id nobis contingere non potuit, quamuis ad promißionem talem nos vobis subdiderimus & iurauerimus. Rursus etiam Reuerentia vestra promisit, nos pro dilectis & fidelibus habituram: interim tamen permisit nos probris affici & contumelijs, imponiq; nobis periuria & proditiones, atq; nos voluit pro adscriptitijs habere. His necdum contenti, libellos famosos ad Imperatorem, Reges, Principes, Dominos, Communitates ac Ciuitates de nobis tradidistis atq; auxilia & adstantiam apud eos contra nos quæsiuistis per vestros Commendatores & nuncios, quod ipsi per credentiales vestras effecerunt. Quin & læsistis nos in corporibus & bonis contra literas Ordinis & omnium Commendatorum sigilla: atq; vestros fideles Ioannem & Gabrielem Basenos in exteris regionibus concesßistis capi, incarcerari, æstimari & spoliari. Imò

etiam

etiam nos, præsertim negotiatores, à vobis nullum auxilium vel consilium terra mariq; in necessitate habere potuimus, sed eò magis vim & iniustitias à Vobis & Ordine vestro accepimus. Itaq; renunciamus nos Equites & Ciuitates vnionis in Prussia, Reuerentiæ vestræ homagium & omnia obsequia per præsentes. Volentes cum omnibus consortibus nostris honorem nostrum & æstimationem contra vos & Ordinem vestrum ab iniustitijs, violentijs & proprietate vestra defendere. Datum Torunij, sub nobilis Domini Ioannis Baseni equitis, & Ciuitatis Torunensis sigillis, quibus in hunc finem omnes vtimur, Die Lunæ post Purificationem Mariæ, Anno, millesimo quadringentesimo, quinquagesimo quarto, 4. die Februarij. Subscriptio. *Terræ & Ciuitatum plenipotentes Consiliarij vnionis in Prussia, atq; eorum assistentes Torunij congregati.* Hoc anno emebatur modius siliginis, 26. solidis: tritici, 30. hordei, duodecim, Auenæ, quatuor.



LIBER VI. HISTORIÆ PRVSSICÆ.



Post datas ad Crucigeros, quas Magiſter Marieburgi ſexta die Februarij à nobili iuuene Pruſſo exheredato in albo bacillo accepit: oppida ſex & quinquaginta in poteſtatem ſuam, eiectis Crucigeris, Pruſſi redegerunt. Ad quod facinus peragendum quiſnam eis faces addiderit, & quomodo eis res ſucceſſerit, paucis nunc dicendum. Illis diebus, qui Prutenis ad deliberandum ſupra liga à Cæſare dati erant, antequam ſententiam ferret, venit ex inſperato ad ipſos ſingularis amicus Crucigerorum. Ita verò locutus fuit. Miſeret me, ô Pruteni, vos adeò indignè tractari. Nam decretum contra vos cecidit, & iam de articulis interitus veſtri laboratur. Subiecerunt illi: Quidnam ſibi ille conſilij daret? Tunc ipſe ſic orſus eſt: Dominus meus parens, me duodecim annorum puerum ad aulam Sigiſmundi Cæſaris miſerat: in qua dum hærerem, interim pater morte obijt. Reuocatus domum, inueni circa arcem defuncti ingentem multitudinem cornicum, quibus delectabatur, dum in viuis eſſet. Quòd verò illæ mihi ſuis clamoribus moleſtæ eſſent, de ijs abigendis cogitare cœpi. Ac primùm quidem immodicum fumum in ſylua excitari feci. Sed fruſtra. Iuſſi deinde eas occidi iaculis, occiſæq; ſunt plurimæ: at plures aliæ in earum locum ſucceſſerunt, eumq; magnis clamoribus repleuerunt. Monitus tandem, ſyluam excindi feci: quo facto bona pace vſus ſum. Date igitur Pruteni operam euertendis arcibus Crucigerorum, ſi liberi eſſe vultis ab eorum moleſtatione. Nec ſurdis fabula. Nam reuerſis domum nuncijs, Prutenorum prima cura fuit euertere munitiones Crucigerorum latibula. Neminem tamen eorum occiderunt, ſed illos ad Magiſtrum miſerunt: ſenum etiam ac infirmorum piam curam geſſerunt, quàmdiu hanc eorum beneuolentiam experiri voluerunt. Torunenſes itaq; ſubdiderunt arcem ſibi in die S. Dorotheæ. Nam Commendator F. Kalb cum ſeptem ſocijs eâ deſertâ Papouiam fugerat. Sublatis inde rebus, Torunenſes inferiùs altiſſimam inciderunt, cuius deiectione multa alia ædificia contuderunt: alia diruerunt, vt potuêre. Hinc progreſſi occuparunt Birgelauiam, Golubum, Radzinum, Graudentum, Brodniciam, Cauernicum, Engelsburgum, Rogoſno, Papouiam, Ventzelauiam, Fridecum, & præſidijs munierunt. Nec ſegniùs egerunt Elbingenſes cum ſua arce, quam Henricus Reus Commendator cuidam conſanguineo ſuo eiuſdem nominis diſcedens commendarat. Is primùm arcem tradere noluit, imò ignitas pilas ciuitatis ædificijs immiſit. At territus conſtantiâ ciuium, turrem cenſuariam excidentium, & in arcem viciſſim tormenta explodentium, arcem & omnibus ceſſit vitam tantummodò & ſociorum pactus. Deductus Henricus ſecuritatis cauſa ad Monaſterium, Monachos humaniſſimè ſalutauit, quibus ante quatuordecim dies extrema quæq; comminatus eſſet, quòd ſecuritatis causâ ciuem quendam recepiſſent, qui in ſua defenſione agaſonem mutilaſſet. Sed Monachi nec memores iniuriæ illatæ eum benignè ſuſceperunt. Altera die Marieburgum deducti ſunt. Fuit Elbingenſium arx omnium pulcherrima poſt Marieburgenſem, quam tamen

Arx Torunenſis diruitur.

Arx Elbingenſis proſtrata.

tamen Ciues ſolo proſtrauerunt, excepto granario: quod in Monaſterium Virginum Birgittarum conuerterunt: in recordationem S. Birgittæ, quæ aliquando ibi hoſpitata fuiſſet: vbi etiam inſtinctu didiciſſet ac prædixiſſet, Ordinem Teutonicum, ob inſolentiam quandoq; Pruſſiam amiſſurum. Brunsbergenſes interceperunt Balgam arcem: ſublataq; ſupellectili eam partim incenderunt, partim diruerunt. Solas ſuccidias trecentas lardi ex arce ſuſtulerunt. Velauienſes demoliri debebant Labiam adiutoribus Allenburgenſibus: at cùm tardarent, Albertus Sparneckel nobilis quiſpiam auxilio Liſcenſium eam præſidio muniuit pro bono Ordinis. Gedanenſes mercatores, miſſa legatione ad Magiſtrum, quâ declarabant, ſe facili negotio pertracturos Senatum pro parte Ordinis, ſi modò ijs libertates antiquas concederet. Cùm verò nullum aliud reſponſum ab eo acciperent, quàm, inceptum negotium finiri debere; decimâ Februarij arcem occuparunt. Inſequenti, dirui cœpta eſt. Aderat ſenex, qui diruentibus dixit: Diruite hoc lupanar: ſed id factum nati natorum deflebunt. Id vaticinium num vires ſuas habuerit, nondum Oedipus expoſuit. Raſtenburgenſes, etſi arcem imminentem oppido totam non fregerint, eâ tamen direptâ, F. Volfgangum Sawertamen præſidem ſub glaciem perticâ, ne manus polluerent, miſerunt: nequicquam exprobrantem ingratam mentem illorum pro acceptis beneficijs. Cùm ciues veteris Ciuitatis Regiomontanæ, arcis mænia cubitos quadringentos longa, & turres quatuor deijcerent, eorum quidam ex Capella arcis de capite imaginis glorioſæ Virginis coronam ex perlis ſuſtulerunt. Eam emit coniux Simonis Vimanni pro filiola. Cùm verò comptulæ mater coronam imponeret & diceret: Iam vetulam Mariam exurite: exindè filiola mea veſtra Maria erit; nam pulchrior eſt: continuò caduco morbo correpta puellula ad terram decidit, & poſt viginti & vnam horas expirauit. Quo exemplo deterriti Ciues, à populatione vlteriori capellæ deſtiterunt. Miſerunt deinde ſtatus Pruſſiæ ad Regem ſplendidam magis legationem priore, ſeq; & omnem Pruſſiam, Pomeraniam, Culmenſem, & Michalouienſem terram ei dedebant. Sendomiriæ ea legatio Regem è Lituania reuertentem reperit: ſed Cracouiæ Februario Menſe adeſſe iuſſa eſt. Erant verò à Nobilitate & oppidanis miſſi, Ioannes Baſenus, Auguſtinus Scheue eques, Gabriel Baſenus, Nicolaus Wolkau nobilium nomine: Laurentius Kritz Culmenſis, Ritigerus Pirken Turonenſis, Laurentius Pilgrim Elbingenſis Burgimagiſtri. Guilelmus Iordanus eques & Ioannes Meyderburg Gedanen:, Ioannes Cale Braunsbergenſis, Gregorius Schwach Regiomontanus, Nicolaus Rademanus Cniphouienſis. Hi igitur, quorum Princeps Ioannes Baſenus erat, in Senatum ſtato tempore introducti, factâ audientiâ prolixè expoſuerunt, qua improbitate & quibus artibus Crucigeri Pomeraniam & Michalouienſem tractum olim Polonis anteuertiſſent: qua crudelitate in Dobrinum:, Cuiauiam, Maſouiam, cæteramq; Poloniam parentem ſuam ferro & igni debacchati in ſolitudinem ferè eas oras redegiſſent: quam infidam incertamq; pacem cum Polonis colerent, ſemperq; coluiſſent. Deinde quàm acerbo, crudeli, contumelioſo, & impotenti Dominatu in ſe vſi eſſent, atq; etiam tùm vterentur. Commemorabant eorum rapinas, ſtupra & libidines in vxores, liberoſq; ſuos è complexibus maritorum atq; parentum abſtractos. Quòd ſi qui contra mutire auſi eſſent, in eos verbera, vincula, & ſexcenta tormentorum genera, capitis deniq; ſupplicia deprompta eſſe. His tot ac tantis malis vt occurrerent, ſe confœderationem quandam

Balga.

Gedanenſis Arx.

Regiomontana Arx.

Blaſphemia punita.

Pruſſi ſe ſubdunt Polonis.

inter se fecisse. Eam verò à duobus Magistris Paulo & Conrado approbatam & confirmatam, à Ludouico, qui tunc Crucigeris præerat, abrogari cœpisse, & Imperatoris Friderici opem contra se, quasi rebelles subditos, imploratam esse: Ad eum se legationem splendidam purgandi sui Crucigerorumque accusandorum causâ misisse; legatos suos per Morauiam iter facientes à latrunculis, quos Crucigeri subornauissent captos, & in uinculis aliquamdiu asseruatos, & ad extremum dimissos, ad Imperatorem peruenisse. Ibi cum is ex compromisso judicium instaurasset, nihil æqui se impetrare potuisse, eoq; re adhuc integra judicem illum recusasse: nihilo tamen minus instantibus aduersarijs & legatis Principum Germanorum, quos ij corrupissent, adjuvantibus, non modò abrogatum est fœdus suum, verùm etiam sexcentorum millium florenorum mulctam sibi dictam esse, atq; adeò infamiâ se notatos & libertate priuilegijsq; spoliatos, seruorum aut pecudum in morem tàm impotentibus Dominis addictos esse, & ab ijs deinde trecentos morti destinatos. Eam tyrannidem se diutiùs ferre non potuisse, sed sumptis armis, Crucigeros eorumq; Magistratus & præsidia ex oppidis, vrbibus, atq; arcibus plerisq; omnibus ejecisse: neq; deinceps in potestate eorum fore. Scire autem se probè, à Polonia se, orasq; illas à se cultas & habitatas, olim partim dolo, partim per vim ac per summam injuriam avulsas fuisse: non ignorare, Crucigeros initio Polonorum beneficio in illis oris consedisse. Ad illorum igitur, qui & Crucigerorum patroni & justi Domini sui essent, opem se supplices confugere, eisq; se suaq; omnia dedere: orare, ne se in extrema sua necessitate despicerent, neue opprimi & ad extremum excindi paterentur. Nihil autem esse, quòd Poloni vererentur, ne ea re fœdera cum Crucigeris violarent, cùm ciues Chosnenses, propterea, quòd ij se vrbemq; suam bello addacti, Polonis dediderant, contra quam in pacificatione conuenerat, capitis supplicio affecissent, & noua fœdera cum Lituanis aduersus Poloniam dudum icissent. Non voluntate Crucigeros neq; pacis colendæ studio, sed vi à se adactos, pacem cum Polonis fecisse, & in eam diem seruasse. Se enim cunctam superiorum bellorum molem, dum illi Marieburgensis arcis mœnibus sese ferè continerent, sustentasse. Defessos autem & exhaustos ad pacem illos impulisse. Non aliena Polonos occupaturos, verùm sua recepturos esse, quæ illis sedes Apostolica aliquoties adjudicasset: spondere autem sibi fortunam Regis & Polonæ gentis virtutem, illa omnia è sententia sua ipsorumq; processura esse. Nec se sibi defensoribusq; suis esse defuturos. Hujusmodi ferè fuit Prussorum oratio. Relata re ad Senatum, vera esse quæ dicebantur à Prussis omnes recognoscebant. Meminerant, Crucigeros quater ictum cum Iagellone Rege fœdus rupisse, & ad extremum vt Pontificis Max & Basileensis Concilij authoritate id sibi facere liceret, elaborasse. Ciues Chosnenses propterea quòd se Regi in bello dediderant, contra pacta & jusjurandum suum immaniter interfecisse, commercia cum Polonis capitali supplicio Prussis interdixisse. Memorabant seniores, eos cum hostibus Polonorum consilia & arma socia non semel conjunxisse, Polonisq; pium aduersùs barbaros bellum diuersa parte gerentibus, Poloniæ fines impiè & perfidè infestasse. Nulla cum eis fœdera, nullam certam pacem esse. Hæc tunc in Senatu commemorabantur. Sed tamen de acceptanda deditione variabant sententiæ. Censebant multi: Nonnulli, quorum Princeps Sbigneus fuit, dissuadebant: alij verò ad comitia rem integram reijciebant: cujus sententiæ Tencinius Palatinus

nus Cracouiensis author erat. Nec deerat suis ex altera parte Crucigerorum legatus, thesaurarius ejus Ordinis, qui ad cohonestandas Regias nuptias missus, quinquaginta millia florenorum ad corrumpendos Proceres Polonos, secum attulerat. Atq; is cùm vniuersos publicè fœderum admonebat, tùm priuatim singulos orando & pollicendo prensabat. Ad extremum clientes ac vectigales Regi Polonisq; Magistrum atq; Crucigeros in futurum omne tempus fore promittebat. Quocirca quindecim plus minus dies consultando absumpti sunt. Legati Prussorum vbi comperendinari rem animaduertêre, contenderunt à Rege, ne differret, alioqui se alios Dominos & Patronos sibi quæsituros esse, qui obuijs, quod ajunt, vlnis tàm luculentam conditionem accepturi essent. Apparebatq; eos in Boëmiam ad Ladislaum Regem profecturos esse: nam is cupere id se significabat. Interim afferebatur ex Prussia, nobilitatis & Ciuitatum partes indies meliores fieri: Magistrum & Crucigeros in angustum redactos Marieburgi & Stumæ ferè munitionibus sese tueri. Brodniciam arcem ne in aduersariorum potestatem veniret, Ioanni Coscelecio Inouladislauiensi Palatino à Commendatore siue præfecto traditam esse: nam oppidum in fide Crucigerorum mansit. His igitur impulsi Rex atq; Proceres Poloni, ne tàm luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea, quæ majores sui olim amiserunt, vix vnquam posteà redituram, sibi elabi paterentur, deditionem Prussorum accepêre: tametsi prævidebant motus bellorum qui inde consecuturi, & Poloniam atq; Germaniam inter se ipsas collisuri essent: verebanturq; quorsùm tanta illa & inopinata prosperitas, ad extremum euaderet. Thesaurarius vbi acceptam esse deditionem didicit, absq; mora Cracouiâ discedens in Silesiam, indeq; in Misniam & Saxoniam, mercenarios milites conductum contendit. Priùs tamen aculeum & veluti seminarium quoddam intestini mali atq; dissidij, quo distinerentur Poloni, immisit, cum Petrum Saffranecium, hominem callidum, audacem & factiosum, & latronum, furum, atq; siccariorum socium & fautorem donis promissisq; clàm corrupisset, vt bello & latrocinio Poloniam exagitaret. Et facilè id erat persuadere homini turbulento & hujusmodi rebus assueto, & qui se ob id Regi bonisq; omnibus inuisum esse intelligeret. Nam latuit hoc Regem atq; Proceres: verùm nonnullis res visa incredibilis: alij porrò dissimulando sanatum iri insaniam ejus judicabant. Missi extemplò in Prussiam Andreas Episcopus Posnaniensis, & Ioannes, Conespolius Cancellarius: jusjurandum ab vniuersa nobilitate ac Ciuitatibus, conceptâ formulâ in verba Regis datum acceperunt: Episcopi in aduentum Regium dilati sunt. Arces, quibus Rex jusserat, traditæ. Quanquam Torunenses, Elbingenses, Gedanenses, & Regiomontani Ciues, eas, quæ vrbibus suis imminebant, diruerant: quæ res neq; Polonis neq; Prussicæ ipsi Nobilitati placuit. Sed neq; auersandi, neq; factum reprehendendi tempus tunc erat. Per idem tempus Fridericus Marchio Brandeburgensis, nouam Marchiam, quæ Casubiæ pars erat antiquitùs, detrectantem & ipsam, Crucigerorum Imperium; in deditionem accepit: missaq; ad Regem legatione, & ut cum bona ejus venia id esset, petiuit, auxilia contra Crucigeros promittens. Sed nihil certi responsum est, propterea quòd Stolpensium quoq; Pomeranorum Dux eam petebat, & suo quodam jure sibi vendicabat, & in clientela & fide Regis fore se vnà cum conditionibus suis, duoq; millia equitum ad quoduis bellum Regi Polono adducturum pollicebatur. Nec huic quidem certum responsum datum. Misit deinde Rex ad Pontificem

Prussia subdit se Polonis.

Marchia subdit se Brandeburgico.

Max: Ioannem Brezium jureconsultum, & ad Imperatorem, qui tunc in comitijs Ratisponensibus erat, Nicolaum Cranstouium Tribunum Cracouiensem, qui factum suum defenderent, & Crucigerorum querelas refellerent: ipse Breste Lituanicum ad conuentum Lituanorum excurrit, & cum his constituit, vt Liuoniensium auxilia transitu in Prussiam prohiberent. Decretum est posteà Lanciciæ ad Calend. Majas, vt Rex Torunium se conferret, pacandæ Prussiæ causâ. Cujauios atq; Dobrinos si opus esset, ad aulicum comitatum suum in auxilium Prussorum, qui tunc Crucigeros Marieburgi, Stumæ, & in Brodniciensi oppido suo pariter & mercenario milite è Polonis & Boëmis collecto obsidebat, adjungeret. Masouij verò Duces frustrà iterum à Rege & Lituanis sua ibidem repetiuerunt, quamuis omnes copias suas Regi ad Prussicum bellum pollicerentur. Ludouicus verò Magister Ordinis acceptis literis inimicitiæ statuum Prussiæ, ac intellecto negotio Casimirum Prussos in tutelam suscepisse, statim Episcopum Franciscum cum F. Henrico Reus Plauenio Commendatore Elbingensi in Germaniam ablegauit, conquestum Friderico Cæsari de hac rebellione & imploratum ejus auxilium & decreti prioris contra confœderatos ab eodem lati, executionem. Sed parùm apud Imperatorem ea legatione perfectum est, eò quòd Italico & Vngarico bello distineretur. Cùm videret autem Episcopus se non modò statuum Prussiæ sed Regis quoq; Poloniæ odium & indignationem incurrisse, quod à partibus Teutonicorum Fratrum contra confæderatos Prussiæ staret, animaduerteretq; res Crucigerorum valdè in clinatas, quòd illis per confœderatas Ciuitates, oppida & arces Marieburgo duntaxat excepto, ereptæ ademptæq; essent, pœnitere eum cœpit consilij, quòd contra mentem Venerabilis Capituli legationis ad Cæsarem munus suscepisset. Quamobrem magnis itineribus contendit vt bona sua faciliùs tueri ac defendere posset, sed à subditis receptus & admissus non est, quòd ab ejus inimicis, nempè Prussiæ Ordinibus confœderatis & Rege Poloniæ præoccupati essent. Miserunt itaq; ei literas obuiam, quibus ejus obedientiæ nuncium remittebant, obsignatas sigillo Iacobi equitis Baseni Capitanei arcis Heilsbergensis, & ejusdem Ciuitatis Secretarij signo etiam munitas, è quibus apertè videbat, eos jam in aliorum fidem & obedientiam concessisse. Coactus est itaq; Marieburgum ad Magistrum Ordinis redire, cum quo decem & octo mensium obsidionem, à Rege Poloniæ circumseptus, perpessus est. In legatione qua pro Magistro Ordinis apud Cæsarem functus est, consumpsit, 8000. Ducatorum Vngaricorum. Dum in ea legatione abest, & futuri belli non leuia apparerent argumenta, Venerab. Capitulum conuocatis omnibus totius Episcopatus Ordinibus comitia habuit, in quibus fœdus quoddam ictum, & jureiurando roboratum fuit, quòd in euentu belli nemo se vel Crucigeris, vel confœderatis Prussiæ adjungeret, sed neutri parti adhærens mediam viam, quæ ad bonum publicum magis accederet, sequeretur. Neq; tamen à subditis cum maximo eorum damno seruatum fuit hoc. Nam exorto bello multi sese Ciuitatibus primarijs adjunxerunt, & Crucigeris arma intulerunt. Vndè tanta vastitas & desolatio hujus Episcopatus subsecuta fuit, vt nec in præsentem diem fælicitatem pristinam recuperare potuerit. Cùm videret itaq; Capitulum pessimè miseris vasallis inter tantos belli tumultus consultum, cum Magistro & Ordine Teutonicorum ad pacta infrascripta descendit, quæ utrinq; subscripta & sigillis munita fuerunt, die Epiphaniæ anno Domini, 1455. Magister Ordinis, bona

Franciscus Episc. Varmiensis à subditis non susceptus

Capitulum Varmiense neutrale.

Pacta Capituli Varm. cum Crucigeris.

1455.

Ven.

Ven. Capituli in curam acciperet, eaq; tueri & defendere teneretur: in quibus liceret fratribus manere & hospitari: ita tamen, vt sumptibus proprijs viuerent. Ven. Capitulum nihilominus in ijs proprietatem, & vt antè, dominium & jurisdictionem retineret. Pace prouinciæ restituta, eadem bona integra, absq; vlla contradictione Ordo Capitulo reddere & restituere teneretur. Infra vnum mensem deberet Magister bonum amicum & vicinum suum Episcopum Franciscum Vratislauiâ reductum in Episcopatum restituere, eumq; contra subditorum rebellionem insolentiamq; tueri & defendere. His conditionibus F. Guilelmus de Helfenstein cum alijs multis Fratribus & centum equitibus, & Georgius de Schliben cum centum peditibus in Ciuitatem & arcem Allensteinensem recepti & admissi fuerunt: quam cùm in decem annos frumento, auenâ, farinâ & omnis generis commeatu copiosè instructam reperissent, bonam ejusmodi partem ad oppida & arces suas auehere cœperunt, & ciuibus multa onera & molestias intulerunt: ita vt Canonici, qui tunc temporis in arce commorabantur, de ijs ad Magistrum referre coacti fuerint: orantes prouidere vellet, ne quid contra pacta à suis admitteretur. Respondit Magister; se pactis conuentis stare eaq; conseruare velle. Sed qui tum erant in arce Crucigeri, Canonicos apud Magistrum accusarunt, quòd Polonis arcem dedere vellent. Quamobrem eos comprehensos, nempè, D. Arnoldum Datteln Præpositum, Joannem Plastwig I. V. Doctorem. Arnoldum Clinger, Nicolaum Vethem I. V. Doctores Canonicos Varmienses fustibus percusserunt, & per integrum annum in carcere detinuerunt: postremò ligatos Regiomontum asseruandos miserunt, & loco gratitudinis tanquam proditores pessimi accepti tractatiq; fuerunt. Pactorum supradictorum vigore etiam F. Henricus Reus Plauenius Commendator Elbingensis admissus fuit cum suis Meelsaccum, Resselium, Vartenburgum, Bisteinium, Heilsbergam, Seeburgum & Guttstadium, & pro defensione eorum Joannes de Lusianis 700. Boëmos aluit. Cæteræ ciuitates & oppida Episcopatus Varmiensis in potestate Regis Poloniæ fuerunt operâ Brunsbergensium, qui ab Episcopatûs Dominio auulsi Regi Poloniæ sese dediderunt, vt Ecclesiam Varmiensem persequerentur. In Prussiam deinde itum est magnâ & splendidâ Procerum cateruâ Regem comitante. Ibi Torunii, Elbingæ, & Gedani iteratum publicè a Proceribus, Nobilitate & Ciuitatibus ritu solenni jusjurandum in verba Casimiri & successorum ejus Regum Polonorum, tribus Palatinis, in sua quoq; satrapia, præeuntibus. Episcopi quoq; tres, nempè Arnoldus Culmensis, Gaspar Pomesaniensis, & Nicolaus Sambiensis, cum suo quisq; Sacerdotum Collegio, in verba Regis jurarunt: abjectoq;, Regis permissu, cultu Crucigerico, veterem habitum Diui Augustini profitentium, resumpserunt. Quartus Franciscus Varmiensis apud Crucigeros Marieburgi erat; sed collegium tamen ejus vnà cum cæteris jusjurandum dedit. Ladislai deindè Regis legati Boëmi Joannes Persteinius siue Rosenbergius & Sdeneus Costca (nam Chranstouius nihil certi retulerat) auditi, expostularunt cum Rege, quòd Rege suo inconsulto, Prussorum deditionem secus quàm Cracouiæ in nuptijs pollicitus erat, accepisset: postularuntq; vt Pragam legatos mitteret cum luculentis mandatis ad constituendum de rebus Prussicis, quarum cura magnoperè ad Regem Boëmorum pertineret, quòd & Patronus Crucigerorum esset, & Prussiam omnem nuper interueniente Alberto Friderici Marchionis Brandeburgensis fratre Germano, à Crucigeris in deditionem accepisset. Interim autem

Schliben.

Canonici Varmienses malè habentur à Crucigeris.

autem vt Casimirus obsidiones institutas solueret, belloq; Crucigeris inferendo supersederet. Ad hanc nihil aliud responsum est, quàm Casimirum nunquam recepisse Ladislao, quòd ipso inscio Prussos in deditionem accepturus esset. Ita dimissi Boëmi, nec permissi Marieburgum ad Crucigeros ire. Ladislaus verò cùm è legatis suis reuertentibus legationis suæ summam intellexisset, Joannem Rabsteinium ad eum properè misit, priorem legationem corrigens & pollicens, non obstiturum se esse, quò minùs ille omni Prussia potiretur. At Casimirus comitia Prussorum apud Graudentum habuit: ibi tributum siue exactio certa in capita constituta est, vndè emerita stipendia Boëmis mercenarijs, quos primo motu Prussi acciuerant & qui Marieburgum etiam tum ignaui obsidebant, soluta sunt: dimissiq; ij sunt, siue quòd ambiguæ fidei esse viderentur, siue quòd nimiò conducti essent. Nam sex & viginti floreni in tres menses equiti numerabantur. Id adeò necessitas Prussis expresserat, ne militari præsidio nudi, à Crucigeris opprimerentur, & vt ij secum potiùs contra Crucigeros, quàm cum illis contra se essent. Pro Boëmis verò aulicum suum comitatum Rex ad continuandam obsidionem Marieburgi misit, præfecto ei Joanne Sciecouio Præfecto Lublinensi. Decretum est etiam, vt sedecim ex nobilitate & Ciuitatibus electi, à consilijs Regi essent, qui cum eo de republica Prussica consultarent, summoq; judicio præsiderent: itemq; vt arces & munitiones Episcoporum atq; Ecclesiarum, quo ad bellum duraret, in potestate nobilitatis essent. Hæc adjuncta ad illas prærogatiuas, quæ initiò deditionis Cracouiæ, ipsis à Rege datæ erant: quibus Prussi cum Polonis quasi in unum corpus redacti sunt, nimirum, vt eorum consiliarij cùm Polonis in comitijs de Republica con-
1. sultarent, ad honores & Magistratus Regni admitterentur, jus cre-
2. andi Regis pariter haberent: cæterùm suo quisq; jure, seu Culmensi
3. mallent, seu Saxonico, seu deniq; Polonico viuerent: quæ bona quisq;
4. antiquitus siue priuatim siuè publicè obtinuisset, deinceps quoq; reti-
5. neret: telonia cuncta & portoria, nominatimq; id, quod liberale seu
6. Pfundt-Zoll Teuthonicè dicebatur, quo bini obuli à marca exige-
7. bantur, & pensio ea quæ à Polonis Principibus in Pomerania olim instituta, Narzas, siue pondus vulgò vocabatur, remissa & sublata: mer-
8. ces naufragiò auctæ ijs quorum fuissent aut legitimis eorum hæredibus remissæ: nam eas anteà Crucigerorum præsides injustè sibi ven-
9. dicabant: honores & Magistratus publici & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundùm usum & consuetudinem cæterarum Re-
10. gionum Poloniæ mandarentur: Jus monetæ Torunij, Elbingæ, Regiomonti & Gedani cudendæ cum Imagine & inscriptione Regia, quoad bellum duraret in commune eis concessum. Finito verò bello, vt Torunij modò & Gedani Regio nomine sumptuq; ea cuderetur. Mercatoribus verò potestas facta est, quoquo versùs in Poloniam cum mercibus proficiscendi easq; deponendi vbicunq; vellent. Ad extremùm Joannes Basenus, vicarius Regius & gubernator, cùm Rex abfuturus esset, constitutus. Gedanensi verò Ciuitati, cùm ea splendidè & honorificè inprimis Regem cum omni comitatu ipsius accepisset, peculiariter census septingentarum marcarum remissus: moletrinæ omnes vrbanæ & insula minor adjacens, addicta & attributa: tredecim modò pagos ac duo prædia Rex sibi excepit, & pro his omnibus annuam pensionem duum millium aureorum ciuitati, vndè Crucigeris sexaginta aureorum millia quotannis scribit Vapouius, imposuit. itemq; vt ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi vnà cum omni comitatu
suo

suo aulico præberet: pro arce verò diruta, vt magnificum palatium sibi in vrbe, horreumq; siue granarium & stabulum cocto latere exædificaret. Elbingenses verò pro omnibus bonis, quæ ad Commendaturam spectabant, Regi annuam contributionem quadringentorum aureorum obtulerunt, & centum marcas in sumptus, quoties præsens futurus esset. Conuentu Grudentino soluto, Torunium Rex redijt, cùm quinq; legatos è comitijs Ratisponensibus Pontificis maximi, Imperatoris, Principum electorum, Philippi Burgundiorum, Ludouici Bauarorum Ducum ac totius Germaniæ nomine ad se venire cognouisset. Atq; ij cùm ad Regem in Senatum introducti essent, petebant à Rege, vt Crucigeris datâ veniâ, si quid deliquissent, Prussiam omnem redderet: atq; ad bellum Turcis inferendum, recuperandamq; Constantinopolim arma secum & cum cæteris Christianis Principibus conjungeret. Imperatori & Germanis curæ esse res Prussicas & earum causâ maximè eos alia comitia Francofordiam ad Mænum fluvium ad tertium Calend. Octob. indixisse, Rex quo diutiùs Germanos bellum contra se molientes suspensos teneret, nihil aliud responsi legatis dedit, quàm suos se legatos ad illa ipsa Francofordiensia comitia de rebus ijs missurum esse. Petebant deindè legati, vt sibi ad Magistrum Crucigerorum adire liceret: atq; vt Rex Marieburgi, Stumæ & Brodniciæ obsidionem solueret. Sed neutrum impetrarunt. Sabellinis tamen vestibus honorificè munerati, dimissi sunt.

Non multò pòst ij, qui Stumæ in præsidio erant, fame invalescente, ita vt quinquaginta de eis perirent, arcem Regi cum apparatu bellico dediderunt, vitam modò & res suas saluas pacti. Et quinquaginta quidem ex ijs Marieburgum ad suos se receperunt, macie tabeq; luridi, centum reliqui, in quibus erant quatuor Crucigeri, in castris Regijs manserunt. Apud Marieburgum verò cùm obsessi in Polonos erupissent, cruentâ pugnâ coortâ, hostes magna strage in arcem compulsi sunt: ac longè maior ea fuisset, ni hostes fugientes puluis texisset. Gedanenses verò nauem pice, resina, sulfure, & eiusmodi ignis alimentis plenam in pontem Marieburgensem, qui anno Christi, 1340. primùm per Nogatum fluuium constructus erat, secundis fluctibus impulerunt: sed magno tamen conatu hostium, pons incendio correptus, seruatus est. Iam verò & ipsi inter se præsidiarij milites iurgio propter scortum concitato, intra arcem conflixerunt, Ducemq; suum interfecerunt. Non cessabat interim thesaurarius Crucigerorum in Germania: ne Magister quidem Germanicus: atq; is bona & reditus suos distraxit, vt socijs in Prussia laborantibus celeriter opem ferret. Itaq; ab his duobus octo millia mercenariorum militum peditum pariter & equitum è Germanis, Bòëmis & Silesijs conscripta ac Baltasare & Rodolfo Zeganensium Ducibus, & Bernardo Sumbergio Bòëmo Ductoribus per nouam Marchiam in Prussiam missa sunt. Et iam Plauenius Bòëmus, Crucigerorum & ipse stipendia merens, cum mille equitibus à Choinicienſibus in vrbem receptus erat, magnaq; Polonis damna agros vastando intulisset, nisi Nicolaus Sarleius Palatinus Vladislauiensis præfectus Schlochouiensis ac Taucholiensis cum mille ducentis equitibus & septingentis peditibus ferociam eius repressisset. *Stuma deditur.*

Hæc vbi cùm amicorum admonitu è Germania tùm exploratorum relatione à Polonis cognita sunt, Rex maiores Polonos solos arma sumere, & ad Choiniciam præstò esse iussit. Adfuère

fe-

ferociores quàm armatiores, ac disciplinæ militaris expertes, per suorum agros non secus quàm per hostiles, rapinis, incendijs, stupris, & sacrilegijs debacchantes. Venientibus ad Ceriquiciam altero à Choinicia milliario, Rex occurrit: tumultuantesq; ac de prærogatiuis & iuribus suis intempestiuè flagitantes vix sedauit, & in septem turmas distribuit: instructosq; ad Choiniciam, quò hostes contendere nuntiabantur, duxit. Suadebant nonnulli Proceres Regi, ne cum imperita illa & minimè obsequenti multitudine hosti pugnandi copiam faceret: sed pateretur eum Choiniciam ingredi. Ibi eum facilè quasi retibus & cassibus concludi & commeatûs inopiâ fameq; sine sanguine citò expugnari posse. Breui enim omnem eius arcis commeatum à tanta multitudine exhaustum iri. Aut si tandem committere prælio rem vellet, quod maiores Poloni poscebant, aulicum comitatum à Marieburgi obsidione, aut verò Ioannem Ciarncouium Castellanum Gnesnensem & Joannem Vedelium cùm quinq; millibus quæ ad præsidium, ni fallor, maioris Poloniæ reliquerat, acciret. Dissuadebat Ioannes Conespolius Cancellarius de aulico comitatu, ne obsidione remissa hostes releuarentur. Asseuerabant maiores Poloni in se satis virium esse, vsq; adeò vt vel aurigarum suorum flagellis hostes in fugam actum iri iactarent. Quocirca non grauatè eis Rex cessit, præsertim cùm de paucitate hostium intellexisset. Neque enim procul illi abierant. Fortè autem speculatores vtriusq; partis in se inuicem inciderunt: commissoq; prælio Poloni non incruentâ victoriâ petiti sunt.

Ad quartumdecimum Calend. Octobris, cùm hostes aduentare dicerentur, Rex acies instruxit, easque regendas atq; ducendas Lucæ Gurcauo Posnaniensi, Stanislao Ostrorogo Callissiensi, Nicolao Sarbeio Inouladislauiensi Palatinis atq; Derslao Rithuiano Castellano Rosperiensi, nobilibus quidem illis hominibus & potentibus, verùm in arte militari non magnum vsum habentibus commisit, cùm id vltrò sibi depoposcissent, & suum id esse officium contenderent. Sub vesperum tandem hostiles acies apparuêre. Abscessit Polonis prior illa alacritas & ferocitas conspecto hoste, cœperuntq; trepidare ij, qui nunquam armatas acies, aspexerant. Duces Poloni ad iniquum locum & limosum vbi equi commodè circumagi non poterant, instructum exercitum deduxêre, & in confertos hostium ordines impetum fecerunt. Et fauit quidem initio Polonis fortuna. Turbati primi hostium Ordines: Zeganensium alter Dux interfectus, Bernardus Sumbergius viuus captus. Sed mox acriùs connixi hostes, sparsos & sine Ordine pugnantes Polonos represserunt. Ibi trepidari & concursari temerè à Polonis cœptum est. Submittebant tamen Duces laborantibus subsidiarias cohortes, exæquataq; erat pugna, cùm subitò extremum agmen, in quo Rex erat, nullâ euidenti causâ expauefactum, in fugam se coniecit, nequicquam retinente & reuocante Rege. Quo conspecto, ij quoq; qui in prima acie pugnabant, fugientes suos secuti sunt. Perseuerabat Rex cum paucis instaurando pugnam. Quòd nisi vi ab ipsis, quibus eius custodia mandata erat, abstractus esset, viuus in hostium potestatem venisset. Hostes victores castris quoq; opulentis, in quibus ad quatuor millia curruum fuêre potiti sunt. Nec tàm grauis quàm ignominiosa ea clades Polonis fuit. Vix sexaginta desiderati. In his complures erant, qui fugæ turpitudine

Pugna Polonorũ cum Crucigeris infausta.

secum

ſecum reputata, cùm euadere poſſent, ſiue adeò iam euaſiſſent, reuerſi hoſtibus ſe dedêre. Captiui Marieburgum deducti ac duriùs habiti, maxima pars interiêre. Mortuos ne ſepulturâ quidem crudi & immanes hoſtes dignati ſunt, ſed equis ſubtractos in profluentem abiecêre. Eius verò cladis culpam opinione hominum, Ducum imperitia, qui neq; idoneum prælio locum cepiſſent, neq; leuiorem equitatum ad turbandos & perrumpendos hoſtium ordines præmiſiſſent, neq; quicquam omninò præuidiſſent, ſuſtinuit. Sed fortaſſe fletibus & eiulatibus Sacerdotum, Monachorum, Viduarum, pupillorum & agreſtium, quorum facultatibus majores Poloni ad id bellum proficiſcentes, crudeles & ſacrilegas manus adiecerant, id ſupplicium expenſum eſt. Sunt qui Regijs facinoribus eam cladem acceptam referant: atq; id poſteà Sendiuoio cuidam Theologo Canonico Gneſnenſi, homini pio & religioſo diuinitus reuelatum eſſe, eumq; ad Regem veniſſe, & aſſurgere ſtareq; iuſſo, dum DEI mandata audit, ſemotis arbitris magna DEI beneficia & ipſius ingratitudinem peccataq; exprobraſſe: & ni mutaret mentem, grauiora comminatum eſſe. Inuidia quidem fortunæ Regiæ, quæ ſuſpecta erat multis, clade hac non maxima expiata eſt. Crucigeri obſeſſi vbi de ſuorum ſucceſſu certiores facti ſunt, nimia lætitia, quaſi debellatum iam eſſet, exultauêre: ſolus Marſalcus vir prudens, triſtior, vereri ſe dixit, ne plus illa victoria victoribus quàm victis mali afferret. At Pruſſicæ inſigniores ciuitates miſſis ad Regem Neſſouiam, quò ſe receperat legationibus, hortatæ ſunt eum, ne vno aduerſo illo caſu frangeretur: reciperet animum & peccatum illud corrigeret: ſe fidem ſemel datam nunquam mutaturos & facultatibus atq; corporibus ſuis ipſi ad extremum vſq; non defuturos. Rex collaudatis eis, reſpondit: Irritatum ſe magis eſſe clade illa quàm fractum. Curaturum autem ne lætitia illa hoſtibus diuturna eſſet. Soluit deinde obſidionem Marieburgi, eaſq; copias accitas ad ſe, in præſidia arcium & cæterarum munitionum diſtribuit, præfectis ex aulico comitatu ſuo impoſitis: propterea quòd Pruſſi minùs diligenter eas ſeruabant: & nuper adeò Stumenſes & Preuſmarcenſes oppidani, contempta paucitate præſidiariorum, qui Ioannis & Gabrielis Baſenorum familiares erant, ad hoſtes defecerant. Ad hæc Derſauia & Gneua quam Meuam Germani vocant, oppida in ripa Viſtulæ ſita, aduenienti à Choinicia exercitui Crucigerorum vltrò portas aperuêre. Id igitur malum ne latiùs ſerperet, vt ſunt ferè mentes hominum ſecundùm flatum & reflatum fortunæ mutabiles, & arces rex oppidaq; præſidijs muniuit, & mercenarium militem è Sileſia, Morauia & Bòëmia acciuit: & verò Poloniam reliquam Ruſſis & Podolijs ad ſubitas Tartarorum eruptiones reprimendas relictis, ad bellum exciuit. Inſtabat quidem hyems, veruntamen impigrè paritum eſt. Tantus erat in animis omnium ardor ignominiæ, quæ apud Choiniciam erat accepta, dedendæ ac retinendæ Pruſſiæ. At Crucigeri glorioſi vniuerſam Germaniam famâ victoriæ ſuæ in immenſum extollendâ impleuerunt: Pruſſos verò dimiſſis quoquoverſus nuntijs, veniâ & impunitate propoſitâ, vt ad ſe rurſus à Rege deficerent, ſollicitabant. Sed ſurdis hæc auribus canebant: nec præter Sambienſem Epiſcopum quiſquam inuentus eſt (videtur is fuiſſe Nicolaus II. vnus ex Ordine Teutonico) qui fidem illis haberet, atq; is porrò perbenignè ſcilicet ab

Sendiuoius Canonicus Gneſnenſis.

Epiſcopus Sambienſis deficit ad Crucigeros.

 eis

eis acceptus est. Marieburgum enim venientem cunctis facultatibus priuatis & Ecclesiasticis, quas secum apportarat, Magister exuit: inde verò & ex imaginibus aliaq; supellectili sacra, aurea & argentea vndiq; comportata & conflata exiguam quandam partem emeriti stipendij militibus cum jurgio ac tumultu efflagitantibus soluit: de reliquo autem, quæ quadringenta millia florenorum erant, cum eis pactus est, nisi ad Liberales dies, quod Carnispriuium vulgò vocant, exolueret, Marieburgum ac cæteras munitiones suas captiuosq; in potestatem eorum traditurum se esse. Tametsi non multum ij operæ pretij fecêre, nescientes vti victoriâ. Receptis enim oppidis illis, quæ superiùs commemorauimus, Marieburgi desides multum temporis contriuerunt. Ne Poloni quidem multò plus egerunt. Nam cùm omnes copiæ conuenissent, transmisso apud Torunium nauali ponte Vistulâ, ad Lassinum ductæ sunt, atq; ibi in sylua vno milliario ab oppido totum ferè mensem inertes statiua habuêre: duo tantùm oppida Prabuta & Nekisalca capta sunt.

Si quis scire velit quibus verbis Crucigeri Marieburgum & quasdam arces cum captiuis, militibus inscripserint, earum literarum copia talis est. *Nos F. Ludouicus Erlichausensis, Magister Ordinis Teutonici in Prussia: nosq; Commendatores Vlricus Eisenhouenus Commendator Magnus, Henricus Plauensis Commendator Elbingensis, Joannes Comes Gleichensis Aduocatus Lochstetensis, Gasparus Golner Comendator Marieburgensis &c. Notum facimus vnanimiter literis hisce pro omnibus nobis & successoribus nostris Commendatoribus & Fratribus Ordinis nostri: cupimusq; ad omnium notitiam deuenire, quòd hanc inscriptionem matura deliberataq; voluntate confecerimus & conficiamus, cuius vigore Nobiles & generosi Adolfus Gleichensis Dominus in Thunaw. Ioannes Comes Monfortensis Dominus in Bregenitz, Joannes Comes Heusterensis Dominus in Heldrungen, Dominus Bernardus Zinnenberg & Schönenberg, &c. cum vniuersis Sodalitijs suis, qui in auxilium nostrum confluxerunt, & quos nobis pro defensione asciuimus, & in has terras vocauimus, iterùm de nouo ad nostra seruitia vsq; ad diem Diuo Georgio sacram assumpti sint. Pro talibus exhibitis nobis seruitijs & adhuc exhibendis tenemur illis de summa pecuniæ & in futurum tenebimur iuxta Chyrographa quæ à nobis habent. Itaq; promittimus nos suprascripti Magister, Commendatores & Conuentus sub honore, fide & æstimatione nostris, quæ pro juramento stant, quod dictos Dominos Capitaneos & omnia eorum sodalitia iuxta chyrographa contentabimus & contentare volumus: ita ut contententur iuxta literas suas intra hoc tempus & diem S. Georgij proximè venturum. Et si fortè talis solutio à nobis vel Ordine nostro intra hoc tempus non fieret, aut fieri non posset, tunc oppignoramus nos supradicti Magister, Commendatores, & Conuentus Dominis Capitaneis sub fide & honore nostris vigore harum literarum, nostras arces Marieburg-*

rieburgum nominatim & Ciuitates, terras & populos quocunq; nomine censentur in terris Prussiæ, in noua Marchia & alibi quæ sub potestate nostra sunt, quas modò possidemus, vel in posterum cum eorum ope lucrabimur & obtinebimus, cum omni eorum vtilitate & pertinentijs, nihil omisso aut neglecto, integrè tradentes & offerentes ad eorum manus & in potestatem sine omni contradictione, dolo malo & periculo. Supra quo negotio agemus cum nostris Commendatoribus, Fratribus & Officialibus, qui tales arces, Ciuitates, & bona possident, quòd ea præsentibus literis, stipulatis manibus & ore Dominis istis Capitaneis & eorum Sodalitijs voluntariè relinquamus, & sine omni periculo demus. Et insuper omnes & singulos captiuos, quomodocunq; vocentur, quos ipsi & sodales ipsorum ceperunt, vel qui ab ipsis in posterum capiendi sunt, nemine excluso debemus, & volumus cum talibus arcibus, ciuitatibus, bonis, terris, & populis tradere. Et cum captiuis debent Domini Capitanei & eorum sodales agere, quicquid placuerit, & vel vendere vel oppignorare & suam vtilitatem quærere sicuti possunt, vel excogitare valent ad integram solutionem & solidam contentationem. Ad quod nec nos, nec nostri aliquod verbum loquemur, nec aliquis alius nostro nomine spiritualis aut sæcularis. Et si Domini Capitanei & eorum sodalitia aliquid plus de nostris arcibus, Ciuitatibus, terris, populis & captiuis, quàm illorum damna & debita contingant, acquisituri sunt, hoc superfluum ipsis etiam cedat. Conuenimus etiam cum Dominis Capitaneis, ut cuilibet ex cohortibus pro contentatione demus: equiti duos Rhenanos florenos & vnum Vngaricum: singulis curribus tres Vngaricos & tres Rhenenses, & pediti dimidium eius quòd accipit eques. Si quidpiam alicui desit, addatur ei tantum ad solutionem, quantum alteri. Nos supradicti Magister & Commendatores & vniuersus conuentus resignamus præsentibus omni auxilio, monitioni, & excusationi, prout excogitari potest, siue id contingat per summum Pontificem, Imperatorem, Regem Boëmorum, Electorem vel per nostra Priuilegia, si continerent tale, quod inscriptioni huic contrarium, vel quod Dominis Capitaneis in præiudicium, nobis verò & Ordini utile foret. Hæc & alia quæ humana prudentia excogitare posset, non adferent aliquod damnum ratione inscriptionis dictis Dominis & eorum Sodalibus: sed omnes præscriptos articulos promittimus nos Magister, Commendatores & conuentus sub fide & honore continuè, inuiolabiliter & sine periculo obseruaturos. In maiorem horum fidem & assecurationem sigillum nostrum & Conuentus nostri bullas scienter his literis appendi fecimus: quæ dabantur in arce nostra Marieburg. Die S. Virginis Dorotheæ, anno millesimo quadringentesimo, quinquagesimo quinto.

Post capta illa duo oppida Prabuta & Nekisalca dimisit Rex Nobilitatem hyberni belli pertæsam, medio Januario sequentis anni, cùm ea duodenos grossos de singulis jugeribus in stipendium mercenariorum militum promisisset, hoste non faciente pugnandi copiam. Rex quoq; ipse præfectis, Culmensi quidem Andrea Tencinio, Pomeraniæ verò Petro Samotulio Castellano Pomezaniensi, inferiori verò Prussiæ Joanne Colda Boëmo, & omni mercenario milite ijs parere jusso, in Poloniam discessit: indè in Lituaniam, vt Lituani socia cum Polonis arma aduersùs Crucigeros conjungerent, quod detrectarant, iter perfecit. Audiuit illic legationem Tartarorum Ducis Ezigeris fœderati, qui ipsi auxilia contra Crucigeros pollicebatur. Nihil interim in Prussia memorabile gestum est, nisi quòd leuibus aliquot prælijs certatum est, in quibus omnibus ferè Poloni superiores fuére. Soldauia oppidum Slaueci Humbeuij Masouij, cujus fidei Rex id commendarat, proditione in potestatem hostium venit. Sed non multò pòst Joannes Colda id recuperauit, direptumq; incendit intromissus ab oppidanis, cùm habitum Commendatoris Elbingensis assimulasset, multosq; Crucigerorum ibi milites peremit. Duo verò oppida Regiomonti vetus & noua Vrbs in inferiore Prussia Crucigeris portas aperuêre. tertium cui Cniphouia nomen est, in fide Polonorum mansit, atq; id hostes circumsedêre. Parum autem abfuit, quin vetus quoq; Torunium, quo nouæ Ciuitatis incolas dubiæ fidei Tencinius compulerat (duo enim sunt oppida, muris fossisq; distincta) per proditionem duorum primariorum Ciuium & Patæci atq; Sodalium Dominicanorum in potestatem hostium veniret. Jamq; eò Magister Bernardum Sumbergium, & quosdam alios milites, quasi aliud acturos præmiserat. & ipse cum tri bumillibus hominum armatorum veniebat, cùm ab apparitore Ciuitatis conspiratio detecta est, sumptumq; supplicium de proditoribus. Ita Magister irrito cœpto reuertens, complures pagos circumcirca incendit. Hoc anno post obsidionem octodecim mensium arcis Marieburgensis, Franciscus Episcopus post festa Paschatis Marieburgo relicto, Vratislauiam Silesiæ Metropolim migrauit, vbi censu coëmpto aliquamdiu vixit. Hæc tunc in Prussia Rege absente acta.

Torunium proximum proditioni.

At Rex rebus in Lituania compositis, Petricouiam ad comitia mense Majo venit. Vbi cùm Prussorum, in fide Regia perstantium legatis instantibus de Prussico bello consultaretur, non visum est expeditionem publicam edicere, quòd pergrauis ea futura erat multis, magno incommodo hyberna superiore afflictis, & quòd satis virium erat in mercenario milite aduersùs eas copias, quas tunc habebant hostes. Sed pecunia deerat, vndè militi præterita stipendia & futura soluerentur. Quamobrem pigriùs is belli munia obibat, ac munitionibus sese tueri satis habebat, neq; obsessæ ab hostibus Cnipouiæ subueniebat. De pecunia igitur paranda cùm ageretur, placuit, agrestibus duodecim grossorum in jugera pensionem rursùs imponere. Verùm id alteris demum comitijs ad vicesimam quartam diem Julij indictis, ægrè perfectum est: simulq; decretum, vt si opus esset ad vnicos restes, hoc est, ad vnicum Regis mandatum (cùm alioqui tribus intra menstrua spatia sese consequentibus ex instituto & lege opus sit) nobilitas omnis certo loco præstò esset ad bellum in Prussia prosequendum. Nihilo ta-

lo tamen minùs segniter bellum à Rege administrabatur, maximè quòd ei mercenarij milites hostium spem injecerant, si emerita apud Crucigeros stipendia sibi solueret, dedendarum arcium & munitionum reliquarum: quas jam concedentibus ex pacto Crucigeris in potestatem suam redegerant. Atq; ea de re conficienda Joannem Episcopum Vladislauiensem & Joannem Rithuianium Præfectum Sendomiriensem ad eos ablegarat. Verùm tergiuersabantur & extrahebant eam rem ij milites, qui erant Teutonici generis. Continuabatur autem Cniphouiæ obsidio, providerantq; diligenter hostes & oppidani reliquorum duorum oppidorum, quæ ad eos defecerant, ne quid omninò ad obsessos importaretur, & alueum Prægolæ fluminis, quod oppidum alluit, tignis & roboribus impediuerant. Rex vbi obsessos in extremo discrimine esse accepit, missâ aliquantâ pecuniâ militibus, jussit vt illicò laborantibus subuenirent. Verùm dum id fit, obsessi non ferentes longiorem moram, desperato omni auxilio, sese dedidêre, decimâ tertiâ die Julij, sed Zeganensium Duci superstiti, non Magistro. Quo successu elati Teutones milites, minus jam secum de deditione munitionum agi patiebantur. Rex verò amissione Cniphouiæ perturbatus, veritusq; ne cæteræ Ciuitates illius exemplo à se deficerent (& sanè de Gedano atq; Torunio rumor sparsus erat) expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit, & ad confirmandos Prussorum animos legationem misit. Nec illi mutabant fidem, nonnullosq; primores Ciues in oppidis, quos Crucigerorum partibus fauere præsenserant, capitis supplicio affecêre. Aliquot modò ignobilia oppida in inferiore Prussia Cniphouiæ exemplum secuta sunt. Rati autem hostes occasioni se deesse non oportere, ad Fridelandiam exercitum admouêre. Præerat ei oppido Scubella quispiam Boëmus cum præsidio, is vbi aduentare hostes accepit, simulatâ neglientiâ, ad ipsa vsq; mœnia oppidi pertingere eos passus est: deindè eos subitò bombardis, quas opportuno loco collocarat in confertos jaculatus, magna clade, majore verò perturbatione eos affecit. Confestimq; in trepidantes cum suis erumpens, longè eos propulit, & quingentos ex eis cæcidit, centum viuos cœpit. Cæterum expeditio illa intempestiua neq; cupidè suscepta est à Polonis & lentior multò fuit, quàm par erat. Adfuerunt quidem nonnulli maturiùs, sed dum cæteros expectant, magnam frumenti vim ex agris Cujauiensibus raptam in castra, quasi ibi hybernaturi essent, conuexerunt. Quam posteà motis castris incenderunt. In itinere quoq; quoquo versus Ecclesiasticis & Regijs bonis parsum non est. Rex Breste præcesserat: quò cùm Proceres Poloni ad eum conuenissent, flagitantibus stipendium militibus, inita ratio est parandæ pecuniæ neq; honesta neq; utilis, sacra Ecclesiarum vasa ac donaria conflandi, Archiepiscopo, & Vladislauiensi Posnaniensiq; Episcopis assentientibus. Quod cùm in tribus Diœcesibus, quarum Episcopi consenserant, factum esset, sola sex millia florenorum redacta sunt. Nam è Cracouiensi nihil ablatum est, non permittente Episcopo. Cum autem cunctæ copiæ conuenissent, apud Torunium nauali ponte per Vistulam traductæ sunt. Intereà Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Magistrum Crucigerorum cum quingentis cataphractis equitibus profectus, & complures dies ibi commoratus, relicto apud hostes equitatu, ad Regem in castra venit, petens vt se arbitro Rex cum Crucigeris pacem faceret: Id verò

Cniphouia se dedit.

non ex animo faciebat, sed vt aptum bello gerendo tempus eximeret. Vbi non abnuere Regem sensit, reuersus ad Crucigeros, Regi renunciari jussit, optimas & vltrò sibi expetendas meritisq; ejus majores conditiones se allaturum esse. Itaq; condictæ ad Coscelecium pagum die, missi à Rege Joannes Episcopus Vladislauiensis & Cancellarius & alij vana fuisse Friderici promissa comperererunt. Postulabant enim Crucigeri, vt Rex omni Prussia (quo nomine jam Pomeraniam quoq; & Culmensem, & Michalouiensem complectimur) sibi cederet, tùm demùm quocunq; vellet judice, secum disceptaret. Increpitus à Polonis Fridericus, quòd non bona fide cum Rege ageret, ne tamen nihil egisse videretur, pollicebatur Crucigeros Culmensem & Michalouiensem regionem Polonis concessuros, ac impensas belli soluturos esse. Quas conditiones cùm non acciperent Poloni, re infecta discessum est, ferocioribus factis Crucigeris quingentorum cataphractorum equitum accessione, quos Fridericus discedens in castris ipsorum relinquebat. Itaq; intermissum spe pacis, belli studium resumptum. Eodemq; itinere quo superiori anno, ad Lassinum non optimo consilio castra mota sunt, quibus in Nouembri solutis, Rex dimisit exercitum, quarta fermè equorum parte amissa, domuitionem flagitantem. Cujus discessu ipsi quoq; regiarum partium Prussi lætati sunt. Neq; enim minoribus, nec scio, an majoribus etiam damnis & incommodis ab eo quàm ab hoste, agri eorum affecti erant: ita vt ne tectis quidem parceretur. Rex dimisso exercitu apud Graudentum cum Senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniam mercenario milite id geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendium, censebant pleriq; de junioribus, pensionem duodenum grossorum agricolis imponendam esse, suis quidem atq; nobilitatis simplam, Regijs verò & Ecclesiasticis duplam: ad hæc vt Ecclesiasticus Ordo dimidios reditus suos conferret. Sed hoc decretum in comitijs
1456. Petricouiensibus insequentis anni, qui fuit millesimus, quadringentesimus quinquagesimus sextus abrogatum est. Quo anno solidos cudi fecit Ludouicus Magister qui dicebantur, die keulen schilling. Nam habebant imaginem fustium. Significabant hoc ænigmate Polonos ex Prussia fustibus expellendos. Sed aliter res cecidit. Ante hoc tempus ex tribus Diœcesibus Episcoporum Poloniæ Ecclesiastica vasa conflata in vsum belli sex millia tantùm florenorum subministrarant. Decretum fuit præterea in dictis comitijs vt æstate sequenti publica in Prussiam expeditio maturè post Pentecosten fieret. Nec tamen ea facta est propter angustiam rei frumentariæ, & pabuli, ex magnis pluuijs & inundatione aquarum. Quin & superioris anni expeditio magna ex parte eam calamitatem inuexerat. Ad hæc autem nihil ea expeditione opus esse visum est, propterea quòd jam debellatum esse videbatur, cùm Poloni, quibus id negotium mandatum erat, cum hostium militibus de dedendis munitionibus & reddendis captiuis decidissent, septuaginta septem florenos in singulos equites, dimidium in pedites pacti, vrgentibus maximè Prussis ac dimidium ejus pecuniæ pollicentibus. Qua de causa Rex ipse etiam in Prussiam excurrerat. Itaq; alteris comitijs ad sextum Idus Decemb. Petricouiam indictis, de pecunia paranda à Polonis consultatum est. Nam in ærario Regio prorsus nulla erat, Placuit autem vniuerso conuentui, vt Rex pariter & Ecclesiasticus equesterq; Ordo universus, dimidium annuorum

annuorum censuum conferrent, ne honorum quidem & Magistratuum fructibus exceptis: oppidani verò, soli juxta ac mobilium bonorum æstimatione facta, vt binos grossos à marca penderent: agrestes verò singulos grossos in capita marium & fœminarum: cæterùm equestres homines, qui nullos haberent agricolas & adscriptitios neq; census, vicenos quaternos grossos. Nec tamen Petricouiæ res ea confecta est: sed majores quidem Poloni in Colensi, minores verò in Corcinensi demùm conuentu denuò instituto, decretum id approbarunt, lectis quæstoribus qui eam pecuniam ex Republica dispensarent. Cæterum Ecclesiastici ad Synodum eam rem rejecerunt, ac Pontificiæ modò siue vsitate æstimationis dimidium contribuerunt. Quanquam Cracouiensis Episcopus vltrò tres quartas, cæteri verò Episcopi justas censuum pariter ac decimarum pecuniarum dimidias contulerunt. Cùm autem ne hæc quidem suffectura essent, aurum insuper & argentùm sacrum è Cracouiensi Basilica à Rege importunè flagitatum, sed ab Episcopo constanter negatum est: placatusq; Rex quinq; millibus florenorum Episcopi & sacri Collegij fide à mercatoribus mutuò acceptis vt Rex ea posteà solueret. Per illud ipsum tempus Brathianam arcem munitissimam in Culmensi tractu sub Gerardo Hertzberg Prouinciali inter Drebanciam & Wicherau à Joanne à Sendomir, nobili Polono qui Ordinem susceperat, extructam, præsidiarijs militibus corruptis, cùm Joannes Trosca Præfectus abesset, interceperant, Brodniciam verò clàm noctu intercipere conati, non latuerunt, & non sine strage repulsi sunt. Porrò Torunensis plebs intemperantiâ, vt credibile est, Polonorum militum irritata, in Crucigerorum partes propensior, claues portarum vrbis Magistratibus suis sibi aduersantibus, seditione coorta, ademit. Verùm Gedanensis Ciuitatis decuriones, accitis properè Regijs militibus de proximis præsidijs, eum tumultum sedarunt, Ducentis de primoribus plebis comprehensis, & septuaginta ex his, qui capita seditionis erant, cæsis. Multis autem in locis commissis inter Polonicos & Crucigericos milites leuibus, certaminibus, Crucigerici vbiq; inferiores fuêre. Gedani quoq; per id tempus promiscua multitudo tumultuata est, authore Martino Coga, obscuro quidem, sed ingenioso & factioso homine, & Crucigerorum rebus fauente. Causa seditionis fuit, quòd Regij milites suburbana ejus oppidi incenderant, & quòd Rex in Lituaniam secesserat: vnde allegabatur & jactabatur vulgò ei res Prussicas curæ non esse. Antiquis ergò Magistratibus quasi aduersarijs amotis, nouos creant. Dum autem gliscit seditio, Vldaricus Cieruonca Boëmus Præfectus præsidij Marieburgensis, datâ operâ adueniens, longa & prudenti oratione in gratiam partes dissidentes reduxit, & in fide Regia continuit, ostendens, quantò magis expediret ei Ciuitati à Polonis stare, à quibus magnis beneficijs & libertate donata esset, & sine quibus ægrè sese sustentare posset, quàm superbis & crudelibus Crucigeris seruire. Misit deindè ad majores Poloniæ Proceres & ad Regem ostendens, in quanto discrimine essent res Prussicæ: & vt magis eas curæ haberent, admonens. Atq; ex eo tempore Regiarum partium studiosus esse cœpit, magnaq; beneuolentia, cùm Poloni ad redimendas à militibus Crucigerorum arces nondum satis parati essent, diem numerandæ pecuniæ prorogauit. Misêre deinde maiores Poloni Palatinum Brestensem ad Regem in Lituaniam: misêre

Brathiana Arx.

Seditio Gedani.

sêre & Gedanenses; orantes vt is quàm primùm ad componendas res Prussicas adueniret. Nec tamen quiescebat Coga, donec Ioannes Ciarnicouius Castellanus Gnesnensis, qui Vladislauiensi Episcopo pro gubernatore in Prussiam à maioribus Polonis misso, vnà cum Calissiensi Castellano adiunctus erat, Gedanum venit. Cuius aduentu legitimus Magistratus, authoribus Reinaldo Niderhouio, & Ioanne Lindauio, sumptâ fiduciâ, capitale supplicium de Coga sumpsit. Sic motus omnes cum eo conquieuerunt.

1457. Vere nouo prioris illius anni, nempè 1457. Rex Casimirus flagitantibus Prussis atq; Polonis è Lituania ad Petricouiensia comitia venit, atq; indè ad Colensem maiorum Polonorum conuentum profectus, impetrauit à nobilitate eius oræ, vt quoniam pecunia deerat, in stipendium mercenarijs militibus ipsa Schlochouiam, Suece, ac Taucholiam arces Pomeraniæ tuendas susciperet: deindè in Prussiam Gedanumq; diuertit. Vbi à Carolo Danorum Rege exule, pedestri extra vrbem progresso, salutatus, & à Gedanensibus comiter & splendidè acceptus: exolutaq; militibus hostium conuentâ pecuniâ, nempè, quater centum septuaginta sex millibus florenorum, Marieburgum, Gilauiam, atq; Dersauiam ab eis recepit. Migrantes inde milites cum Magistro Crucigerorum & Commendatoribus, Rex tutò vsq; ad fines Poloniæ deduci iussit. Nam qui cæteras munitiones obtinebant, parte pecuniæ accepta, cùm reliqua ad constitutum tempus sibi soluta non esset, in fide Crucigerorum authore Bernardo Sumbergio manserunt. Maximè verò Rex à Gedanensibus ad exoluendam eam pecuniam, triginta millibus denuò extra Ordinem collatis, adiutus est. Nec studium Vldarici Ciaruoncæ Præfecti præsidij Marieburgensis erga Regem obscurum fuit: cuius authoritate milites fidem non mutarunt, quamvis ad præstitutam diem reliqua pecunia sibi non numeraretur. Itaq; quinquaginta sex millibus florenorum in Suece, Golubo, Preusmarca, Coualouia & Meua obligatis & oppignoratis Rex eum muneratus est: & mox in duarum ex his primarum Præfecturarum possessionem eum misit. Marieburgo quoq; eum præfecit: ipse Bydgostiam se recepit. Postquam sic arx Marieburgensis occupata fuit, & penitiùs inspecta, inuenta est scheda, in qua articuli aliquot satis graues continebantur, ad quorum obseruationem Crucigeri Ciuitates Prussiæ iam à longo tempore adigere volebant, si eas sibi hac via subiecissent. Erant verò huiusmodi.

1. Mœnia & turres viciniores arcibus nostris deijciantur, nec permittantur altiores erigi quàm communem scissum afferem longum.

2. Dejiciantur etiam ædes ciuium viciniores nostris arcibus: ita latum

3. fossatum fieri poterit inter arces & Ciuitates. Illa ipsa fossata debebunt Ciuitates conficere, & in ea profunditate, latitudine, & longi-

4. tudine ex lateribus coctis, prout Clementiæ vestræ placuerit. Deie-

5. ctas verò ædes tenebuntur Ciues soluere eis, quorum sunt. Eò quoq; res deducatur, ne Ciues hæreditatem adeant nisi ad tertium vel quartum gradum per totam terram Prussiæ. Cùm deuoluta talia bona ad Ordinem fuerint, tunc pro censu elocabuntur pro commodo nostro. Si itaq; consultum videbitur Clementiæ Vestræ, Præfectus his nego-

6. tijs in maioribus Ciuitatibus præfici poterit. Enitendum quoq; vt obtineri area possit trans murum majorum Ciuitatum versùs arces, vt eò minùs arcibus resistere possint. Præfectis ita constitutis ædificetur firma turris cum curritorio & profundis fossatis vbi habitent se-

curè

curè, imò pontes fiant tàm intra quàm extra muros Civitatum ad talem turrim. Ædificentur quocꝫ turres & pontes pensiles ad muros Ciuitatum prout nouerit Clementia vestra expedire, ita Ciuitates facilius in officio continebuntur. Quandoquidem adeò Ciuitates Cle- 7.
mentiæ vestræ & Ordini nostro restiterint, ideò ab ijs auferri debent omnia tormenta maiora & minora, puluis tormentarius, & globi cum omnibus pertinentibus. Auferantur ab ijsdem omnes arcus, sagittæ, 8.
loricæ, & similia. Imponatur Ciuitatibus accisa perpetua. Senatores 9.
Ciuitatum quotannis tertiam partem de omnibus censibus sub iuramento Dominio deponant. Ordinetur census in majoribus Ciuitati- 10.
bus, quæ hactenus liberæ fuerunt, qui à quolibet Ciue annuatim pro se iuxta valorem bonorum suorum, aut de virga, vt moris est in Germania, deponatur. Iniungatur terris & Ciuitatibus annua contributio, 11.
vti fecerunt in ineunda liga pro faciendis sumptibus ad Cæsarem vel pro vtilitate Cæsaris: præter alias contributiones, quæ imponi ipsis possunt, pro negotijs Prussiæ expediendis & bellis. Gedanenses censum de portorio quem hactenus retinuerunt, totum insimul tradant, & dehinc perpetuò illo careant. Nimia libertate nouellæ Ciuitates anti- 12.
quitùs gaudent, ita vt vicinæ nostræ arces in angustias quasdam coniectæ sint, & parum spatij in circuitu habeant. Si itacꝫ quandocꝫ ex benignitate DEI contingat illis de nouo priuilegia dari, tales areæ & spatia rursus ciuitatibus adimantur, & arcibus attribuantur. Veteri 13.
Civitati Torunio aliquis Commendator sub literis omnia prata attribuit, pascuis ne quidem pro duobus pecoribus alendis relictis. Eidem Ciuitati tantum terræ pro latomia concessum est, vt ne quidem arx habeat libertatem vnum plaustrum argillæ fodiendæ pro necessitate molendini aut alterius rei cuiuspiam, nisi eam à Ciuitate emat. Consultum videtur dimidium fructuum de latomia perpetuò sumere pro commodo arcis. Bernhauserus literas nouæ Ciuitati Torunio forni- 14.
cis extruendi dedit sub ipso strato, vbi ad arcem via est, per quem fornicem omnes sordes Ciuitatis in fossatum molendini influunt, cum tempore illud completuræ. Idem concessit Rastenburgensibus tàm 15.
spatiosam viam inter arcem & lacum, vt ne quidem stabulum aliquod ibi ædificari possit: & hoc ipsum sub diplomate. Æquum esset acquiri 16.
tantum areæ in Ciuitatibus, in qua granarium capax ædificetur, in quo frumenta per hyemem tribus diebus mercatuum empta deponantur pro vsu arcium vel etiam pro venditione prout optimum videbitur. Adueniente verò Vere nouo, ne Ciues distrahant frumenta, nisi iam sua Dominium vendidisset. Si ingruat bellum, maiores Civi- 17.
tates teneantur conducere militem, ita etiam artifices & cæteri suis sumptibus. Si qui in Ciuitatibus deliquerint contra Ordinem nostrum 18.
& iudicia, siue ij ius habeant Ciuium, siue non, in arcibus vinculis & non in Ciuitatibus includantur. Pro more habent Ciues, vt Com- 19.
mendatorem aut alium similem, qui apud eos iudicio adest, ad sinistram Sculteti collocent: quod iniquius est propter externos. Ciues 20.
quoq; in maioribus Ciuitatibus ante paucos annos super vulnera, homicidia, & mutilationes censuram iuxta Culmense jus repererunt: qua præiudicium notabile faciunt iudicijs Commendatorum. Ideò valdè bonum esset, si contingat illis dari nouas literas, eæ & iura ab Imperatore adeò assecurentur & confirmentur, vt talium casuum Ciues ampliùs non memorentur, nec eos conficiant. Vt penes nos sit 21.
potestas omnes mensuras, constituendi & abrogandi prout placuerit: nempè, modios, pondera, maiora & minora, stofos & cereuisiam ta-

xandi

xandi & æstimandi, ordinemq; faciendi inter omnes artifices, si neces-
22. sitas requirat. Vt adigantur Ciues iteratò ad deponendum iuramentum Clementiæ vestræ, & vniuerso Ordini, vti antiquitus fecerunt. Juramenta verò illa dirigantur erga veros Dominos, prout faciunt in
23. Germania. Vt omnes moletrinæ & libera cellaria, quæ à proximo
24. bello initium acceperunt, præcipuè Torunij tollantur. Vt potestas sit penes Clementiam vestram Proconsules, Consules, Scabinos atq;
25. alios iuratos creandi, commodo tempore Clementiæ vestræ. Vt pro voto & animi sententia Clementiæ vestræ, Proconsules, Consules, Sculteti, Scabini & iurati, ex communitatibus quoq; Ciuitatum quotquot habere voluerit Clementia vestra, singulis annis semel in laneis & nudis pedibus ad Clementiam vestram accedant, & omnes claues ad portas ei tradant, quas penes se Clementia vestra quoadusq; sibi placuerit, retinere poterit, ac deinde reddere, vt sic magis subdantur & cognoscant, quàm grauiter contra Clementiam Vestram deliquerint.
26. His articulis graues pœnæ adjungi debent & ordinari, vt pars earum vna Imperatori, altera Clementiæ Vestræ vel administratori adiudicetur. Sed non contigit pro voto Crucigerorum: Sic omnia ista commenta in subditorum oppressionem excogitata euanuerunt.

Franciscus Kuschmaltz Episcopus Varmiensis. Moritur eodem anno decimâ Iunij Franciscus Kuschmaltz oriundus Resselio XII. Episcopus Varmiensis. Hic non tam Dominum quàm Patrem se subditis declarauit: cuius rei non obscura argumenta vel in hoc vno egregio facinore edidit. Nam cùm integris duobus ab assumpto Pontificatu annis diuina quadam vltione in Prussia, præsertim in ditionibus huius Ecclesiæ subiectis, tabifica quædam lues equos, & jumenta ita absumpsisset, vt equum in his partibus videre miraculi loco duceretur, è Suecia sexcenta, & ex vicina Masouia nongenta iumenta huiusmodi, sumptibus suis adducenda curauit: quæ postea inter miseros colonos pro paterna charitate liberaliter distribuit. Vnde deducta ratio fuit, vt decedentes rustici teneantur successori suo certa iumenta relinquere: qui vsus ad hæc vsq; tempora perdurat, sub nomine die Besatzung. Sed & frumentis distributis eorum necessitatibus succurrebat. Ad Synodum Oecumenicam Constantiensem, quæ contra Ioannis Hussij, Hieronymi Pragensis & alias emergentes hæreses indicta & congregata fuit, ab omnibus in Prussia Episcopis designatus & missus est: & in sumptus ab omnibus Episcopis Prussiæ aliquot marcarum millia collata fuêre. Reuersus è concilio ad euulganda eiusdem contra Hussitarum hæresim decreta, Heilsbergæ Synodum Diœcesanam indixit, quo Prælati, Parochi alijq; Sacerdotes numero, 1211. conuenêre. Nam tum in Diœcesi Varmiensi, quæ ad Prægolam fluuium, & Vilnensis ac Plocensis Episcopatus fines protendebatur, circiter sexcentæ Parochiæ numerabantur. Ad conseruanda mutua amicitiæ & bonæ vicinitatis iura, sæpius cum Venerabili Capitulo pro Magistro eiusq; Ordine legationibus perfunctus, paruam inde gratiam retulit. Nam cùm Ordinis Magistro Conrado ab Erlichausen (de quo postea) 3500. Ducatos Vngaricos mutuò dedisset, ille ad malam informationem à Nicolao V. Pontifice Max. bullam obtinuit, per quam ius illi concedebatur, vt duos Ordinis sui fratres in Collegium Varmiense cooptare, & illi aggregari possit. Contra hoc Ven. Capitulum solenni protestatione interposita, ad sedem Apostolicam appellauit, Magistrum citauit: qui causâ cecidit, & supra nominata bulla cassata est & reuocata. In decisione litis huius vtrinq; ad, 12000. consumpta fuêre. Ab eo tempore Ven. Capitulum

Die Besatzung.

parum fidere cœpit Episcopo, quòd plurimis in rebus magis Ordinis Magistro, quàm Ecclesiæ commodis se addictum esse ostenderet. Quamobrem Capitulariter officij fuit admonitus, vt sibi caueret, ne nimia Magistri familiaritate & amicitia, se, Ecclesiamq; suam in discrimen & periculum adduceret: quam tamen admonitionem non adeò magnifacere visus est. Profectus verò erat Franciscus anno Christi 1455. circa festum Paschæ ex arce Marieburgensi, in qua cum Magistro octodecim mensium obsidionem perpessus fuit, Vratislauiam Silesiæ Metropolim migrauit, vbi censu coempto aliquamdiu vixit, ibidemq; dicto anno 1457. die 10. Iunij, senex admodum multa & varia perpessus, vitam cum morte commutauit, & in S. Ioannis Ecclesia sepultus, requiescit. Elogio tali ornatur.

Francisc9 Kuschmaltz Episc. Varmiensis XII. moritur præfuit Ecclesia annis circiter 29.

Pauperis adiutor Franciscus & Ordinis ardor.
Hostis Prutenæ maximus ille Ligæ.

Difficulter poterant propter tumultus bellicos omnes Canonici Varmienses pro electione noui Episcopi conuenire. Nam hinc inde dispersi erant. Quapropter qui vno loco manebant, vel sibi viciniores erant, quaterni & quaterni creando Pontifici operam dabant. Et illi quidem qui se Glogouiam contulerant Silesiorum, elegerunt in Episcopum Varmiensem Æneam Siluium Italum, Patriâ Senensem, gente Picolomineum S. R. E. Cardinalem Presbyterum: eo maximè consilio, quòd virum optimum gratiâ & authoritate apud Principes pollentem, ad collapsas Ecclesiæ rationes subleuandas, cum primis idoneum judicarent. Illi autem Canonici qui Allensteinio Regiomontum deducti in custodia tenebantur, elegerunt Episcopum D. Arnoldum de Venrade Cantorem & Canonicum Varmiensem. Porrò quatuor reliqui, qui Gedanum se subduxerant suffragia sua contulerunt in Regis Poloniæ procancellarium Oratorem ad Pontificem Max: designatum, D. Ioannem Linconem, Decanum Gnesnensem. Omnes itaq; electores ad Pontificem Calixtum III. Romam miserunt electionis factæ rationem reddentes: simul orantes, vt quem è tribus his magis Ecclesiæ vtilem futurum iudicaret, eum authoritate sua confirmaret & approbaret. Calixtus proinde ex tribus diuersarum partium studio electis vnum delegit & approbauit. Is autem fuit *Reuerendissimus in Christo Pater Dominus Æneas Siluius*, tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis vir insignis & apprimè eruditus. Eum cæteris anteferendum Pontifex existimauit, quòd à natione Germanica plurimùm dependeret, & Magnatibus esset benè notus. Sed & Casimiro Poloniæ Regi non ingratus futurus credebatur. Possessionem Episcopatûs per Procuratores adijt. Nam vt ipsemet accederet & in medios bellorum tumultus, quibus vniuersa Prussia deflagrabat, sese conjiceret, minùs tutum videbatur. Neq; tamen intermisit animarum sibi concreditarum quamuis absens curam gerere partim per submissas personas, partim etiam scriptis eos informando, & in ijs instruendo quæ ad temporariam hanc & multò magis quæ ad æternam salutem pertinere videbantur. Sed quæ erat temporum malignitas, nullam subditorum obedientiam expertus est. Porrò DEVS, vt magis Ecclesiæ vniuersalis rationibus commodaret, altiore eum loco constituit. Nam mortuo Calixto, summus Pontifex renunciatus, Pij, II. nomen accepit, anno Domini, 1458. Die 19. Augusti. Sedit in Pontificatu annos quinq;, Menses vndecim, dies viginti sex. Elogium verò Æneæ est sequens.

Æneas Siluius XIII. Episcop9 Varm. postea Pius II. Papa.

Syluis

Syluius Æneas sacer is tibi, Varmia, Præsul.
Papa fuit, toto notus in orbe Pius.

Scripsit Æneas Syluius librum, qui dicitur impressus cum titulo: Liber vitæ Pruteniæ. In quo agit de causis, ob quas Prussi, tumentes suos Dominos Crucigeros ope Polonorum bello per duodecim annos, & aliquot menses ducto, depresserunt. XIV. Episcopus Varmiensis fuit Paulus de Legendorff, anno sequenti creatus.

Paulus de Legendorff Episc. Varm. XIV. fuit.

Post emptas arces obsidebatur quoq; Meua à mercenarijs militibus & majoribus Polonis. Jamq; tantùm fames apud obsessos inualuerat, vt vix paucos dies obsidionem toleraturi esse viderentur: sed Poloni sine vlla disciplina militantes nequicquam vetante ac deprecante Magistro militiæ Prandota Lubessouio, domos dilapsi sunt, authore Ioanne Cromino Cotificio corrupto ab hostibus. Atq; ob eam rem is capite damnatus est à Rege. Per eosdem dies malè à Dobrinensibus quadringentis ferè domi pugnatum est contra octingentos hostes, qui ex Soldauia excursionem fecerant. Atq; ij vastata ora Dobrinensi non contemnendam prædam abegêre. Apud Sipelbeinum quoq; oppidum in inferiore Prussia, quod à Crucigeris obsessum erat, infeliciter Poloni ab obsidione hostem depellere tentarunt. His igitur successibus erecti Crucigeri, ad recuperationem Mariebnrgi adspirare cœperunt. Et fauebant eis clàm complures oppidani atq; etiam equites qui in arcis præsidio cum Ceruonca erant. Itaq; constituta cum eis proditione, Bernardus Sumberius cum expedita manu aduenicns, noctu in oppidum receptus est: præsidiariosq; regios sine vllis excubijs per domos dispersos, & somno oppressos concidit: nulli tamen in tumultu nocturno in arcem euaserunt. Cieruonca tumultu oppidano excitus, hostem ad arcem concurrentem lapidibus & omni telorum genere supernè repulit. Cùm autem dies illuxisset, crebræ fiebant ex arce in oppidum globorum è bombardis projectiones, ita vt nemo in propatulum impunè prodire posset. Sed in domibus ferè latitabant hostes perfractisq; parietibus inter se commeabant. Veriti autem ne qua ex arce eruptio in se fieret, fossa & aggere ab arce oppidum intersepserunt. Quòd cùm perfecissent, trajecto Nogato in Zolauiam siue insulam majorem impetum fecerunt, vt eam depopularentur, aut in potestatem suam redigerent. Fortè eodem Lubessouius cum reliquijs dissipati exercitus & auxilijs Gedanensium Marieburgo succursurus sub idem tempus aduenit nauibus Gedano aduectus: ejus milites vbi nec opinantes in hostem longè validiorem, quippè qui octingentorum numerorum excederet, incidêre, metu perculsi, ad naues respectabant. Sed Lubessouius stricto gladio pro hoste sibi futurum minitatus, quisquis ad fugam spectaret, fugam eorum inhibuit & castra secundùm aggerem Insulæ metatus est: ita vt à tergo aggere, à fronte verò curruum objectu tutus esset. Sumbergius despecta eorum paucitate, castra adoritur: defendunt illi alacriter: cùm ecce in ipso feruore pugnæ quadringenti armati Stargatâ in auxilium Polonis aduenêre. Instauratur prælium majore vi, bisq; pedem referre coacti hostes, tertiùm redintegrato prælio victi, perpeti fuga Neuteuchum atq; inde Marieburgum se receperunt, octoginta de suis amissis, & Sumbergio Duce vulnerato. Nihil tamen is de officio remisit: quin per illos ipsos dies Culma siue Chelmo oppido potitus est proditione Bòëmi cujusdam, qui cùm priùs stipendia fecisset in castris Regijs, vxorem opulentam in eo oppido duxerat. Gilauia quoq; Regio præsidio, quod pabula-

bulatum exierat, excluso, in potestatem Crucigerorum venit. De hac tàm varia & majore ex parte aduersa fortuna Polonorum cùm Regi renunciatum esset, perfecit apud majores Polonos, vt in centenas marcas annui census singulos hastatos equites mitterent, Ciuitatibus pedites imperati. Sex millia peditum pariter & equitum fuêre: eaq; Marieburgum ductore Sciborio Chelmsky præfecto majoris Poloniæ missa sunt. Atq; is exercitus vnà cum auxilijs Gedanensium & Elbingensium satis habuit hostes importando in oppidum commeatu prohibere: nec elici ad pugnam ab hostibus potuit, ne suburbanis quidem Torunensibus incensis. Iterum Coli & Corcini constitutum est à Rege, vt jugerale tributum duodenum grossorum agrestibus imponeretur, vnde satisfieret ijs quibus emerita in Prussia stipendia soluta non erant. Quod verò ad Episcopatum Varmiensem attinet, cùm propter bella Canonici qui hinc indè dispersi erant, ad electionem noui Episcopi, post assumptum Æneam ad Pontificatum summum, conuenire non possent, idem Pontifex Max. dictus Pius II. veteri suo amico Paulo de Legendorff nobili Pruteno, Canonico Varmiensi scriptori & protonotario Apostolico pro vno anno in Commendam primùm, deindè verò in perpetuum titulum tradidit, eumq; Româ cum literis ad Regem & Ordinis Magistrum misit, quibus ab eis postulabat, vt novum Episcopum in sedem & bona restituerent: ita tamen vt nulli partium sub amissione bonorum adhæreret. Quæ quidem Commenda Ecclesiæ, Paulo tradita fuit, anno Christi, 1458. die 20. Sept. *Paulus de Legendorff.*

Quo anno ad Regem Ioannes Iscra ex Vngaria venit, & componendi belli Prussici prouinciam in se suscepit, Rege pacem non abnuente. Ne Crucigeri quidem abhorrere a pace videbantur. Et sperabat Iscra facilius etiam fore negotium, quòd Boëmorum mercenariorum armis, quorum Ductores fortè necessarij & familiares sui essent, tunc res Crucigerorum maximè nitebatur. Sed spes eum fefellit. Elati enim hybernis successibus paulò secundioribus Crucigeri, iniqua postulabant. Quocirca præcisa spe pacis, vniuersæ regni copiæ Regis edicto ad Gneucouiam conuenêre. Inde Vistula nauali ponte transmisso ad Papouiam castra metatæ sunt. Interceperant fraude eam arcem hostes atq; inde Torunensem agrum vehementer infestabant. Sed ea permunita erat, nec sine multorum periculo expugnari à Polonis posse videbatur. Cæterùm lixæ & colones atq; promiscuum vulgus temerè & nemine jubente ad mœnia procurrens, mox omnem exercitum incredibili expugnandæ arcis ardore & spe inflammauit. Itaq; facto impetu portaq; effractâ, cùm jam caperetur arx, hostes magnis clamoribus victorum misericordiam implorarunt, exauditiq; à Petro Samotulio Castellano Posnaniensi, penes quem summa in exercitu secundùm Regem potestas erat, minore porta à castris auersa emittebantur. Sed parùm abfuit, quin ipse quoq; Samotulius ab irata multitudine violaretur ob Sbigneum Iauorium, Dobricium atq; Dauidem Boëmum castrorum metatorem in oppugnatione arcis interfectos, furente. Fremitus quidem aduersùs Regem & Proceres ingens fuit cùm propter emissos hostes, tùm quòd Proceres nonnulli missis ministris, cellas arcis commeatu & facultatibus refertas occuparant. Quare subjecto igne à furente multitudine arx tota cum omni copia & compluribus satellitibus Procerum, qui pertinaciùs, cellas defendebant, conflagrauit: muri deindè arcis, ne ab hoste instaurarentur, Rege jubente, diruti, ac triduò ibi statiua habita sunt. Inde ad Chulmam siue Chelmum mota castra. Nec tamen tentata est ejus oppidi oppu-

Ioannes Iscra.

Arx Gneucouiensis succensa.

 gnatio,

gnatio, quod amplum quidem & ſpatioſum eſt, & neq; arte neq; natura munitum, ſed eo vndiq; hoſtium copiæ confluxerant. Ad Marieburgum verò itum eſt. Quod cùm Bernardus Sumbergius Culmæ intellexiſſet, nocturno itinere anteuertere eò Polonos cum expedita manu inſtituit, perfeciſſetq; id adeò, ni tota nocte erraſſet. Orto die, vbi ſe in Polonos incidiſſe animaduertit, fugâ ſibi quemq; conſulere juſſit. Diſſipatos perſecuti Poloni non leui ſtrage affecerunt, cæſis

Sumbergius fugit. captisq; multis. Sumbergius ipſe euaſit quindecim milliarium itinere eo die confecto, facultatum tamen jacturam fecit. Ad Marieburgum deinde Poloni caſtra poſuêre ac deſides ibi tempus triuêre ludificantibus eos ſpe pacis hoſtibus: ad quam conficiendam Iſcra ſequeſtrum ſe interponebat. Per quos dies Nouum oppidum Pomeraniæ, dimiſſo Polonorum præſidio, quaſi ſuis viribus ſe tuiturum eſſet, hoſtile accepit.

Marieburgi obſidio infelix. E diuturna verò eodem in loco apud Marieburgum mora (nam in duos menſes extracta eſt obſidio) fœtore & pabuli victusq; inopiâ Regius exercitus afflictus eſt, ita vt octingenti homines, equorum autem ſeptem millia fame & peſte interirent. Eam ob rem fremere multitudo & facto agmine ad Regis tentorium orare, vt viſe oppidum non munitiſſimum capere pateretur, aut verò obſidionem ſolueret. Cùm vtrumq; ſuaſu Procerum quorundam negaretur, negligentiùs omnes munia belli obibant: ſolutaq; diſciplina, neq; cuſtodias & excubias ſervabant. Creuit hoſtibus audacia, ita vt ij erumpentes, leuibus incommodis Polonos afficerent. Inde coorta maior indignatio: quam auxit clamor hoſtium, auro ſe redemiſſe, ne oppugnarentur è mœnibus vociferantium. Et ſanè deprehenſi ſunt nonnulli noctu ad oppidum cum mandatis quorundam Procerum commeantes.

Joannes Brezius. Inprimis autem Ioannes Brezius Procancellarius eam infamiam vulgò ſuſtinuit, & niſi fugâ ſe ſubduxiſſet, violatus fuiſſet à concitata multitudine. Tandem induciæ cum hoſtibus viginti menſium confectæ ſunt, ea conditione, vt intra id tempus octoni vtrinq; arbitri pacis apud Culmam conuenirent: inter quos ſi non conueniret, vt Alberti Ducis Auſtriæ ſummum eſſet arbitrium. Interim autem Marieburgenſe opidum Iſcra ſequeſter obtineret, ac vtri parti id adiudicaretur, traderet, aut ſi infecta pace diſcederetur, Crucigeris redderet. Dum autem hæc fiunt, vniuerſa nobilitas moræ longioris impatiens iniuſſu Regio domos diſceſſit, orto à Ioanne Oſtrouicio cognomento Naſſiano diſcedendi principio. Quocirca Rex quoq; ſuffecto in præfecturam Marieburgenſem pro Cieruonca Sciborio Chelmio, diſcedentem exercitum ſequi coactus eſt, nequicquam retinentibus Pruſſis, & inprimis Gedanenſibus, qui ei in quatuor millia militum ſtipendium, ſi apud Marieburgum manere vellet, pollicebantur, proſperâ fortunâ vſi eo anno in mercatura maritima & magnoperè ditati, ſed vxoris deſiderium ei fuit antiquius: quæ quidem per eos dies ad quintum Nonas Octobris Caſimirum filium Cracouiæ peperit. Quamobrem eò contendit, ibiq; legatos Georgij Podiebradij noui Regis Boëmorum audiuit fœdus petentes, & ingentia auxilia contra Crucigeros pollicentes.

Eodem anno ad feſtum S. Michaëlis ſpe & deſiderio pleni milites Ordinis Paſſenheimi capiendi ſunt profecti Allenſteino. Cùm nihil

Allenſteiniū conflagrat. perfeciſſent, redierunt. Circa medium noctis, incendium Allenſteinij ortum totam exuſſit ciuitatem cum equis & belli neceſſarijs. Plurimi ſalutem in induſiolo in Eccleſia ſunt aſſecuti. Comitia deinde ad

1459. medium Ianuarij ſequenti anno, qui fuit 1459. Petricouiæ habita, vbi de

de pace ac de bello cum Crucigeris consultatum est. Increbuerat enim Crucigeros his conditionibus pacem facere velle, vt centum millia florenorum impensæ bellicæ nomine Regi numerarent, viginti millium tributum quotannis penderent, duo vexilla auxiliaria ad quoduis bellum mitterent, & vt singuli Magistri in Regis verba iurarent. Prussiam verò cunctam sibi haberent ijsdem finibus, quibus ante id bellum habuissent. Probabat magna pars Senatûs has conditiones, sed Prussorum legatio commodùm aduenìens, orabat Regem atq; Senatum, ne se in fidem susceptos immanibus Crucigeris ad exquisitos cruciatus & in teterrimam seruitutem proderet. Elbingæ se conuentum egisse nouoq; fœdere sese inuicem obstrinxisse: extrema omnia pati malle priùs, quàm in Crucigerorum impotentium Dominorum potestatem redirent. Erant & in Senatu Regio qui censerent, non ex fide atq; dignitate Regis & Polonicæ nationis fore, socios deserere, suaq; olim amissa nuperq; recuperata rursus prodere aut vendere. Non diuturnam pacem eo pretio redimi, sed perpetuorum hostium vires refici & opes augeri. Hoc anno Paulus Episcopus Mense Maio in Episcopatum suum venit, & bona licet tardè, & non absq; maxima difficultate recuperauit. Posteà pacis constituendæ gratiâ multas legationes vltrò citroq;, quamuis fructu non ita magno, obiuit. Efficax quidem fuit Senatus Regij oratio, ob quam decretum, non esse deserendos prodendosq; Prussos, vt superiùs dixi. Verùm de ratione prosequendi belli, ad particulares conuentus reiectum est. Nobilitas enim Polona præterita expeditione vehementer offensa & pecuniarium subsidium negabat, & militiam inposterùm detrectabat. Quam ne Rex quidem probabat, propter nimiam atq; perniciosam equitum licentiam. Adfuit deinde Rex Colensi maiorum Polonorum conuentui post initium æstatis, & vt expeditio in Prussiam pro modo facultatum decerneretur, ab ipsis impetrauit: nempè, vt de centum marcarum censu annuo vnus eques hastatus mitteretur: oppidani verò Regij vt peditem suppeditarent. Difficiliores fuêre minores Poloni. Itaq; rursus ad Calend. Septembris Petricouiam Comitia vniuersæ Poloniæ indictæ sunt. Missi verò octo de Proceribus, quemadmodum cum Crucigeris conuenerat in Prussiam ad agendum de pace, re infecta redierunt, cùm neq; illi Nessouiam venirent, neq; Polonis Culmam veniendi luculentam securitatem præstarent. Itaq; fecerunt maiores Poloni satis promissis suis, vt expeditionem in Prussiam facerent: Verùm nullum ij operæ pretium fecerunt: agros modò vtcunq; tutati sunt per æstatem: sub autumnum autem, domum, non expectata missione remearunt. Per quod tempus mercenarij milites in inferiore Prussia insignem de Crucigeris victoriam retulerunt: nec multùm abfuit, quin Ludouicus Magister viuus in potestatem eorum veniret. Prædâ non contemnendâ partâ, ita vt viceni aurei in milites diuiderentur. Igitur de pace rursus agi cœptum à Crucigeris. *Præda pinguis.* Per quod tempus renouatis inducijs Lubauia Crucigerorum præsidium accepit, cùm ad eam diem in partibus Regijs fuisset. Ad Meuam verò complures naues frumentum & ligna atq; asseres è Polonia Gedanum portantes ab hostibus interceptæ sunt. *Naues interceptæ* Quæ cùm à Rege repeterentur, respondit Magister, iniussu suo à militibus id factum esse, neq; eos imperium suum exaudire, atq; adeò pacis quoq; arbitrium penes eos esse. Clementer Rex ageret, & Ordinem Crucigerorum ne penitus iret perditum. In Comitijs ad sextum diem Decembris, eodem edicto delecti sunt cum Regis Senatusq; placito viginti de primori-

moribus qui de rebus consultarent statuerentq́. A quibus, iugeralis duodenum grossorum exactio agricolis, & telonium omnium mercium omnibus qui lucrum sectarentur in annum imposita. Ab Ecclesiastico verò & equestri Ordine octaua pars censuum promissa Regi, in stipendia militantium in Prussia. Ibi etiam præfectura Marieburgensis, amoto nescio quam ob causam Sciborio Chelmo: duobus pariter Ioanni Koscelecio Palatino Inouladislauiensi, & Prandotæ Lubessouio à Rege mandata est: fortassis vt alter territorio reditibusq́ Regijs, alter præsidio militari præesset. Inde etiam Iacobus Senenius Gnesnensis & Cracouiensis Præpositus, orator ad nouum Pontificem Pium II. à Rege missus, vt ei de more gratularetur, & in potestate eius Regem fore profiteretur. Impetrauit autem is, vt remitteret Pontifex Prussis diras atq́ excommunicationes, quibus eos ad parendum Crucigeris adigebat. Petebat idem de transferendis ex Prussia in Tenedon Insulam Crucigeris: in quo eum omnium fere Christianorum Principum Oratores diligenter adiuuabant, propterea quod Mahometes Turcarum Imperator Corynthum atq́ alias terras paulò antè ceperat. Verùm id impetratum non est, impensiùs indulgente Crucigeris & Germanis Pontifice, iam inde ex quo in aula & ministerio Friderici Imperatoris fuerat. Septembri verò mense Crucigeri non contemnendam cladem acceperunt apud Passenheimum oppidum inferioris Prussiæ. Nam cùm contra id quod in inducijs conuenerat, oppidanos eius oppidi Regias partes secutos ad defectionem sollicitarent, illi re cum præfecto præsidij Regij Michaéle cognomento Sromotni communicata, mitti sibi præsidium à Crucigeris postularunt. Missi quingenti equites, cum valido peditatu. Ac cæteri quidem foris manere iussi, trecenti modò equites intromissi, ab armatis Polonis, quos Michaél ex alijs præsidijs ad eam rem deduxerat, facile occisi sunt. Dolo animaduerso, reliquum agmen, cùm suis in oppido clausis opitulari non posset, fugâ sibi consuluit.

Iacobus Senenius Orator ad Pontificem.

Clades Crucigerorum.

Crebræ erant incensiones pagorum & oppidorum hoc tempore in Boémia. Creditum est autem operâ Crucigerorum & Bernardi Sumbergij submissos fuisse incendiarios, sparsumq́ vulgò rumorem, quasi à Rege & Regina Polonorum ob interuersum hæreditarium regnum iratis id factum esset. Idq́ eò fecisse Crucigeros, quò faciliùs ipsi bellum cum Polonis haberent, si eos Boémico quoq; bello implicassent. Nihil enim intentatum ij relinquebant, quod ad perniciem Polonorum pertinere existimarent. Nec aberrat à vero, Albertum Archiducem atq́ alios nonnullos Principes ad reconciliandos Polonos cum Silesijs propter quandam controuersiam ortam, ab ijsdem Crucigeris subornatos, missis eiusdem anni initio ad Casimirum legationibus, arbitrium omnis, inter ipsum & Crucigeros, controuersiæ dirimendæ sibi poposcisse, quo faciliùs Regem spe pacis securum & incautum fallerent. Casimirus autem Alberto qui primus de eo miserat non grauatè permisit, vt amicè, si posset, inter partes componeret. Cæterùm de re vniuersa compromissum facere abnuit, ne illum pro amico inimicum caperet, commemorans qua fide se Sigismundus Cæsar quondam in eiusmodi re gessisset.

Incendia in Boëmia.

1460. Mense Maio, anno Christi, 1460. Rex conuentum habuit Sendomiriæ cum minoribus Polonis, & mox Lenciciæ cum majoribus. Consultatum de ratione belli gerendi cum Crucigeris. Per eosdem dies Marieburgenses oppidani quatuor ferè menses à Polonis obsessi, oppidum, quod propè iam aberat, vt cuniculis actis caperetur,

Marieburgi deditio.

tur, Ioanni Coſcelecio præfecto arcis dediderunt. Recepto oppido, de tribus modò oppidanis, qui defectionis authores fuiſſe dicebantur, capitale ſupplicium ſumptum: milites præſidiarij in vincula coniecti: cæteræ multitudini parſum eſt.

Dum Valciæ, quæ paulò antè obſeſſa à Polonis fuit, obſidio continuatur, Bernardus Sumbergius tria millia Equitum peditumq; Germanorum & Bòëmorum pèr Marchiam Brandeburgenſem Crucigeris, in Pruſſiam adducere, & propè iam adeſſe velleq; Valciam primùm obſidione liberare, nunciatur. Ibi Iacobus Dembenius Dux Regiarum copiarum veritus, ne ſe hoſtes vtrinq; adorirentur, ſoluta obſidione, in æquiorem locum hoſti aduentanti obuiàm proceſſit. Sed priuſquam is appropinquaret, milites Germani & Bòëmi cùm Francofordiam ad Odram ſitam perueniſſent, ac de deditione oppidi Marieburgenſis accepiſſent, domos dilapſi, Ducem cum quingentis modò militibus deſeruêre. Cum his autem ille iter inſtitutum proſequens & Polonorum occurſum obliquo tramite declinans, confectis unius diei noctisq; ſpatio duodecim milliarijs, & centum equis amiſſis, qui laborem tanti itineris non ferebant, ad Choniciam peruenit. Quo intellecto ij, qui in præſidio Valciæ fuerunt, nocte arce incenſa, eum ſecuti ſunt. Atq; is Gedanum contendens, munitionem Gedanenſium vna ab vrbe milliari oppugnare adortus eſt, collocatis opportuno loco inſidijs, ratus id quod accidit, Gedanenſes ſuis, qui in præſidio erant, opem laturos. Itaq; illi incompoſito agmine ruentes in inſidias præcipitati, & non contemnenda clade repulſi ſunt, ſexaginta amiſſis, ducentis captis, inter quos duo conſulares fuêre. Nonnullam rebus Crucigerorum acceſſionem aduentus Sumbergij ſecundumq; illud prædium fecit. Mox enim Golubum oppidum proditione in hoſtium poteſtatem redactum eſt, in quo non pauci Dobrinenſes equites vnà cum facultatibus ſuis capti ſunt; arcem Cieruonca defendit. Puſcum item, quod Rex Sueciæ exul tunc hypothecæ nomine certam pecuniam Caſimiro mutuatus obtinebat, ab eisdem interceptum. Bilauia oppidum toto anno obſeſſum: Bartenſteinenſes oppidum ſuum dedidêre: Suece arx ſuperior permunita in ripa Viſtulæ fraude ab hoſtibus intercepta eſt, quos ad centum vſq; captivus quidam qui ibi aſſeruabatur negligentiùs, caſſibus in altum ſuſtulerat: Dobrinenſis ora ne vaſtaretur, vectigalis hoſti facta. Porrò Ericus Dux Scecinenſium Pomeranorum, propinquus & fœderatus atq; ſocius Regis, quem haud ita pridem Rex Caliſſiam ad ſe cùm veniſſet, non exiguis donis affecerat, nullâ læſus injuriâ, nulla vi adactus, violata fide & jurejurando Lemburgum oppidum & Bythouiam arcem, fidei ſuæ commiſſa à Rege hoſtibus dedidit, nequicquam deprecantibus Lemburgenſibus, viris juxta ac mulieribus, pueris atq; puellis, & pretium pro redimendis tredecim quibusdam captiuis (quam cauſam deditionis Ericus præſeferebat) collatâ publicè pecuniâ pollicentibus. Neq; Polonis tamen penitùs fortuna tergum obuertit: Quizinum & Fraumburgum oppida ab ijs noctu intercepta ac direpta: vndè tantâ prædâ miles ditatus eſt, vt ducenti floreni in capita cederent: duobus juſtis prælijs victi fuſiq; hoſtes, apud Paradiſienſe Monaſterium & compluribus amiſſis, in fugam acti. Ita varia Polonorum atq; hoſtium fortunâ eo anno bellatum eſt in Pruſſia.

Scribit Grunauius hoc anno repertos fuiſſe homines ſylueſtres in *Homines ſylueſtres*

in grandibus syluis Prussiæ post Dryngfart, pilosos, Germano Prutenicos dictos. Qui fortè metu bellorum se illic abſconderunt, & diuturnitate temporis in agreſtes & ferinos planè euaſerunt. Videbantur etiam qui indè poſtea nati fuerunt ejus tempore, quaſi ſyluas ſapere.

1461. Menſe Junio, anno Christi, milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo primo Rex Inouladislauiam ad Pruſſicum bellum proſequendum profectus eſt, Nobilitate omni totius Poloniæ eodem conuenire juſſa. Verùm ea medio demùm Auguſto Menſe ægrè conuenit. Interim Crucigeri Sipelbeinum & Raſtenburgum & Bielauos oppida & Morangum arcem obſedêre. Neq; Rex obſeſſis opem tulit, ſed pejore vſus conſilio quorundam Procerum, qui à Crucigeris corrupti eſſe dicebantur, in Pomeraniam ſigna conuertit, vt Fridlandiam & Choiniciam reciperet, & Ericum Scecinenſium Ducem vlciſceretur. Jactarunt ſe certè Crucigeri ſe auro non ferro effeciſſe, ne Poloni obſeſſis ſubuenirent. Cæterùm præſidiarij milites qui Sipelbeini erant eruptione in obſidentes hoſtes facta, magna ſtrage eos repulerunt, caſtriſq; eorum potiti ſunt. *Sipelbeinenſes cædunt Crucigeros.* Porrò apud Raſtenburgum Ciuium Magiſter ſimulata proditione, parùm abfuit, quin Magiſtrum Crucigerorum in præparatas inſidias induceret. Fraude à quodam de Comitibus Magiſtri animaduerſa, & Magiſtro Ciuium ante oppidum confoſſo, non modò ejus oppidi, ſed & Morangi obſidio ſoluta eſt. Ne Poloni quidem qui in aliarum arcium & oppidorum præſidijs erant, ceſſarunt; ſed cum Elbingenſibus Ciuibus, Joanne Scalio Boëmiæ Duce coadunati & nauibus eorum per Habum lacum transportati in Sambiam, regionem eam ferro & igni longè lateq; populati ſunt, & ingentem prædam indè aſportarunt: quippè, qui inexpectati in oram ab ardore belli remotiorem irrupiſſent. *Sambia vaſtatur.* Intereà verò dum Rex in Pomerania eſt, Crucigeri in diuerſa parte nauiter rem gerunt in Pruſſia Morangumq; Sipelbeinum & Raſtemburgum majoribus viribus denuò obſident. Exaudiebanturq; vulgò voces puerorum, malum conſilium Regi acclamantium. Quare inito conſilio, placuit, cùm deinceps milite mercenario bellum id geri placuiſſet, Nobilitasq; omnis in ſtipendium duûm millium militum quæ mox in Pruſſiam contra hoſtes mitterentur, viceſimam redituum ſuorum annuorum partem (Proceribus onus id recuſantibus) contuliſſet, & in ſequentem annum tributum duodenùm groſſorum in jugera ſciuiſſet, ſub finem Septembris dimiſit Rex exercitum: idq; eo incunctantiùs fecit, quòd ad ſeditionem & ciuile bellum res vergere videbatur. Rex itaq; mercenarium militem, dato ei Duce Petro Dunino Prauncouio Succamerario Sendomirienſi, in Pruſſiam transmittit. Duninus accepto à Rege exercitu, Suece arcem ſuperiorem in Pomerania, aliquandiu à Bydgoſtienſi & Cujauienſi nobilitate, & ab altera parte à Gedanenſibus nauali apparatu obſeſſam aduenìens, in deditionem recepit. At hoſtes diſceſſione Polonorum aucti animis, Morangum, Sipelbeinum, & Raſtenburgum itemq; Bielauos toto anno obſeſſos in Pruſſia præfectis dedentibus in poteſtatem ſuam redegerunt, Dunino ob ſuorum paucitatem ſubuenire obſeſſis non auſo. Braunsbergenſes ejecto præſidio Regio cum Joanne Scalio Boëmo Præfecto, Paulum Epiſcopum Varmienſem cum Crucigeris ſentientem receperunt. Et cùm id Scalius intempeſta nocte recuperare conatus eſſet, parùm abfuit quin in hoſti-

hostium potestatem veniret. Fridlandenses idem conati, cum aliquoties à Polonis, qui in præsidio relicti erant, non sine cædibus repressi essent, ad extremum hostibus clàm accitis primo diluculo portas vrbis aperuêre, eorumq; ope præsidiarios incautos contrucidarunt. Stargarta siue Starigardum in Pomerania à tribus è Magistratu vrbano proditum. Ne Gedanum quidem ac Torunium extra periculum fuêre, studijs multitudinis propter prosperiores successus ad Crucigeros inclinantibus, & illos multis ad proditionem sollicitantibus, cùm per alios, tùm per duos quosdam Carthusios Monachos de Paradisiensi Monasterio. Fuissetq; perfecta proditio, si ad constitutum cum proditoribus tempus Crucigeri adfuissent. Deprehensi proditores, pœnas dedêre. Brodnicia quoq; oppidum in Culmensi tractu, negligentiùs custoditum à Nicolao Coscelecio Palatino Inouladislauiensi interceptum. Arx verò propugnaculis circumquaq; extructis, arctiùs obsessa est. In quam tamen modicum præsidium cum non copioso item commeatu à Dunino submissum, vi per medias hostium stationes aliquot militibus desideratis perrupit. Quare diutiùs ea sustinuit obsidionem. At Casimirus Corcinum se ad comitia in sextam diem Decembris edicta se contulit. Ibi Bòëmi congressum cum suo Rege Glogouiæ ad Calendas Majas & arbitrium cunctæ controuersiæ, quæ Casimiro esset cum Crucigeris, Regi suo postulabant, quod Crucigeros quoq; non abnuere dicebant. Brandeburgenses etiam Principem suum suspectum, qnòd sentiret cum Crucigeris, purgabant, operamq; & ipsi suam ad componendas cum illis res pollicebantur. Nec ita multò pòst Stanislaus Ostrorogus Callissiensis Palatinus, & Joannes Tarnouius Castellanus Sandecensis ad Georgium missi cum his mandatis, vt ad diem Iduum Maij Glogouiæ cum Casimiro congrederetur: de pace cum Crucigeris faceret arbitratu suo, modò ne Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem ditiones Polonis abjudicaret. Brandeburgensi verò exprobratæ injuriæ, commemorataq; in ingratum Marchionem Regia benevolentia, quòd Rex neq; cum Ludouico Bauaro neq; cum Bòëmis conjungere sese aduersùs eum in animum induxisset: de pace cum Crucigeris, si se interponeret Marchio, non inuito Rege facturum esse. Acriter interim obsidebatur Brodnicia à Crucigeris. Itaq; missi ad Regem ab equestri Prussorum ordine & Ciuitatibus Oratores Gabriel Basenus Palatinus Culmensis, Otto Machuitius & duo Senatores Gedanenses, Philippus Bissouius & Joannes Marpurgius, petiuerunt ab eo, vt Prussicarum rerum majorem curam susciperet, arcemq; munitissimam & nobilissimam Brodniciam, quæ ægrè jam aliquot mensium obsidionem toleraret, ne in potestatem hostium venire pateretur: permultumq; in illa vna arce momenti esse ad retinendam Prussiam & confirmandos Prussorum animos. Consultissimè autem eum facturum esse, si quàm primùm in Prussiam ipse cum exercitu veniret, ac Marieburgi degeret. Si pecuniâ careret, Prussos cisam siue accisam (tributum cereuisiarium sic appellant) ac redituum suorum dimidium collaturos esse, atq; adeo facultates ipsorum & fortunas omnes in potestate Regis fore. Si esset remissior, videret ne regiones amplissimas atq; opulentas magno labore & sudore, multo sanguine & maximis impendijs de manibus cupidi & improbi hostis recuperatas, non sine summo dedecore rursus amitteret, seq; in fidem receptos tetris & immanibus

Tyrannis proderet. Hac legatione motus Casimirus magnam partem aulici comitatus sui, & quantum mercenariorum militum statim cogere potuit, in Prussiam ad liberandam obsidione Brodniciam ad Duninum præmisit. Duninus quamuis auctus copijs, tamen obsessis non succurrebat, hostium vires reformidans, qui ad famam Polonorum aduenientium omnes copias Brodniciam contraxerant, & oppidi munitione sese tuebantur. Itaq; obsessi cum diutiùs inopiam & famem ferre non possent, mense Februario, vitam resq; suas vt sibi auferre liceret pacti, arcem Crucigeris dediderunt. Postea Rex Glogouiam ad constitutum cum Georgio Rege Boëmorum congressum profectus est. Sed de rebus Prussicis nihil actum tergiuersantibus Crucigeris successu belli & receptæ Brodnicæ elatis. Venit eò ad Casimirum Ludouici Ducis Bauari legatio in Fridericum Marchionem eum incitans, & contra Crucigeros auxilia viciſſim pollicens. Casimirus Glogouiâ discedens Posnaniam diuertit. Vbi cum tribus septimanis subsisteret, Crucigerorum præsidiarij Choinicienses in Palucos populabundi excurrunt. Poloni quoq; in nouam Marchiam excurrerant: sed ab hostibus profligati pauci fugâ euaserunt. Nec mora Inouladislauiam Rex contendit. Inde missis agrestibus cum præsidio aulici comitatus sui, segetes hostium in Culmensi tractu succidi iussit. Cùm verò Crucigeri rem nauiter gererent in Prussia, Rex vt eorum audaciam reprimeret, Torunium se contulit, indeq; aulicos suos cum Petro Dunino & mercenario milite, Varmiensi Basilicæ siue Fraumburgæ obsessæ ab hoste præsidio submisit. Cuius aduentu Magister Crucigerorum conterritus & aleam pugnæ periclitari non ausus, desertis castris fugiens soluit obsidionem. Poloni castra hostilia diripuêre. Nonnihil fortasse momenti hostibus ad fugam attulit, quòd agrum suum Sambiensem à Gedanensibus Habo circumuectis, acerbè vastari acceperant. Et ferè agrestibus eius oræ hostibus constabat exercitus. Itaq; retineri ij nequiuerunt, quin ad sua defendenda dilaberentur. Dum verò obsessa erat Varmia, Elbingenses cum Polonis Fischausum oppidum spoliabant illuc aqua vecti: effractaq; Ecclesia, sustulerunt Monstrantiam argenteam, exposito Christi corpore ad altare. Malè idipsum factum his cessit. Nam dum redeunt, vi tempestatis ad litus propè Varmiam appulsi, & à Magistro capti, pœnas sacrilegij reddiderunt, omnes iussu eiusdem in rotam acti. Eodem anno, 1462. moritur Torunij, & ibidem sepelitur Episcopus VI. Culmensis Ioannes IV. Marienau: qui ex Ordine Teutonico, Administratoreq; Capituli in Marienuerder & Schonbergæ assumptus fuit in XV. Episcopum Culmensem. Ordinatus est ab Archiepiscopo Gnesnensi, permittente Pontifice Max. Præfuit Episcopatui 30. annis. Successit Ioanni Bartholomæus Episcopus XVI. Culmensis. Erat hic ex Ordine, & Decanus Quizinensis. Noluit is iurare Regi Poloniæ, sed nec toleratus fuit pace facta, anno 1466. vt ibi dicetur: in cuius locum successit Vincentius Kelbassa. Rex interim Torunii commoratus, & à Torunienſibus liberaliter habitus, nonnunquam Reginam in arce Nessouiensi degentem visebat. Erat apud Culmam Bernardus Sumbergius cum aliquanta manu hostium. Is cum è vicinis agris subinde prædas ageret, quadam die suos, nauibus traiecto amne Vistula noctu ad Nessouiam iussit excurrere. Non ita multò antè Rex id oppidum in gratiam Torunensium in superiorem

Brodnicia deditur Crucigeris.

1462.

Ioannes Marienau Episc. Culm.

1466.

rem ripam transtulerat: domus quæ in veteris oppidi loco relictæ erant, vici speciem præseferebant. Eum igitur vicum cùm hostes noctu incendissent, trepitatum est à Polonis qui ibi diuerterant, nihil tale suspicantibus. Mox abiecto metu Tartari cum perpaucis aulicis ad persequendum hostem emissi, & naues repetentem amolientemq; assecuti, magnam stragem gladijs, sagittisq; ediderunt, & nauibus cunctis potiti sunt. Sex modò viui cum duabus nauibus, de omni illo numero euaserunt. Porrò Duninus hostibus Fraumbergo depulsis Gedanensemq; agrum populatione infestantibus ipse quoq; copias eò traduxit. Neq; satis habuit hostem liberioribus excursionibus arcere sociosq; defendere: sed in hosticum progressus Stargartensium, Bythouiensium, Lemburgensium, & Puscensium, quæ territoria non ita pridem in hostium potestatem venerant, fines ferro & igni vastare adortus est. Hostes vbi Polonos prædæ cupiditate longiùs ad iniqua loca inter stagna & lacus prouectos animaduertêre, validam & ipsi manum deducto è proximis suis munitionibus præsidiario milite, agrestibusq; arma sumere iussis coëgerunt opportunitate locorum contra Polonos vsuri. Idq; eo maiore fiducia fecêre, quòd commodum Raunechius Austrius & Caspar Nostiuicius Silesius, nouos milites è Germania & Silesia ipsis adducentes, aduenerant. His igitur copijs coadunatis occurrere Polonis parabant, tramitesq; omnes, ne quà Poloni ex angustijs effugere possent succisis quoquouersus arboribus intersepiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior ad Regem mittit curriculo, qui eum, vt periclitantibus actutum subueniat, orent. Nec mora, Rex Albertum Gorscium cum reliquo comitatu suo ac Tartaris Lituanicis ad succurrendum suis mittit. Id vbi Duces hostium compererunt, minore parte in castris aduersùs Duninum relicta, ipsi cum maiore ac delecta, ripam Vistulæ, qua Gorscium traiecturum esse existimabant, insederunt, vt eum priusquam se cum Dinino conjungeret, opprimerent. Sed Gorscius deflexo itinere alibi fluuium liberè traiecit. Vbi id intellexerunt hostes, omisso Gorscio, propiùs ad Duninum castra mouerunt, vt eum priusquam Gorscius cum eo se conjungeret ad pugnam elicerent: aut certè in angustijs conclusum, excluso Gorscio, obsessum tenerent. Non ignorabat Duninus de aduentu suorum. Exploratum etiam habebat, longè maiores esse hostium vires quàm suas. Itaq; non minùs de auxiliarijs illis quàm de sui exercitus periculo sollicitus, noctu hostes in se intentos fallere, ac per deuias syluas euadere ad Gorscium decreuerat. Id ne facere posset, hostes diligenter cauerant, delectione arborum transitu omni impedito. Mutato igitur consilio, ferro per medios hostes contendit. Alacres & illi arma capessunt magna spe victoriæ. Et ita se authore Nostiuicio, inuicem adiurarant ac deuouerant, vt qui de suis pedem retulisset sine omni tergiuersatione pro seruo Regi sese dederet. Vbi ad congresum ventum est, Paulus Iasenius aulicus regius armatus ab altare inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostium in Polonos intentas auertit. Eodemq; momento Poloni inopinata re perturbatos summa vi adoriuntur, & mox vel confractis vel abiectis hastis, gladijs vtrinq; res geritur, pugnatur acriter. Audaciâ Poloni, hostes multitudine superabant. Cùmq; tres horas dubio Marte pugnatum esset, vtrinq; quasi ex composito discessum est. Mox recre-

Pugna acris.

recreatis paululum viribus, vtrinq; non ad pugnam, sed ad persequendum alteros centendunt, vtrinq; alteros victos discessisse rati. Occursu mutuo restauratur prælium, rursusq; vnâ horâ dimicatum est, donec sauciato Fricio Ductore exercitûs, & peditibus Polonis assiduò balistarum ictu dextra hostium latera ferientibus, retrocedere sensim ij cœperunt. Sed mox reuocante & sistente Fricio, redintegrabatur pugna, si quod Poloni trepidantibus recolligendi sese spatium dedissent. Interim dum ciet pugnam animatq; suos Fricius interfectus corruit. Ibi tum effusa fit fuga hostium cum altero Duce Nestiuicio, iurisjurandi paulò antè dati & ab omnibus exacti immemores. Pedites desperata longiore fuga, pars in castra sese recepêre: pars ea prætergressi stagna lacusq; propinquos petiuêre. Poloni pernicitate equorum freti fugientes persecuti magnam cædem edebant. Vbi ad castra hostilia peruentum est, ibi nonnihil difficultatis Polonis obiectum est. Etenim hostes ea, qua parte stagno non tegebantur fossâ & sudibus acutis foras obuersis munierant. Sed cupidis victoribus non facilè quidquam obstabat. Poloni enim præuertendos sibi esse hostes perterritos, priusquam ad castrorum defensionem accurrerent rati, admotis calcaribus cœcorum in morem in sudes obiectas ruebant: confossisq; equis nonnullis, tandem contextum sudium perfregerunt, & vno impetu castra ceperunt atq; diripuerunt, quindecim bombardis maioribus, ducentis curribus, armis, impedimentis & commeatu referta. Ala vna in locum deiectu arborum à se septum delata, nec inueniens exitum à Polonis concisa est. Cæsa eo die hostium duo millia, capti sexcenti & major propemodùm quàm pro numero Polonorum strages edita. De Polonis centum gregarij milites ceciderunt. De nobilibus tantùm Hector Chodorasius desideratus est. Sed pauci reperti qui saucij non essent. Duninus in fœmore & in manu vulnera accepit. Ad Puscum hoc prælium commissum est quintodecimo Calend. Octob. Triduum pòst in ijsdem statiuis humando cæsos & saucios curando consumptum est. Per quos dies Ericus Stolpensium Pomeranorum Dux fortunam vt credebat secutus, mutata fide quam Casimiro Rege, impetratâ per vxorem veniâ, dudum dederat, cum sexcentis equitibus gravis armaturæ ad castra Crucigerorum contendens, cum profligatum eorum exercitum accepisset, raptim sese ex itinere domum recepit: non paucos tamen extremi agminis à Polonis insequentibus partim captos partim trucidatos amisit. Honoratus est à Rege victor exercitus: Petrus Duninus, Paulus Iasenius, Venceslaus Neborius, Nicolaus Vilconouius, Thomas Odrouanzus, Ioannes Duglossus tertius Canonicorum frater, & triginta alij virtutis ergò militaribus donis insignibus dotati.

Ceduntur & fugiunt Crucigeri.

Castra Poloni diripiunt.

Eodem illo tempore tribus alijs in locis prosperè item dimicatum est à Polonis: apud Iasenecium pagum & apud Pissiam flumen in Masouia, vnde propinquarum hostilium munitionum præsidiarij milites prædas agebant: & apud Suecc. Apud Elbingam quoq; non multò pòst nauali prælio hostes à Polonis profligati sunt. Prorogatum autem est à Rege militibus stipendium, cùm Ecclesiasticus Ordo decreto Calissiensis Synodi subsidium ei in maiore quidem Polonia vicenorum grossorum; in minore verò senum de prouentu vniuscuiusq; marcæ argenti contulisset.

Vldaricq Ceruonca

Sub finem Octobris Vldaricus Ceruonca Boëmus, cùm à Georgio

gio Rege ejus gentis carcere, in quem biennio in gratiam Crucigerorum compactus erat, Casimiro postulante, emissus esset, Golubum oppidum noctu ingressus in potestatem suam redegit, hostili præsidio satis valido partim capto partim interfecto: turres duas quæ acriter defendebantur, igni subjecto in deditionem accepit. De authoribus defectionis capitale supplicium sumpsit. His successibus, magna rursus animorum inclinatio in Regias partes facta est. Præsidente deinde Rege in comitijs Petricouiensibus, aduenit eò Hieronymus Cretensis Archiepiscopus, cuius superiùs mentio facta est, annum ferè totum expectatus, sub finem comitiorum, & ad pacem cum Crucigeris faciedam Regem cohortatus est publicè. Moritur Casparus Episcopus XIV. Pomesaniensis ex familia Pauli Rusdorfij quondam Magistri Ordinis, Die 24. Octob. anno 1463. Ad mandatum Magistri electus erat: vir decrepitus. Post consecrationem & Episcopatum aditum, omnem operam adhibuit colendæ & instaurandæ Regioni: permittebaturq; id facere, cum esset cognatus F. Pauli à Rusdorff Magistri. Non tamen leuia damna bonis eius hæretici Bòëmi intulerunt, cum Prussiam deprædarentur. Illos, etiam suspicio fuit, aggeres Nogati ac Vistulæ perfodisse. Ex tali inundatione Insula Langeualdensis dicta perijt cum pagis & Ecclesijs. Successit ei in Episcopatu Nicolaus Canonicus Regiomontanus. Legatus verò Pontificius Petricouiâ discedens in Prussiam, à præsidio militari Regis iussu ad Magistrum Regiomontum deductus est. Secundæ tunc res erant Polonis in Prussia. Nam præter ea quæ superiùs commemorata sunt, apud Vormditum quod Ornetam Poloni vocant, Pauli Episcopi Varmiensis, qui violata iurisjurandi religione ad Crucigeros desciuerat, milites vnà cum aulicis Magistri præsidiarijs, cùm per proditionem noctu capere id oppidum constituissent, proditi ab illo ipso qui oppidi proditionem ipsis promiserat, & à Ioanne Scalio Præfecto præsidij Regij præparatis insidijs intromissi, ad vnum omnes aut capti aut trucidati sunt, quotquot ingressi erant. Nam qui in extremo agmine fuêre, ne multitudo hostium Polonos pauciores prægrauaret, exclusi & inopinato periculo perterrefacti, in propinquos lacus glacie concretos diffugerunt, ruptaq; fragili etiam tum glacie, demersi periêre. Apud Scampe item oppidum agri Dobrinensis trecenti equites hostiles è præsidio arcis Brodnicensis prædatum profecti ab Vldarico Cieruonca, qui Golubi erat, profligati sunt: ita vt perpauci fugâ euaderent, capti ex his octoginta. Arx verò Slochouia, ne proditione in hostium potestatem veniret, præsidiariorum Pomeranorum operâ seruata est. Vladislaus Castellanus & Præfectus Naclensis illius etiam arcis præfectus erat, eamq; absens Georgij cuiusdam Sculteti nobilis, gente Topori fidei commendarat. Is igitur Georgius, cum prodendæ arcis consilium cepisset, præsidiarios milites quos conatibus suis aduersaturos esse suspicabatur, per speciem commeatûs ex hostico importandi emissos arce excluserat, & (veréne an falsò) non liquet, præfecti iussu id se fecisse dictitabant: nec nisi duodecim & eos quidem Pomeranos, quos minùs suspectos habebat, secum reliquerat. Hi vbi eum pactiones cum hostibus de prodenda arce inire animaduertere siue inuidiâ & auaritiâ incensi, siue officij & fidei suæ memores (nam ne hoc quidem constat) comprehensum eum in fundum turris concluserunt, & fide accepta Præfecto adueni-

Casparus Episcop. Pomesaniensis. 1463.

Clades Crucigerorum Vormditi.

uenienti portas arcis aperuerunt. Sed is violata fide omnes eos capitali affecit supplicio. Quod factum variè suspicandi occasionem hominibus præbuit. His igitur successibus Polonorum moti Crucigeri, pacem afferentem legatum Pontificium cupidè acceperunt. Promiscua verò multitudo cùm virorum tùm matronarum & puellarum belli & penuriæ cæterorumq; incommodorum bellum consequentium pertæsa, lacrymare gaudio ac desiderio pacis legatum Magistratusq; suos supplex obtestari, vt exoptatam eam sibi quibusuis, modò tolerabilibus conditionibus conficerent, ni se prorsus perditum ire vellent. Ibi legatus per interpretem, quemadmodùm proditum est, laudare & confirmare constantiam populi: hortari, deinceps quoq; vt in fide Crucigerorum permaneret: Regem Polonosq; carpere: & cum iniquitatem causæ exaggerare, tùm mores fidei, religionis & humanitatis expertes reprehendere: studium suum erga Crucigeros omnibus modis testatam facere: deniq; certam perpetuamq; pacem aut duodecim duntaxat annorum inducias ipsis, quasi Regem, quo vellet adducturus esset, certò polliceri. Ita confirmatis eius oratione animis omnium, mittuntur cum eo Breste tres legati, ad tractandum de pace cum Polonis, quos eò Rex eius rogatu miserat. Fuerunt autem ij Ioannes Vladislauiensis, Andreas Posnaniensis Episcopi: Stanislaus Ostrorogus Calissiensis, Petrus Oporouius Lenciciensis, Nicolaus Coscelecius Brestensis, Palatini, Sendiuoius Ciechel Præpositus Cenuentus Clodauiensis, Ioannes Dambrouca, Iacobus Schadecus, & Matthias Razianzus Doctores, partim Theologi, partim Iurisconsulti. Ad constitutam diem, hoc est, ad Calendas Maias conuentum, indeq; infectis rebus discessum est, orta inter Polonos & Legatum acerba contentione & iurgio ex huiusmodi causa. Veniebant legati à Ciuitatibus Torunensi, Elbingensi, & Gedanensi: eos legatus Pontificius ingressu oppidi & conuentu prohiberi oportere contendebat, quòd eas Ciuitates simulq; cæteros Prussos, qui cum Polonis sentiebant, ipse siue adeò Pontifex diris deuouisset. Contra Poloni, iniquissimum id esse præiudicium affirmabant, & ab instituta re, alienissimum. Admissi igitur legati, frustrà reclamante legato Apostolico. Mox ille toti oppido sacris interdixit. Verùm id interdictum Poloni contempserunt, orto initio à militibus, qui per speciem supplicationis ob rem benè gestam à suis apud Heilgebeilam, oppidumq; id à Scalio captum ac direptum, facto concursu ad templa, nolarum siue campanarum pulsu festoq; cantu oppidum impleuerunt. Ibi verò furere legatus, vociferari non modò se, verùm etiam Pontificis & sedis Apostolicæ authoritatem contemni. Nec cesſêre furori eius Poloni, grauiter in eum inuecti per Ostrorogum, quòd cùm pacificatoris personam sustineret, nihil minùs quàm paci studeret, sed classicum etiam caneret. Cuius rei clariora etiam documenta proferebantur eius literæ ad Crucigeros à Polonis interceptæ. Ita tunc irritatis animis discessum est. Et quidem legatus Vratislauiâ Regi rescripsit, quòd si Rex agi de pace nihilominus à se vellet, extra fines Poloniæ locum constitueret, quo tutiùs aduersarij venire possent. Et hæc quidem ostentans, Prussos & Pomeranos Vratislauiam Iubilæi gratiâ venientes, in partes Crucigerorum pertrahere omni ratione conatus est, minis etiam intentatis. Misit postea Casimirus ad eum legatos postulatum, vt interdictum siue diras,

ras, quibus Prussi Regias partes secuti in dictâ causâ deuoti erant, relaxaret, & æquiorem se in componenda pace præstaret. Verùm illo nonnisi ad tempus, quoad de pace tractaretur, diras relaxare volente, acceptum id à Rege non est, nec ipse in Poloniam deinceps venit. Corcini posteà quinta die mensis Iulij decreta est contributio senum grossorum ex iugero, itemq; è caupona & molendino tributum pro mercenario milite, quorum aliquantam manum Rex in Prussiam ad capiendam Meuam misit, motus querelis Prussorum, qui minus libera nauigatione in Vistula vtebantur, quòd à præsidiarijs eius arcis & oppidanis infestarentur. Cùm autem Meua egregiè defenderetur ab hostibus, ita vt ij crebrò decurrentes non parùm damni Polonis obsidentibus inferrent, cœpêre Poloni consilium longiore & secura obsidione hostes ad deditionem compellendi. Itaq; nequicquam prohibentibus Crucigeris, circumuallarunt arcem vallo siue sepibus limó oblitis turresq; & propugnacula opportunis locis excitarunt. Nam fluuio ne quid obsessis importaretur Gedanenses classiarij obseruabant, quibus arx illa potissimùm incommodabat. Sed ij dum aliena oppugnant sua vrbe penè exciderunt proditione paucorum ciuium, quorum capita erant Matthias Schimnan Iureconsultus, & Georgius Cocus: qui sub specie remigum & baiulorum è nauibus onera ferentium non paucos iam hostiles milites in vrbem receperant. Nec procul ab vrbe Magister Crucigerorum cum mille quingentis equitibus aberat, vt constituta cum proditoribus die ad tertium Idus Iulij ex improuiso erumperet. Sed detecto ab vno ex coniuratis scelere, euocati in curiam proditores per speciem consultandi de Republica, captiq; & conuicti, capitali supplicio affecti sunt. Schimnani tamen professioni honor habitus est: nam is in custodiam Episcopalis judicis, quem officialem vocant, traditus & Episcopi Vladislauiensis jussu posteà dimissus ad Magistrum profugit. Milites item hostiles in vrbe deprehensi, partim capitis pœnas luerunt, partim in profluentem demersi sunt, partim diuturni carceris molestias pertulêre. Magister verò spe frustratus, ad opitulandum suis Meuæ obsessis animum conuertit, nauesq; viginti, militibus benè instructas Regiomoto emisit, Habo lacu & aduerso flumine Vistula nauigaturas. Sed re cognita, Poloni cum Gedanensibus classiarijs, duodecim tantùm nauibus armatis, vno ab Elbinga milliario hostibus occurrerunt: commissaq; nauali pugna victoriâ potiti sunt. Mille hostes desiderati, capti sexcenti & cum captiuis nauibus, armis & fortunis Gedanum deducti. Id ad quintum decimum Calend. Septemb. actum. Cuius cladis nuncio accepto Henricus Plauenius Commendator Elbingensis & Bernardus Sumbergius, qui cum terrestribus copijs in maiore Insula aduenientem suorum classem expectabant, in diuersum dilapsi sunt. Nec multò pòst Hollandiam oppidum Plauenius in potestatem suam redegit accitus & receptus ab oppidanis, cùm ij præsidiarios Polonorum populatum egressos exclusissent. Arcem tamen Poloni, & duas turres cum porta oppidi ad arcem vergente retinuêre. Nec mora Petrum Duninum à Meuæ obsidione in auxilium accersiuêre. Qui cùm noctu cum equitatu aduolasset, Plauenius cum suis incenso pluribus in locis oppido, raptim sese euoluit. At Poloni restincto celeriter incendio, oppidum recuperarunt, & in nonnullos ciues Capitali supplicio animaduerterunt. Nonis verò O-

Meua obsidetur.

Proditio Gedani detecta.

Pugna naualis.

ctobribus Liuonienſium claſſis eodem conſilio, quo Regiomontana domo profecta, à Regijs qui in præſidio Neideburgi, Paſſenheimi, & Vormditi erant & cum Elbingenſibus ſeſe coniunxerant itidem propè Elbingam profligata eſt, cæſiſq; compluribus hoſtibus, duæ naues maiores cum ducentis militibus & centum equis hoſtilibus captæ ſunt. Hæc eo anno geſta in Pruſſia, quo etiam eodem, incertum tamen num ante vel poſt tentatam pacem inter Polonos & Crucigeros, profectus erat Magiſter Ludouicus cum Epiſcopo Fiſchauſenſi Nicolao, & alijs magnificis, pietatis & deuotionis ergò ad S. Adalbertum ad dedicationem Eccleſiæ. Quos omnes Ioannes Scalius & comites eius Elbingenſes, qui naues ſuas in pago Camſtigal reliquerant, adorti ceperunt. Solus Migiſter fugâ elapſus pedeſter Fiſchauſium redijt. Dominicâ etiam ante natalem Chriſti Poloni Allenſteinium interceperunt. Canonici in arce ſe continentes pro liberatione ſua Magiſtri auxilium implorârant. Mandauit eò militibus proficiſci: quod illi tamen detrectarunt, cauſantes ſolutionem ſtipendij non facti. Quos viciſſim Magiſter negligentiæ accuſauit, dicens: per eos ſtetiſſe, quo minùs Pruſſiam recuperarint. Altercatione hac res finita.

1464. Ante finem Aprilis anni, 1464. Corcini, ſciuerunt Poloni minores in conuentu tributum duodenum groſſorum in jugerum, undè mercenarius miles in Pruſſiam conduceretur, remiſſaq; eſt expeditio. Idem fecerunt poſtea maiores militare ſine illis nolentes: & quod ſecundæ Polonorum res in Pruſſia minimè id requirere videbantur. Nam poſt clades illas hoſtium, quas ſupra memorauimus, continuata à Polonis in alterum annum Meuæ obſidione, obſeſſi ad extremam rerum omnium inopiam ad deſperationem ſalutis ſuæ redacti, cùm inutilem bello multitudinem oppido eieciſſent, & à Polonis ea rurſus in oppidum compulſa eſſet, poſtridie Natalis Chriſti, quæ dies Diui Stephani memoriæ ſacra eſt, arcem ſimul & oppidum dedidêre, vitam & quicquid ſuarum rerum quatuordecim curribus poſſent euehere pacti. Quadringenti milites cum magno Commendatore Vldarico Eiſenhoueno & Nicolao Veiſembachio Bauaro, Ducibus in præſidio fuerunt. Hi omnes Regiomontum à Polonis deducti ſunt. Ex oppidanis Magiſter modò Ciuium & alius quidam Conſul, qui Crucigeris impenſiùs fauerant ſiue eiecti ſiue vltrò exceſsêre, vnius menſis ſpatio ad diſtrahenda bona ſua à Polonis impetrato. Per eoſdem dies Ioannes Scalius Bòëmus Hoënſteinum, quod à Polonis Holſtincum ſiue paruum Olſtinum oppidum Crucigericæ ditionis, ex improuiſo intercepit. Porrò qui Fridelandiæ fuerunt in præſidio milites Crucigerorum, cùm ſibi ſtipendia non ſoluerentur, hoſtiliter direpto & incenſo diſceſſerunt. Bernardus verò Sumbergius eadem de cauſa, & quod valdè acciſas eſſe vires Crucigerorum animaduertebat, cum Rege pactus eſt, vt quæ tunc præſidijs ſuis tenebat, deinceps quoq;, quoad bellum illud maneret, quietus retineret: cum regijs libera commercia haberet. Cum ijs verò qui Crucigericarum eſſent partium, nihil ſibi commune eſſe duceret: bello verò finito, iuſta mercede à Rege accepta præſidia deduceret: munitiones quas obtinebat, Regi redderet. Obtinebat autem Culmam vrbem, Starogradum arcem, Brodniciam item arcem cum oppido. Non mediocriter & illa clades Crucigeros afflixit, quam apud Colbergam oppidum Pomeraniæ acceperunt. Vbi eorum

ſeptin-

ſeptingenti equites periêre. Sic igitur attritis Crucigerorum viribus, placuit Polonis mercenario milite rem eo anno gerere in Pruſſia, præſertim quòd expeditiones publicas nullo ordine, nullaq; diſciplina militari, ſed ſummâ licentiâ conſtantes, ſocijs & amicis magis, quàm hoſtibus damnoſas eſſe animaduerterent: quod neq; Principis imperium ſatis exaudiebatur, & nihilo magis in ſociorum quàm in hoſtium agris à vi & injuria temperabatur. Huc accedebat, quòd Epiſcopus & Senatus Lubecenſis, Polonis iuxta ac Crucigeris conſentientibus componendæ inter bellantes pacis arbitrium ſibi deſumpſerant, etiam tunc aduentabant Gedano, quo nauibus aduecti erant, Torunium, adiunctis ſibi de Roſtocenſium, Viſmarienſium, & Luneburgenſium ſenatu ſingulis: Rigenſium verò ac Darpatenſium binis. Rex verò Breſte Torunium ad diſceptandam atq; tranſigendam cauſam ſuam Pruſſicam miſit Ioannem Lutecum Vladislauienſem Epiſcopum & procancellarium regni: Lucam Gorcanum Poſnanienſem, Stanislaum Oſtrorogum Caliſſienſem, Sendiuoium Lencenicium Siradienſem, Petrum Opporouium Lencicienſem, Nicolaum Coſcelecium Inouladislauienſem, Sciborium Baſenum Culmenſem Palatinos: Caſtellanos Hinciam Rogouium Sendomirienſem, & Nicolaum Ciarnicouium Gneſnenſem: Secretarios Ioannem Dugloſſum ſeniorem, Ioannem Dambrowcam & Iacobum Schadecum: quorum poſteriores duo Iuris Canonici conſulti fuêre: de nobilitate Pruſſica quatuor, Ottonem Maquitium, Matthiam Tolcam, Nicolaum Pilauium & Nicolaum Zialouium De Ciuitatum verò Decurionibus ſiue Conſulibus, Torunenſis quidem quatuor, Elbingenſis autem duos, Gedanenſis verò quatuor & quintum parœcum eius vrbis, candidatum Iuris Pontificij. Porrò à Magiſtro & Ordine Crucigerorum adfuêre Iodocus Epiſcopus Oſilienſis, Henricus Plauenius qui fuerat Elbingenſis Commendator, Gerardus Melengradus Marſalcus Liuonienſis, Georgius Comes Hennebergenſis, Andreas Peper Decanus Darbatenſis, Ioannes Vmbelerus, & Nicolaus Decanus Pomeſanienſis, tres hi Iureconſulti, Guilelmus Eppingenius Oſterrodenſis, & Vilelmus Schundelus Aſſeradenſis in Liuonia Commendatores. De Nobilitate Vlricus Gilauienſis & Ludouicus Lubauienſis Præfecti, duo Conſules Regiomontani, itemq; duo Reualienſes è Liuonia. Inter hos igitur ad quintum Nonas Iulij tractari cœptum, & vno ac dimidio menſe tractatum, ad extremum infecta pace diſceſſum eſt. Conuenerat iam vt Polonus Pomeraniam, Culmenſem, Michalouienſem & Elbingenſem tractum totum haberet, reliquam inferiorem Pruſſiam Crucigeris relinqueret. De Marieburgo intra triginta annos proximos vt iudicio, arbitrio pactóue tranſigeretur: interim autem in poteſtate Regis arx ea maneret. De illis verò conditionibus conuenire non potuit, vt Magiſter ac totus Ordo Crucigerorum in verba Regis Poloni iurarent, ſemperq; deinceps in fide & clientela eius eſſent. Rex verò vt militibus Crucigerorum emerita vndecim annorum ſtipendia exſolueret ijs duntaxat, qui fuerunt in præſidio munitionum earum, quæ ipſi tradebantur. Nam neq; hoc Poloni neq; illud Crucigeri acceptabant. Creditum autem eſt ſiue inuidiâ ſiue maleuolentiâ Brandeburgenſium & Miſnenſium Marchionum & aliorum quorundam Teutonum Principum perfectum fuiſſe, difficiliores vt eſſent Crucigeri, metu offendendi cunctos Ordines

Germaniæ & amittendi ea quæ in Germania possidebant. Et venerant ij in spem potiundi Torunio per proditionem nonnullorum Ciuium, quam Henricus Plauenius, dùm ibi de pace agitur, instruxerat. Soluto igitur conuentu illo Torunensi, bellum instauratur à Rege Breste commorante. Tenebatur Nouum oppidum Pomeraniæ cum arce, Crucigerorum præsidio. Id quoniam in ripa Vistulæ situm est, eam habebat opportunitatem, vt fluminis traiectum liberum hostibus præstaret, Polonis verò nauigationem impediret. Ad hæc ager syluestris abundabat materiâ vallis & machinis faciendis & alijs belli vsibus apta. Id igitur primùm adoriri & in potestatem redigere placuit. Missus eo cum peditatu Thomas siue Thomiez quispiam vir maioris animi quàm consilij. Qui non expectato Dunino & equitatu cum quo se iussus erat conjungere, ad Nouum castra metanus est. Hostes Polonorum paucitate animaduersa, coadunati celeriter è proximis præsidijs impetum in eos fecêre. Quanquam autem non improuisum id Polonis acciderat, tamen vim hostium non sustinuêre. Fugientibus naues Regiæ non procul in Vistula stantes saluti fuêre. Centum aut paulò plures ex omni numero desiderati. Eodem autem die Adam Vilcanouius contractis tumultuariè Neideburgo, cui præerat, & Sarnouiâ militibus, præsidiarios Crucigerorum, qui erant Soldauiæ prædam agentes è Masouia profligauit, prædamq; excussit. Soldauiam deinde Conradus Dux Masouiorum Varsauiensium obsidione cinxit, & per deditionem accepit. Rex verò ignominiâ apud Nouum acceptâ commotus, Ioannem Synouecium & Paulum Iasenium cum aulico suo comitatu eò misit. Duninum quoq; cum Prussis & equitatu & item peditatu recollecto eodem iussit contendere, vt ita munitione potirentur. Nec tamen per vim ea capi potuit, valido præsidio & naturâ loci defendente. Cæterùm obsidio in sequentem annum extracta est. Porrò Puscum Gedanenses, cùm totos sex menses terra mariq; obsedissent, per deditionem in potestatem suam redegerunt. Rursus igitur Crucigeri pacis mentionem iniecêre, siue quò liberiùs Torunij proditionem conficerent, siue reuera pacis cupidi, quòd non admodum lætis successibus tunc vterentur & oppidani agrestesq; atque adeò equites quoq; cum jurgio defectionisq; denuntiatione pacem flagitarent. Missus eam ob rem à Rege Ioannes Duglossus in Prussiam, cum gubernatore & primoribus trium Ciuitatum, apud Marieburgum & Stumam colloquia habuit. Et videbantur Cruciger ri accepturi esse conditiones illas, quæ ipsis Torunij latæ erant. Postulabant autem vt Rex primores consilij sui cum summa potestate Marieburgum ad conficiendam pacem mitteret. Verùm id propter pestem in ijs locis grassantem factum non est. Henricus verò Plauenius instructa, vt supra dictum est Torunij proditione, cum mille armatis noctu ad vrbem accessit secundùm flumen, qua parte, auersa ab hostibus, securiores erant oppidani atq; vigiles. Iamq; præteritis piscatorum suburbanis domicilijs & antemuralibus superatis, taciti scalas mœnibus admouebant hostes, cùm à vigilibus illuscescente iam aurora animaduersi, & strepitu clamoreq; tumultuantium & concursantium deterriti, relictis scalis, cœpto irrito raptim sese recepêre, veriti ne loci iniquitate & eruptione ciuium oppimerentur. Tametsi ita consternata erat inopinati periculi obiectu Ciuitas, vt magis ad fugam quàm ad arma

cuncti

cuncti ſpectarent: potueritq; vrbs capi primo impetu, ni fortuna ipſius ſeu potius propitium numen hoſtibus pauorem iniecisſet. Sed non multò pòſt ijdem meliore fortuna vſi ſunt apud Carniſſinum Maſouiorum arcem, tametſi non diuturna ea fuit. Mox enim Maſouij interceptam arcem circumuallarunt, priuſquàm hoſtes commeatum importarent. Itaq; ſtatim eam per deditionem recuperarunt.

Sequenti anno qui fuit, 1465. Poloni variâ fortunâ vſi ſunt in Pruſſia. A quibus cum Nouum arcta obſidione premeretur, Caſpar Noſtiuicius laturus obſeſſis opem, ſexcentos equites & quadringentos pedites mercenarios è finitimis Poloniæ & Pomeraniæ locis adducebat exiguo ære ſubaratos, Choiniciæ verò luculentum ſtipendium ſe ipſis numeraturum eſſe pollicitus. Eorum non paucos hyemis aſperitas partim confecit in itinere, partim debilitatos ſubſiſtere còëgit. Reliqui verò cùm perueniſſent Choiniciam nec ipſis numeraretur promiſſum ſtipendium, frementes dilapſi ſunt, Polonis qui ad arcendos eos è compluribus præſidijs conuolarant non inſectantibus diſcedentes. Qua re cognita obſeſſi Calendis Februarij Magiſtro nequicquam deprecante, & auxilium pollicente, oppidum dedidère: & liberè permiſſi abire, quo vellent, quinquaginta tribus curribus res ſuas aſportarunt. Non quieuit & Magiſter. Quam enim circa ſe habebat manum in territorium Gedanenſe ſiue Inſulam minorem immittens, acerbè eam ferro & igni diuexauit, prædamq; ingentem Stargartam importauit, quo rectiùs ibi ſui Polonorum obſidionem, quam expectabant, ſuſtinerent. Cùm autem Polonis non ſoluerentur emerita ſtipendia, Nouo recepto, dilapſi Poloniam latrocinijs infeſtare cœperunt. Et pars quidem eorum nonnulla Dobrinenſem montem Viſtulæ imminentem Duce Mikeſſe quodam occupauit. Mons verò Dobrinenſis propterea quòd permagnam habebat opportunitatem incommodandi Polonis, ſi ab hoſte occuparetur, Nicolai Zialinij præſidio firmatus eſt, collatâ publicè in ſtipendium pecuniâ. Quæ res tardiùs animaduerſa, tam malè habuit hoſtes, qui erant in præſidio Neumarci, vt rixarentur inter ſe alius in alium culpam neglectæ commoditatis reijcientes. In qua rixa duodecim ex ipſis deſiderati eſſe dicuntur. Hæc per hyemem geſta in Pruſſia.

Ad duodecimam diem Maji Rex ad Comitia Corcinum venit. Quindecim diebus in conſultando conſumptis, placuit vt majoris Poloniæ Nobilitas in Pruſſiam expeditionem ſtatim faceret, Choiniciam circumuallaret, donec mercenarij milites, quibus deinceps eo anno res gereretur, conuenirent, eamq; ob cauſam illi ipſi majores Poloni ſenos tantùm groſſos, cæteri verò alterum tantum in emerita iuxta ac deinceps merenda ſtipendia ante medium menſem Iulium conferrent. His conſtitutis Cracouiam ſe Rex recepit. Aduenerunt eò Pruſſorum legati Gabriel Baſenus Palatinus Culmenſis ac trium Ciuitatum ſinguli Conſules: narrantes Nobilitatem & primores Ciuitatum Crucigeris ſubiectarum apud Neringam peninſulam, quæ Habum lacum à mari diſterminat conuentum ſecum habuiſſe, pacem impensè cupere & quaſuis tolerabiles conditiones non abnuere. Exhauſtos enim penitus, ad extremam miſeriam redactos eſſe tàm diuturno bello. Poſtulabant igitur, vt Rex gubernatori cum conſilio poteſtatem pacis conficiendæ faceret. Id Rex cum conſilio ſuo collocutus, negauit. Spem

 modò

modò pacis illis facere, tempusq; & locum de ea tractandi constituere eos iussit. Tractationem verò & arbitrium pacis consiliarijs Regni, quos ad eam rem in tempore missurus esset, reseruauit. Cum his mandatis Prussi dimissi, liberaliter à Rege donati sunt. Interim quidam Magnates Bòëmiæ, quorum Princeps erat Vladislaus Damoborius Castellanus & Præfectus Naclensis, bellum Regi & Polonis inferre ob non soluta sibi belli stipendia in Prussia merita, cogitabant. Angebat ea res Regem, vt quæ maximè: dolebat respirationem animosq; reddi Ceucigeris, quos iam ferè desponderant. Sed hoc negotium facilè est consopitum. Nam iussi sunt rebelles, veniam deprecati, & acceptis stipendijs, Stargartam oppugnare, sub signis Pauli Iasenij. Interea res Crucigerorum in Prussia paulò meliore loco esse cœperant Nam & in Masouiensem agrum Duce Menzico Bòëmo Soldauiensi Præfecto excurrentes, Nobilitatem eius oræ fiduciâ multitudinis incautiùs in se irruentem in insidias induxerant, & non contemnenda strage apud Cechanouiam prufligarant,& naues Torunensium atq; Gedanensium multis mercibus onustas apud Quizinum siue Marieuerderum acceperant, & ad Dersauiam Nobilitatem Prussicam, quæ in præsidio eius oppidi erat (cùm ad pugnam direptione suburbanorum elicuissent) contectis equitatu peditibus, re inopinata perturbatam, sex hominibus cæsis, octoginta captis, in vrbem repulerant, & apud Meuam quinq; & quinquaginta præsidiarios milites comportandi ex agris commeatûs causâ egressos, & ab aratoribus damno affectis proditos, Stargartâ effusi, intercluso ad oppidum & arcem reditu, viuos acceperant, & postridie eius diei arcem, cùm ex interceptis literis vacuam esse præsidio didicissent, oppugnarant: cepissentq; adeò ni Martinus Brzenius Nobilis Prussus cum paucis strenuè eam defendisset, subeuntemq; hostem supernè coniectis lapidibus remoratus esset, donec periculo cognito sexaginta equites Marieburgo & septuaginta pedites Gedano missi aduenêre. Ibi tunc hostes recessêre suburbanis direptis. Sed nihilominus omnem eam oram vsq; ad Gedanensium suburbana subitarijs excursionibus subindè infestabant. Excurrerant & in ditionem Henrici Stolpensium Pomeranorum Ducis trecenti equites, quod is tunc vnà cum Episcopo Camenensi cunctisq; suis denuò socius & fœderatus Regis factus erat. Sed ibi minùs prosperâ fortunâ vsi, profligati à Duce ac deleti sunt perpaucis viuis seruatis: & in carcerem compactis. Cùm igitur è Stargarta potissimùm ij qui Regiarum erant partium in Pomerania infestarentur, eò duxit Iasenius exercitum iussu Regio, duabusq; turribus excitatis ad oppidum id obsedit, ita vt pateret nihilominus obsessis liber exitus & reditus. Quo factum est, vt Iasenius eorum insidijs exciperetur. Sexaginta enim equites clàm vrbe egressi, cùm sub vesperam Polonorum specie & habitu assimulato ad mœnia accederent, contraq; ij qui in oppido erant, ex composito erumpentes quasi in hostes impetum facerent, Iasenius fortè tunc obequitans rem conspicatus, mittit ad eos qui Polonorum speciem ptæseferebant, vnum de suis comitibus sciscitatum quinam essent? Respondent illi, se Dersauienses esse & ex hostico reuerti. Id verum esse credens Iasenius, gratulabundus ad eos procurrit comprehensusq; cum duobus comitibus in oppidum ductus, & in custodia asseruatus est. Tantaq; hostes eo capto lætitiæ signa dederunt, tympanorum nolarumq;
crepi-

crepitu ac ſonitu vt debellaſſe ſibi viderentur. Sed vana fuit hæc exultatio. Extemplò enim Gothardus Radlinius in locum eius ſuffectus à Polonis obſidionem continuauit.

Intereà verò conuentum rurſus à Polonis in Neringa cum Crucigeris pridie Calend. Septemb. ac de pace tractatum quinque dies arbitro Paulo Varmienſi Epiſcopo electo qui neutrarum erat partium. Sed re infecta diſceſſum eſt. Illud modò conuenit Magiſtro poſtulante, vt poſt alterum menſem denuò eodem in loco vel inter Marieburgum & Stummam conueniretur, ea quidem lege, ne quam Marieburgi mentionem Crucigeri facerent. Tametſi recipiebant ij, ſi Marieburgum ſibi redderetur, ſe cum tota Pruſſia & Liuonia in fide & clientela Regis Poloni fore, & non contemnendam pecuniam continuatis aliquot annis ei annumeraturos eſſe. Verùm non accipiebant Poloni hanc conditionẽ, ſiue quòd permagno ſibi arx ea conſtitiſſet empta à militibus: ſiue quòd inde perfacilè Crucigeri, quauis leui occaſione arrepta, bellum renouaturi eſſe viderentur, quòd & permunita & peropportuno loco ea ſita eſſet. Sic igitur è Neringa diſceſſum tunc eſt. Conuentum deinde Regiomonti Magiſter habuit. Vbi cùm Nobilitas & Regiomontani ciues grauis ac diuturni belli pertæſi, non ſolùm ei ſumptus in bellum deinceps negarent, verùm etiam niſi pacem cum Polonis faceret, ab eo ſe defecturos ſignificarent, ſex & viginti ex eis quos maximè aduerſari voluntati ſuæ cognouerat in arcem euocatos comprehendi, & ſex primarios interfici iuſſit: cæteros verò per præſidia diſtribuit aſſeruandos, donec prægrandi ære ſe redimerent. Nec poſtea quenquam ad conſtitutum cum Polonis conuentum miſit. Nec tamen intereà de belli ſtudio curaq; vtrinq; remiſſum quicquam fuerat. Cuius tota ferè moles ad Stargartam ſeſe collegerat, Polonis vt ſupra memoratum eſt, oppidum id obſidentibus; hoſtibus verò nauiter & impigre defendentibus, ita vt anguſtiore propè annona obſidentes, quàm obſeſſi vterentur: propterea quòd è vicinis agris nec frumentari neq; pabulari Poloni poterant, omni frumento & pabulo cum re pecuaria tempeſtiuè in oppida è remotioribus quoq; locis comportato & coacto. Excipiebantur autem ab hoſtibus, qui circumiacentia oppida, nimirum Choiniciam, Fridlandiam, Hamerſteinum, Bythouiam, Lemburgum, Oſecum, Keiſſouum præſidiis tenebant. Quo factum eſt, vt Gothardus Dux exercitûs cum non exiguo expeditorum militum numero, comparandi commeatus cauſa Derſauiam proficiſci neceſſe haberet. Id vbi obſeſſi è transfuga quodam Gedanenſi cognouère, eruptione facta caſtra ſemiuacua oppugnarunt. Sed ea noſtri egregiè defenderunt, ita vt eos longè ſuperantes multitudine quater vallo ac turribus ligneis magno cum impetu ſuccedentes, vix tandem permultis amiſſis, longè pluribus ſauciatis, in oppidum recipere ſeſe cogerent. Nihilo tamen minùs infeſtabant ij deinceps quoq; vias, & ne quid rerum venalium in caſtra Polonica importaretur, prohibebant: interq; occurſantes ſibi mutuò particularia certamina committebantur. Quin cum bruma quoq; ac intemperie cæli hyberni Polonis confligendum fuit. Sed vicit omnem eam difficultatem ipſorum conſtantia, ne ab obſidione diſcederent. Quæ quidem in ſequentem æſtatem vſq; perdurauit.

Anno inſequenti, 1466. poſt medium Ianuarij, Archi-epiſcopus Gneſnenſis Synodum apud Lenciciam habuit. Ibi decretum eſt ſub- 1466.

sidium Regi ad bellum Prussicum è tributo Sacerdotum. In Cracouiensi quidem Diœcesi senum grossorum: in cæteris verò duodenum in marcam argenti secundùm vsitatam æstimationem siue Palem vt vocant, taxam. Mense Februario Liuones septingenti equites pariter & pedites Crucigeris suis in Prussiam suppetias euntes, cùm Samogitiam attigissent, nec progredi per sylvas possent, impeditâ à Samogitis deiectione arborum locis opportunis viâ, versùs mare iter instituêre. Quòd Samogitæ euenturum cùm præuidissent, foueas prealtas iam antè ea in parte foderant, sarmentisq; contexerant. In eas igitur Liuones inedia, frigore & pauore vrgentibus, imprudentes præcipitati contrucidati sunt. Pauci cùm ex insidijs ad lacum euasissent, rupta facilè glacie nihilominus periêre. Duo tantùm ex toto numero viui seruati: è quibus cognitum est, quadraginta naues refertas militibus è Germania in Prussiam nauigantes, non ita multò antè naufragio periisse. Ijsdemq; diebus Paulus Episcopus Varmiensis cùm animaduerteret res Crucigerorum inclinatas esse, & à pace tamen eos abhorrere, partium Regiarum se deinceps fore professus, arcium & oppidorum suorum adeundorum potestatem fecit Regijs militibus, qui Passenheimi, Neideburgi & Vormditi in præsidijs erant, vt non solùm ea tuerentur sed etiam communem iam hostem indè infestarent. Quæ res Magistro peracerbà accidit magisq; seriò deinceps is de pace cogitare cœpit. Ad medium Mensis Martij Rex Petricouiæ comitia habuit: ibi duodenum grossorum in iugera tributum scitum est. Affuêre autem legati Prussorum, petentes vt Rex Mariebur-gum cum aliquantis copijs quàm primùm veniret, hac ratione facillimè bellum confecturus, quòd pleræq; Ciuitates subiectæ Crucigeris ad eum defecturæ esse dicerentur. Et eius rei causâ binorum grossorum pensionem & accisam, vt vocant, in annum ei deferentes. Itaq; peracto quindecim diebus conuentu Breste Rex Archiepiscopo, Vladislauiensi Episcopo, Pomesaniensi & Siradiensi Palatinis, & Petro Gaio Callissiensi Castellano occurrentibus ac deducentibus contendit.

Per id tempus Ioannes Scalius cum aliquanta manu præsidiariorum equitum & peditum Melsaccum Capituli Varmiensis oppidum Crucigericarum partium intercepit, militesq; sexaginta qui erant in præsidio viuos in potestatem suam redegit. Intercepit verò oppidum hac arte. Quatuor currus cereuisia Gedanensi oneratos Heilsbergam misit. Quos, dum non longè Melsacco essent, præsidiarij rapiunt, & ad oppidum deducunt. Altero die Paschæ dum ijdem de præda bibunt largiùs, & inebriantur, quod futurum sperabat Scalius, nec excubias agunt, nocte cum quingentis militibus Borea flante ferociter, intercepit oppidum. Iamq; omnes plateas & forum occupauerat, necdum tamen quispiam eius præsentiam sentiebat. Perturbauit Meelsacci occupatio Magistrum, vt quæ res maximè, ita vt de Regiomonto is iam periclitari videretur. Certior enim factus erat Gedanenses transportatis classe copijs, Sambiam adoriri & infestare statuisse eoq; copias & ipse suas Regimontum contraxerat, quas hostibus opponeret. Ex his itaq; tria millia peditum pariter & equitum Henrico Plauenio Duce celeriter ad recuperandum Meelsaccum misit, ratus Polonos paruo præsidio relicto inde discessisse. Et verò non ignorans eos rebus præsertim secundis securos esse solere, ita vt qua id arte quaq; facilitate cepis-

Meelsaccum captum.

cepissent, eadem rursus amittere posse viderentur. Plauenius igitur silenti agmine profectus nocte intempesta oppidum diuersis quatuor locis aggreditur. Iamq; vnâ portâ refractâ, signa inferebat. Sed cùm Poloni partim aduersi nauiter obsisterent irrumpentibus, partim supernè in subeuntes saxa dejicerent, ducentis amissis, in tutum se recepit. Postero die ut acceptam ignominiam corrigeret, fremens frendensq; ad Holandiam duxit. Verùm ibi quoque nihilo meliore fortuna vsus, plures etiam milites amisit. Nec magis prospere tunc erant res Crucigerorum in Pomerania. Fortè etiam ij qui Vartenburgi in præsidio fuerunt hostes cum Polonis, qui Resselium tenebant congressi, non leui strage profligati sunt. At Ludouicus Magister, quoniam magnam earum cladium partem Pauli Varmiensis Episcopi transitioni ad partes acceptam ferebat, vt eum vlcisceretur, cum sexcentis equitibus ac totidem peditibus agros oppidorum eius, Braunsbergæ, Vormditi, Heisbergæ, Resselij, Guttstadij, & Meelsacci percursat, & segetes conculcat, non sine acerbo dolore oppidanorum & fremitu in Episcopum, quòd cùm pacati in medio belli strepitu ad eam ipsam diem fuissent, transitione eius ad Regem irritatis Crucigeris, hostilia pati cogerentur. Erat quidem in præsidijs eorum oppidorum & aliarum vicinarum munitionum non exiguus Regiorum militum numerus, cum Adamo Vilcanouio, Ioanne Scalio, & Ioanne Zaco: sed, exacerbatis præsenti & insueta calamitate oppidanorum animis, mœnibus ij sese continebant, veriti ne prodeuntes excluderentur. Increpiti verò Regijs literis atq; nuncijs: prodiêre tandem constituto ad conueniendum loco. Quo cognito Magister Bartensteinum se cum copijs suis recepit. Ibi Poloni vicissim liberiùs hostiles agros peruagati segetes & ipsi conculcarunt, & in villas igne desæuierunt.

Meelsaceum defensum.

Varmia vastatur.

His diebus Casimirus Rex cùm accepisset literas à Rudolpho Episcopo Lauantinensi, qui scribebat, se venire legatum à Pontifice Max: ad componendam pacem inter ipsum & Crucigeros, misit ad eum Vratislauiam, vbi substiterat, Ioannem Duglossum, indicans pacem se non abnuere, modò ille bona fide pacificatorem sese interponeret, neq; imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum, qui Regi, ac si filius eius esset, operam suam pollicitus, cùm ad Crucigeros profectus esset, redemptus ab ijs calice aureo, Cretensis, vt est in prouerbio, Cretizauisset, bellumq; non modò non restinxisset, verùm etiam vltrò iam ferè conquiescens resuscitasset, cùm alijs factis & improbis ac versutis consilijs suis, tùm quòd Prussis Regiarum partium interdictum non relaxasset. Si nihil eorum hic haberet in animo, veniret bono omine, fauere se ei, vt præclaram compositæ pacis gloriam referret. Prolixè ille omnia pollicitus est, se dissimilem Cretensis illius fore. Inter Fridericum quoq; Imperatorem & Matthiam Regem Vngarorum non ita pridem pacem se fecisse, in eaq; conficienda incorruptum se perstitisse, ita vt incusaretur ab Imperatore, quasi homo Germanus in Vngaros quàm in suos propensior fuisset.

Venerunt ijsdem diebus ad Regem Sciborius gubernator Prussiæ & Gabriel Palatinus Culmensis Baseni fratres, cum legatis nobilitatis Prussiæ & trium Ciuitatum, orantes, vt Rex Marieburgum tandem accederet, & tàm diuturno bello quo ipsi penitus iam exhausti essent, finem imponeret. Fore enim, cum eò accesserit, ipsiq; hostium

Metropoli Regiomonto propiùs bellum ostentarit, vt ad eum Ciuitates quædam deficiant, & Crucigeri ad quasuis conditiones pacis perducantur. Repetebant & priora postulata de Marieburgo & alijs arcibus fidei suæ committendis. Non debere minùs certam & probatam esse Regi fidem suam, quàm externorum: minore autem impendio eas arces seruari à se posse quàm ab externis, quorum insatiabili auaritiæ explendæ, neq; ærarium neq; facultates suæ sufficiant, & verò negligi propter eos culturam agrorum. Hæc voce & gestu asperiori exaggerantes, addebant minas: nisi ratio precum suarum duceretur, fore vt aliter sibi prospicere cogerentur. Offendit ea legatio Regem & quotquot ipsi aderant in consilio, quòd quorum vindicandorum causâ tantùm tum sanguinis profunderetur, ij liberatoribus suis etiam leges ferrent. Sed dissimulata temporis causâ offensione, comiter eis responsum est: Regem maturè affuturum esse Marieburgi ibiq; de illis, & omnibus rebus cum Prussis constituturum: ante messem autem cum exercitu eò proficisci commodè non potuisse propter annonæ & pabuli penuriam. Ita dimissis Prussis Rex Inouladislauiam profectus est, quò magis accelerarent iter milites, cùm Regem in itinere esse audirent. Bydgostiam deindè Rex peruenit, vbi de Slochouiæ arcis interceptione nuntium accepit. Itaq; vt faciliùs eam recuperaret, propiùs exercitum admouit. Hostes qui Stargartæ in præsidio erant, vbi cognoverunt Regem in ea ora tunc bellum gerere decreuisse, diuturna obsidione defatigati, & fame iam laborantes, relictis rebus omnibus, quà patebat exitus, noctu silenti agmine excessêre: & equites quidem sparsim Choiniciam contendêre, parumq; abfuit, quin in mercenarios Regis milites, qui cum Felice Panieuio ad Choiniciam præmissi erant, inciderent. Pedites verò in Zantirum vicum se recipêre templumq; Vistulæ imminens, vndè nauigantes infestarent muniuêre. Postero die oppidani dilapsis defectionis authoribus, compotes sui facti, Gothardo Radlinio sese dedidêre: quo nuntio exhilaratus Rex, alacrior ad obsidendam Choiniciam comitatum suum aulicum Dunino & Synouecio Ducibus misit. Quibus & Proceres, qui aderant Bydgostiæ suos comitatus adiunxerunt: ipsi Bydgostiæ cum Rege manserunt. Interea Sclochouiam Rex fortuna adiuuante, sexto, posteaquam amiserat, die, recuperauit. His cognitis Fridelandenses & Hamersteinenses, eiectis hostium præsidijs, Regi sese & oppida sua dedidêre: qui propter sæuitiam & asperitatem præfecti sui Vladislai Damoborij Castellani Naclensis defecerunt. Deiecerunt hæc magnoperè Magistri & Crucigerorum animos, qui in spem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine & munitione Marieburgo non multùm cedit, venerant, & Germanis Principibus à quibus ad eam diem vanis auxiliorum promissis lactati erant, inter se diffidentibus, nihil spei sibi reliquum esse in posterum videbant: metuebantq; ne id quicquid haberent reliqui in Prussia per vim aut voluntariam deditionem Prussorum amitterent. Itaq; conuentu Regiomonti habito, cùm non satis tutum esset aliorum cuiquam pacis mentionem facere, nonnullis ob id, quemadmodum superiùs dictum est, supplicio affectis, primus ipse Magister Ludouicus sententiam dixit, in quam ab omnibus itum est: nimirum, vt pax cum Polonis conficeretur: si minùs æquis, at tolerabilibus duntaxat conditionibus. Missusq; è vestigio ad Regem Bernardus Sumbergius, tempus locumq; de pace habenda petiuit. Nihilo ferociorem secundæ res

Regem

Regem fecerant, & iam ante oſtenderat legato Apoſtolico non abhorrere ſe à pace. Sed non placebat ei tamen, inconſultis ſuis cum hoſte quicquam conſtituere. Ad quintamdecimam ergo diem iuſſus redire Sumbergius, reſponſum accepturus. Eo ſic dimiſſo, cœpit mox Regem finiendi belli cupidum pœnitere, quòd rem integram ad Pruſſorum arbitrium retuliſſet. Poſſe enim eam infici Itaq; mutatâ ſententiâ miſſi ad Sumbergium, qui aſſentiri Regem eius petitioni indicarent, locumq́; ac tempus certum colloquii cum eo conſtituerent: Indeq́; rectà Marieburgum ad conuentum Pruſſorum ire pergerent, cauſas mutati conſilij Regij, de eo quòd is Marieburgum, vt promiſerat, non veniret, redderent, de tempore & loco conſtituti colloquij certiores eos facerent, & ad id colloquium inuitarent. Conuenit, vt ad diem natalem DEi matris Mariæ Rex Torunij, Magiſter cum ſuis Culmæ eſſent: ij verò qui de conditionibus collocuturi ac tractaturi erant Culmſeæ, medio ferè vtrinq́; ſpatio conuenirent. Accitusq́; eſt ad eam rem Rudolphus legatus Pontificius. Nihilo tamen ſegniùs continuabatur obſidio Choiniciæ. Et quo celeriùs ea operibus circumuallaretur ſpesq́; omnis auxiliorum & facultas euagandi obſeſſis præcideretur, euocatæ à Rege è maiore Polonia & Cuiauia operæ ac ruſticani homines cum ligonibus, ſecuribus, & eiusdem generis inſtrumentis, non parcebant diurno ac nocturno operi. Nec leuiter autem ad id extimulabat Polonos obſeſſorum, qui ferè Sileſij erant, ferocia, eò pertinaciori quò minùs eis aduerſùs progenitores ſuos Polonos quàm Crucigeris & Germanis conueniebat. Neq́; verò leue momentum addidit Henrici Stolpenſium Ducis perfidia. Qui cùm Bydgoſtiam ad Regem illis diebus veniſſet, & cùm omnia ſocij & fœderati officia tum operam ſuam efficacem ad conficiendam deditionem Choiniciæ Regi ſanctè pollicendo detuliſſet, honorificè habitus, donatus, dimiſſus & Choiniciam profectus, longè diuerſum egerat. Indeq́; diſcedens, miſſo denuò, Choinicienſes Præfectos nuntio Sacerdote quodam, non Regi ſed ſibi Choiniciam tradi aliqua mercede poſtulabat. Verùm is Sacerdos excuſſus à Polonis, ad oppidum admiſſus non eſt. His igitur de cauſis feſtinabant & ſatagebant Poloni. Et faciebant eis potiundi ſpem, quòd nullo flumine importari in oppidum commeatus poterant. Rudolphus legatus ad viceſimam ſextam diem Auguſti Torunium paucis poſt Regem horis venit. Crucigeri aliquamdiu expectati ſunt, quòd legatum in Sileſia impeditum, non venire acceperant. Interim is die Natali Mariæ, Rege cum primoribus ſuis præſente, apud ſodales Franciſcanos, ritu ſolenni ſacra fecit. Poſtridie verò mandata Pontificis expoſuit, Regemq; ad pacem cohortatus eſt. Reſponſum eſt: Regem, quamuis iuſtum bellum ſatis proſpero ſucceſſu gereret, victoriamq; penè in manibus haberet, facilem tamen fore ad faciendam pacem, & in æquis conditionibus acquieturum eſſe. Ubi Magiſter quoq; cum ſuis aduenit, placuit apud Neſſouiam potiùs quàm apud Culmeſeam conventum agere ſub papilionibus. Nam Torunium Crucigeros intromittere Polonis viſum non eſt, ſuperioris temporis periculis admonitis. Per eos dies hoſtile præſidium, quod Zantyri erat à Somecio & Petro Rabilino Burgrabio Marieburgenſi expugnatum eſt. Ad medium verò Septembris apud Choiniciam cùm ex oppido erupiſſent hoſtes, commiſſo cum Polonis prælio, in oppidum reiecti ſunt. Nec multò pòſt prandentibus Polonis rurſus erum-

erumpentes, cùm aliquot horis strenuè dimicassent, multis amissis terga verterunt. Instare Poloni fugientibus. Hostes veriti ne cum suis Poloni simul irrumperent, clausis celeriter portis, permultos de suis excluserunt: qui partim cæsi, partim capti, partim cùm in fossam aquis plenam armati sese præcipitassent, submersi sunt. Nec multò pòst Poloni sagittis ignem jaculati noctu oppidum incenderunt, ita vt quarta pars eius cum frumento conflagrarit. Quo victa tandem est hostium pertinacia, missisq; in castra Vldarico Eisenoueno magno Commendatore & Ioanne Zalio vitam fortunasq; pacti, neq; vnquam contra Polonos arma se sumpturos esse sanctè jurati, redditis, receptisq; vicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidum cum bombardis & omni apparatu ac instrumento bellico ad quartum Calend. Octob. dediderunt, & lacrymantes Lemburgum profecti, post octauum diem illud quoque oppidum atq; Bythouiam Henricio Stolpensi, acceptis ab ipso octo millibus florenorum, captiuisq; receptis, reddiderunt. Victor exercitus Torunium ad Regem veniens, facta mutua gratulatione benignè & liberaliter habitus est. Choiniciam Rex impunitate donauit, quamuis cuncti solo æquandam esse suaderent. Iisdem diebus mons Nesco supra Vucram amnem, quem hostes præsidio firmarant, profligatis quadraginta militibus, qui inde in Masouiam populabundi excurrerant, à comitatu aulico Conradi Ducis expugnatus est. Hæc nuntiata Crucigeris, incredibilia videri primò terrendiq; sui causâ à Polonis conficta. Sed vbi vera esse comperêre, pronioribus animis ad pacem inclinari cœpêre: veriti ne Prussia cuncta à se deficeret. Itaq; Magister Ludouicus Torunium cum trecentis equitibus pacis conficiendæ causâ profectus est. Post multorum igitur dierum colloquia, tractatusque cum Polonis habitos, legato Pontificio summa fide, cura, studioque adnitente, & Rege nihil de sua facilitate remittente, & peste quæ Torunij inualescebat, celerem discessionem suadente, tandem decima nona die Mensis Octobris, optata diu pax confecta, in scriptum redacta: legati ac trium tabellionum manibus subscripta: à Rege Magistroque Torunium accito & vtriusque consiliarijs obsignata est, & in domo publica quam Geldam vocant Rege & Magistro cum suis congregatis, à Legato quidem Germanicâ à Vincentio verò Kelbessa Secretario Regio Polonicâ linguâ publicata, & vtriusq; partis assensu & solenni jurejurando approbata est.

Pacis conditiones.

1. His autem conditionibus ea conuenit, vt Polonus Culmensem & Michalouiensem ditionem & Pomeraniam omnem; ad hæc Marieburgum, Stumam, Christiburgum, Elbingam ac Tolckmittam arces & oppida cum suis territorijs & munere syluatico quod Waltampt Teutonicè vocatur, & sex pagis qui ad arcem Hollandiam pertinuerunt, iure sempiterno obtineret: Neringam item peninsulam, exceptis duobus pagis cum prædio, qui Crucigeris propter commodiorem in Habo lacu piscationem relicti sunt. Reliquum quicquid est in Prussia, vt Magister cum Crucigeris sibi haberent, ea quidem lege, vt semper sint in fide & clientela Regum Polonorum idq; solenni iurejurando quicunq; Magister Ordinis deinceps vnquam creatus esset, intra sextum mensem per se ipse ad Regem veniens profiteretur: seruaturus omnia quæ tunc conuenissent, neq; vlla tergiuersatione aut relaxatione cuiusquam sine absolutione à iurejurando, ne vltrò quidem oblata vsurus: essetq; is Princeps & consiliarius Regni, & ad læuam

2. (margin, beside "bo lacu piscationem")

3. (margin, beside "sint in fide")

4. (margin, beside "lata vsurus")

Regis

Regis primum locum in consilijs & consessibus publicis haberet. Primi quoq; Commendatores, quos Magister ederet, vt & ipsi consiliarij Regis essent: atq; ita Magister, Ordo, ac tota Prussia & quicquid ij postea bello vel quouis alio modo de Barbaris quærerent, cum Polonia arctissimo vinculo coniungerentur, & in vnum corpus coalescerent, neq; cuiusquàm omninò in terris, præterquam Regis Poloni Maiestatem, authoritatem ac Iurisdictionem (salua Pontifici Max. ecclesiastica sua Iurisdictione) agnoscerent. Ei verò contra quemuis 5.
hostem adessent, nec eum in aduersis iuxta ac in prosperis desererent.
Ad professionem Ordinis, vt pateret aditus Polonis & alijs Regiæ di- 6.
tionis hominibus, dummodò ij dimidia parte Teutones ne excederent, eorumq; etiam in Magistratibus & curationibus mandandis ratio haberetur: Magister verò ne Rege inscio quauis de causa amoueretur.
Quòd si quæ munitiones intra fines vtriusuis ab altero adhuc tene- 7.
retur, vt ante octauum Calend. Iunias bona fide redderentur: sin à quoquam alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, ven- 8.
ditiones, & aliæ quæuis alienationes bonorum ab occupatore incommodo ac damno alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profu- 9.
gis & exulibus equestris Ordinis possessiones ademptæ, vt restituerentur. Plebeijs verò eæ modò quæ ante initium conuentus illius venditæ non essent. Cæterùm pro venditis liceret pretium renumerare. Omnibus autem vt perduellionis ac defectionis noxa remitteretur.
Culmensis Ecclesia amotis religiosis Crucigeris, vt ad ius matricis suæ 10.
Gnesnensis Metropoleos rediret, eiusq; Episcopatum Vincentius Kelbassa, simulq; Pomesaniensem haberet. Eo verò mortuo Pomesanien-
sis Ecclesia in Crucigerorum ditionem recideret. Arces, oppida, pa- 11.
gi, & quæuis loca Ecclesiastica vtrinq; suis Ecclesijs redderentur. Ca- 12.
ptiui item vtrinq; dimitterentur: Viæ publicæ vt essent liberæ mo- 13.
re veteri. Telonia siue portoria noua ne qua vtrinq; alteris impera- 14.
rentur. Hæc ita rata firmaq; esse, vt omnes Episcopi, Duces, Palatini, Castellani, Commendatores, equites, Ciuitates jureiurando interposito juberent. Et quamuis authoritate legati Pontificij confecta, constituta, & stabilita essent, mitterent tamen nihilominus Rex & Magister Oratores ad Pontificem, & ab illo approbari & confirmari pacta illa cum omnibus conditionibus peterent, adiectis in violatores pœnis. Hunc igitur tunc exitum bellum Prussicum tredecim annis variâ fortunâ gestum, habuit. Omnibus ritè peractis, ad Ædem Virginis Matris nomine nuncupatam itum est, Deoq; actæ gratiæ. Reliquum diei festis epulis & conuiuijs datum. Rudolphus legatus, tam pulchræ pacis confectæ, meritam apud omnes laudem tulit: qua contentus, amplissima dona à Rege missa refutauit. Consiliarij modò Regij titulum honoremq; cum pensione siue salario ducentorum florenorum in singulos annos, quoad viueret in salinis Bochnensibus attributam accepit, & Vratislauiam se recepit. Magistro item Ludouico & ijs qui cum eis erant primarijs viris Henrico Plauenio, Gerardo Melengrado, Guilelmo Eppingo, Vldarico Regiomontano, Bernardo Sumbergio, Georgio Gliuenio ac duobus Crucigeris cubicularijs Magistiri perampla pro cuiusque conditione ab eodem Rege dada munera. Cumq; is egere admodum Magistrum comperisset, præter priora dona quindecim millia florenorum ei vltrò dono promisit in emerita stipendia militum, quo faciliùs Prussiâ excedentibus illis recrearetur. Remisit etiam ipsi in viginti annos necessitatem mittendorum ex pacto auxiliorum, excepto tamen bello Turcico, si id Po-
 lonis

lonis inferretur. Viciſſim autem Magiſter Polonis in ditione ſua fundos & poſſeſſiones habentibus, tributa, operas & quæuis alia onera in viginti quinq; annos remiſit.

Oratores Romam miſſi.

Miſſi deinde Oratores Romam, à Rege quidem Vincentius Kelbaſſa deſignatus Epiſcopus Culmenſis & Pomeſanienſis & Ioannes Oſtrorogius Iureconſultus & Caſtellanus Medirecenſis: à Ma-
1. giſtro verò Ioannes Vinclerus Iureconſultus: quibus mandatum,
2. vt Pontifici gratias agerent, Rudolphi induſtriam, fidem, integri-
3. tatem, ſtudium atque diligentiam commendarent, & apicem honoris Cardinalitij pro meritis ei peterent. Sic igitur ille vberrimum eſt virtutis & laborum ſuorum fructum conſecutus: quos eò alacriùs exhauſit, quòd, Vratislauiâ in Pruſſiam proficiſcens viſo Religioſæ cuiuſdam Virginis Veronicæ Cracouienſis, apud baſilicam Vratislauienſem per multos annos commorantis, animatus erat: quem illa videre ſibi viſa eſt, coram throno DEI gladium vtraq; parte acutum confringentem: quo ſignificabatur, eum bello Pruſſico finem impoſiturum eſſe. Id quod euentus rei comprobauit.

Rudolphus viſus gladium coram throno Dei confringere.

1. Non omnibus tamen ea pax grata & iucunda fuit. Nam & Pruſſi moleſtè ferebant tantum relinqui Crucigeris in Pruſſia, vt
2. facilè ij reſumptis viribus bellum inſtaurare poſſent: & Poloni Proceres qui ei paci conficiendæ non erant adhibiti, multa in eam ca-
3. uillabantur: & milites ſpem ſtipendiorum faciendorum ſibi præ-
4. ciſam eſſe moleſtè ferebant: & Lituani dolebant ſe occaſionem recuperandæ, quemadmodum exiſtimari volebant, Podoliæ, dum Poloni Pruſſico bello diſtinentur, amiſiſſe. Scribitur & pro certo affirmatur in peracto bello Regios milites ſtipendiarios octingenta quinq; millia, exceptis voluntarijs innumeris, interijſſe. Magiſter amiſit ſexaginta nouem millia, trecentos, præter ruſticos. Gedanenſes, ciues mille nongentos octoginta duos: ſtipendiarios, quatuordecim millia octingentos triginta nouem. Elbingenſes deſiderarunt mille nonaginta; minores ciuitates cum pagis, nonaginta millia. Expenderat verò in id bellum Rex, centum nonaginta tonnas auri: Magiſter Crucigerorum centum quatuordecim tonnas. Gedanenſes quater centena ſexaginta nouem millia octingentos nonaginta ſex florenos, viginti groſſos. Elbingenſes quinquaginta ſex millia nongentos ſexaginta ſex florenos, viginti groſſos. Torunenſes, centum viginti ſeptem millia, trecentos triginta tres florenos, decem groſſos. Ciuitates minores in vniuerſum trecenta tredecim millia, trecentos triginta tres florenos, decem groſſos. Cum ad aures Caſimiri Regis omnes occiſi, damna & expenſæ huius belli deueniſſent, dixiſſe fertur: totam Pruſſiam atq; Pomerelliam non reſpondere impenſis & ſanguini Chriſtianorum fuſo in ijs obtinendis. Ex 21000. pagis remanſerunt Crucigeris ab incineratione ſalui, 3013. Deſertæ Eccleſiæ erant 1019. Pax ea confecta eſt, Anno Chriſti, 1466. Die 18. Octob. Paulò poſt moritur Magiſter Ludouicus, ſepultus in Collegio Canonicorum Regiomonti. Summam verò vilitatem annonæ poſt bellum extitiſſe ſcribunt, ita vt modium ſiliginis emerint ſex ſolidis modium tritici ſemi 21. groſſis, modium hordei, decem ſolidis, modium auenæ tribus: Piſorum vndecim ſolidis. Erant in copia porci ſylueſtres, vrſi, alces, cerui, lupi, vulpes, atq; lepores. Conceſſa eſt cuique poteſtas, hæc atq; alia animalia capiendi.

Numerus cæſorũ in bello Pruſſico.

Expenſæ in bellũ Pruſſicum.

endi. Sed defectus erat vitulorum, vaccarum, boum, & similium domesticorum animalium. Plaustrum piscium mediocrium emebatur quinque grossis. Sexagena maiorum brasmorum, quinque solidis. Esox duarum vlnarum viginti & vno solidis. Vas anguillarum tribus marcis & media. Sexagena lampretarum duobus solidis. Erant verò in pretio operarij, famuli, & socij opificum. In locum Ludouici Magistri electus est Henricus Reus Plauenius, ex Commendatore & hospitalario Elbingensi. Quamuis autem veriùs locum tenens vsque in annum, 1469, fuerit, quo priùs nomen Magistri assecutus est. Nam in Magistrum neminem eligere voluit Ordo, ne eo nomine ad iusjurandum Regi Poloniæ faciendum teneretur. Expectabant enim adhuc Crucigeri auxilium à Germaniæ Principibus. Substitutum enim eum solummodò fuisse Magistri, indicant eius solidi, quos cudi fecit cum hac inscriptione: Henricus quà vice tenens. Is adhibuit sibi magnum Commendatorem F. Erasmum Gebesatel: Marsalcum, F. Kilianum Regi à Kynsberg. Hospitalarium, F. Henricum à Richtenberg, olim præfectum piscium Pusci. Trapiarius & Thesaurarius non eligebantur. Præfectus censuum, F. Erasmus à Totnau.

FF. Martinum Truchsessum à Wetzhausen, & F. Reisensteiner, Collegas.



LIBER VII.
HISTORIÆ PRVSSICÆ.


Nsequentis anni initio, ipsis adeò Calendis Ianuarij, natus est Regi apud Cossinice Sigismundus filius pacatâ Prussiâ bono quodam omine conficiendarum reliquiarum belli Prussici, quod Crucigeri successu temporis renovarunt. Eodem anno ad tertiam diem Maji Rex comitia Petricouiæ habuit. Vbi postulantibus legatis Crucigerorum, pax reliquorum Procerum, qui Torunij non adfuerant, solenni iurejurando confirmata est. Constitutæ etiam res reliquæ Prussiæ, quæ in Regia ditione erat: & mutata nonnihil Magistratuum atq; honorum ratio, nobilitatis atq; Ciuium legatis flagitantibus. Nam gubernatione extincta & palatinatu Elbingensi in Marieburgensem commutato, Sciborius Basenus eo honore cohonestatus est. Castellanus eiusdem loci siue Elbingensis Fabianus Maulinus factus: Palatinus Gedanensis, siue vt nunc vsus obtinuit, Pomeraniæ, Otto Maquicius: Castellanus autem Gedanensis, Nicolaus Pilauius: deniq; Castellanus Culmensis Ludouicus Mortangus creati. Palatinus enim eiusdem loci qui secundùm Episcopos est in senatu Prussico, Gabriel Basenus viuebat adhuc. Consultabatur deindè de exoluendis stipendijs militum toto Prussico bello meritis, quorum permagnus numerus cum coniugibus & liberis aduenerat. Decisum cum equitibus quidem octonis florenis in singulos annos, cum peditibus verò quaternis. Quæ summa ad bis centum & septuaginta millia florenorum perueniebat: eaq; intra semi tres annos exolui promissa est. Tunc quidem bini modò aurei in militem: quaterni intra mensem promissi. Neq; quicquam operæ pretij tunc factum est, per totos septemdecim dies, propterea quòd nobilitas pleraq; omnis in Corcinensi & Sredensi conuentibus renuerat tributum agrarium in eam rem petitum. Itaq; placuit nouos conuentus: Coli quidem ad diem S. Iacobi: Corcini verò ad diem S. Laurentij, quo ex Colensi maiores Poloni aduenirent, institui. Ægrè autem milites in eo acquiescebant, Vladislao Damoborio Castellano Naclensi authore ad latrocinia conuersi: cuius supplicio alij deterriti quieuerunt. Peractis autem comitijs Petricouiâ profectus Nepoliniciam Rex. Ibi oratores suos responsum Pontificis Max: referentes audiuit. Nihil ab eo tunc impetratum, præterquàm quòd Culmensis Ecclesia amotis Crucigeris in pristinum statum restituta, & Gnesnensi Archiepiscopo denuò addicta est. Confirmatio verò pacis Prussicæ & relaxatio interdicti in Prussos Regiarum partium promulgati, Rudolpho Lauantinensi Episcopo missa, præscriptumq; qua lege ea Regi traderet. Tametsi Culmensis quoq; Ecclesiæ restitutio eidem Rudolpho mandata fuisse videtur: Sed quoniam Prussica pax confirmata fuit à Pontifice cum ea conditione, vt Rex à nefario & hæretico occupatore Georgio regnum Bòemicum vindicaret, idcircò Ioannes Sempinius eques Polonus Romam missus est, qui de confirmatione pacis sine conditione rursus ageret.

Henricus Reus in periculo vita.

Pacatis iam rebus inter Regem & Crucigeros, contigit Henricum Reus olim Commendatorem Elbingensem in transitu pro nocte ad hospitium Elbingæ, 19. Octob. diuerti. Famâ exciti complures eius vi-

dendi causâ confluxerunt: ſiquidem audiuiſſent eum ex intenſione arcus oculum amiſiſſe. At verò retrò januam declinans præſentibus ait: Inſpicite nunc me infideles Beatæ Mariæ. Hic nunc ſto alicui probo viro pro gaudio: alicui etiam nequam pro ſtimulo, quòd nos prorſus tollere non potuerint. Ego verò ita mihi perſuadeo, quòd veniente Chriſto ad iudicium Ioannes & Gabriel Baſeni vexillum proditorum ducturi ſint. Vnde repentè maximus tumultus ortus fuit: quem Paulus Epiſcopus & Senatus Ciuitatis vix comprimere potuerunt. Henricus adhuc ipſo veſpere cedere Ciuitate coactus eſt. In Pruſſiam verò ad conſtituendas res miſſi ſunt Iacobus Sennenius Vladislauienſis, Vincentius Kelbaſſa Culmenſis Epiſcopi & Ioannes Coſcelecius Palatinus Inouladislauienſis, qui ſubortas cum Crucigeris nonnullas controuerſias diremerunt: & quamuis ægrè, perfecerunt tamen, vt de promiſſis Magiſtro à Rege quindecim millibus florenorum duodecim millia Ciuitates exoluerent.

Anno deinde proximè inſequenti ſub finem Iunij, Cracouiâ profectus, Pruſſis vt ad ſe accederet orantibus Visliciam divertit: conuentum minorum Polonorum egit: ſubſidium ad exoluenda ſtipendia poſtulauit. Quod non abnuebat quidem Nobilitas, verùm ſine maioribus Polonis ſciſcendum ſibi eſſe non putauit. Quare placuit binos è Satrapijs ſiue Palatinatibus legatos ad comitia Petricouienſia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris Regi moderati tributi poteſtatem haberent. Atq; hoc tunc primùm fieri cœptum ſic inoleuit poſterioribus temporibus, vt ſine ijs Legatis ſeu nuntijs terrarum (ſic enim vocantur) nulla comitia legitima haberentur, neq; tributum decerni, ac ne lex quidem vlla ferri poſſe videatur: auctuſq; eſt & ſubinde etiamnum augetur eorum numerus. Conuentu Vislicienſi dimiſſo Rex Colum profectus, maiorum quoq; Polonorum conuentum egit. Verùm nihilò magis ibi profecit. Reiecta res ad alium Conuentum eodem loco ad vigeſimum diem Septembris inſtituendum. Itaq; Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens, ad tertium Idus Auguſti Gedanum ingreſſus, magno populi obuiàm ſeſe effundentis ſtudio & lætitiâ exceptus eſt, & lautè atq; honorificè habitus, quoad ibi manſit per totos ferè triginta dies. Et purgarant iam ipſi Gedanenſes literis atq; nuntijs crimen, cuius apud eum ab Henrico Plauenio Vilnam profecto inſimulati erant, quaſi ad Burgundiorum Ducem deficere ſtatuiſſent. Inſtituto autem ea in vrbe ac deinde Marieburgi conuentu Pruſſorum, Ciuitatibus egeſtatem cauſificantibus, vix eò rem perduxit, vt in octo annos tributum, quod Ciſam vocant, ſciſceretur. Ac de eo quidem, quòd in primarijs tribus Ciuitatibus colligeretur primis quatuor annis quarta pars illis ipſis Ciuitatibus in publicos vſus, reliquæ verò tres Regi in ſtipendia militum cederent. Deinceps verò Ciuitates illæ tres, quicquid apud quamq; redactum eſſet, ſibi haberent: aliunde autem quicquid proueniret, Regi annumeraretur. Sed Gedanenſes præterea quinq; millia florenorum de Regio prouentu detrahere permiſſi, quæ tunc Regi mutua dederant: triginta quoq; millia eis remiſſa ſunt, quæ anniuerſarijs penſionibus per quindecim illos annos non ſoluerant. Ipſi contra Gedanenſe, Derſauienſe, & Puſcenſe, territoria quæ oppignorata tenebant, Regi condonarunt. Marieburgum deinde ſe Rex contulit, Henricum Pauenium Magiſtri vices gerentem cum Marſalco & aliquot Commendatoribus Crucigerorum ad ſe venientes benignè accepit: quæ poſtulabant, pleraq; omnia conceſſit. Neudeburgum oppidum, quod ad eum diem reti-

Legatorum ad comitia poteſtas.

retinuerat, ex pacto reddidit; anniuersarios conuentus cum Crucigeris Elbingæ agendos quibus duodeni vtrinq; delecti viri controuersias vltrò citroq; suborientes disceptarent ac deciderent, constituit: de non acceptando regno Boëmorum, si absq; bello id adipisci non posset, consilium ab eis accepit: deniq; ad maturandam noui Magistri electionem eos hortatus, quinq; millibus florenorum donatos dimisit. Deinde Prussis Magistratus, in comitijs regni dudum creatos, stabiliuit, aliosq; insuper adiecit tres regundorum finium præsides, quos Succamerarios vocant, qui & ipsi locum & sententiæ dictionem in Senatu habent. Iudicia quoq; nobilitatis constituit, creatis iudicibus in singulis territorijs. Itaq; constitutis rebus Prussicis Marieburgo discedens, per Culmensem oram ac Torunium, Petricouiam contendit, quo ad, 9. diem Octob. comitia edixerat. Per eos autem dies quibus Gedani & Marieburgi commoratus est, Cometes inter orientem solem & septentrionem quindecim diebus apparuit. Quo extincto statim alter illustrior etiam totidem diebus ad occasum visus est, insignium malorum mortalibus impendentium prodigia. Et sanè permultum sanguinis humani hoc anno profusum est in inferiore Germaniâ, cùm Carolus Dux Burgundiorum Leodienses, qui Dominum suum Episcopum Caroli sororis filium ceperant, & in vincula coniecerant, expugnasset: amissisque in oppugnatione quadraginta millibus hominum, vrbem eam penitus excidisset & solo æquasset. Plurimis autem in locis maximæ inundationes aquarum permagnam annonæ caritatem effecerunt. Tractatum verò est in comitijs Petricouiæ, de subsidio publicè in Prussica stipendia conferendo. Sed nuntijs Nobilitatis negantibus mandata ea de re se habere, nouos rursus conuentus Coli & Corcini Mense Decembri institui placuit. Ibi demum ægrè perfectum est, vt jugerale tributum, duodemûm grossorum senceretur: cuius dimidium agricola, tantundem Dominus eius solueret. Insequenti anno Rex Casimirus ad finem Aprilis stipendia Prussica Cracouiæ ex pacto dissoluit. In Prussiam deinde Iacobus Scennenius Vladislauiensis, & Vincentius Kelbassa Culmensis Episcopi, & Petrus Duninus Succamerarius Sendomiriensis delegati ad res constituendas, & componendas controuersias, ne qua Crucigeris noui belli ansa relinqueretur. Dicebantur enim à Friderico Imperatore & Mathia Rege clàm ad res nouandas incitari. Contendit sanè Fridericus siue in gratiam Mathiæ siue aliqua alia de causa tùm per literas atq; Oratores, tum per se ipse Romam profectus, ne Pontifex Max. pacem, inter Polonos & Crucigeros Torunij compositam approbaret: Ad comitia deinde Petricouiensia ad initium Mensis Octobris edicta Rex profectus, audiuit Iacobum Dembienium & Paulum Glouinium Commodum à Pontifice Max. reuersos, qui neq; pacem Prussicam confirmauit, neq; Vincentium Kelbassam Episcopum esse jussit. Quin etiam questus est de Casimiro, quòd hæreticis fauere videretur, eò, quod neq; interdictum neq; Crucis militiam contra eos in ditionibus suis promulgari pateretur. Sub finem verò comitiorum, quæ in quadragesimum diem extracta erant, aduenit Henricus Magister Crucigerorum Prussicorum recens creatus, cum duobus Commendatoribus, & jusjurandum fidelitatis Regi solenni Cerimonia dedit, proximusq; ei ad læuam assedit: honoratusq; à Rege peramplis muneribus. Cum in Prussiam redisset paucis pòst diebus apoplexiâ extinctus est. Hanc autem profectionem ad Regem cum multis querelis populi suscepit, eò quòd contributionem grandem eum facere opor-

Cometes.

Leodium excisum

Magister Crucigerorum deponit juramentum coram Rege Poloniæ.

oporteret. Contigit ſub ipſius regimine in quodam oppidulo agere ludirectorem, qui erat nigromantiæ deditus. Is ſingulis noctibus ad ſe deferri curauit filiam jam nubilem Burgimagiſtri. Tacuit illa rem ad tempus; tandem eam patri aperuit. Non poterat tamen referre, ad quem locum deportaretur: niſi quòd putaret, eum non longè ab Eccleſia abeſſe. Elapſa eſt etiam iſta filia à lateribus patris & matris cùm intra ſe eam cubare feciſſent, quam rurſus manè intra ſe repererunt. Dato glomo filorum pater inſtruxit filiam, vt cùm deferretur, in feneſtram glomum dimitteret, retenta extremitate. Fecit id juſſa. Itaq; Pater, cùm Eccleſiam manè circumiret, ſignum inuenit. Sequenti nocte cùm eſſet filia ablata, aſſumptis vigilibus, ludum ingreſſus pater utrumq; dormientem reperit. Et quidem filiam in induſiolo domum deduxit, ludirectorem verò incarcerari præcepit. Exurendus erat nigromanticus. Præſentem igitur puellam orat, vt ſibi dimittat: parentes verò, vt ſibi filiam matrimonio dent, & eum ab incendio liberent. Puella quidem dimittente peccatum commiſſum, pater incendium non dimiſit. Cùm itaq; videret nigromanticus obſtinatum omninò patrem: dixit puellæ, vt ſibi in certum indicium remiſſi ſceleris rem quampiam porrigeret. Illa cum permiſſu parentum ei ex burſula aliqua fila ſericea tradidit. Quæ cùm illa in aërem ſurſum projeciſſet, arcana verba ſubmurmurans, arreptâ ſecum puellâ, euanuit.

Et quis honor illi ſit habitus.

Ludirector Nicromanticus.

Simplicis cujusdam factum ſubijcio, quod poſt mortem Magiſtri ſtatim contigiſſe proditur. Hortulanus quiſpiam ſuburbij cujusdam oppidi, filio ſuo, qui boni ingenij puer erat, tantum adfuit operâ ſuâ & ſtudio, vt ad exteras nationes etiam literarum cauſâ proficiſceretur. Bononiam is profectus, Iuri operam dedit. Reuerſus tandem in patriam in domo paterna habitauit, & memor beneficij accepti, quicquid arte ſua lucrabatur in parentem expendit. Vidit Pater aliquando in libris ejus, nunc minores, nunc majores, nigras, tùm rubeas literas: & quid ſibi hæ vellent filium interrogauit. Reſpondit filius, majoribus literis notari ipſum jus: minoribus gloſſas; quibus aliquando jus per cauſidicos inuertatur. Notis rubeis adſcriptis ſignificari, ad quod verbum vel ſententiam juris gloſſæ pertineant. Seruauit Pater filij inſtructionem: & cùm aliquando hic abeſſet, ille omnes literas minores cum rubeis è libris abſcidit & abjecit. Redijt filius, factum inuenit, cauſam inquirit & authorem. Nec ſe feciſſe Pater negauit, nec cauſam reticuit. Nam, inquit, chariſſime fili, quicquid labore acquiſieram tui cauſâ expendi, vt veritatem & æquitatem diſceres, ac alios doceres. Nunc, dicente te, didici, te falſitatem miſcuiſſe cum veritate. Sed fraudis ſatis in Pruſſia habemus, non oportebat te ejus gratiâ aliò proficiſci. Propter fraudem & injuſtitiam Crucigeri Pruſſiam amiſerunt. Accidere poſſet, vt quis contra me ageret, ex his libris tuis, ac à me hortum iſtum iniquè auferret. Propterea id quod minùs rectum fuit, abſtuli, relinquens juſta. Tùm filius: rectè mi pater, hanc rem feciſti, & quidem prout inſtruxeram. Res hæc & laudem & riſum tulit.

Factum ſimplex.

Crudele quoq; ejus Magiſtri tempore accidit exemplum, quod ab illo redargutum non legitur. Mendicatum cùm duo Elbingenſes Monachi poſt tredecennale illud bellum in ditionem Cynthienſem progreſſi eſſent, repererunt in quodam prædio Vernerum Teucherwitz Commendatorem Tapienſem, à quo eleemoſynam petiuerunt. Qui eos vndè venirent, interrogauit. Illi ſe Elbingâ eſſe, & venire, vti erat, reſponderunt. Tùm ipſe: quomodo, inquit, audetis proditores ex hoſtico hic Eleemoſynam quærere? Votum me feciſſe DEO ſciatis, ut

Factum crudele.

primos ex hostili terra hic deprehensos, aquis suffocem, quicunque ij fuerint. Nec diutiùs secum deliberans, vnà cum auriga Monachos in puteum demergi iussit. Neque de hoc Magistro plura dicenda restant, nisi quod Dux belli descripti fuerit, & vndecim hebdomadis in officio Magistratûs. Diu in Ecclesia Regiomontana caruit imagine & memoria: donec eam oblocutionis euitandæ gratiâ apud populum successor eius secundus Martinus Truchsessus curaret.

1470 Henricus Richtenbergius XXX. Magister Crucigerorũ

Nouus deinde Magister pro festo S. Dorotheæ, anno Christi, 1470. Henricus Richtenbergius, Ordine XXX. Henrico Plauenio apud Regiomontum suffectus. Petricouiam ad 28. diem Octob. edictam cùm venisset, in Senatum introductus, in verba Regis iurauit. Missa est deinde alia legatio ad Pontificem Max: vt confirmationem pacis Prussicæ iterum atque iterum peterent: ad Georgium ex itinere diuerterent, eumque cum suis hortarentur, vt resipisceret ab hæresi, & in potestate Pontificis esse vellet. In Prussiam verò missi Iacobus Vladislauiensis Episcopus, Stanislaus Ostrorogus Callissiensis, & Ioannes Coscelecius Inouladislauiensis Palatini, vt exortas controuersias disceptarent.

Nicolaus II. Episcopus Pomesaniensis moritur.

Anno, 1471. Die 29. April. moritur Nicolaus II. decimus quintus Episcopus Pomesaniensis. Dum esset Canonicus Regiomontanus, Magister Ludouicus ab Erlichausen Episcopatum ei contulit. Sed non adijt vnquam Ecclesiam suam ob aduersam valetudinem, tum quòd noluerit pro intruso haberi. Interim etiam bellum inter Crucigeros & Polonos exarsit. Regiomonti sepelitur. Sed neque consecrationem acceperat. Vacauit post eum Episcopatus in septimum annum. De Vincentio Kelbassa Episcopo Culmensi, & successore eius XVI. Pomesaniensi, & administratore eius Episcopatus, iam aliqua attigi, & quædam adhuc postea dicentur.

Mors Pauli à Legendorff Episcop. Varm. ex potione veneni Braunsb. sepelitur.

Cùm interim Paulus Episcopus Varmiensis à Magistro Ordinis Bartsteinum ad colloquium vocatus esset, & ibidem comparuisset, à Veigelo Leitzelt Magistri tubicine, qui illi fuit inimicissimus, veneno propinato, cùm Brunsbergam venisset, subito mortuus est. Et quoniam propter æstiuos calores fœtoremque funeris non poterat demortuus Varmiam deferri, Brunsbergæ in Parochiali Ecclesia ante majus altare tumulatus est, anno, 1471. circa festum S. Mariæ Magdalenæ. Pauli Episcopi à Legendorff encomium.

Tempora me belli neutrum preßêre superbi.
Neutrobique fides, sæuus vtrinque furor.

Ad tempus Episcopatum administrat Kelbassa.

Hoc ita sublato Episcopo, Casimirus Poloniæ Rex administrationem Episcopatûs Varmiensis, Vincentio Kelbassa Episcopo Culmensi & Administratori Pomesaniensi, commendauit: donec aliquis à Capitularibus, qui nondum congregati erant, eligeretur. Kelbassa interim plurimùm amicitiæ Canonicorum Varmiensium, quos habere potuit, studere cœpit spe ductus assequendi per eos Episcopatûs eiusdem. Sed ij cùm primùm possent conuenire, concordibus votis, omisso Kelbassa, Nicolaum Tungenum denominatum Canonicum Varmiensem, Pauli, II. breuium scriptorem elegerunt, in, XV. Episcopum Varmiensem. Sed cum hic in grauem morbum incidisset, & propterea ad Episcopatum consecratus iam, & à Pontifice Max: confirmatus venire non posset, Vincentius Kelbassa cœpit non minùs Canonicos quàm Ciuitatum incolas nouis adinuentionibus persequi & vexare: adeò vt nonnulli ex ciuibus in imis carceribus clausi, miserè expirauerint: alij grandi pecunia vitam redimere: alij vxoribus & liberis relictis salutem

Kelbassa Administrator Varmiensis

Nicolaus à Tingen Episc. Varm. XV.

lutem quærere coacti fuerint. Biennium tantas moleſtias incolæ Epiſcopatus paſſi, per nuntios apud Regem de iniurijs conqueſti ſunt. Qui datis ad Kelbaſſam literis, præcepit, vt vitandi tumultus popularis cauſâ ab adminiſtratione bonorum & Ciuitatum Epiſcopatus Varmienſis, abſtineret. Interim ab Ordinibus vniuerſis Epiſcopatus in prouiſorem aſſumptus fuit, circumſpectus & prouidus vir D. Michaël Ertmannus Senator & Conciuis Regiæ Ciuitatis Gedanenſis. Cæterùm Kelbaſſa acceptis mandatis Regijs, cùm è prouincia tardiùs diſcederet, nec mitiùs ageret ſolitô, ſubditi agreſtes eum occidere conſpiratione facta decreuerunt. Qua re intellecta, diutiùs non morandum ratus, Lubauiam diſceſſit. Quoniam autem Rex in nouiter adepta Pruſſiæ prouincia non facilè habebat, cui fideret, vt Kelbaſſam ſibi nihilominus magis deuinctum redderet, Epiſcopatum Pomeſanienſem regendum tradiderat. Sed nihilo mitiùs illic egit. Quamobrem eum omnes paſſim tanquam auarum & immitem deteſtabantur, & quibuſcunq; modis poterant, ſubterfugiebant: adeò, vt eius villæ & prædia, non ſolùm habitatoribus vacua, ſed & ædificijs quoq;, quæ ſatis egregia anteà conſpiciebantur, planè deſerta redderentur, vt ad priſtinum ſtatum & ſplendorem reduci facilè non potuerint. Ipſe verò Rex, anno Domini. 1473. Epiſcopatum Varmienſem Secretario ſuo Alberto Oporouio contulit, eumq; Pontifici Max: præſentauit, & confirmari Apoſtolica authoritate petiuit. Huic Regiæ nominationi procuratores Nicolai vehementer contradicebant, certis documentis oſtendentes Nicolaum non modò Canonicè legitimèq; electum, ſed etiam à Pontifice confirmatum: inſuper & ordinatum ac conſecratum iam eſſe Epiſcopum: vt nec nominationi Regiæ nec petitioni Oporouij vllus ampliùs locus relictus videretur. Eius nihilominùs in vrbe procurator eò rem deduxit per ſecretas practicas, vt ſubreptitias bullas ſuper prouiſione dicti Epiſcopatus obtentas ad eum miſerit. Quibus acceptis Oporouius, rem benè confectam credens, ad Marieburgenſem Capitaneum profectus, ab eo ſe petijt in poſſeſſionem Epiſcopatus Varmienſis admitti. Reſpondit Capitaneus, ſe id facere non poſſe: præcepiſſe Regem, vt neminem absq; peculiari mandato Epiſcopatum adire permitteret. Interea curam bonorum & ciuitatum haberet, quibus nulli cedere, niſi de voluntate Regia plenè conſtaret, ſalua fide exiſtimationeq; ſua poſſet. Oporouius contrà aſſerebat, ſe huiuſmodi mandata tàm citò habere non poſſe, quandoquidem Regia Maieſtas longiſſimis terrarum ſpatijs diſſita apud Kiouiam verſaretur. Interea venit Nicolaus Tungenus ex vrbe, & coram Ordinibus & Ciuitatibus Pruſſiæ iura & prouiſionem ſuper Epiſcopatu produxit, rationesq; ſuas non ſolùm literis & ſigillis authenticis, ſed viuis etiam & fide dignis teſtimonijs euidentiſſimè comprobauit. Conſiliarij autem terræ Pruſſiæ cognitionem huius cauſæ ad ipſam Regiam Maieſtatem reiecerant, & comitia pro feſto S. Ioannis Elbingæ indixerunt: in quibus vterq; Epiſcopus Regiæ Maieſtatis reſponſum accepturus eſſet. Reſponſum autem Regium erat tale: Conſiliarij diligenter cauſam hanc cognoſcerent: nemini poſſeſſionem Epiſcopatûs adiudicarent, niſi Regi & regno obedientiam iureiurando polliceretur. Comparuit vtraq; pars die conſtituto in comitijs. Oporouius productis literis & documentis aſſerebat ſe à Regia Maieſtate, qui ius patronatûs ſuper Epiſcopatu Varmienſi haberet, præſentatum, & à ſede Apoſtolica confirmatum eſſe: cuius rei teſtes literas Apoſtolicas oſtendens, ſe admitti ad poſſeſſionem Epiſcopatûs vrgebat. Adhæc Nicolaus, etſi non conſtaret de iure patronatûs Maieſtatis

Kelbaſſa mouetur ab adminiſtratione.

Controuerſia de Epiſcopatu Varmienſi.

ieſtatis

iestatis Regiæ, tamen in præsentationis huiusmodi literis clausulam hanc Maiestatem Regiam apposuisse, saluis priuilegijs, saluoq; iure Ecclesiæ Varmiensis, absurdum videri Dominos Capitulares primæuæ fundationi & priuilegijs suis nuntium remisisse: nec criminis alicuius reos & conuictos fuisse: vt propterea libertatibus & priuilegijs suis exui & priuari deberent: quibus in robore suo permanentibus, quandoquidem ipse legitimè electus esset Episcopus, dubium non videri, quin ea sit mens & voluntas Maiestatis Regiæ, vt is pro legitimo Episcopo haberetur, qui à Capitulo Canonicè electus, à sede Apostolica confirmatus & approbatus esset. Nam quod ad confirmationem ipsius Oporouij attineret, eam falsam & subreptitiam esse sibi certò constare, quod & re & veritate comprobatur. Vtriusq; confirmationis literas suis sumptibus (quos illicò deposuit) paratum se esse in vrbem mittere dicebat, vt istic ex actis curiæ, cuiusnam literæ veriores essent, peti possit. Intra biennium quicunq; ius suum clarè & dilucidè demonstrasset, is absq; vlla controuersia Episcopus constitueretur. Eam conditionem admittere noluit Oporouius, sed totius causæ suæ præsidium in patrocinio & authoritate Regiæ Maiestatis constituendum sibi esse affirmauit. Consiliarij autem terræ Prussiæ, cùm audissent quò se Nicolaus dimiserit, postulatis eius acquieuerunt, & acceptis bullis & pecunia per eum deposita, Romam miserunt: vbi repertum est, Domini Nicolai bullas veras, Oporouij verò falsas & subreptitias fuisse. Vnde Prussi magis impensè Nicolao, quàm Oporouio fauere cœperunt. Et quandoquidem iure potiori niteretur, se causam illius apud Regiam Maiestatem ita promoturos receperunt, vt Episcopatu potiatur. Interim autem in res Episcopales & Iurisdictionem se nulla ratione ingerere deberet. Quod se facturum data fide promisit. Cæterùm dum Romæ verificatio bullarum expectatur, & Rex in Podolia versaretur, Oporouius armis rem aggreditur, & Episcopatum per vim occupare conatus, non absq; cæde reiectus est. Quoniam autem in Polonia propter familiæ nobilitatem multos amicos habebat, collegit statim, 3000. equitum, quibus duos Capitaneos præfecit Schamnikium Boëmum & Schortauium Morauum, eosq; ad bellum Sacerdotale prosequendum, in Episcopatum Varmiensem signa inferre præcepit. Qui cùm non paucas villas depopulati essent, & non contemnendam prædam equorum, armentorum aliarumq; rerum ex Bisteinensi tractu abigerent, Bisteinenses collata nobilium & ignobilium manu, inter Vuslack & Bisteinum eos insecuti, egregiè vlti sunt. Multi cæsi fugatiq; sunt, præda recuperata: vterq; Capitaneus captus est & Bisteinum deductus: vnde posteà data fide, quòd coram Episcopo, quandocunq; iussum esset, se sistere deberent, dimissi fuerunt. Hos belli Sacerdotalis tumultus ægerrimè consiliarij & status terrarum Prussiæ ferebant. Quamobrem Elbingæ habito conuentu Oporouio præceperunt, vt ab armis tantisper abstineret, dum Româ responsum adferretur, quisnam jure potior esset. Morem illis gessit Oporouius, quòd amissis copijs vires debilitatas haberet: Nicolaus autem animosior aut audacior factus, supra memoratos duos Capitaneos citari fecit, vt datæ fidei satisfacientes coram illo personaliter comparerent, decretum illius audituri. Responderunt verò illi, se ad comparendum coram Episcopo Varmiensi tantùm teneri. Eum verò necdum pro Episcopo agnoscere, cùm decisum non sit, quis legitimus Episcopus esset. Hæc & alia similia varias Nicolao cogitationes ingerebant. Habuit is in aula sua egregium quendam equitem Hillritter dictum. Hic quodam tempore

Bellum Sacerdotale.

Bisteinenses prædā ab Oporouij militibus receperunt.

pore alloquens Episcopum: Notum est tibi, inquit, procul dubio, quod Oporouius amisso, quem huc miserat, milite, nouas practicas in Polonia exerceat, & modos & rationes omnes persequatur, vt armata manu Episcopatum tibi eripiat. Quamobrem nisi bono consilio vsus maturè tuis rebus consulueris, antequam aduersarius possessionem adeat, te tuaq; omnia in extremum discrimen deduces. Nec est quòd in Prutenorum & subditorum auxilijs multum spei reponas. Nam si equestris Ordinis hominibus & nobilitati non semper fidendum, multò minùs oppidanis & ciuibus tribuendum erit, qui superioribus bellis efferati, facilè fidei obliuiscuntur: & nuper etiam vltimo hoc prælio demonstrarunt, non minùs eorum consilia stabilita permanere, quàm butyrum solis radijs expositum, aut pediculus in pellibus Ermilinis immobilis esse solet. Nolit itaq; cum maximo damno & perpetua sui nominis infamia res suas diutiùs negligere. His & similibus persuasionibus Nicolaus adduci se passus est, vt clàm ad ciues quosdam Heilsbergenses amicos suos literis datis ab eis auxilium peteret arcis aliqua ratione occupandæ. Sed nullus eorum rem aggredi ausus est. Intellexit posteà Michaëlem administratorem sæpiùs diebus Dominicis compotatores suos in ciuitate solitum accedere, & cum eis hilariter potitare arcis custodiâ neglectâ. Quamobrem Nicolaus, vt propior esset, Guttstadium venit, habitâq; notitiâ, Michaëlem more solito die Dominica in Ciuitatem iturum, ipse quoq; sub horam vesperarum ad arcem Heilsbergensem accurrit: quam visitandi gratiâ ingressus cum suo Hillrittero & nonnullis familiaribus portas claudi præcepit: Michaële in ciuitate inter cives & mulieres cum suis hilariter agente: vt qui nullum periculum extimesceret. Postquàm id didicit, ad arcem cum familia properauit: sed à Nicolao intromissus non est, qui eius operâ se ampliùs non egere, dixit. Custodes jam esse domi, qui diligentiùs arcem essent seruaturi quàm ille fecisset. Equos nihilominns, currus & supellectilem illi reddi iussit: qui Gedanum reuersus est. Factum hoc Nicolai, cùm ex Michaële Ordines Prussiæ cognouissent, indignè admodùm ferebant, quòd contra fidem datam Episcopatûs arcem inuasisset, antequàm Pontificis declaratio Româ adferretur. Quamobrem cum eo, quòd promissis non steterit, grauiter expostularunt & amicitiæ ipsius nuntium remiserunt. Contigit intereà mori Magistrum Ordinis Henricum Richtenbergium. Progressus is erat ex præfecto piscium Puscensi in hospitalarium summum Regiomontanum: inde promotus ad Magistratum supremum. Officiales rigidiores in subditos, coërcebat: si nimiam mulctam accepissent, illam reddere debebant. Crudele planè facinus quoddam Magister hic commisit: Compingi enim fecit Theodoricum de Cuba XV. Episcopum Sambiensem, qui Nicolao II. der alte Schlotterkopff dicto successit, in imo carcere Tapiauiensi, & fame enecari: eò quòd Episcopus petenti Magistro dimidiam partem pecuniæ eius, quam nomine indulgentiarum pro restauratione Ecclesiarum suarum per bellum proximum destructarum à fideli populo acceperat, iustè negauit. Mortuum tamen Episcopum honestè vestitum Regiomontum aduehi Crucigeri curauêre: euulgantes illum naturali morte vitam finiuisse. Quod scelus cum resciuisset Sixtus IV. Pontifex Max: dixit. Deleatur pessima illa crux nigra. Maledictus enim Ordo, vbi laicus regit clerum. At viri septem à Crucigeris auro corrupti jurauerunt, Episcopum non fame, sed morbo contracto mortem obiuisse. Ita persuasus Pontifex quieuit. Sed viri illi ab hominibus aliud scientibus pro periuris habiti sunt: quibus etiam nihil prosperè

Theodoricus de Cuba Episc. Sambiensis in carcere necatur.

Dictũ Papæ contra Crucigeros.

Mors Richtenbergij. ſperè dum vixerunt, ceſſit. Non multò pòſt Magiſter in morbum delapſus, vſq; dum infelicem animam exhalaret, ſine ceſſatione clamauit; ad arma. Nam Sacerdotes illum ad tribunal DEI adcitaſſent, ſi fortaſſis ab illorum vi ſe aliquando eripere poſſet.

Cuſpis ferrea in capite. Ipſo etiam rem adminiſtrante Erhardus à Reiſenſtein Commendator Regiomontanus vir prudens & diſertus intra caput cuſpidem ferream ſagittæ, quatuor, alii volunt, quatuordecim annis geſtauit. Quam tandem per os exemit, voto facto ad S. Adalbertum. Vbi ad ſempiternam rei memoriam ſcutulum argenteum, in quo miraculum deſcriptum fuit, cum catenula argentea ad Imaginem S. Adalberti annexuit. Quod illic adhuc anno ſalutis 1524. viſebatur, & etiamnum ibi eſt. Sepultus eſt hic Magiſter in Collegio Regiomontano ſine vlla comploratione Fratrum. Suffecerunt Crucigeri defuncto Henrico anno Chriſti, 1477. Martinum Truchſeſſum, qui interdum Treslerus vocatur, Commendatorem Oſterrodenſem pridie Nonas Auguſti, habitis Regiomonti comitijs. Electus Magiſter aſciuit ſibi magnum Commendatorem Eraſmum Reiſenſteiner: Marſalcum F. Philippum ab Angeln. FF. Simonem à Leiſtenborg. & Michaëlem Zeywinger Collegas. Nec abhorrebat is a bello: ſed eum Fridericus Imperator minacibus literis deterruit. Sic igitur quietæ fuerunt hoc anno res in Pruſſia. Et vt quietæ permanerent, vocatus eſt nouus Magiſter Petricouiam, ad comitia indicta ad 12. diem Ianuarij: Sed quamuis promiſiſſet ſe affuturum, non venit, vt ſecundùm pacta in verba Regis iuraret. Quin ad rebellionem planè ſpectare is referebatur. Cumq; ad depellendum bellum, quod ab Vngaro iuxta ac Crucigeris impendebat, & ad continendos in officio Pruſſos, ſumptu opus eſſet, & in eum vſum tributum agrarium ſciſcendum eſſe plerisq; omnibus videretur, aliquot temerarij iuuenes de nobilitate maioris Poloniæ rem infecerunt. Conuentu dimiſſo Rex in Pruſſiam contendit, & alium Breſte Pruſſorum conuentum habuit, eoq; rurſus Magiſtrum fruſtrà euocauit. Cæterùm Pruſſorum ſuorum animos confirmauit, Sbigneum Vladislauienſem Epiſcopum eis dedit: Marieburgenſem præfecturam à Ioanne Coſcelecio in Petrum Duninum Siradienſem Caſtellanum tranſtulit. Epiſcopus verò Vladislauienſis conuentu Pruſſorum Graudenti poſt Paſcha inſtituto, nouo eos jureiurando vltrò ab eis oblato, Regi & regno obligauit. Id biſne, hoc videlicet atq; ſuperiore anno (quaſi ſemel ſatis non eſſet) factum ſit, an Dugloſſus lapſu memoriæ repetierit, neſcio. Ad Magiſtrum verò quinq; legati miſſi, qui eum fœderis admonerent. Verùm ille nihil moratus, ſalubria monita, non modò non venit Petricouiam ad comitia, ſed etiam bellum contra Regem adornabat, non tàm ſuis viribus fretus quàm Vngari & nonnullorum Germanorum Principum vanis pollicitationibus, ac ſpe defectionis quarundam Regiarum Ciuitatum erectus. Et quò maiorem haberet belli faciendi opportunitatem, Brodniciam & Culmam oppida & Starigrodum arcem terræ Culmenſis, de Ioanne Sumbergio, Bernardi defuncti fratre redemit perſolutis ſtipendijs, quæ Bernardus bello ſuperiore meruerat, quæ Rex iam prior ſoluere cœperat. Eas igitur munitiones militum præſidijs firmauit, ipſe cum exercitu ex agreſti ferè multitudine coacto, apud Oſterrodam aliquamdiu caſtra habuit, ab Vngaro promiſſa expectans auxilia. Hæc Petricouiam nunciata fecerunt, vt ſine difficultate & contouerſia duodenûm groſſorum tributum decerneretur in ſtipendium mercenariorum militum, per quos tunc in Pruſſia rem geri placuit. Ea porrò res, quòd Nicolaus Tungenus Michaëlem ex arce Heilsbergenſi excluſe-

Martinus Truchſeſſus rebellat Polonis.

Nicolaus Tungenus Episc. Varm. conspirat cũ Crucigeris contra Polonos.

eluserat, propter quam scilicet rem à Nicolao se status Prussiæ auertissent, adegit eundem Nicolaum, vt cum Magistro Teutonicorum F. Martino Truchsesso amicitiam & societatem ineundam existimaret, vt eo mediante apud Principes exteros contra Polonos & regiarum partium Prutenos sibi præsidium facilius comparare posset. Quod etiam subsecutum est. Nam habita ex integro Episcopatûs possessione & subditorum obedientia, arces & oppida egregiè muniuit, rebusq; necessarijs contra Polonorum inuasionem instruxit, ac ita demum cum Ordinis Magistro simul conspirarunt, se, excusso Regis Poloniæ iugo, libertates suas recuperaturos, etiam ad sanguinis effusionem. Iam verò mortuo Nicolao Blazeouio Episcopo Præmisliensi, Andreæ Oporouio Ecclesia ista commendata fuit à Pontifice Max: vt inde se tamen sustentaret, qui Varmiensi Episcopatu potiri per Nicolaum Tungenum non potuit. Magister Martinus fuit vir egregius & prudens atq; deuotus: fortis etiam & magnanimus, vt vulgari de eò prouerbio diceretur: Martinum Monachum domi, egregium in campo leonem esse. Considerabat quidem Magister Ordinem suum perpetuam pacem datis literis & sigillis cum Polonis iniisse: videbat etiam ingentem pecuniæ vim ad bellum necessariam esse, qua ex magna parte carebat: nihilominus ad eripiendam Prussiam è Polonorum manibus cùm ab alijs incitaretur eo nomine, quòd non teneantur ad obseruandas perpetuæ pacis conditiones, in quas coactè non liberè iurarunt: milites illos esse, quibus honorificum sit pro patria mori: à suscepto bello non est motus, sed ad id aggrediendum magis ac magis incitatus: præsertim cùm classicum canerent Astronomi. Nam in suis judiciarijs libellis publicè affirmabant, hoc anno Prussiam ad Teutonicos eorum virtute redituram. Confirmauit eum deniq; in proposito fœdus clandestinum quod Vngarorum Rex Matthias cum illo contra Polonos iniisset. His ita comparatis allatæ sunt literæ ex vrbe seu bullæ Apostolicæ cum declaratione, quòd non Oporouius, sed Nicolaus Episcopus Varmiensis esset. Non latebant machinationes Magistri & Episcopi Nicolai Consiliarios, qui eas dolenter ferebant. Sed credebant illis literas Apostolicas remedium attulisse, saltem ad Nicolaum Episcopum retrahendum à consortio Magistri, siquidem Episcopatum assecutus esset. Quapropter gratissimum nuntium à sede Apostolica hoc ipsis fuit: qui nuntios certos, quorum primus fuit Ioannes Basenus, ad Episcopum miserunt: qui talem dignitatem ei gratularentur: eumq; certiorem redderent, qualiter antecessor eius Paulus Episcopus, anno, 1466. in conuentu Elbingensi coram vniuersis Prussiæ Ordinibus sese obligauerit, quòd vnà cum Vasallis Poloniæ Regi obediens esset futurus, & cum Ordinis Magistro tanquam hoste patriæ nullum commercium vnquam habiturus. Quamobrem videret, vt antecessoris sui vestigijs inhæreret Episcopus, alioquin res eius non bono loco futuras. Respondit ille, Episcopatum Varmiensem nunquam ad Poloniæ regnum pertinuisse, nec se facilè intelligere, quidnam iuris in illum Rex habere queat. Nam licet antecessor eius in conuentu Elbingensi periculosis illis temporibus promisisset Regi regnoq; Poloniæ subiectionem, tamen id sub certis conditionibus fieri debebat. Nec res ad effectum deducta est, quandoquidem non constaret, quòd Rex & Regnum eam obedientiam unquam acceptauerit. Sed neq; ad eam rem Capituli assensus accessit: vt eiusmodi obligatio etiam ad successores transiret. Cùm itaq; temporibus Ioannis Streifroci Episcopatus hic S. R. Imperio incorporatus fuerit, nec ab eo discessionem vnquam fecerit, se nullum alium pro Ecclesiæ

Legatio ad Nicolaum Episcopum Varmiensem.

suæ Patrono agnoscere, præterquam Imperatorem. Et quandoquidem Poloniæ Rex Secretarium suum contra iura & priuilegia Varmiensis Ecclesiæ cum maximo damno, Episcopum intruserit, se multò minùs etiam eum pro Domino habiturum & accepturum. Porrò cùm vidissent nuntij apud Episcopum nullum esse consiliariorum admonitioni locum, profecti sunt Regiomontum, admonentes itidem Magistrum Ordinis, vt secundùm perpetuæ pacis fœdera per antecessores eius iurata & stabilita se in obedientia Regis Poloniæ contineret. Sed simile ab eo responsum, quemadmodum ab Episcopo, retulerunt: qui etiam verbis petulantibus in Polonos inuectus est, quòd iniqui & alieni appetentes essent. Oblatam esse nunc egregiam occasionem Prussiam in Ordinis potestatem redigendi, quandoquidem Vallachio bello Rex distineretur, quam sibi elabi non facilè passurus esset. His actis consiliarij Elbingæ conuentum egerunt; & datis ad Ordinis Magistrum & Episcopum literis, eos denuò monuerunt, vt intra sex mensium spatium Regiæ Maiestati obedientiam præstarent: alioquin vtrumq; eiectum & deturbatum iri, vt faciliùs miserorum incolarum quieti & tranquillitati consuli possit. Regiæ etiam Maiestati de totius negotij progressu & statu diligenter perscriptum. Atq; ita miles vtrinq; scribi, & bellum cœpit apparari. Cum itaq; omni ex parte bellum instrueretur, Nicolaus Episcopus de rebus suis sollicitus, ad Ordinis Magistrum accessit, & denuò cum eo societatem belli iuramento vtrinq; firmatam iniuit: addita etiam hac conditione, vt meliùs Ordinis Magister Episcopatum tueri & defendere possit, liceret illi in oppidis & munitionibus præsidiarios milites collocare. Cui conditioni vt quàm primùm satisfaceret, dedit ad Liuoniæ Magistrum mandata, vt primo quoq; tempore, 3000. selectorum militum conscriberet, & ad se in Prussiam mitteret: quorum virtute à Polonorum iugo eliberari, & amicissimum Episcopum à Rege & omni iniuria illæsum conseruare posset. Respondit ille: quòd superioribus bellis cum suo milite plus præstitisset quàm teneretur. Nunc verò prouinciam milite destituere non posse: quandoquidem indies & in horas Moscorum irruptionem expectaret, quibus sese necessariò opponere deberet. Cùm spe frustratus esset, dedit etiam ad Magistrum in Germania literas, quibus illi iniungebat, vt quàm maximum numerum militum conscribere posset, in Prussiam contra Polonos nulla mora longiore interposita, ad se mitteret. Offendit ea res ipsos Ordinis fratres; qui questi sunt, quod in prioris belli apparatum omnia bona sua partim oppignorauerint, partim vendiderint, partim absumpserint: ita vt si noua illis expeditio esset instituenda, ad extremam inopiam deueniendum illis esset. Quamobrem nulla ab illis præsidia hoc tempore expectaret. Cùm nec ista ratio congregandi milites succederet, ex arcula sua Romana, 7000. Ducatorum deprompsit Nicolaus Episcopus: addidit etiam non contemnendam auri quantitatem Ordinis Magistister. Quam pecuniæ summam Duci Ioanni de Sagen in Silesiam miserunt, obnixè orantes, vt militem in Boëmia conscriberet, & inde per nouam Marchiam in Prussiam duceret. Fecit ille quod postulabant & 4000. ex Boëmis & Silesijs collegit: quæ vt per nouam Marchiam deducere posset, à Ioanne Margrabio Brandeburgensi facultatem sibi concedi petivit. Negauit se id facturum, illiq; per eam prouinciam transitum concessurum, cuius occasione cum illo non ita pridem bello decertarit, neq; ea adhuc controuersia sopita esset. Ægrè tulit repulsam hanc Ioannis, significauitq; Marchioni transitum, quem ille denegauit, sibi facilè patefacturum.

Legatio ad Truchsessium Ordinis Magistrum.

Conuentus Elbingæ.

Nicolaus Episcopus pecuniam dat.

Marchio Brandeburgicus negat transitum copijs auxiliaribus.

Pupu-

Pupugit ea res Marchionem, quòd noua Marchia non ad eum pertineret, ſed ad Ordinis Magiſtrum, qui ratione expenſarum quas Prutenico bello in gratiam Ordinis fecerat, ſub titulo pignoris eam prouinciam ad certum tempus illi ſcripto publico obligauerat: tùm etiam quòd ſuperiori anno cum Ioanne Duce occaſione Francoforti, Croſnæ, & Dreſnæ aliorumq; bonorum bello diſceptarit, quod nondum ſopitum & obliteratum eſſet. Quamobrem non ſolùm ex vaſallis, ſed etiam ex milite mercenario collectis copijs tranſitum Duci Ioanni prohibere conſtitutum habebat. Qui cùm exercitum nihilominus per nouam Marchiam ducere inſtituiſſet, perſuaſus fuit à Boëmis & Sileſijs, ne ſe in periculum injiceret, ſed pacem priùs cum Marchione componeret. Sed tractationes de pace adeò in tempus longum protractæ ſunt, vt miles ob victûs inopiam ſenſim dilaberetur. Ad eum modum Epiſcopus & Ordinis Magiſter, amiſsâ pecuniâ nullo operæ pretio facto etiam ſumptus, quos in alendo milite Ioannes Dux fecerat, refundere coacti fuerunt. Cæterùm Caſimirus Rex poſteaquàm à Conſiliarijs Pruſſiæ certior eſt factus de nouis hiſce motibus, Ordinis Magiſtrum & Epiſcopum de obedientia præſtanda ad ſe citari iuſſit: qui comparere noluerunt, ſubindè prouocantes ad Imperatorem & Matthiam Vngariæ Regem: quorum tutelæ & patrocinio contra Polonorum potentiam ſe ſubdidiſſent. Scripſit itaq; Rex ad vtrumq; ſcire cupiens num Magiſtrum & Epiſcopum in fidem recepiſſent. Reſponſum illi tantùm fuit à Germaniæ Magiſtro in eam ſententiam. Quæcunq; nunc ſupremus Ordinis Magiſter ageret, ea contra mentem totius Ordinis fieri. Nam cum in Ordinis Magiſtrum eligeretur, inter cæteras coditiones hanc etiam præcipuam fuiſſe, vt pacem perpetuam cum regno Poloniæ conſtitutam ſeruaret, & iuramento confirmaret. Ad hoc itaque faciendum ſe illum exhortaturos: alioquin ſciret ſe ab officio Magiſtri depoſitum iri. Intereà Caſimirus exercitum ab equitatu & peditatu egregiè inſtructum in Pruſſiam mittere decreuit. Tandem inter Ioannem Ducem de Sagen & Ioannem Marchionem Brandeburgenſem occaſione nouæ Marchiæ pax confecta eſt & ſtabilita etiam cum clauſura, vt per nouam Marchiam Ioannes Dux in Pruſſiam exercitum abſq; tamen ſubditorum damno, ducere poſſet. Qui vt fidem ſuam Ordinis Magiſtro & Epiſcopo comprobaret, bona ſua apud Marchionem Guilelmum de Erhſen in non contemnenda pecuniæ ſumma oppignorauit, &, 3000. equitum & peditum Sileſiorum conſcripſit, & ad Ducem Pomeraniæ pro libero tranſitu miſit cum interminatione, ſi non concederet ſibi eum, ferro & flamma patefacturum. Pomeranus autem qui Poloniæ Regi affinitatis vinculo coniunctus erat, tàm ſuperbo Ioannis nuntio accepto, collecta ſuorum manu, ad fines prouinciæ ſuæ tutandos ſtatim miſit. Poloniæ quoq; Rex eidem, miſſo Coinitiam duorum millium equitum & ſex millium peditum præſidio celeriter ſuccurrit. Cæterùm cùm Ioannes loco moturus eſſet exercitum, exorta fuit in caſtris maxima ſeditio. Nec enim miles progredi volebat, niſi de ſtipendio perſoluendo bonis aliquibus immobilibus obligatis illi idoneè caueretur: alioqui barbatis in Pruſſia Monachis ſe non ſeruiturum, cùm non ignorent, qualiter ſtipendia perſoluere ſoleant. Dux verò cùm eam cautionem militi dare nollet, res ad extremum eò deducta fuit, vt proclamatum fuerit: Quicunq; in Pruſſia fortunam experiri vellet, id cuiq; facere liceret. Ita Dux ab expeditione per Pomeraniam ſuperſedit, & bona Sagen quæ Marchioni Guilelmo oppignorauerat, cùm eliberare non poſſet, perdidit. Rex autem Caſimirus

Comitia Brunsberga. cum manifestis argumentis didicisset rem in apertam rebellionem prorupisse, Brunsbergæ pro Dominica Palmarum generalia prouinciæ comitia indixit, è quibus splendida legatio ad Magistrum & Episcopum missa fuit: qua amicè monebantur, vt nisi se suaq; omnia deperdita velint, Regi Poloniæ obedientiam præstarent. Sed nihil apud obstinatos effici potuit: qui satiùs in sanguine proprio se velle suffocari responderunt, quàm vt Polonis subijci deberent. Dixerunt ad hæc legati: Nolunt itaq; vitæ & fortunarum miserorum nostrorum subditorum rationem habere? Ad hæc Magister: Omnes, inquit, subditi non tantùm sunt æstimandi, quantum vnus capillus Domini eorum. Ego me ipsum Polonis objiciam: quamobrem nec subditis meis parcere aut misereri conuenit. Me DEVS adiuuabit, & inclytus Vngariæ Rex, totumq; Romanum Imperium. Sum de hac re securus. Paulò pòst Magister conuocatis omnibus Dominij sui vasallis, occasione belli huius Regiomonti comitia habuit, & nobilitatem seu equestris Ordinis homines in suas partes facilè pertraxit. Cæterùm Ciuitatum nuntij sibi planè constitutum esse responderunt, quòd propter obstinationem Magistri, vitam fortunasq; amittere nollent. Cogitaret secum, quàm rectè illi in societatem belli contra Poloniæ Regem venire possent, cui iam fidem suam obstrinxissent, qui nullam belli occasionem eis dederit: nec iniurias eorum tantas esse, vt contra adeò potentem Regem arma sumere auderent. Quod si aliquis inimicus in prouinciam ad eorum interitum impressionem faceret, tunc se vitam & fortunas vltrò exposituros, omniaq; facturos, quæ fideles subditos præstare conuenit. Responsum hoc Magistro non placuit, qui atrocioribus verbis nuntios obiurgauit, quòd ab Ordine equestri dissentirent. Deliberarent ampliùs. Quam ad rem mensis vnius spatium illis concedebat. Sed eo elapso in eadem sententia persistebant, quòd ad iniustè bellum suscipiendum, quod sola obstinatione Magistri conflaretur, nulla ratione teneri volebant.

Sumbergius moritur. Mortuus est his diebus Bernardus Zinnenbergius, aliàs Sumbergius, qui à Regia Maiestate bona Strasburg & Althusium cum eorum attinentijs ad suæ & fratrum suorum vitæ tempora obtinuerat. Eo igitur defuncto frater statim ad Magistrum scripsit, vt si vellet, bona demortui occuparet, & præsidijs firmaret. Qui, 600. milites eò misit, & bona in potestatem redegit, deditq; ad Germaniæ fratres, vt eos languentes excitaret, literas: quibus significabat, se propemodùm vniuersam Prussiam breui recuperaturum, cuius rei iam essent magna iacta fundamenta. Ea res adeò Regem offendit, vt per Episcopum Cuiauiensem, tanquam pari dignitate præfulgentem Episcopo Nicolao bellum denunciari iusserit. Cæterùm quo minùs id cum Magistro quoq; faceret, preces F. Teutonicorum in Germania effecerant: qui Magistrum Regi obedientem futurum aut officio exutum iri, vt suprà dictum est, promiserant.

Quizinum expugnatur & exuritur. Itaq; Rex, 7000. electorum militum Duce Bielauio in Prussiam misit: qui vt Quizinum attigit, petiuit sibi liberum transitum concedi, quòd haberet à Rege in mandatis, ne quid molestiæ locis Magistro subiectis inferret. Sed parùm illi ciuitas fidebat, & aditu eum prohibuit. Itaq; dux exercitûs ciuitatem & arcem valida manu aggressus, vtramq; facilè expugnauit & exussit. Cathedralem tamen Ecclesiam ad elegantiam & munitionem egregiè constructam *Bellum in Varmia* occupare non potuit, quòd præstantiores robore viri, illatis eò facultatibus & opibus suis præclarè se tuerentur, & defenderent. Inde Bielauius Vartenburgum, Gutstadium, Seburgum & Resselium

expu-

expugnare aggreſſus, non abſq; ſuorum clade repulſus fuit, quòd oppida hæc ſatis benè munita, validis præſidiis optimè defenderentur. Vormditum, cùm aliquot dierum obſidionem toleraſſet & circumcirca omnia deuaſtata vidiſſet, vltrò ſeſe dedidit. Melſaccum plurimis pilis igneis ſæpiùs petitum, totum deflagrauit. Fraumburgum ſiue Varmia vim hoſtium ferre non potuit: qui deſolatas Canonicorum hinc inde diſperſorum curias exuſſerunt. Eccleſiâ verò, equis, tribus ordinibus diſpoſitis pro ſtabulo vſi ſunt. Indè Brunsberga obſeſſa, DEi & Diui Andreæ Patroni ſui, qui ſæpiùs in áëre apparuit, auxilium ſenſit. Nam ciues nullo damno accepto, eruptione facta, multos Polonos trucidârunt, & violati ac prophanati ab eis Varmienſis templi iuſtas pœnas exegerunt. Alia porrò exercitus Poloni pars Heilsbergam obſidione cinxit. Peditatus è regione arcis ſuper montem ab Alla vſq; ad fluuium Senſer foſſam ingentem duxit. Equitatus verò partem Ciuitatis, quæ campos & Groſſendorff pagum reſpicit, ita cinxit, vt nemo ingredi vel egredi portas auderet. Superuenit & recens miles, qui rates nonnullas in Alla fluuio exſtruxit: è quibus commodè tormenta bellica ad expugnationem arcis explodi poſſent. Erat tunc in arce Epiſcopus, qui ad obſidionem ferendam rebus neceſſarijs ſatis inſtructus erat. Magiſter autem ſocietatis cum Epiſcopo initæ memor, vt amico in obſidione poſito ſuccurreret, omnibus vaſallis præcepit, vt ad Heilgebeilam conuenirent: quorum luſtratione facta reperta ſunt promiſcuæ multitudinis 15000. quæ vt in eodem loco ſuis ſumptibus manerent, mandauit. Intereà exercitus hic victûs inopiâ preſſus excurſiones commeatûs causâ in vicinos pagos & oppida faciebat maximo cum incolarum damno, qui maximo cum eiulatu ſubinde conquerebantur, ſe tantis oneribus ferendis nulla ratione ſufficere. Quamobrem ad perſuaſionem Fratrum, Magiſter decreuit ex equeſtri tantùm Ordine firmanda arcium præſidia. Ciuibus autem nunciari iuſſit, vt quo vellent, etiã in malam rem, abirent. Ipſe ducentis electis equitibus comitatus Heilsbergam ire conſtituit, vt colloqueretur cum Epiſcopo: qui cùm ſe ſpe ſua fruſtratum omnibuſq; præſidijs deſtitutum animaduertiſſet, inducias cum Polonis fecerat, vt cum Regia Maieſtate de pace tractationem inire poſſet. Eum vt à priore conſilio Magiſter diſceſſiſſe cognouiſſet, renunciari illi fecit ſecretò, quòd concluſum, & deliberatum haberet ipſemet arcem ſuis præſidijs defendere, Epiſcopum autem ſecuritatis causâ Regiomontum transferre. Sed Epiſcopus coràm cum ipſomet ad colloquium conuenire recuſauit, dicens, ſe in ardentem febrim incidiſſe. Quamobrẽ ſi quid vellet, ſcripto cum illo ageret. Offendit ea res Magiſtrum vehementer, quòd ſocium ſuum parùm ſibi fidere animaduerteret. Quocirca videns ſe à Rege Vngariæ, ab Imperatore & expectatione eius militis, quem in Sileſia conſcribi iuſſerat, tum à vaſallis quoq; ſuis omni præſidio deſtitutum, ſociumq; Epiſcopum pacem à Rege petere, conſiliarijs Pruſſiæ per ſubditos ſuos, non ſuo tamen nomine denunciari fecit, vt ab illis locus & tempus de tractanda pace conſtitueretur. Indicta ſunt itaq; pro feſto S. Urſulæ in Elbingenſi Ciuitate comitia, in quibus ſubditi Magiſtri & Epiſcopi comparuerunt, paratos ſe ad obedientiam Regiæ Maieſtati præſtandam aſſerentes, modò tempus aliud illis conſtitueretur, quo de ratione totius negotij ad exitum deducendi certi aliquid concludi & definiri poſſit. Etſi autem Domini conſiliarij facilè videbant

S. Andreas in arce ſuper Brunsbergã viſus.

Heilsberga obſidetur.

miseros subditos rem suam agere, qui se tot bellis implicari moleste ferebant, dederunt tamen eorum petitioni locum, vt alia comitia pro festo S. Nicolai Thorunij indicerent: in quibus cùm nullus nomine Magistri & Episcopi comparuisset, cœpit illicò mandante Rege miles Polonus (qui alioquin sub inducijs modestè se gerebat) furere, & populationibus ac cædibus miseros colonos vexare, & acriter Heilsbergam oppugnare, in ipsisq; Episcopatûs confinijs etiam Magistri ditionem inuasit, & circa Bartensteinum, Neidenburgum, ac Passenheimum flamma ferroq; absq; vlla miseratione deseuijt. Hic iterum coloni tam Magistri, quàm Episcopi calamitates suas deplorare, & magnoperè de Dominis suis conquerebantur, quòd nec pacem constituerent, nec subditos tuerentur. Petiuerunt deniq; comitia congregari, quæ pro festo Epiphaniæ Elbingæ habita fuerunt. Ibi se per nuntios excusabant, quòd cùm Vngariæ Rex cum Casimiro Rege Olomutij in Morauia pacis tractandæ summam in se recepissent, Thrunium ad proximè præterita comitia venire non potuerint. Responsum est illis acriter à Dominis consiliarijs: eos non ita obturatas nares habere, vt odorari non possent, vnde dilationes istæ veniant: quæ tot insignibus mendaciorum pallijs obtegantur & velentur. Pro vltima declaratione se breue tempus ad festum duntaxat Purificationis illis concedere, intra quod si homagium Regiæ Maiestati non præstiterint, sciant in se flamma & ferro animaduersum iri. Elapso tempore nihil eorum quæ debebat Magister & Episcopus præstitit: sed nec facti sui excusationem aliquam attulit. Quamobrem statim per literas Rex Magistro bellum denunciauit, & 10000. militum in Prussiam misit. Intereà Magister conuocatis omnibus ditionum suarum Ordinibus, literas Regias, quibus bullum illi denunciabatur, exhibuit: fidei ac officij admonuit: vtq; in hac tam extrema necessitate maiorem alacritatem & constantiam, quàm hactenus fecissent, illi comprobarent, postulauit. Ad ea habita priùs deliberatione & inter se consultatione status responderunt: Nihil cum illis in initio de bello hoc communicatum fuisse: itaq; etiam nunc de belli huius subsidio, quod peteret, nihil scire velle. Quod sibi quisq; intriuit, id comederet. Quandoquidem ipse absq; causa cum ipsorum sanguinis effusione bello sacerdotali sese implicauerit, vt eorum clade & interitu nominis celebritatem acquireret, eos voluntati suæ morem gerere nulla ratione teneri. Monebant itaq; vt absq; longiori procrastinatione iuxta condictas perpetuæ pacis conditiones in verba Regis iuraret, & sic cladem à vasallis & ditionibus suis auerteret. Iratus hoc responso Magister & assumptis non paucis Ordinis militibus & nobilibus in vniuersum circiter, 200. equitibus, cùm eis animum aliquid cum laude aggrediendi declarasset, ipsiq; præstò se illi in omnibus, quæ ad nominis eius dignitatem pertinerent, adfuturos pollicerentur, statim Heisbergam contendit, & ex improuiso adortus plures Polonos interfecit, rate super Allam fluuium cum triginta militibus egregijs & viginti tormentis bellicis maioribus, quæ mutuò ab Elbingensibus & Gedanensibus acceperant, in potestatem redacta. Insequenti die tormentis secundo flumine abductis Bartenstenum re feliciter gesta reuersus est. Nec tentandam ampliùs Martis aleam cum Polonis arbitrabatur, qui aliquot millia benè instructa habebant. Poloni cladem illatam vlturi eum insecuti sunt & in fuga plures ex militibus Ordinis interfecerunt. Iam

verò

verò cùm Rex Caſimirus, receptis cæteris munitionibus, maiora indies militum præſidia Heilsbergam ſubmittebat, & Polonus in ditionem Magiſtri ſubinde excurſionem faceret, & illi, in quorum ſpem Magiſter bellum hoc ſuſceperat, nulla ſuppeditarent auxilia, Magiſter cum Epiſcopo ad præſtandum Regiæ Maieſtati homagium conſenſerunt: ſuper quo negotio conſilia ſua cum Mathia Vngarorum Rege contulerant. Et licet Nicolaum Epiſcopum propediem debellatum iri ſperaret, nec ſibi expedire videret aliquid ei laxamenti concedere, iuſſit tamen ad poſtulationem Vngari exercitum ſuum ab Heilsbergæ obſidione diſcedere, & omni bello abſtinere. Ad Vngarum verò tres legatos miſit cum ſumma poteſtate Caſimirus, vt de conuentu cum illo conſtituerent & ſpem ipſi facerent, facilè & Magiſtrum & Tungenum veniam impetraturos. Cùm his mandatis profecti oratores Regij multis cum Mathia & conſiliarijs eius colloquijs habitis, tandem conſtituerunt, vt ad Pentecoſten Mathias duos Epiſcopos ac totidem alios Proceres Siradiam ad conuentum cum Polonis inſtituendum mitteret: Magiſter verò Crucigerorum & Nicolaus Tungenus ipſi adeſſent, & communi Ungarorum & Polonorum placito Caſimiro reconciliarentur. Rex Petricouiâ Siradiam nonnullos conſiliarios miſit: vbi Magiſter quoq; Crucigerorum & Nicolaus Tungenus & Regiæ Pruſſiæ conſiliarij affuêre. Sed cùm ad 20. diem fruſtra Ungaros expectâſſent, Petricouiam ad Regem venerunt: Magiſterq; nigro, Epiſcopus rubeo panno familiam veſtitam habebat. Tungenus quidem ad pedes Regis proſtratus veniam impetrauit: permiſſusq; habere Varmienſem Epiſcopatum, cum Rege ipſe pariter & quæ præſens erat legatio eiusdem ſacri Collegij pacto ſempiterno conſtituit, vt omnes deinceps Epiſcopi, primores ſiue Prælati, vt vocant, & Canonici illius baſilicæ intra certum tempus, poſteaquam electi aut in collegium id cooptati fuerint, conceptis verbis fidem ſuam Regi Polono obſtringant, & præſtò ſint illi quoties opus erit contra Crucigeros: aduocatus quoq; Epiſcopalis, vt & ipſe in verba Regis iuret: nec præficiatur quisquam ei muneri, niſi Regis Poloni aut Eccleſiæ eiusdem ſubditus. Cæteri verò homines, qui ſunt in ditione Epiſcopi & Collegij decimo quoq; anno idem faciant. Prouocationem ad Regem vt habeant: Collegium ſacrum vt non niſi gratum Regi Epiſcopum ſibi deligat. Sed hæc eligendi Epiſcopi ratio poſtea mutata eſt. Hæc ita tunc conuenêre. Ut verò vidit Magiſter Tungenum ſupplicem factum: alta voce eum doloſum Iudam, quid feciſſet, appellauit. Nec multò pòſt ipſe Tungenus cum toto Collegio in arce Marieburgenſi, quemadmodum conuenerat, promiſſum impleuit. Magiſter verò vanis Mathiæ promiſſis clandeſtinisq; literis & nuntijs lactatus difficiliorem ſe præbebat, affirmans, cutem ſibi detrahi ſe paſſurum priùs, quàm in verba Regis Poloni iuraturum. Confirmabat autem eum Mathiæ legatio, quæ ad Caſimirum venerat, de differendo in aliud tempus conuentu Siradienſi, & inducijs cum Magiſtro & Tungeno prorogandis poſtulans. Pendebat enim tum Mathias ex euentu eius conuentûs, quem cum Vladislao Boëmorum Rege apud Olomucium de pace inſtituebat: eoq; conuentu ſe diſtentum præſeferens, prorogationem conuentus Siradienſis & indiciarum à Caſimiro petebat. Nec ſanè difficilem hic ſeſe in eo, quod poſtulabat ille, præbuit: miſſisq; ad eum Paulo Iaſenio Sendomirienſi, & Ioanne Baſe-

Epiſcopus Varmienſis reconciliatur Regi.

no Marieburgensi, quem nunc Elbingensem vocant, Castellanis oratoribus, ad diem Diuo Batholomæo sacram conuentum & inducias prorogauit: ipse interim Radomiam, vbi Regina erat, cum liberis secessit, Magistro relicto Petricouiæ. Ibi enim dilatum conuentum expectare ipsi visum est, non ausus ad suos in Prussiam pace infecta redire: sed cum suis Casimirum Corsinum secutus est. Interea pax inter Ungarum & Boëmum coiuit. Pace autem facta cùm nihilò magis appareret in Polonia Mathiæ legatio, Magister cum suis Casimirum Corcinum, quo se contulerat, secutus est. Eo tandem sub initium Octobris Stephanus comes Scepusiensis & Venceslaus Beciconius Boëmus legati à Mathia venerunt, Regemq; suum excusarunt, quòd bello Turcico implicatus Siradiam consiliarios suos ad constitutam diem non misisset. Satagebant autem ij magnoperè Magistrum cum Rege Poloniæ in gratiam reducere, renitentem admodùm, quòd se in verba Regis Poloni nunquam iuraturum esse DEO & homini (Mathiam significans) fidem dedisse diceret. Proferebat autem non pauca, quibus se à Casimiro læsum esse præseferebat. Quæ cùm omnia clarissimè refutata essent, Oratores Ungari eum à pertinacia reuocabant denunciabantq; apertè: non oportere eum deinceps vllam rerum suarum spem in Mathia collocare: barbarico bello illum distineri: neq; commissurum esse, vt iniustam causam tueretur. Iam verò sui quoq; eum obtestabantur, ne se & ipsos iret perditum: ac ne minis quidem abstinebant. His igitur non tam flexus quàm fractus, decessit tandem de pertinacia, & nona die Octobris pacem & fœdus cum Polonis redintegrauit, & in arce Corcinensi fidelitatis & subiectionis iusiurandum Regi solenni Ceremonia dedit, præeunte verba Ioanne Cracouiensi Episcopo. Idem fecêre, qui cum ipso venerant primores Crucigerorum, & cum his sex alij de nobilitate, ac tres Consules Regiomontani. De cæteris verò omnium Ordinum, qui tunc aberant, promissum, quod & ipsi idem iuraturi essent legatis Regis præsentibus. Iurarunt & Regi consiliarij, qui recens in Senatum electi erant, se fœdus initum seruaturos esse. De Brodnicia verò & Culma & Starigrado à Magistro interuersis conuenit, vt is eas munitiones ad diem Diuo Martino sacrum Regi redderet, octo millibus florenorum ab eo acceptis. De damnis eo bello, quòd cum Nicolao Tungeno gestum est, Magistro & Ordini datis quaterni à Rege Magistroq;, & nonus ab ambobus communiter delecti arbitrarentur. Soluitq; eo nomine posteà Rex Magistro, 1500. aureos Ungaricos Porrò de literis fœderis inter Ungarum & Magistrum icti placuit, vt vtrinq; ad diem postridie Calend. Febr. ad Rudolphum Vratislauiensem Episcopum transmitterentur, & ab eo præsente Ioanne Lascio scholastico Gnesnensi scriba & nuntio Regio nemini lectæ concerperentur. His ita peractis magna omnium lætitia Ungari oratores & Magister cum suis honorificè accepti, ac donati diuersi discessêre. Nec ita multò pòst Rex in Lituaniam cum Regina & liberis festinauit, Ioanni Episcopo, Iacobo Dambienio Castellano & Præfecto Cracouiensi, & Paulo Iasenio Castellano Sendomiriensi commissa cura transigendi cum mercenarijs militibus, qui ob non soluta Prussica stipendia passim & maximè in Ecclesiastica bona hostiliter grassabantur, à nullo scelere & flagitio sibi temperantes.

Truchsessius Magister Ordinis homagium præstat Regi.

Anno

Anno 1480. moritur Vincentius Kelbassa XVI. Episcopus Culmensis, ex supradictis notissimus. Casimirus ei non solùm hunc Episcopatum contulit, sed vt sibi eum magis in fide deuinciret, etiam Pomesaniensem tradidit. Præfuit vti Polonus. Quocirca subditi eius ab eo se subducebant, vt poterant, desertis ædificijs & agris. Lubauiæ mortuus, Culmseæ sepelitur. Successit ei Bartholomæus XVII. Episcopus Culmensis ex Decano Quizinensi. *1480. Kelbassa Episcop. Culmensis moritur*

Circa hoc tempus in taberna pagi Rositen frequenter de mane vitâ functi homines, qui pridie vesperi incolumes saniq; fuissent, eam ingressi, reperiebantur. Vnde in suspicionem caupo deuenit, quasi cereuisiam intoxicatam, quibus vellet, propinaret. Hoc anno tandem 1481, quid rei esset certò deprehensum fuit. Nam eandem tabernam ingressi quidam ex Samogitis, alij ex Liuonibus pernoctarunt. Refectis corporibus vtraq; natio seorsim dormitum abijt. Liuones verò qui paulò longiùs vigilias produxerant, & tardiùs obdormierant, animaduertunt, ad clamorem felis è columna lignea, quæ in medio hypocausti stabat buffonem egredi: quem felis appropinquantem linguâ linxit. Conuersus deinde ad dormientes ijs spiritum singulis insufflauit. Quare creditum fuit extinctos hactenus simili modo perijsse. Delata re ad loci aduocatum, vt eam is probaret, condemnatum sceleris hominem ad experimentum facti destinauit, & veritatem inuenit. *1481.* *Buffo lethalis.*

Anno sequenti, 1482. ad medium mensis Iunij, pestis atrox ex Vngaria proserpens, Cracouiam, cunctamq; minorem Poloniam inuasit. Subsequenti verò anno, maiorem quoq; Poloniam, Masouiam, Prussiam, ac Boëmiam inuasit, & plurimos mortales absumpsit. Anno 1486. in die Visitationis Virginis Mariæ, terribilis tempestas Gedani exorta, quinq; horis durauit: ex qua credebatur ciuitas interitura. Visi sunt per aëra ferri ignei globi: quin & voces Dæmonum auditæ sunt, permitte, nostri sunt: alijs respondentibus, non admittere id sacros canes, (ita campanas appellabant) quæ in omnibus Ecclesijs pulsabantur: & quidem adeò grauiter, vt in quibusdam rumperentur, aut etiam in postibus accenderentur. Statuebatur sacra Eucharistia in altaribus, ante quam homines prostrati jacebant, & ingemiscebant. Exoratus ab his DEus, nimbum misit ac flammas restinxit. Moritur Magister Martinus Truchsessus Franco Regiomonti, inq; collegio sepelitur anno Christi 1489. Quem secutus est in Magistratu, Magister XXXII. Ioannes Tiffenus. Nicolaus etiam Tungenus in maxima rerum varietate & perturbato statu multa perpessus, eodem anno 14 Febr. obdormiuit, & in Ecclesia Varmiensi humatur: de quo distichon sequens proditur. *1482. Pestis.* *1486. Tempestas valida* *1489. Mors Nicolai à Tungen, Varmiæ sepelitur, præfuit Ecclesiæ circiter 14. annis.*

Teutonicis junctus bellis vexabar iniquis.
Iuraui in Regis verba, quietus eram.

Quod distichon est Thomæ Tretteri Canonici Varmiensis, sicut & alia quæ sequentibus Episcopis subjicientur. Successit Nicolao in Episcopatu Varmiensi XVII. Episcopus Lucas Veiselrot, aliàs de Allen. I. V. Doctor, Ciuis cuiusdam Torunensis filius, Canonicus Varmiensis: à Capitulo legitimè electus ac Romæ confirmatus ac consecratus Episcopus. In Prussiam veniens, quietam bonorum Episcopatûs possessionem assecutus fuit. Rex tamen Casimirus, nonnullis de causis illi offensus, dignitatem hanc ad eum delatam ægrè ferebat. Cumq; pro veteri priuilegio nullus in Polonia absq; *Lucas ab Allen Episc. Varm. XVII. Torunen.*

scitu

ſcitu Regis in Epiſcopum promoueri poſſet, de eo, loco amouendo, ſedulò cogitabat. Sed quòd Epiſcopatus poſſeſſionem haberet, & vir doctus, pius, linguarum peritus, adeoq; vitæ exemplaris eſſet, quòd illum ridentem nemo vnquam viderit, ſenatores Prutenı eius defendendi curam ſuſceperunt, ne quid durius Rex in eum ſtatueret: qui etiam ætate, valetudineq; fatigatus, eum deniq; facilè tolerabat.

Mors Caſimiri Regis.

Moritur poſthæc Caſimirus Rex anno Chriſti, 1492. Menſe Iunio. Caſimirus iſte, poſt mortem Bartholomæi XVII. Epiſcopi Culmenſis, contulit Epiſcopatum Stephano Canonico Culmſeenſi & Parocho Elbingenſi XVIII. Epiſcopo, ad commendationem Ioannis & Nicolai Baſenorum fratrum, à quo & fidelitatis iuramentum accepit. Diues hic Epiſcopus, & iucundus in conuiuijs fuit: nec detrectabat choreas pede claudo ducere. A quibus monitus, non difficulter deſtitit. Succeſſit Patri Regi in regno, 27. die Menſis Auguſti Ioannes Albertus filius. Is Ioannem Tiffenum Magiſtrum Crucigerorum è forma fœderis euocauit ad bellum contra Turcas: qui comparens Leopoli in infirmitatem incidit: vbi etiam extremam diem clauſit. Sueuus fuiſſe proditur, ex commendatore ad Magiſtratus apicem promotus. Mediocris ſtaturæ, criſpo cano capite, viuacibus oculis, ruffis genis naturaliter tinctus, verborum paucorum. Ab ingreſſu Ordinis regulæ obſeruantiſſimus, lectiſternijs vſus non eſt, nec induſio lineo. Pius & timens Deum. Vtebatur ſæpiùs prouerbio, O pater cæleſtis, vnde vulgò dictus fuit, Himmlischer Vatter. Omnibus ſe humanum, paribus æqualem, inferioribus amicum, ſuperioribus obedientem præſtitit: ſubditis patrem, non Dominum. Plurima debita cùm reperiſſet, eos tamen grauare noluit contributionibus, præterquàm quòd dum ad Regem homagij præſtandi gratiâ iret, tùm ſoluebant ei mediam marcam de manſo: & dum aduerſus Turcas proficiſceretur, de marca tres denarios. Quò dum iret, diſſuadebant illi iter plurimi propter grauiorem ætatem, & vt alterum ſuo loco mitteret. At ille, inquit, minimum inter ſuos ſe meliorem eſſe: & vbi ſui manerent, ſe quoq; manſurum. Reperit hic dum arces viſitaret, in arce Brandeburgenſi inſignem theſaurum ſacrarum reliquiarum ruderibus oppletum. Earum causâ iuſſit parari tabernaculum ex ſex marcis argenti puri. Sed dum theſaurarius argentum quærit, reperta fuit ſola vna marca. Detulit inopiam talem Magiſtro theſaurarius eamq; deplorauit, quod è ditiſſimo in egentiſſimum euaſerit. Quem, poſtquàm Magiſter gratias DEo egiſſet, conſolatur, dixitq;: Equidem iam diſcimus, omnia inobedientiâ ad primum ſtatum deuolui, iuſtitiâ Dei ita ordinante & diſponente. Cùm initium acciperet Ordo noſter, nihil habuit Ptolemaidæ præter piorum hominum eleemoſynas & vnum hortum. Creſcente dehinc pietate in Deum & homines, augebantur etiam redditus & bona Ordinis. Quæ omnia nunc propter inobedientiam noſtram in Deum & inſolentiam erga ſubditos elapſa ſunt. His dictis ingemuit & abijt. Sub eius regimine contigit nauem deferri ſuborta tempeſtate in arenam octaua die Septembris in angulo Bruſtenſi. Ioannes à Libental aduocatus Grunenhofenſis, ita periclitantibus omni auxilio interdixit, homo auarus, cùm vteretur lege Rhodia. Sed delato negotio ad Magiſtrum, ſuccurſum eſt naui. Nec ignobilior hâc altera de ipſo refertur hiſtoria in ſubditorum gratiam. Proficiſcebatur quandoq; Brandeburgo

Ioannes Tiffenus Magiſter pius.

go Regiomontum: Veniens verò ad montem Haberberg dictum, unde tota Ciuitas Regiomontana perſpicuè cerni poteſt, alta traxit ſuſpiria. Animaduertit hæc quiſpiam ex conſiliarijs. Nec mora, propiùs adequitat & Magiſtrum, cur ita ſuſpiraſſet, interrogat. Num aliquo morbo conflictetur? Reſpondit ille, iteratò ſuſpirando: Videre ſe pulcherrimam hanc Ciuitatem, & animo perpendere, quàm malè ſibi proſpexerint anteceſſores ſui, quòd ex cunctis maioribus ciuitatibus hæç vnica tantùm ſuperſit Ordini, tantaq; debita conflauerint, quibus nec illi nec nos ſoluendo pares ſimus. Ideò non poſſe eum non ſuſpirare. Tùm conſiliarius, Clementiſſime Domine, inquit, noſtis hactenus vberes fructus notabiliter quoſuis ſtatus ditaſſe ſubditorum veſtrorum. Ne quidem puella ruſticana reperitur, quæ veſticulam ſuam argenteis bullis non exornet. Quid dicam de earum matribus familias? Quid de ornatu Ciuium eorumq; coniugum? Quid de nobilibus, qui ſe veſtitu Comitibus & hiſce maioribus æquiparant? Hi ſi cenſeantur, æris ſatis magna copia poterit congregari. At Magiſter: rectúmne hoc tibi, inquit, medium pecunias coaceruandi videtur? Reſpondit, per omnem ſanè modum. Magiſter ſubdidit. Auertat Deus, vt id à ſubditis, quod is ipſe illis benignè largitus eſt, auferamus. Quomodo id nobis perſuadere conaris? Ignoras fortè id feciſſe prædeceſſores noſtros, ac ideò rem ipſis malè ceſſiſſe? Non ſolùm faueo & cupio iſta ſubditis, quæ habent, ſed & ſi his magis pretioſa deportarent, ipſis gratularer & mihi gauderem. Nam hæc eſſet gloria Ordinis noſtri, qui haberet locupletes ſubditos. His auditis erubuit conſiliarius & retroceſſit. Leopoli Regiomontum funus eius deuectum in collegio ſepultum fuit.

Nullo vnquam tempore caruit mundus deceptoribus, irriſoribus, ac proditoribus: quibus Eccleſia Dei mirum in modum conturbata & afflicta eſt. Ita & his temporibus non modicum ſcandalum ortum eſt in Pruſſia, duobus nebulonibus authoribus, ob nequitias ſuas Marieburgo pulſis. Vterq; literas vtcunq; nouit: in ſtrophis magis exercitati. Vnus Chriſtus, in dicterijs præcellens: alter Petrus dicebatur, qui Petri Apoſtoli perſonam ſuſtinuit, ſicut ille furcifer Chriſti Domini: aſcitis ſibi alijs vndecim nomine aliorum diſcipulorum. Ingreſſi inferiorem Pruſſiam prædicabant populo, prædicebantq; ruſticis futura. Sequebantur illos fictitij languidi quos Chriſtus fictitius ſub nomine Patris cœleſtis à morbis ſanabat. Quid multis? Auditis hiſce Reſſelienſes oppidani, impoſtores ad ſe humaniſſimè inuitabant: nec verebantur acceptos pro veris Apoſtolis habere. Hi impoſtores non exiguijs pecunijs corraſis Raſtenburgum commigrarunt: ne eorum mora Reſſelij longiùs extracta, ſimulationis pelle detractâ, quid in rei veritate eſſent, oſtenderet omnibus. Et verè quod hic verebantur, iſtis Raſtenburgi accidit. Nam vt Magiſter eorum aduentum in ditionem ſuam cognouiſſet, captos, queſtionibuſque ſubiectos veritate reperta ac inſuper 5000. marcarum, quas ſtrophis ſuis collegerant à miſera plebe, ſummâ, è finibus ſuis ejecit. Pſeudopropheta Chriſtus commigrauit: cumq; ijſdem fraudibus faciendis ſtuderet, à quodam Hectore Machwitz iuſſus eſt ſuſpendi. Dum ſcalas aſcendit, renunciari Reſſelienſibus rogauit: ſic illorum Deum cœlos aſcendiſſe.

Chriſtꝰ & Apoſtoli fictitij.

Anno 1497. Die 20. Febr. celebrauit Lucas Epiſcopus Varmienſis ſynodum in qua ſtatuit ſub 34. & 35. paragraphis, vt Parochi

poſt

post Conciones Prussis linguâ Prutenicâ Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum & confessionis generalis formulam ex ambone pronuncient: & vt ista ignorantes siue Teuthonici, siue Prussi, à communione sacræ Eucharistiæ omninò sint alieni. Item quòd rectores Ecclesiarum Parochialium habentes Teutonicos & Prutenos in parochia sua permixtim, si suppetant facultates, Capellanum Prutenum habere debeant. Si verò facultates rectorum non suppetant, ad alendum Capellanum Prutenum vel Teutonicum, ex tunc curatus Teutonicus per se & Prutenis per interpretem vno contextu prædicet verbum Dei. Ex quibus verbis intelligi potest qua cura Episcopus affectus fuerit erga Prussos: scilicet, non nisi optimâ, vt eos lucri Deo faceret. Hoc ipso anno arx Heilsbergensis tota conflagrauit. Lucas Episcopus in eius restaurationem non pauca impendit.

Ioannes Rewinkel Episc. Sambiensis moritur.

Eodem anno, 1. Aug., moritur. XVI. Episcopus Sambiensis, Ioannes III. Rewinckel, Stargartensis, Magister artium, Canonicus Regiomontanus. Donatum eum Episcopatu Magister Romam misit, vt si quis illic defensionem demortui Episcopi susciperet, ipse se illi opponeret. Cùm illi in examine objiceretur facinus in eius prædecessorem commissum, respondit informatus & iussus à Magistro: quòd Dieterus Episcopus F. sui Ordinis homo fuerit leuissimus: sæpiùs vltrò cum testudine domos ciuium ingressus esset, & cum illis conuiuia celebrasset. Sententiæ eius fuisset, vt arreptis pecunijs & clenodijs Ecclesiæ suæ, fugeret. Hoc vt anteuerteret Magister, carcere eum compescuisset, cùm ille interea obijsset. Cùm adhæc nemo responderet, Ioannes in Episcopum ordinatus est. In Fischausen mortuus, sepelitur in collegio Regiomonti. Ioanni Tiffeno vitâ functo, anno 1498. in Magistratu Fridericus Georgij Saxoniæ Ducis filius, XXXIII. Magister Ordinis Teutonici successit. Is, educatus erat Coloniæ, vbi sacrista erat & Canonicus, assumpsit sibi Guilelmum ab Eisenburg Marsalcum, Simonem à Draha magnum Commendatorem, Nicolaum Spijs, Collegam. Alios officiales non mutauit. At vbi posthac aliquod officium vacasset, Misnensem mox in eius locum non sine inuidia substituit. Iam Rex Ioannes Albertus in Prussiam iter & expeditionem parabat, quò Ordinem Teutonicorum Crucigerorum cum suo Magistro ad officium reuocaret. Nam Fridericus detrectabat iurare in verba Regis, iuxta pacti & fœderis formulam.

Literæ in succino repertæ.

Hoc anno sequentis tenoris literæ repertæ sunt in succino: Anno Christi 1332. existente Magistro Ludero Principe Brunsuicensi, ego F. Hermegastus ex Arfenberg Præfectus succini in Lochstet, curiositatis & experientiæ causâ, has literas in massam, quæ in Sambia in montibus arenosis, ex qua vi aquæ marinæ succinum fieri creditur, inclusi, inclusasq; mari immergi feci, credens, quandoq; emersuras. Has literas superfuisse suo tempore prodit Grunauius. Credebatur verò materia quædam gigni in arenosis albis montibus Sambiæ, in quibus & quercus & pini essent: quæ deflueret ac in succinum verteretur. Esset verò ista materia vt massa panis coquendi, nunc alba, nunc flaua, nunc subcana. Si non delabebatur in aquas maris, nihil ex ea fieri deprehensum est. Sed ad propositum.

Igitur post medium Aprilem anni, 1501. Rex in Prussiam contendit. Torunium cùm peruenisset, ad Fridericum Magistrum legatos

tos misit hortatum, vt is sua sponte officium faceret potiùs quàm Polonorum vim & arma experiretur. Non apertè is quidem negabat, sed varijs excusationibus rem extrahebat, quo se interim Maximiliani Cæsaris & aliorum Germanorum Principum, omnia prolixè pollicentium & ad rebellionem cohortantium auxilijs confirmaret. Dum eunt redeuntq; legati, Ioannes Albertus Rex apoplexiâ vitam finiuit. Et successit ei Alexander Magnus Dux Lituanorum filius Casimiri quartus. Eodem anno, 10. die Aprilis moritur Ioannes IV. decimus septimus Episcopus Pomesaniensis ex procuratore Ordinis in aula Pontificis. Inuestitus priùs in ordinem, Episcopatum accepit promotore Martino Truchsesso Magistro. Ordinatus fuit in Episcopum Romæ. In eo laudatissimus, quòd singulis angarijs (reputabatur hæc gratia magna in Prussia) Sacerdotes consecraret. Iubilæis tribus impetratis pro Ecclesia sua Quizinensi, ingentem pecuniæ vim collegit, qua beatæ Dorotheæ corpus eleuaret. Sed hac Crucigeri oppignorata sua bona redemerunt, & ipse de reliquis turrim ad collegium Quizini extruxit. Moritur decrepitus ac Quizini sepelitur. Successit ei in Episcopatu Iobus Dobeneck, XVIII. Episcopus Pomesaniensis.

Alexander Rex promotus ad regnum, Vere proximo, anni, 1504. *Alexander Rex Poloniæ.* posteaquam pluuiæ & insolitæ inundationes remiserunt, in Prussiam venit, & iusjurandum fidelitatis à Prussis exegit. Fridericus verò Magister Crucigerorum, cognito aduentu Regio ad consanguineos suos in Saxoniam se recepit, ne vel iurare in verba Regis, vel improuisi belli molem imparatus sustinere necesse haberet: sublato secum ingenti thesauro, quem per substitutos suos regentes acquisiuerat, qui Ciuitates ad ternas contributiones, tractationibus *Contributiones in Prussia.* vsi & conuiuijs, deduxerant, in quarum prima prouenissent, 95000. marcæ, in altera, 94000. De summa tertiæ, nihil literis proditur: nisi quòd & ipsi authores contributionum, suas bursas sufficienter impleuerint. Prætendebant verò illi ipsi, Magistrum hanc pecuniam expensurum pro redemptione Prussiæ, Imperatori. Dabantur, vt conquirerent aurum, pro Vngarico grossi, 50. pro Rhenensi septem fertones, pro Dauidico floreno, 30. grossi. Et quidem vt abiret Magister in Germaniam, id in conuentu quodam Memelensi ab omnibus Crucigeris præsente etiam Magistro Liuoniæ, conventum fuit: relicto in loco suo Guilelmo ab Eisenburgo. Antequam in Germaniam abisset, ordinationes sequentes condidit.

1. Prohibemus omnes emptiones & venditiones in diebus festis, *Ordinationes variæ.* quæ celebrari pro obedientia Catholica debent: exceptis cibo & potu necessarijs. Propinationes verò cremati, ac omnes alias collationes sub Missa, vetamus, sub amissione omnium bonorum. Neque aliquis profectiones instituat absq; necessitate. 2. Nullæ compotationes fratrum & Sodalitiorum fient diebus Pentecostes, in natali Christi, in die S. Ioannis & similibus festis: sed pro diebus prophanis posteà has conuentiones facient: & solùm per tres dies. Qui in ciuitatibus contra id peccauerint, tres bonas marcas: qui in pagis tres leues singuli pendent. 3. Nullæ congregationes Ciuium diebus festis ante Missam fient absq; singulari causa. 4. Nulla judicia fient diebus festis quauis etiam magna de causa. 5. Nemo hospitum permittat fieri foliorum, duplicatos vt vocant, lusus, sub pœna 10. m. b. Neq; vt in tales vsus expendantur plures, quam media marca. Si quis plus expenderit, pœna pro qualitate ludentis

exigetur. 6. Cùm ex conuiuijs & puerperijs penuria nascatur & bonorum decretio. Ordinamus, vt nobiles in nuptijs hospites ad duodecim scutellas: ciues ad sex: sculteti ad quatuor: coloni ad tres inuitent: nuptiæq; vesperi inchoatæ à copulatione solùm per vnum diem durent. Puerperijs intererunt patrini atq; cognatæ & consanguineæ puerperæ, sine tamen præiudicio procedentium in comitatu ad Ecclesiam & offertorium. Pœna committitur iudicio Magistratûs, quæ 10. marc. non excedet. 7. Vbi moris est celebrari conuiuium Scabinorum, in eo expendetur vas vnum cerevisiæ, & duo petasones. Vbi consuetudo non est, non intraducatur, sub pœna, 10. bon. marc. 8. Artifices non pluries, quàm quater in anno conuentus celebrabunt: quibus duo ex Senatoribus intererunt. Si aliter fiat, pœnam deponent singuli b. m. vnam. 9. Nemo ex sodalibus artificum Lunæ diebus vacabit à labore potandæ cereuisiæ intentus. Et quidem hospes apud quem potitant pro pœna soluet marcam: ipse sodalis, duos fertones: Magister ipse qui sodalem ad iudicem non defert, vnam marcam. 10. Nemo Sodalium intra quartam anni partem à Magistro suo migrabit: Magister verò eum dimittere, potest quando vult: sub pœna 30. bonorum solidorum. 11. Intra vnum iustum milliare nemo artifex in pagis habitabit aut laborabit: nisi satisfacere voluerit Magistris, & si ipsi in hoc consenserint. 12. Magistratus ciuitatum attendent, vt artifices res suas & facturas iustè conficiant, earumq; pretium statuent, sub pœna amissionis falsarum facturarum. 13. Quilibet ciuium habebit ferreum thoracem, loricam, pileum ferreum, collare ferreum: arcum, hellebardam & bombardam, sub pœna amissionis juris ciuilis. 14. Nemo iure ciuili gaudebit in posterum, nisi sponsores habeat, quòd velit iuramento ciuico respondere: & hoc ipsum iurejurando confirmet sub imagine Crucifixi. 15. Nemo in ciuitatibus aut pagis conuentus faciat contra Magistratum & Ordinem sub pœna amissionis omnium bonorum. 16. Nunquam Senatus totam communitatem, quantalibet sit necessitas, sed seniores populi aduocet. Sub pœna Senatus eius mali, quod inde emerserit. 17. Mercatores mercium non statuent pretium: sed hoc faciet Senatus cum scitu Domini: sub pœna exilij per annum & diem. 18. Omnes piscationes seruabuntur iuxta plebiscitum cuiusq; ciuitatis, vt antiquitus fuit. 19. Vnusquisq; rusticus eius erit, vbi primùm domicilium fixerit: licet ad eum alibi deuoluantur fundi. Potest verò dominium tali gratiam exhibere. 20. Nemo inposterum ex scultetis & rusticis mercaturam exercebit, sed agrum suum colet, sub amissione bonorum. 21. Cui se famulus aut famula seruitio mancipauit, apud eum manebit. Si famulari noluerit, id octo hebdomadibus antè Dominio suo indicabit: neq; eum dimittet Dominium absq; rationabili causa sub pœna vnius b. m. 22. Si famulus aut famula nubere voluerit, id nullum Dominium prohibebit, sed seruitium complere debebit, siue per se, siue per alium, qui sit Domino gratus, sub pœna amissionis mercedis. 23. Neminem rusticus famulum conducet sub spe conseminationis faciendæ, sub pœna duar. bon. mar. dominio soluendarum. Si quò eat famulus & non reuertatur statuto tempore, dabit mediam marcam. Si id eius Dominus reticeat, vnam marcam is deponet. 24. Nequaquam tolerabuntur otiosi. Hos deferent Sculteti ciuitatum & pagorum: sub pœna trium bon. marc. Tales verò per annum catenis mancipentur. 25. Nullus Lituanus,

Samo-

Samogitta, aut Curo deportabit arma, aut ignile, de quibus moneantur primùm. Pœna horum erit apud Iudices pro qualitate personarum. 26. Nemo ex Magiſtris artificum recipiet ſodalem, qui à Magiſtro ſuo propter diſcordiam diſceſſit: ſub pœna trium b. m. 27. Sacerdotes debita ſua aut alias cauſas deferant ad iudicem rei proximum. Si ei non ſatisfaciat, quærat vlteriùs ius ſuum. 28. Sculteti curabunt, vt ruſtici intra quatuor hebdomadas parocho demimas ſoluant. Sin minus, pignora ab illis accipiantur: quæ ſi non redimantur, pro vſu & commodo ſuo ea parochus expendat. 29. Qui deſertos manſos ſuſcepit, de ſingulis per ſex annos ſingulos tres denarios Pruſſicos, & Parocho dimidias decimas ſoluet: quàm diu liberi manſi erunt. Diſpoſitio huius ad Dominium pertinet. 30. Vitrici Eccleſiarum rationes dabunt annuatim collatori, & parocho ſuo ſub pœna 10. marc. 31. Curabit Dominium, vt Pruſſi rectè in fide inſtruantur, & ad frequentationem templorum compellantur. 32. Omnes venefici ac blaſphemi vtriuſq; generis publicè puniantur, ſub pœna, 20. marc. 33. Veſtes quæ venales circumuehuntur, nemo vir bonus emat, ſub pœna 30. b. m. & amiſſione mercium. 34. Nemo homicida & vulnerator detineatur, ſi poſtulantur, patiantur id quod meruerunt, nec ab ijs pecunia accipiatur ſub pœna 20. bon. marc. 35. Singulis annis poſt feſtum S. Martini taxabitur cereuiſia iuxta pretium hordei & lupuli. 36. Nemo piſcatorum per hyemem æquè ac æſtatem propiùs à portu medio milliario piſcabitur, aut alia retia ponet: ſub pœna, 100. marc. 37. Quilibet ſententiæ & agnitioni iudicis ſtabit. Si quis effugiat, inſequantur eum, & carceri mancipetur. 38. Nemo alteriùs colonum ſuſcipiat, niſi habentem teſtimonium dimiſſionis liberæ à Domino, ſub pœna, 10. b. m. 39. Sit prudens quiſq; ac diſcretus attendatq; diligenter, cui partium adhæreat: nec aliquem conuicietur, aut nimiùm laudet, ſub pœna corporis & bonorum. 40. Mendici validi, qui laboribus victum acquirere poſſunt, non tolerentur. 41. Deprædatores ac incendiarij vicinorum in noſtro Dominio non tolerentur ſub pœna corporis & bonorum. 42. In hebdomadarijs nundinis tempore hyemali ad horam decimam: æſtiuali ad ſextam pandatur vexillum: infra quod tempus indigenæ empturi ſunt. 43. In qualibet ciuitate conſtituantur taxatores ac libratores, qui tam pauperi quàm diuiti, tam externo quàm domeſtico ſe æquos iuxta depoſitum iuramentum exhibeant, ſub pœna 30. marc. 44. Lupulus per modios vendatur ſine fraude, quæ nulli patrocinatur. 45. Omnes emptiones ac venditiones ab ebrijs factas annihilamus. Nam minus iudicij ebrij habent. 46. Nemo teſtameuto equos aut vaccas ad prædia conſeruanda neceſſarias, legabit, niſi ijs quis abundet: cum bona venia Dominij. 47. Omnes Samogittæ, Lituani, Ruſſi, ac Maſouij veteribus itineribus proficiſcantur: ſub amiſſione bonorum. 48. Singulis annis conueniendum ſemel eſt, & de horum transgreſſoribus judicandum ſub pœna arbitraria.

Sed Fridericus apud ſuos, cùm in Saxoniam veniſſet, nihil opis inuenit. Nam Germania tunc domeſtico & inteſtino bello vacabat. Paulò pòſt nimirum anno Chriſti, 1506. moritur Alexander Rex, decimo nono menſis Auguſti. Poſt ipſum in regnum ſucceſſit quintus filius Caſimiri Sigiſmundus, anno Chriſti. 1507. Hoc ipſo anno ſecta quædam ſiue ſocietas hominum in Pruſſiam venit, qui vocabantur fratres de ſacco, eò quòd lineis veſtibus vterentur *Sigiſmundus Rex Poloniæ.* *Fratres de ſacco*

 funi-

funibus circumcincti. Deportabantq; Cruces ligneas in manibus. Interrogati cuius Ordinis essent: responderunt, se ferre Crucem. Nam idiotæ prorsus & agricolæ erant, excepto illorum ductore siue Magistro, vt eum vocabant, qui arte textoria clarebat. Prætendebant insignem quandam vitæ pietatem ac sanctitatem: per Samogitiam ad terram sanctam proficiscentes, quam dicebant, per se ex infidelium manibus ereptum iri. A Samogitis nouem illorum, tanquam exploratores, sub glaciem apud Thweipijeinen dimissi, aquis perierunt.

Conuentus Legatorum. Aderat dies Diui Ioannis Baptistæ, anni 1510. quo Posnaniæ Maximiliani Cæsaris, Vladislai Vngarorum, & Sigismundi Polonorum Regum ac Friderici Magistri Crucigerorum legati conuenerant. Aderant quoq; legum Doctores, qui de partium iuribus inuicem
1. disceptarent. Ibi Iobus Pomesaniensis Episcopus legationis Cruci-
2. gericæ Princeps postulabat & repetebat Pomeraniæ & Prussiæ terras à Polonis: deinde iuramentum ne teneatur Regibus Poloniæ
3. Magister præstare; quod sequebatur, si Prussia Ordini restituta
4. fuisset; néue contra barbaros ad mandatum Regium bella gerere sit obligatus: deniq; vt Polonorum nullus ad Crucigericæ militiæ ordinem assumeretur. Hic articulus soluto risu & cachinno à Polonis exceptus per contemptum facilè concedebatur sine longiore deliberatione. Alios Ioannes Lasky Gnesnensis Metropolita Regiorum nuntiorum præcipuus, seruandos contendit, multis argumentis ac diplomatibus, quibus perpetuæ pacis fœdera continebantur, adductis. Altercationibus pluribus diebus inter se consumptis, hoc tandem legati Crucigerorum obtinere satagebant: vt perpetui fœderis executio ad annos viginti differretur: & cùm id obtinere non possent, ad annos decem suspenderetur. Sed cùm id quoq; Poloni legatis Regum ac Principum negarent: re infecta, Posnaniâ diuersi abiêre. Conuentu sic soluto Achilles de Grassis Episcopus Modœcensis, Rotæ auditor, Pontificius legatus, cui causa Prussica commissa fuerat, serò superuenit, vel ob itineris longitudinem, vel quia tardiùs eam prouinciam suscepisset.

Friderici Magistri tempore contigerunt quædam memoriâ sempiternâ non indigna, quæ hic in gratiam beneuoli lectoris ponere volui. Et quidem primo eius regiminis anno obijt Regiomonti F. Guilelmus à Tossenfelt, multorum, scilicet, centum & tredecim annorum seniculus. Cùm junior esset, administrauit is officium præfecti piscium in Scharpau prædio, quo tempore exigua admodùm

Sturionum captura. captura sturionum inciderat. Hanc vt ex piscatorum inopia restauraret, ijsdem sub pœna suspensionis inhibuit, ne in vsum suum, sturionem quispiam acciperet: velle se hanc jacturam illorum, alijs modis, prout decet, recompensare. Nam solebant ex eiusmodi generis piscibus assaturas pro esu suo accipere, ac etiam adferentibus cereuisiam offerre. Quâdam coniecturâ assecuti ijdem pro certo die plurimos cum cereuisia, pane, sale, ac similibus esculentis adfuturos. Quare vt hos iustè & rectè exciperent, vicissimq; præclaram remunerationem reportarent: maiorem sturionem quinq; scilicet pedum longum suasu coci dabant, qui eum apparauit, coxit & assauit. Quodam die dum is pisces ex Scharpau deductos Magistro præsentaret, volens fidem ac studium suum in rebus agendis eidem commendare, quid egissent piscatores significauit, de consilio dato altum silentium seruans; coactum verò, sturionem se diuisisse ac coxisse

coxiſſe: Neceſſariò ſe hanc infidelitatem piſcatorum deferre debere: qui & aliàs minùs fideliter agerent. Noverat rem multò exactiùs Guilelmus: nempè cocum iſtum deliteſcere in piſcatorum caſa, dum illi retia trahunt, & lagenas exſiccare: & quòd feciſſent piſcatores, hoc ipſum huius ſuaſione & authoritate feciſſe: tacuit tamen & rem diſſimulauit tunc cum coco tum, cum alijs magis idoneam occaſionem expectans. Nam nolebat tunc interturbare capturam ſturionum: quandoquidem alios operarios ſimili arte expeditos acquirere ſe non facilè poſſe credebat. Sciebat quoq; optimè, piſcatores de ſuo iure & conſuetudinibus difficulter ſolere recedere. Aderat dies ſoluendæ mercedis, quam illi poſtulabant. Interrogauit tunc Guilelmus piſcatores, vtrum iuxta conuentionem initam vixiſſent? Reſponderunt illi ſe vſos iure piſcationis, ac de parte ſua alijs propinâſſe. Præfectus inquit, cùm vobis iſtud prohibuerim ac vobis loco eius aliud obtulerim, quare pacta conuenta non obſervaſtis.? Aiebant piſcatores: Veſtra prohibitio contra Deum, rationem, ac ius noſtrum fuit, ideò eam non ſeruauimus. His ſe ſatis piſcatores à furto purgâſſe exiſtimabant. Ut erat Guilelmus Huſſita ac quid iuſtitia & æquitas ſuaderet, non attenderet, extrema in illos ſtatuiſſet, ſi non incendia (quæ à famulis miſeris Ordinis fiebant crebriùs) ab eorum còmplicibus timuiſſet. Attamen vt cupiditati ſuæ aliquomodo ſatisfaceret, cocum aduocatum in illorum præſentia, interrogauit, num omninò apparaſſet piſcem, & de eo comediſſet: reſpondit is, ſe apparaſſe piſcem, ſed non de piſce, at de iure comediſſe, ne communicaret furto contra prohibitionem Domini: iſtud quoq; feciſſe, vt vim piſcatorum euaderet. At cùm vnanimiter eum facti conuiciſſent piſcatores, pronunciauit præfectus ſententiam: Si vellent ij, qui carnes deuoraſſent, eum ſuſpendere, qui iuſculum ſorbuiſſet, poſſent: alioquin ipſos ſuſpenſum iri ab illo. Conſultius illi eſſe putantes ſuſpendere, quàm appendi, arreptum cocum in patibulo proximo in Scharpau appenderunt: initium dantes prouerbio. Es werden die gehangen/ welche die Suppen ſchmecken/ die das Fleiſch eſſen/ gehen davon. *Cocus à piſcatoribus ſuſpenſus.*

Fur ingenioſus. Terribilior eſt hiſtoria, quàm ſubnecto: furis, inquam, hiſtoria dexterrimi in rebus auertendis, qua etiam diligentia aut arte cuſtodirentur: qui tamen nunquam ita deprehendi certò potuit, vt dignum facto ſupplicium referret. Sciebat is Parochum quendam ruralem, equum generoſum præfecto piſcium Angerburgenſi vendidiſſe, necdum tamen de manu tradidiſſe. Hunc ſe eripere Parocho etiam palàm gloriabatur, & pecunijs depoſitis certabat: ac in poſterum ceſſaturum à tali auſu promittebat. Poſtquam ergò varios modos equi habendi excogitaſſet: Parochus verò omnes conatus eius prudenter anteuertiſſet: comminiſcitur tandem fur ſtropham, quàm Parochus etiam apertis oculis non animaduertebat. Nam indutus laceris mendici veſtibus acceptisq; fulcris, quibus pedes ſuſtentabat quaſi languentes, procedit, ac cùm priùs in hoſpitio, vbi Parochus ſedebat ab eodem eleemoſynam accepiſſet ex oppido exijt, ac in publico itinere ad arborem, qua via parochus domum rediturus erat, reſedit, priùs fulcris in arborem proiectis. Aderat iam eques parochus, videnſq; mendicum alloquitur, monetq; ne diutiùs illic moretur, adeſſe veſperam: adeat pagum, ne à nocturnis lupis deuoretur. Tunc temerè ille lacrymari queriq; cœpit ac modum inquirere, quo ſe ſaluare poſſet. Nam fuiſſent nebulones,

 qui

qui ioci causâ, eius adminicula abstulissent & in arborem hanc coniecissent. Non posse se certam mortem pedibus euadere, sed patienter expectare. Vidit fulcra in arbore Sacerdos ac inde magis eius misertus, ea tollere cupit. Erat illi impedimento pallium. Quare descendit, equum per lorum detinendum mendico tradit, pallium exuit, sellæ equinæ injicit: postea expeditè arborem ascendit; sed ille interim expeditiùs equum, cum quo auolat, accepturus pecuniam depositam, tanquam victor. Parochus equo orbus domum venit, & quid sibi contigisset, narrauit. Fuit iste ludus extremus, vt promiserat, mendico. Nam non diu postea inquisitus & inventus, ligno, vt meritus pridem erat, appenditur: Multus inde lateq; increbuit sermo de fure: maximus verò longè ijs risus obortus est, qui suspensum transierunt. Contigit quadam vice, quòd eum transiret nobilis potus, illumq; tanquam viuum alloqueretur. Nam heus, inquit, inuito te, ad proximam feriam quintam ad me ad allium. Nam cùm fueris homo dexterrimus, oportet me à te aliqua addiscere. Sed & socij tui tecum adsint, iubeo. Ridebant effusè nobilis comites, totoq; itinere in historijs recitandis, quas fecissent in extremis fures, occupabantur. Non surdis narrauerat nobilis fabulam. Nam ad feriam quintam constitutam omnes illi cum ductore suo ex patibulo cum catenis in domo nobilis comparuerunt manè, ac salutatâ hospitâ, quid rerum agerent, exposuerunt, ac ne exterreretur, exponunt: adiret etiam virum dormientem, & diceret ei: adesse hospites, quos inuitasset. Subdidit illa, verè illum hoc sincerè non egisse, sed potum, ioci & risus concitandi gratiâ. Inquiunt illi, at nos ad eius preces adsumus: excitetis eum & vocetis. Pergebat illa ad virum, & sic ingemiscens cum fletu locuta ei est: Pridem, & vt video non frustra verebar, ne ebrietate vestra & oris libertate pœnitentiâ aliquid dignum efficeretis. Surgite nunc ac inuitatos hospites è patibulo excipite. Enumerauit ei præterea quid audiuisset ab hospitibus in hypocausto. Surrexit nobilis, hospites suscipit: ijsq; proponi, quod ad manus habebatur, iussit. Quicquid illi attigerunt ex cibis, disparuit. Nec deerat illis sermo inter edendum. Inter alia nobilis furi dicebat: Satis cachinnorum & risus excitâsse te constat dexteritate tua & arte furandi. Id vel maximè admirandum fuit, cùm aliàs videreris esse homo ad faciem crassus & minimè ad talia aptus. Respondit ille: & risu vestro ærumnam meam auxistis. Cùm verò animaduerterit Diabolus quempiam contra prohibitiones diuinas quidpiam moliri, facilè illi faces, animum, ac ingenium subministrat: dicente Veritate ipsa: Filios huius sæculi in generatione sua prudentiores filijs lucis esse. Et iam peracta mensa erat: tum omnes surgentes gratias hospiti egerunt, vicissimq; eum ex occulto Dei iudicio inuitarunt ad eum locum ligni, in quo illi essent, vt cum illis ignominiæ iudicium in theatro mundi huius perciperet: atq; hoc ipsum futurum post quatuor hebdomadarum spatium, illâ ipsâ feriâ quintâ. His dictis euanuerunt. Inuasit timor nobilem subitò: tamen se consolabatur, quòd nihil perpetrati sceleris sibi conscius esset: deq; negotio cum multis conferebat, qui nunc hoc, nunc illud dicebant: repertumq; fuit, cadere eum diem in festum omnibus Sanctis adscriptum. Et cùm festis diebus nemo supplicio extremo iuxta iura affici soleat: hoc commotus faciliùs angorem animi excussit: Pro maiore cautione sua adhibebat mensæ suæ quotidie hospites, cum

Fures suspensi inuitantur ad conuiuium.

quibus

quibus lætè viuebat, quiq; ejus innocentiæ testes essent, si quidpiam interea fortè accidisset, cuius suspicio in eum cadere posset. Nam prædones, de quibus posteà pluribus, siue equitatus tunc vigebant: è quorum numero aliquis, F. Ebrehardum ab Empten Commendatorem Domesticum Reinensem trucidauerat. Quare, commendator ipse præceperat, vt si quis authorem cædis, vel comprehenderet, vel saltem vbi lateret, proderet: aut aliquem ex eius socijs: eum etiam sine vllo iudicio suspenderet. Animi gratiâ exierat nobilis dictus in campos, in ipso festo omnium Sanctorum in equo: cùm interea defertur ad Commendatorem, reum homicidij in tali ac tali loco hærere. Nec mora, illuc se confert commendator. Cumq; conspectum aliquem, qui simillimus erat reo, insequitur, in nobilem illum incidit, & eum inuadit cum comitatu. Non habuit nobilis alligatas manus: nam defendit se & præterea juvenem Commendatoris consanguineum occidit. Sed captus deductus est, & antè oppidum Lineburgum per Lituanum pretio ad hoc conductum, suspensus: nequicquam causæ suæ sententiam recensens, cùm videretur illis seriem rei ad euasionem effinxisse.

Sed ad acta Friderici Magistri & ad statum Reipublicæ Prutenicæ redeo. Magistro itaq; extra Prussiam existente, & detrectante homagium Regi Poloniæ præstare, nihil aliud magis Commendatores cogitare & agere videbantur, quàm bellum Polonis quàm primùm inferre, quo putabant ea omnia, quæ antea amisissent, à Polonis se recuperaturos. Imò pro certo habebant, quòd id ita futurum assererent astrologi: quidamq; dicerent, à se visum obequitare in syluis flammâ circumdatum Casimirum Regem, monereque grandi voce filios successores, vt Prussiam Crucigeris reddant. Arma itaq; omnis generis curabant, & frequentes lustrationes exhibebant. Atq; vt Regem lacesserent ad pugnam, equites in eius ciuitates clanculum immiserunt, qui eas mirum in modum vexarent: vt eas partim eneruarent, partim molestijs afflictas ad Ordinem deficere facerent à Rege. Cuius rei tamen Crucigeri authores videri nolebant: maximè Guilelmus Comes ab Eisenberg, Ordinis Marsalcus, loco Magistri constitutus. Nam is monitus, vt equitatus coërceret, aut etiam omninò è suis territorijs tolleret, fucum obtrusit dextrè; Nam læsis permisit, vt caperent equites, si possent, & sibi puniendos committerent aut commendatoribus. Quod cùm illi fecissent, ab his rursus dimissi sunt, varias causas dimissionis prætexentibus. Quo fiebat, vt eiusmodi latronum numerus indies augeretur & cresceret pro sententia Crucigerorum. Quicunque enim se vel iustè vel iniustè læsos sententiâ ciuitatis alicujus in causa sua existimabant, in vindictam eius se latronibus illis adjungebant. E quorum numero fuit Gregorius Maternus cuiusdam ciuis Gedanensis filius. Is dum in Anglia versaretur à mercatore quopiam grauiter in sinistra manu læsus fuit. Et quamuis judicium ejus rei quæreret, nullum tamen adipisci potuit. Reuersus postliminio Gedanum, cùm eum etiam vulnerator secutus esset, illum in judicio Gedanensi conuenit. Sed frustra. Nam etiam ipsi silentium perpetuum impositum est à judice. Jam de talione aduersario reddenda cogitabat: ac cùm ei obuius factus esset, vtrumq; brachium mancum reddidit & aufugit. Interim saucio Anglo Gregorij bona traduntur. Qui à Rege binas literas haud grauatim ad Gedanenses in sua causa impetrauit: quibus cùm nihil expediret, concessit illi

Astrologi deceptores.

Gregorius Maternus Gedanensibus infensus.

Rex, ut quomodocunque posset suam injuriam ulcisceretur. Noluit is tamen quicquam tale tentare, nisi mentem suam Proconsuli, qui illum è sacro fonte leuasset, cum lachrymis per Deum obtestando, vt sibi iustitiam adhuc administraret, etiam genibus flexis priùs aperuisset. A quo nihil responsi aut consolationis accepit, nisi vt ageret pro viribus suis, & voluntate. Quo exacerbatus magis, coniunxit se sine mora non leui multitudini, quæ cum eo eiusdem esset propositi, ex Prussis, Pomeranis, Marchitis, Misnijs, Silesijs, & alijs nationibus. Cum his obuios quosque Gedanenses non solùm deprædatus est, sed eos etiam vlteriùs censuit. Iamq; nemo ex ijs peregrè exire audebat. Qua de causa timebatur tumultus populi contra Senatum. Ceperat inter alios quendam nomine Caprum. In eum vsus est ioco, quòd se non caprum, sed aquilam sperasset accipere. Non multò pòst, alium Gedanensem comprehendit. Sed hic ex syluestri carcere aufugit. Multùm hic desudauit, vt causa Gregorij componeretur: at Gedanenses id parùm curârunt. Capti sunt deinde ab eius socijs duo Senatores, quos tamen Gedanenses non solùm insecuti liberarunt iam vltra duo milliaria in Pomeraniam abductos, sed etiam captos septem è latronum numero Gedanum duxerunt, capitisq; damnarunt. Quam iniuriam suorum Dux latronum seuerissimè vltus est postmodùm. Offerebantur mille quingentæ marcæ pro præmio adducturo Gregorium viuum: occisum mille. Nam multos ille manibus ac pedibus mutilatos ad vrbem remisit, multos crudeliter occidit: multos deprædatus est: multa ille incendia procurauit. Domicilium potissimùm fixerat Crossouiæ in Silesia apud præfectum arcis Andream Zanterum, qui auro tandem à Gedanensibus inductus, non grauatim eum à Iudæo Sartau dicto, & aliquo alio administro strangulari iussit. Occisum vltus est frater germanus Simon Maternus. Nam Gedanensibus non minora damna, quàm frater per quatuordecim annos intulit. Sed captus tandem & Posnaniâ Gedanum ductus ac incarceratus, sibi ipsi gulam fregit. Rotâ tamen post mortem etiam confractus est. Plurimi quoq; nobiles eius sceleris complices, Gedani capite plexi sunt. Ac talem quidem vitæ finem hi acceperunt.

Vixit hoc tempore Erasmus Stella, qui laudes Teutonici Ordinis persequitur, quem librum Friderico Magistro dedicauit. Præerat tùm temporis Ecclesiæ Varmiensi Lucas Episcopus. Animaduertit is clarè bellum impendere Polonis à Crucigeris: qui Regi obloquebantur, causasq; belli conquirebant. Cùm igitur aliquando is antè abitum Magistri in Germaniam in colloquium cum eodem venisset, non potuit non id ei vel à longè indicare. Inquit enim, non rectè à Crucigeris contemni passim Regem, cum Prussia ad eum jure pertineat. Ad quòd Magister omnino obticuit. Non multò pòst simulatâ amicitiâ Paulus Waët Doctor, Magistri Cancellarius, Episcopum interrogauit, quid sibi illud dictum voluisset? quod coram magistro nuper protulisset. Nec piguit Lucam Paulo exhibere literas certas, quibus sententiam suam comprobaret. Sed, inquit Paulus, Ordinem longè diuersas habere, quas paulò pòst prolaturus esset in propatulum. Quæsiuit Paulus quoq; ex Episcopo, quid rei esset, quòd titulum Principis in suis literis ad Magistrum, eidem non daret: sed tantùm, eum, qui cuilibet superiori Ordinis cuiusq; daretur? Respondit Episcopus: in his terris Magistrum esse superiorem Ordinis, non Margrabium Misnensem. Cùm id Ma-

gistro

giſtro renunciaretur, ac quidam conſiliarij eum contra Epiſcopum incitarent: fore, ſi ipſius ſubditi affligantur, vt Epiſcopus Magiſtro debitum titulum deferat: Minimè id fiet, inquit Magiſter; nam cùm ſubditi eius per me pacem habeant, nec eam turbabo. Obijt anno ſupra poſito, cum Ordini præfuiſſet duodecim annis & tribus menſibus, Rochlicij in Miſnia, mœrore ac hydrope confectus, quo ſe ad voluntarium quaſi exilium receperat. Sepultus fuit in ſepulchro paterno Miſniæ in collegio. Minùs in hoc commendatus, quòd dum in Pruſſia degeret, negotia ſubditorum non per ſe, ſed per quatuor nobiles coætaneos ſuos expediret. Ipſe contra conſuetudinem Pruſſiæ lactariorum & ouorum eſum, quibusuis iejuniorum diebus introduxit: quibus Pruteni aſſueſcere cœperunt: quemadmodum & blaſphemijs, quibus vti ſolebant eius aulici. Paulus Waët Cancellarius Magiſtri, cuius paulò antè memini, Miſnenſis, Doctor Iurium, à Magiſtro in XVII. Epiſcopum Sambienſem promotus fuit, ea tamen conditione adiecta, vt Epiſcopus acciperet crucem. Quod quidem detrectare primùm viſus eſt: at paulò pòſt impleuit. Intereà dum confirmatio Româ defertur, morte obijt, ac Regiomonti non tamen in ſepulchro Epiſcoporum ſepelitur. Secutus eſt eum Nicolaus II. XVIII. Epiſcopus Sambienſis, Canonicus Regiomontanus & procurator Ordinis Romæ, à Capitularibus electus: quod ſummoperè Magiſtro placuit. Romæ conſecratus domum redijt, & compotationibus ſe tradidit. Mortuus Fiſchauſij, Regiomonti ſepelitur. Secutus eſt demortuum in Epiſcopatu XIX. Epiſcopus Sambienſis Gunterus Miſnenſis nobilis à Bernau, Doctor, Decanus Merſeburgenſis à Friderico vocatus, & in Ordinem recenſitus. Hic cum videret Albertum Friderici ſucceſſorem Francones honorare, Miſnenſes verò deprimere, theſaurum ſuum Gedanum præmiſit, inde eum aliò miſſurus. Hoc reſciens Albertus theſaurum ad ſe deferri iuſſit. Guntherus verò è Pruſſia diſceſſit. Cùm Hollandiæ aliquantulum ſubſiſteret, & interrogaretur, num in Pruſſiam reuerſurus eſſet, reſpondit: abſit à me, vt ad regionem redeam, in qua Princeps regit, qui de die exequitur id, quod per noctem ſomniauit. Poſtquàm Merſeburgi vno anno vixiſſet, paralyſi tactus obijt, ibidemq; ſepultus eſt. Sed hæc anticipatè dicta ſunt, quandoquidem non conſtat, quo anno iſta contigerunt. Succeſſit ei in Epiſcopatu XX. Epiſcopus Sambienſis Georgius Polentz de quo ſuo loco dicetur. Sub Friderico quoq; Magiſtro, Ioannes Gablentz Aduocatus Brandeburgenſis puram ſiliginem ſeminari fecerat, quæ majori ex parte in allium conuerſa eſt. Significabatur præſenti metamorphoſi, breui ſementem fidei Orthodoxæ & Ordinis cum inſigni fœtore in capita hæreſis deſituram. Habuit Fridericus dictus in ſeruitijs ſuis honeſti cuiuſdam ciuis Choinicienſis filium. Charus is ipſi erat, propter fidelitatem & inſignem probitatem. Ob hoc eundem puerum nobiles coætanei eius impensè oderunt, eiq; plurimas moleſtias, iam non occultè, ſed etiam vidente Magiſtro exhibuerunt. Cuius rei causâ Magiſter adoleſcentem quendam coarguit. At alter quidam reſpondit: Clementiſſime Domine, poſſetis loco huius nobilem puerum fouere. Cui Magiſter ait: oportet etam tales fouere, qui diligentes ſint in ſuis officijs. Et licet Choinicienſes ciues tam vili æſtimentur, tamen tales ſeſe præſtitère Ordini, vt omnes equeſtris Ordinis fieri poſſent. Ita quidem ille pro virtute loquebatur, contra inanem nominis nobilitatem. De quo etiam ille Poëta dicit. *Nam*

Nicolaus II. Epiſc. Sambienſis XVIII.

Siligo ſeminata conuerſa in alliũ

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Auaritia punita. Habebat præterea Passenheimi Aduocatum auaritiæ deditum & subditis grauem. Nam rusticis piscationes contra priuilegia data inhibuit. Quam libertatem dum alij sub sigillo exhibent, leviter contemnebat. Aderat ex insperato initium pœnæ diuinæ: Nam ne vnum pisciculum eius piscatores capere valuerunt. Quod ille incantationibus adscripsit. Gablatus quidam Franco vrinator accersebatur ab aduocato, vt cognosceret, num in lacubus pisces supersint. Is in aquis tribus horis diuersatus redijt, dum interim rete etiam dimissum esset: retulitq; esse pisces in copia, sed ad miraculum dextrè declinare rete. Sed hanc relationem vrinatoris veram contemnens Aduocatus diuinatricem consuluit. Illa respondit: quòd pisces non capiuntur in piscoso lacu, id à Deo prouenire in pœnam auaritiæ Aduocati: nec sperandam capturam, donec ipse cum piscibus emoriatur. Nec hanc responsionem magni fecit Aduocatus, eam fabulam anilem esse dicens. Cùm verò paulò pòst insistens venationi in vrsum incidisset, equus exterritus eum secum in dictum lacum detulit, & submersit. Post quod factum pisces (mirabile dictu) mortui supernatabant. Ad stuporem exinde in eodem lacu pisces capti sunt. Lacus ille Lilisken dictus fuit

Hoc ipso anno Gedani in vigilia Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, auditi sunt in ponte Koggenbruck dicto, vesperi tympanorum crepitus atq; tubarum & fistularum sonitus: item percipiebantur saltantium, tripudiantiumq; ac ridentium motus. Quid ea sibi vellent cùm nesciretur, tardiùs porta illa manè aperta est. Quocirca & copiosior multitudo hominum illuc confluxerat. Cùm verò pensilem illic ianitor pontem aperiret dimitteretq;, sed ille descendere non posset, copiosus populus super eum ascendit. Ita grauatus ponticulus vltra terminum debitum transiliens, quinquaginta sex personas diuersæ ætatis & sexûs ac statûs in aquas deiecit.

Lucas Episcopus Varmiensis. Sed iam absoluenda sunt ea, quæ de pijssimo Episcopo Varmiensi Luca scriptis prodita sunt posteritati. Mortuo Rege Casimiro successores eius singulari beneuolentia Lucam prosecuti sunt. Sigismundus præsertim, qui operâ illius, in maximis quibuscunq; negotijs libenter vtebatur, & Stargartensem, Stumensem, & Christiburgensem Capitaneatus illi locauerat. Ecclesiam Varmiensem non minùs in spiritualibus, quàm temporalibus adeò rectè prudenterq; administrauit, vt ex censibus Episcopatûs quindecim millia marcarum in reditibus annuis habuerit. Quam pecuniam non in propinquos & consangvineos, sed in Ecclesiarum necessitates, & prouinciæ suæ commodum & vtilitatem liberaliter impendebat. Præsertim autem pretiosa ornamenta, & vasa sacra plurima multis ecclesijs summa cum alacritate largiebatur. Ad hæc, Dersauiam, Scharpiam, & Tolckmittam administrauit. In arcis Heilsbergensis, quæ conflagrarat, restaurationem plurimum impendit. Cum Ordine Teutonico in Prussia parum illi conueniebat. Et nisi Fridericus Magister probus vir & quietus fuisset, magnas procul dubio à Fratribus molestias pertulisset Episcopus: qui Fratres non minùs Magistro, quàm illi erant infensi, quòd eorum conatus multis in rebus impedirent: præsertim in illis generalibus comitijs Posnaniæ habitis, de quibus suprà: vbi Crucigeri etiam Regem ingeniosè supplantare conabantur. Nam instabant apud eum mirum in modum, vt illis administrationem totius Prussiæ concederet pro annua quinquaginta millium

flore-

florenorum pensione. Et multi credebant rem effectum habituram. Cæterùm Lucas Episcopus subornatis senatoribus, negotium impediebat & palàm profitebatur: si Ecclesiarum bona & cleri res in Prussia in bono & securo statu constituere Poloni vellent, cauerent diligenter, ne auari & inquieti homines denuò potentiâ & viribus augeantur. Indignati ob hoc Fratres, vt Episcopum vlciscerentur, Archiepiscopum Rigensem induxerunt, vt Lucam ad Synodum in Liuoniam euocaret. Sed eò non est profectus Episcopus, & se literis excusauit, quòd maioritatis & exemptionis iure gauderet, nec ei parere teneretur. Postmodum cùm Episcopus è nuptijs Regijs, quas Sigismundus cum Comitis Ciliæ filia celebrabat, Cracouiâ in Prussiam reuerteretur, Torunij in patria sua in grauem morbum incidit: ex quo mortuus est, & Varmiam delatus, cæteris patribus appositus fuit, anno præsenti, 1512. Dominica *Judica*. Hic Episcopus Lucas per F. Ioannem Simbaliensem Episcopum Suffraganeum suum, qui Parochiam Kiuitensem & nonnullas alias obtinebat, monasterium S. Antonij Varmiæ fundauit, & obtentis ab eorum præceptore Vesmarij sex huius Ordinis Fratribus, eos in illo rebus omnibus ad necessitatem decenter instituto collocauit. Inter eos præcipui tres pij & eruditi Patres, qui multa bona opera in Prussia faciebant, assiduè pauperum infirmorum curam gerendo, eos ad benè moriendum præparando: Missas celebrando: verbum Dei, quocunq; mitterentur, cum maximo fructu prædicando. Ita fiebat, vt Ordo hic nouus magnam in Prussia sanctitatis opinionem acquireret, & piorum eleemosynis optimè sustentaretur, & omnibus necessarijs satis abundabat. Suffraganeus verò dictus moritur, nonaginta quatuor annis ætatis completis, in Kiuitten, vbi memoria eius superest. Elogium Lucæ.

Moritur Lucas ab Allen Episcopus Varmien. & Varmiæ sepelitur præfuit Ecclesiæ annis circiter 23.

Fundatur Varmiæ Monasterium S. Antonij An: circiter 1511.

Vastatam sedem Pater optimus iste refecit.
Templis attribuit, quas cumularat opes.

Habuit successorem Fabianum de Lusianis. Sed ad electionem noui Magistri Ordinis procedit oratio.

Fabianus de Lusianis seu Loßengen XVIII. Episcopus Varmien. Nob. Prutenus.

Mortuo igitur Friderico, solliciti erant Crucigeri de eligendo nouo Magistro. In quo negotio dissimiles sententiæ proferebantur: nonnullis suadentibus, ne posthac Principem quempiam eligant, ne potentiæ suæ confisus & auxiliorum à cognatis Principibus accipiendorum spe lactatus, de Ordine pristinam libertatem restituendo cogitaret: sicq; noua bella Crucigeris à Poloniæ Regibus attraheret, vel aliàs ingentibus sumptibus populum oneraret, vel etiam Prussiam hæreditariam facere conaretur. Cæterùm alijs visum est, quorum sententia vicit: Albertum Marchionem Brandeburgicum Acolythum & Canonicum Coloniensem eligendum: adolescentem viginti quatuor circiter annorum, in XXXIV. Magistrum: sed in rebus tractandis sagacem, adeoq; magni & excelsi animi, vt parem non facilè ferret. Quo verò tempore in Magistrum eligebatur, in castris Maximiliani Imperatoris, cùm obsidionem Patauinam solueret, militabat. In eo bello modum oppugnandarum vrbium & artis militaris rationem didicit. Et quoniam Regis Poloniæ sororis Sophiæ filius erat, eò libentiùs Fratres Teutonici illum sibi Principem delegerunt, quòd Ordinem à Polonorum iugo liberaturus sperabatur: quandoquidem aliorum quoq; affinium vel consanguineorum Principum potentiâ inniteretur. Pater tamen ipsius Marchio Fridericus de Anspach consentire noluit, vt filius delatum Magistri munus acceptaret; donec splendida legatione missâ id ab eo vniuersus Teutonicorum Ordo impetraret. Sed & Maximilianus Imperator,

Albertus Marchio Brandeburgicus fit Magister Ordinis.

perator, Patre & Filio in concilio euocato requirebat, ne detrectaret. Cùm itaq; munus acceptasset, Crucigeri cum maximo triumpho eum ad Ordinis Ciuitatem Margethum in Franconia deduxerunt: vbi pallium album nigra Cruce insignitum pro Ordinis veteri instituto accepit, & aliquot dierum consultationem cum fratribus habuit, qua ratione pax in perpetuum stabilita, infecta reddi, & Prussia tota in Ordinis potestatem redigi posset. Iurauit etiam ibidem Maximiliano Cæsari & Imperio Romano fidem & obedientiam. Tandem obtentis passûs, quas vocant, literis, vt per Poloniam in Prussiam liberè peruenire posset, à Fratre Marchione Casimiro cum maximo & honorifico comitatu in Prussiam deductus est, anno Domini, 1512. Die 22. Nouemb. Sanctæ Cæciliæ sacro. Ingrediens autem Regiomontum cum quadringentis equitibus, pallio nigro, cuius etiam coloris vestes equites habebant, vsus est, propter matrem, quæ non ita pridem vitam cum morte commutauerat. Continebantur iam ab initio vnionis Liuonienses Crucigeri cum Ordine Teutonico, sub Magistri Prussiæ disciplina & obedientia: cui etiam certum censum eo nomine annuatim numerabant. Ab his obligationibus se Liuonienses, anno, 1513. data ingenti summa pecuniæ, liberarunt. Antiquitus legebat quisq; succinum in Prussia gratis. Tandem certi homines ac ad hoc destinati, id pro Ordine colligere cœperunt, recepto tantùm salis, quantùm succini exhibuissent. Ac verò hanc recompensationem etiam Magister Albertus præsenti anno abrogauit. Anno 1514. moritur Nicolaus Crapicius Torunensis. XIX. Episcopus Culmensis. Ad intercessionem Nicolai Baseni gubernatoris, ex Canonico Varmiensi ad Episcopatum promotus fuit: quamuis alium Rex præmeditatus fuisset. Romæ, vbi antea minutarius erat consecratus, ad Episcopatum veniens, homagium Regi præstitit. Valetudinarius semper. Nam modò quartanam, modò podagram patiebatur. Quare coactus, coadiutorem sibi Ioannem Conopacium asciuit: qui eidem in XX. Episcopum Culmensem successit. Author is fuit eius census, quem Sichellgelt/ appellant; quemq; eorum quilibet in quatuor schotis pendere debuit, qui ad messem se in Insulas conferebant quotannis: quorum hominum numerus aliquando ad aliquot millia excrescit. Sed de eo Episcopo inferiùs plura.

Concessit Nicolaus in suburbio Lubauiensi Monachis Bernardinis locum pro monasterio extruendo, in quo humatus fuit. Sequenti pòst anno, decimo sexto supra millesimum quingentesimum, Petricouiæ comitia indicta sunt, quibus Casimirus Alberti Pater interfuerat, cuius interuentione Alberti electio his conditionibus approbata est, vt intra semestre more prædecessorum obedientiam ac subiectionem Regno Poloniæ iuraret: atq; cùm ex Ordinis instituto perpetuum bellum aduersùs infideles Crucigeri genere tenerentur: eius autem in Prussiæ Christianis prouincijs ac gentibus circumdata, nulla sit occasio, locum eis in Podolia & Russia cum annuo bis mille aureorum stipendio à Rege assignandum, vbi perpetuò cum Tartaris atq; alijs Christiani nominis hostibus belligerent. Eas conditiones Casimirus fratris & Ordinis nomine acceptas, honorificè à Rege habitus, donatusq; ad Albertum fratrem detulit. Deinde Sigismundo Rege Brestæ Lituanorum agente, Albertus Ordinis Magister ad homagium præstandum accersitus, allatas à Fratre Casimiro conditiones reiecit: causatus, se eas probare non posse, nisi cum Germaniæ & Italiæ Magistrorum consensu. Laboratum interea summo studio à Crucigeris, tum apud Romanum Pontificem, tum apud Maximilianum Cæsarem, vt perpetuæ pacis conditioni-

tionibus abrogatis, aliæ conditiones ferrentur. Eam ob causam Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnensis Romam missus, biennio apud summum Pontificem detentus fuit. Maximilianus verò Cæsar sollicitatus à Crucigeris ad opem ferendam, propter affinitatem & fœdus cum Rege Sigismundo initum, recusauit. Atq; sic Rege domum reuerso, tùm ex coniugis obitu, tùm etiam nouis motibus & alijs curis ac negotijs distento, res Prussicæ eo anno neglectæ fuerunt. Circa hæc tempora propinabantur vina in Prussia pretio sequenti. Et quidem stofus Rhenensis vini emebatur octo solidis Gedani & Torunij: alibi, quatuor schotis. Bastert, duodecim solidis: alibi vno fertone. Malmasiæ, octo schotis: alibi decem grossis. Romeniæ, id est tres quartæ vini Rhenensis, & vna quarta Bastert commixtæ, quatuor schotis: alibi duodecim solidis. Claret, sedecim schotis. Vngarici vini, duodecim solidis: alibi sedecim solidis. Crossici vini, vbiq; duobus schotis. Gubner, vbiuis sex solidis. Boythawer, Gedani tribus solidis: alibi quatuor solidis. Medonis melioris domestici stofus emebatur duobus schotis: alterius tribus solidis. Lituanici medonis melioris sex solidis, vilioris quatuor solidis. Brombergensis cereuisiæ albæ stofus vno solido: Scribit quoq; Grunauius, quanti constiterit vnius nauis oneratio circa hoc tempus quo uixit: cum ait: Olim cum nauis è Prussia quadringentis lastis oneraretur: adhæc prouisa esset ferreis tunicis pro decem viris: & lanceis pro triginta viris, ac vncis ferreis, 600. satis firma esse dicebatur contra hostem. Computabanturq; expensæ horum plus minus quingentæ marcæ. Nunc vix expeditur nauis mille quadringentis marcis exceptâ nouâ armaturâ. Nam adhibentur integri, medij, & quartales serpentes: capitalia tormenta tot, vt sit incredibile ijs, qui ea non viderunt. Ænea sunt hæc & partim ferrea cum ferreis globis. Moneta Prussiæ erant hoc tempore denarij, solidi, grossi: exceptâ adulterinâ illâ pecuniâ, quam Magister cudi curauit, tempore equitatûs: anno 1520. quæ ne quidem ipsi placuit. Valor porrò auri & argenti erat. Vndecim marcæ in moneta continebant marcam argenti puri, tam in denarijs, solidis, quàm grossis. Sex denarij conficiebant vnum solidum. Tres solidi, vnum grossum. Quinq; grossi, vnum fertonem. Quatuor fertones vnam marcam. Marca argenti emebatur duodecim marcis. Centenarius cupri rudis, nouem marcis: iam in lamina excusus quatuordecim marcis monetæ. Et quidem anno, 1521. valebat Hornflorenus, tres fertones. Huntflorenus viginti schotos. Schotus verò valet quindecim denarios. Postulatorflorenus quinq; fertones. Dauidflorenus, sex fertones. Rhenensis florenus septem fertones. Vngaricus florenus, decem fertones, id est semitres marcas. Polonici grossi reputabantur in Prussia, duodecim denarijs. Marchitici pro tribus solidis. Siliginis lasta valebat hoc anno triginta quinq; marcis.

Vini pretium.

Nauium pretium.

Pecuniæ valor.

Cùm verò Albertus totus in ea cogitatione esset, vt amissam Prussiæ partem recuperaret, suoq; Ordini adiungeret: quam ad rem vt se maturiùs praepararet, perditos quosq; homines, qui sibi nomen militum vsurpabant, facilè pro more prædecessorum quorundam tolerabat. Hi non solùm vicinos è propinquo infestare, sed sæpiùs etiam in Episcopatum Varmiensem facta incursione, Parochis, & miseris colonis damna inferre, imò & pagos exurere solebant: idq; eo consilio maximè fiebat, vt Rex iniurijs vasallorum commotus, prior bellum Magistro denunciaret: qui incredibili quadam pugnandi cupiditate incensus, cum nonnullis Principibus contra Polonos societatem & fœdus inierat: nempè, cum Rege Daniæ, Magistro Liuoniæ, Marchione Bran-

Equitum insolentia.

deburgensi Duce Brunsuicensi, Magistro Ordinis per Germaniam, Marchione Casimiro de Anspach eius fratre. Idq; eo prætextu faciebat, quasi à S. Romano Imperio post Cæsaris Maximiliani, qui ad extremam senectutem jam deuenerat, obitum, generalis Dux exercitûs constitutus esset. Hæc magna ex parte, anno Christi, 1516. acta sunt. Quid etiam Grunauius, qui hoc tempore vixit, de mente Alberti scripserit, dum tolleraret huiusmodi equitatus, vel potiùs immitteret, audiamus. Sic verò inquit:

Præcipuè equitatus hisce quinq; annis adeò vias publicas obsederunt, vt nemo egredi è ciuitatibus ad negotia auderet. Si quis id tentâsset, ad incitas planè redigebatur. Intendebat verò Magister, vt isto modo Ciuitates adactæ, sub suam potestatem se subderent: Sed interim & ipse in egestatem delapsus est cum suis subditis, vt tract. 21. dicetur. Habebant equitatus hi quempiam Doctorem Lurcos dictum, proditorem scilicet in quapiam Ciuitate, qui consilia ciuium, & conatus eorum illis occulto idiomate perscriberet. Qui tandem ad mentem rediens, eorum conversationi nuntium remisit. Mirabantur verò ignari eius consilij equitatus, cur iam à longo tempore nihil consilij ab ipso receperint. Scripserunt itaq; illi in hanc sententiam, moræ pertæsi, linguâ ignotâ Rottdeutsch/ dicta. Honorabilis Lurcos, conquerimur coram vobis, nos ex diuturna expectatione in morbum egestatis corruisse: Undè vertigine marsupium nostrum laborare cœpit, & nos defectum lautitiarum accepimus. Quidnam hisce mederi posset, velit nos adm̃ R. Vestra sub priore fide certiores reddere. Rescripsit Lurcos tali tenore. Egestatis causa oritur ex varijs græcationibus, lusibus, ac otio. Hinc rursus nascitur malus humor & influentia in marsupio, ac inde defectus lautitiarum. Sed confortantia hæc desumpta ex libris equitatuum Franciæ, Nurnbergæ, Nerlingæ, Vlmæ, Erfordiæ ac Auspurgæ, atq; ex Glossa Silesitici equitatûs: mitto quoad Sacerdotes, Ciuitatesq;. Huius quidem tenoris. Vos verò diligenter attendite. Recipe.

Mercatores Gedanenses tres: Summarios. Suñkauffer/ sex. Torunenses mercatores duodecim. Elbingenses consiliarios duos. Canonicos Varmienses tres. Ex communibus mercatoribus tot, quot haberi possunt. Hos commisce cum antiquis Parochis ruralibus. Ducantur hi omnes in mericam Dringfartensem. Tententurq; priùs seticeis filis circa nates. Si necdùm iuvat, illiniantur ad solem ardentem melle, & nudi ad arborem, vespis, muscis, ac alijs insectis pro præda exponantur. Tum poscite decem millia marcarum. Hisce marsupium replete, & egestatem. Sanabitur certè. Sed caueant auram eam, in qua vivunt illi, à quibus remedium acceperunt: ne fortè Dei iudicio occulto capiantur: ac in periculum interitûs deuoluantur, & pereant in ligno crucis: quo vt dicit Bartholomæus Vratislauiensis executor iustitiæ, qui trecentos ex equitatu strangulauit, vix præsentius remedium reperitur, nulla ducta ratione nobilitatis & generis. Neq; piget huius tragœdiæ equitatuum aliquot exempla, propter maiorem rei declarationem ponere. Ita contigit, quòd Hildebrandus pauper aliquis nobilis, vasallus Ordinis Teutonici, ciuibus Elbingensibus & Canonicis Varmiensibus, propter contumeliosa verba ab ipsis in eum prolata, fauore & auxilio F. Guilelmi Comitis de Eisenberg, Ordinis Marsalci in Holland fretus, hostiles inimicitias denunciauerit. Quadam vice igitur duos Canonicos, qui Meelsacco Varmiam proficiscebantur, in ipso Melsaccensi saltu adortus cepit, & captiuos abduxit. Qui se magno ab illis redimere debe-

Lurcos.

Recipe.

debebant. Ceperat hic idem adiuuantibus ſuis comitibus mercatorem Elbingenſem cum filio, & quendam tertium, Butenhold dictum. Dimiſit verò filium, vt pro duobus alijs redemptionis pecuniam ad certam diem adferret. Quòd cùm iuxta promiſſionem non feciſſet filius, patrem & ſocium priùs abſciſſis eorum manibus & pedibus, perfoſſos gladijs, ad ciuitatem pro ſpectaculo miſit. Adhibebat verò ſocium ſibi Hildebrandus quendam Vrbanum Heske. Horum igitur capitaneorum ſocij comprehenſi filij Notarij nouæ Ciuitatis Elbingenſis vnam manum detruncarunt: quam in ſinum eius poſuerunt, dimittentes eum, quòd fidem prima vice captus non ſeruauerit. Sub hoc ipſum tempus euenit etiam, quòd dives mercator Elbingenſis Nicolaus Tockemitt dictus, ex vnis nundinis ad alias proficiſcens, in ſylua Hollandica in Hildebrandi ſatellites incidiſſet, & ab eis mercibus & aliquot centenis marcis ſpoliatus fuerit. Hic paulò pòſt, captos duos ex latronibus eos publicè Elbingæ plecti curauit. Eorum mortem quidam nobilis Pomeranus Hypolitus Vedil vlciſci cupiens, quòd ſanguine ſibi iuncti eſſent, inimicum ſe quoq; Elbingenſibus palàm profeſſus, Nicolao illi Tolckemitt diu inſidias ſtruxit. Tandem cum Vormdito Brunsbergam proficiſceretur, inter Krickhauſen & Bornitten pagos, eum cum ſeptem benè inſtructis equitibus vtraq; manu abſciſſa, & aliquot vulneribus inflictis pro mortuo reliquit, merces omnes & ſeptingentas marcas paratæ pecuniæ abſtulit. Quæ ſpolia, vt cum ſocijs partiretur, celeriter ad partem Klefeldum verſus conceſſit. Interea Bornitenſes ruſtici ſuperuenerunt, & Nicolao adhuc ſemiuiuo reperto eum Vormditum reduxerunt, vbi diligenti cura adhibita ſanitatem poſtmodum manibus exceptis recuperauit. Porrò Chriſtophorus Pfaff Burgrabius Melſaccenſis, cùm de latrocinio huiuſmodi per ſuos certior eſſet factus, ſtatim aliquot comitibus comitatus Klefeldum aduolauit: vbi cùm Hypolitum prædam diuidentem & numerandâ pecuniâ occupatum reperiret, eundem in poteſtatem redegit: famulos autem eius, qui ſe armis tuebantur, omnes interfecit. Hypolitus ipſe ſic captus Heilsbergam miſſus, & in carcerem propè iuniorum famulorum manſionem coniectus eſt. Offendit ea res Ordinis Teutonici fratres, adeò, vt denunciatis Fabiano Epiſcopo & Capitulo palàm inimicitijs, multa eorum bona vaſtauerint, ac pagos plurimos exuſſerint. Cumq; per literas Epiſcopus ad Magiſtrum efficere non poſſet, vt eiuſmodi populationes & incendia prohiberent. (nam anno 1517. equites ſupradicti etiam ſuburbium Melſaccenſe ſuccenderant, & ante hoc Sturmhübel, Plauten, & nonnullos alios pagos) ipſemet ad extremum cum conſiliarijs & familiaribus ſuis Regiomontum profectus, rogauit Magiſtrum, vt eiuſmodi furta, rapinas & damna à miſerorum colonorum ceruicibus auerteret, & pacis bonæq; vicinitatis iura ſanctè coleret, ne iſta ſuorum inſolentia res in deterius ruant. Nam & antea F. Guilelmum de Eiſenberg Marſalcum Ordinis, ſuper iniurijs à Capitulo ſuo & Elbingenſibus requiſitum; nihil aliud reſponſi dediſſe, niſi vt de reconciliando Hildebrando laborarent. Quod cùm feciſſent Elbingenſes, & ei, 6000. marcarum tradidiſſent, vix ad duorum annorum ſpatium pacem conſecutos. Excepit Magiſtrum Fabianum Epiſcopum humaniter, amicitiamq; & quietem in vicinia ſeruare promiſit: dummodò Hypolitus è carcere dimittatur, & quæ illi ablata fuerunt, reſtituantur. Quod etiam factum eſt. Cæterùm Hypolitus è carcere, in quo diu delituit, dimiſſus, aëris repentinam mutationem non ferens, altero ſtatim die mortuus eſt. Porrò ad iſtam pacificationem inter Epiſcopum & Albertum, non parùm

rùm quoq; ea res momenti attulit. Immiſerat in Epiſcopatum Rex non paruum militum numerum, qui incurſiones & inſolentias Teutonicorum auerterent. Hi cùm Barteſteinium, Sipenbeilum & Fridlandiam occupare conſtituiſſent, miſſa fuit Bartenſteinio matrona Romeliſche dicta, quæ coniunctiſſimè cum Epiſcopi matre, cuius nutu tunc gubernabantur omnia, viuebat, ad eam ipſam matrem, vt ab Epiſcopo obtineret, ne militem Polonorum in ditionem Magiſtri eruptionem facere ſineret. Res ita per mulieres acta eſt, vt Polonus ad perſuaſionem Epiſcopi à damnis Ordini inferendis abſtineret, & ad ſua reuerteretur. Dolenter admodùm ferebant Poloni, hanc Epiſcopi cum Magiſtro reconciliationem. Quamobrem Epiſcopum nomine proditionis paſſim proſcindebant, & in poſterum parum ſe illi fidere non obſcurè teſtabantur. Sed & Epiſcopus amicitiæ initæ non magnum commodum reportauit. Nam ſtatim vt exceſſit inde Polonus, Ordinis ſatellites Epiſcopatûs bona flammâ vaſtare cœperunt, ita vt paucæ villæ illam calamitatem potuerint euadere. Interim dum ſe parat Albertus ad apertum bellum, mirum eſt, quantum ſuos ſubditos grauauerit. Et primùm quidem ab eis ſumptus pecuniarios poſtulauit. Prætendebat ille, hiſce effectuum ſe apud Imperatorem, vt Poloni vltrò ex Pruſſia excedant, eamq; Crucigeris relinquant. Interim inhibebat commercia ſuorum cum Polonis. Et ſi quiſpiam pauper ex illis merces ſuas ad Polonos deueheret, tolerabilius eſſe putabat, ſi ea ſibi auferentur, pœnâ illâ, qua poſtea à Magiſtro plectebatur. Debebant ad hæc prouiſionem facere loricarum, procurare bombardas, lanceas, abſq; præiudicio contributionum, acciſæ, & aliarum expenſarum. Et ſi dicerent ſubditi, aliter ſibi narratum, quòd nimirum Cæſaris conſilio non armis recepturi eſſent Crucigeri Pruſſiam: reſponderunt illi, ita quidem ſibi promiſſum, ſed modò iam auro corrupto per Polonos Cæſare opus eſſe armis aduersùs eos. Diſtribuebantur per domos ſatellites, à quibus omnibus iniurijs & inſolentijs afficiebantur. Quibus ſi non omnia abundanter ſuppeditabantur, pro proditoribus reputabantur. Cudebatur pecunia peſſima, quàm tamen ciues accipere cogebantur ſub pœna direptionis omnium bonorum. Contigit indè, vt quam monetam antea accepiſſent pro ſex groſſis, hanc nummismario venderent pro quatuor denarijs pace facta. Accidit etiam, quòd ij, qui pecunias contribuiſſent ad bellum contra Polonos procedere deberent ſine ſtipendio: à quibus, quàm miſerè accepti fuerint, notum eſt. Quid enim facerent? Obedire Dominis debebant. Qui verò Regi ſuberant, non patiebantur penuriam pecuniarum. Nam Regio ſumptu alebatur miles. Quicquid aliter facerent Gedanenſes ob maiorem ſecuritatem ſuam, ciuitatem ſuam muniendo. Quamuis eos non permitterent equites ciuitate egredi, & cum Ordinis viris agere: quo plurimi, & cum Ordinis viris agere: quo plurimùm grauabantur & exacerbabantur. Item, qui æqualia bona habebant, debebant quaterni & quaterni procurare currum: alij totidem equos: alij cibos: alij viros cum præmio. Debebat præterea quilibet habere coriaceam veſtem, quam den Dantzker Rock vocabant. Nam Gedanum obſidione cingere volebant. Et quidem cùm dicti apparatus luſtraret, reiecit ille currus & equos: poſtulans à quolibet ruſticorum, vnum bouem, & octo marcas. Nam loco horum, vellet milites alere. Sub autumnum porrò anni, milleſimi quingenteſimi,

ſimi,

ſimi, decimi noni, Gedano à Senatu per Oratores Regi ſignificatum, Albertum Marchionem Brandeburgicum, Magiſtrum Crucigerorum, qui fidelitatis & ſubiectionis iuramentum præſtare hactenus detrectarat, in Pruſſia bellum contra eum omnibus viribus moliri, militum delectus facere, auxiliares equitum ac peditum copias, ac maiora bellica tormenta à Germaniæ Principibus petijſſe, & expectare. Qua re, motus Rex, quæ ad bellum Pruſſicum neceſſaria erant, magno ſtudio comparabat. Ipſe, die Nouemb. 15. in Pruſſiam profectus, Calendis Decembris Torunium appulit. Ubi indicto Regni Poloniæ, ac Pruſſiæ ordinum conuentu, communibus ſuffragijs in Albertum bellum decretum, eique id per literas ſub finem anni denunciatum eſt. Hac belli denunciatione, vltima Decembris Balgæ cognita, Fabiano Luſiano Epiſcopo Varmienſi, qui iam à partibus Regis ſtabat, Brunsbergam oppidum, vno milliario ab Habo ad Paſſariam fluuium ſitum, Calendis Ianuarijs ſurripit, ad templum Parochiale vadit. Senatoribus de fœlici anni noui auſpicio & Dominio gratulatur, & Mariæ intemeratæ Virgini pileum ſuum album Damaſcenum offert. A ciuibus inde obedientiæ iuramentum exigit. Refertur ciues ex templo egreſſos, forum lanceis occupatum vidiſſe, dixiſſeq; ridiculè, nunquid tam diu nos in Eccleſia detinuimus, donec perticæ lupulares hic creuerint. Clauſerat ſe in arce Fabianus à Maulen Burgrabius. Ad hunc Albertus tertiò miſit nuntium, vt aperiret & homagium deponeret. Ciuitati ſic interceptæ Magiſter firmum præſidium impoſuit & abijt. *Brunsberga capitur.* Iam anteà Rex decem millia peditum & equitum mercenariorum militum conſcribi fecerat: in quem finem laudata fuit contributio duplex agraria. Cùm his in hoſticum Nicolaus Firleius Palatinus Sendomirienſis & copiarum ſummus Dux conſtitutus, Torunium ante feſta natalitia ingreſſus, oppida munita & arces partim vi partim deditione cepit: ita vt in poteſtatem Regis ſubjiceret Ianuario & Februario menſibus Olſtinum minus, Ilauam, Dombrowno, Schonbergam, Morangum, Lubemelam, Libſtadium, Salfeldium, Preuſmarcum, & alias pleraſq; Crucigerorum, & Epiſcopi Pomeſanienſis Ciuitates & arces. Per id tempus Leo Pontifex Max: ad famam accenſi in Pruſſia belli, primò Zachariam Epiſcopum, poſteà Ioannem de Medicis conſanguineum ſuum, linguæ Polonicæ peritiſſimum ad Sigiſmundum Regem nuncios miſit, qui inter ipſum & Albertum pacem componerent. Rex Romani Pontificis arbitrio ius ſuum, quod ad terram Pruſſiæ haberet, ſe ſubmiſſurum reſpondit; optareq; vt perpetua pax à Crucigerorum Magiſtro juxta pacta ſanctè quondam inita obſeruaretur: quæ tunc deniq; coàleſceret, quando fidelitatis iuramentum Magiſter præſtaret. Nicolaus Firleius tot oppidis & caſtellis incredibili celeritate in poteſtatem redactis ac militari præſidio firmatis, ad Hollandiam oppidum & arcem magnis itineribus contendit, vt Albertum incautum opprimeret. Cognouerat enim per exploratores, eum cum trecentis equitibus ſe eò recepiſſe. Sed Albertus, vt Polona agmina aduentare perſenſit, Hollandiâ valido præſedio firmatâ, noctu fugâ ſe ſubtraxit, Duciſq; conatus eluſit. Nihilominus Firleius oppidum cum arce obſidione cinxit, aliquoties oppugnatione repetita. Deliberatione habita poſteà diuiſit exercitum: ita, vt pars maior maneret in obſidione: cum tribus verò millibus delectorum equitum terras Crucigerorum longè lateq; deuaſtauit, prædam ingentem,

 nuſquam

nusquam hoste comparente, ad Hollandica castra propellens. Indè, cum eadem parte exercitûs ad mandatum Regium mense Martio ad oppugnandum Quizinum, quo Sigismundus tormenta bellica raræ magnitudinis transmiserat, contendit. Idq; cum tribus diebus pilis ferreis verberasset, Episcopus Pomesaniensis cum Prælatis deditionem fecit, Toruniumq; profectus, se & sua Regi submisit, homagiumq; præstitit. Firleius verò Quizino oppido & arce præsidio munitis, cum tormentis rursus ad Hollandiæ expugnationem in castra reuertit, quam vltima die Aprilis sub potestatem Regis redegit. Nec Gedanenses interim rebus gerendis abstinent. Nam portum Regiomontanum è regione Balgæ, dimissis in fundum ingentibus arcis ac nauibus saxis repletis, obstruxerunt. Quamuis tantæ moles, tempestatibus dispersæ sunt. Erant pleriq; Germaniæ Principes, partim sanguinis, partim amicitiæ vinculo Alberto Magistro obstricti. Ii eum auxiliorum promissorum spe alebant. Quæ antequam mitterent, ad Sigismundum singuli singulos Oratores, erant autem eorum octo, de pace tentanda ablegarunt. Torunium venientes legati benignè à Rege accepti sunt & auditi. Sed cùm graues conditiones & minùs æquas pacis proposuissent, dimissi sunt. Quapropter illi Principes, spe abiecta pacis, cuiusuis generis milites terra mariq; conscribi fecerunt, quos in Prussiam mitterent. Poloni quoq; Episcopo Varmiensi conniuente Vormditum, Resselium & Heilsbergam præsidijs munierunt, & interim prosperè contra Crucigeros dimicarunt. Nam Iacobus Sencignouius centum equites, totidemq; pedites Germanos apud Preusmarcum profligauit, & captiuos duodenos nobiles viros in signum victoriæ ad Sigismundum Regem Torunium misit. Stanislaus Masouiorum Dux mille Crucigerorum equites, ac non pauciores pedites ad Prussiam insigni prælio profligauit. Ab altera parte Masouij Neudenburgensem, Reinensem, Lyckensem ac vicinas præfecturas vastant & Ioannisburgum potestatis suæ faciunt. Dux verò generalis exercitus Firleius expugnatâ & præsidijs firmatâ Hollandiâ, Braunsbergam Episcopale oppidum, & ab Alberto interceptum, obsidione cinxit: & expugnatione diffisa, Passeria flumine cum omnibus copijs transmisso, ad Heiligebeilam castra transtulit: eamq; primo accessu expugnauit. Relicto ibi Iacobo Sencignouio cum non contemnendo equitatu, ad deuastandos Brunsbergensium pagos, Dux belli ad Brandeburgam arcem castra mouit, & pari fœlicitate expugnauit. A Sencignouio verò non solùm agri Braunsbergenses vastantur, sed quoq; ex præsidio eiusdem oppidi sexcenti, qui in Sencignouium impetum fecerant, interficiuntur aut capiuntur. Torunium non ita pridem iam antea in propria persona Dux Legniciensis, & Georgius Marchio Brandeburgensis pacis componendæ gratiâ venêre: sed cùm parùm honestas conditiones pacis afferrent, nihil in ea re decretum fuit, ipsiq; re infecta, vt venerant, recesserunt. Videns itaq; Albertus dictos Principes suo nomine apud Regem nihil profecisse, & indies res suas fieri deteriores, Regis verò prosperas, vt qui tot munitas eius arces & oppida breui tempore occupauerit: ac veritus ne Firleius metropolim suam Regiomontum obsidione cingeret: qua deuicta extremum tandem excidium ordo pati cogeretur: de deditione facienda consilia agitare cœpit: maximè cùm animaduerteret Regem ne ad nuncios Pontificios quidem animum inflexisse. Videbat præterea ex Germania promissa

Princi-

Principum auxilia non venire: quorum intuitu tanti Regis in se arma concitasset: an adhuc ventura sint, incertum esse: & forte tardè. His & alijs Magister Crucigerorum rationibus permotus humillimas ac penè supplices literas ad Regem dedit, vsus operâ, vt alij dicunt, Episcopi Varmiensis, cui quosdam ex nobilibus & ciuitatibus suis adiunxerat: omnia quæ Rex imperaret facturum se pollicitus. Quòd si Rex consentiret, mitteret sibi literas salui conductus. Non se alia mente venturum, quàm homagium depositurus: recusantem pro hoste habendum. Æqua visa est Regi petitio Magistri, quam etiam Senatui Polonorum proposuit: quibus omnibus placuit, deliberatione habita, petitioni Magistri satisfacere: certis adiectis capitibus, quibus cùm venisset Torunium fidelitatis & obedientiæ iuramentum Regi & Regno facere esset adstrictus: secus facienti, fides publica exspirasse censeretur, & ipse pro hoste haberetur. Dum de his aliquot diebus disceptatur, interim Firleius Brandeburgo præsidijs firmato castra mouet, & Regiomontum Magistri sedem milite, quòd Magister futurum antè præuiderat, cingit. Dum machinæ bellicæ aduersus principalem vrbem disponuntur, literæ salui conductus à Rege Alberto allatæ sunt. Quibus ille receptis ac in Polonica castra transmissis, cum Firleio colloquium expetit, & sub fide data ad eum descendit: vbi cum Polonorum præfectis adeò familiariter egit, vt omnia iam pro Rege & Polonis facere videretur: testatus se Torunium profecturum, vt omni hostili animo deposito, Regiæ gratiæ se insinuet, sitq; ei vt prædecessores sui subiectus. Eum Firleius confirmare & hortari: futurum vt ipsum non pœniteat. Itaq; necessitate suadente non solùm sed etiam impellente (quamuis ea quæ eius suasu fiunt, diuturna non sunt) iusto comitatu adhibito, paulò pòst Torunium se contulit. Cum quo aliquoties congressus, cùm saluus conductus exspirare deberet, & ille tergiuersari ampliùs non posset, conuenit inter ipsos, vt fide interposita, crastina die adueniente, ex formula fœderis perpetui iuramentum fidelitatis sit pollicitus. Quòd dubio procul fecisset, ni eodem vespere Commendator Regiomontanus Torunium venisset, & Magistro præter spem nunciasset, Hafniâ quatuor millia peditum Memelam appulisse, & iam Regiomonti adesse: iamq; plures copias illos sequi. Hoc infelici nuncio Magister animo mutatus, oblitusq; serotinæ promissionis, manè à Rege discedendi veniam petijt. Rex quamuis ob datam fidem iustam retinendi Magistri causam haberet, vndecimâ tamen ob datam fidem iustam retinendi Magistri causam haberet, vndecimâ tamen ab ea, qua venerat die, eum abire permisit: quem etiam mandato Regio præfectus Opocensis Regiomontum securitatis causâ deduxit. Itaq; bellum maiori studio vtrinq; exarsit. Albertus firmioris præsidij causâ, cùm aduentitios quosdam milites, tum agrestes suos ex Sambia permixtim nauibus per Habum Brunsbergam transportari curauit, eo consilio quidem, vt commodiùs indè illi vel inferiori suæ Prussiæ laboranti suo tempore succurrere, vel quæ essent Episcopi Varmiensis oppida, infestare possent. Malè cessit militibus hoc consilium Principis. Nam Gedanensium naues, quorum studium erga Regem in toto hoc bello egregiè enituit, hostilibus occurrentes, magna ex parte eas demerserunt, alias captas abduxerunt, omnibus ferre militibus cæsis. Deliberabat Firleius in castris Regiomontanis cum Capitaneis suis quid agendum? Num scilicet deserenda

obsidio ciuitatis, quæ nouiter aucta copijs esset, nec ne? Et si dese-renda sit, qua parte terræ Crucigeri impugnandi? Alij censebant Sambiam oppugnandam, alij inferiorem Prussiam, alij denique Braunsbergam: quorum sententia vicit: cùm ei Regis ac Senatûs Polonici ad persuasionem Gedanensium, quòd ij facilè commeatum per aquas exercitui subuehere possent, accessisset. Firleius itaq; mandatis Regijs acceptis Brunsbergam secundò obsessurus, castra Regiomontana in die Visitationis beatæ Mariæ incendit, magnamq; equitatûs partem ad agendas prædas in inferiorem Crucigerorum Prussiam misit. Vnde immensi greges pecorum ad castra Braunsbergam posteà acti sunt. Quò dum cum maiore parte copiarum proficisceretur, in itinere Firleius Brandeburgum arcem spoliari & incendi cum oppido mandauit, deducto secum præsidio. Toto verò tempore obsidionis oppidi Braunsbergensis, quòd durauit vsq; ad Sancti Michaélis festum, nihil fortiter à Polonis actum legitur tam apud Polonos quàm Germanos scriptores, egregiè & pertinaciter se defendente præsidio Alberti, cui ne quidem egressus & ingressus per Passeriam in ciuitatem prohiberi potuit. In maiori campana turris Ecclesiæ ex ea parte, qua Poloni castra posuerant, monstratur satis grande foramen, quod effecissent, dum crebris ictibus tormentorum turrim verberarent. Accidit quoq; vt casu globus ex castris machinam in muris ciuitatis oneratam ingrederetur, ignem excitaret, & duplicatus ad castra Polonorum non cum exiguo damno rediret. Nec profuit quicquam præsentia Ioannis Suierczeuij, qui ante sexennium Moscos ad Orsam fugarat, quem Rex illuc miserat, & Firleio collegam adiunxerat. Itaq; Poloni nihil aliud lucri ab obsidione Brunsbergæ retulerunt, quam ingentes sumptus, quos in mercenarios milites exponere debuerunt, ex quibus etiam plurimi occisi in diuersis congressibus fuêre. Felicius alibi ab illis pugnatum est istis diebus. Nam Neudeburgo centum equites Crucigerorum Masouios depopulaturi eruperant, qui ab illis ipsis circumuenti, præter Commendatorem vnum, qui equo vectus, elapsus fuerat, ad internecionem cæsi sunt. Magister interea deficere in pecunijs cœpit. Quamobrem ciues Regiomontanos nouis contributionibus onerat, argentum ex templis assentiente Episcopo Sambiensi in arcem Regiomontum conuehit, monetario signandum tradit, pretio nummorum supra modum aucto. Corrasis sic pecunijs receptisq; nuper Germanicis, mari aduectis auxilijs, Heilsbergam Magister contendit: quam vbi opinione firmiorem reperit, incensis suburbanis, agrosq; vicinos depopulatus cum omnibus copijs ac tormentis ad tentandum Resselium profectus est: vbi Iacobus Sencignouius cum mille octingentis equitibus erat. Dum oppidi potiundi spe Albertus deiectus retrocedit, à Sencignouio Resselio erumpente, extremum eius agmen, in quo erant sexcenti cataphracti equites Germani, carpitur, acriq; cum eis certamine conserto, trecentis ex eis interfectis & captis, reliquos in fugam conuertit. Qua clade Magister consternatus, cum residuis equitum peditumq; copijs fugienti similis Rastenburgum se recepit. Pari felicitate cum Cruciferico equitatu ex Liuonia apud Bartensteinum pugnatum est, captis Commendatore Rigensi & Collega Goldingensi, & quadraginta militibus interfectis. Magister postquàm Heilsbergam ac Resselium frustrà tentasset, Melsaccum oppidum noctu ac insperato vi cepit. Erant illic duo Regij

Brunsberga obsidetur.

Campana Brunsbergæ perforatur.

Heilsberga & Resseliũ frustra tentatur.

Melsaccũ capitur

Præte-

Præfecti equitum Myſcouius & Zalinus, qui vbi oppidum mœnibus maximâ tormentorum violentiâ deiectis ſe tueri non poſſe animaduerterent, in arcem non adeò munitam ſe receperunt. Cuius defenſione deſperata obſeſſi deditionem fecerunt rerum & perſonarum ſalutem pacti. Ad Vormditum indè Albertus caſtra tranſtulit (cui Raduancouius equitum præfectus cum Polonorum præſidio præerat) oppidumq; verberare cœpit, ita vt pateret aditus ad eam, ex ea parte qua piſcina, der Badertruch dicta, mœnibus adiacet. Illa ipſa piſcina vel ruperat aggerem ex inundatione, vel certè ſtudio dimiſſa erat, & iam lutum deſuper quidem conſtitiſſe videbatur, cùm inferiùs adhuc molle & recens eſſet. Quo non perluſtrato, impetum milites fecerunt Albertiniani, ſed infortunatè. Nam luto inhæſerunt, & plurimi perierunt. In cuius rei teſtimonium etiamnum, dum piſcantur oppidani, ferramenti quidpiam retibus extrahitur. Itaq; cùm Alberto hic res non ſucceſſiſſet, ad aliam ciuitatis partem & ad dolos conuertitur. Nam Raduancouium euocatum ad caſtra auro corrupit, promiſſionemq; tradendæ ciuitatis ab eo accepit. Aduerſabantur ei hac in re non ſoli tribuni militum, ſed etiam oppidani, ipſæque matronæ & virgines argentum omne ſuum ac mundum muliebrem ad oppidi defenſionem offerentes. Nihilominus Raduancouius portam eius aperiri iuſſit, & Albertum intromitti. Hæc menſe Auguſto geſta ſunt, quo ferè toto maxima fuerunt tonitrua, & aſſidui imbres, quibus Viſtula adeò intumuit, vt longè lateq; eluuione obrutis campis damna accolis non exigua intulerit. Pacti verò Poloni cum Magiſtro de vita & rebus Vormdito diſceſſerunt. Citatus poſtea ob Vormditi proditionem Raduancouius ad Petricouienſia comitia, infamiâ publico iudicio notatus eſt. Quòd cùm puer eius vidiſſet, ſubitò gladium coram hero proiecit hiſce obiectis: Tamdiu, inquit, ab obſequijs fueram tuis, quoad, vt ea præſtarem tibi, non indignus videbare: iam verò ne tu quidem dignus es, qui hunc gladium mihi à tergo geſtes. Menſe inſequenti rurſus cum ducentis Crucigeris Bartenſteinio egreſſis Poloni conflixerunt, qui maiori ex parte hoſtes necarunt, alijs in fugam conuerſis. Sub finem Septembris rumor increpuit de inſtructiſſimo exercitu in auxilium Crucigerorum ductoribus Volfgango Schonbergio & Guilelmo comite Iſenburgico in Pruſſiam veniente. Res initio ficta ob ſimiles vanos rumores antea ſæpè ſparſos putabatur, donec exploratores Regij ita rem ſe habere teſtarentur. Deliberatum eſt itaq; in Senatu, quæ rationes ineundæ, vt tot hoſtibus reſiſti poſſit, hinc Magiſtro, inde recenti exercitui ex Germania infeſtis ſignis per Marchiam venienti. Re diſputata, è re futurum iudicatum, vt Marchioni nobilitas Pruſſica, & miles mercenarius objiciatur, isq; arces & oppida Eccleſiæ Varmienſis tueatur: contra Germanos verò, qui per Marchiam veniret, viſum, maiorem Polonæ nobilitatis partem ad bellum commouere. Interim Fridericus Legnicienſis Dux ad Regem Vangrouecum venit acturus de pace: aut etiam exploraturus, num Rex oblatas, Torunij conditiones approbare vellet. Verùm Rex reſponſo primo Torunij dato non potuit dimoueri, oſtendens Germanorum minis ſe nihil terreri, vireſq; ac potentiam ſibi non deeſſe ad longè maiorum hoſtium vim ſuſtinendam. Non multò pòſt ſub Octobris initium Regi à Sigiſmundo Schonbergio ſummo Germanicarum copiarum Duce Vangrouecum

Vormditum traditur.

Imbres

Raduancouius infamis.

cum literæ allatæ, quibus Regi & regno Poloniæ bellum indicebatur: quàm clarigationem Rex ac Proceres assistentes flocci fecerunt. Magister verò ad famam Germanici exercitus venientis, qui iam in Polonia non leui clade affectus fuit, diuersa parte sex millium peditum, ac septingentorum equitum exercitu collecto, Regiomonto mouens, ad Heilsbergæ obsidionẽ redit, collocatisq; noctu tormentis magnam muri partem deiecit, vt prima luce oppidum omni conatu oppugnaret. Magister haud dubiè oppidum expugnasset, ni Iacobus Sencignouius paulò antè cum millibus equitum Polonorum aduenisset. Qui vbi mœnia vasto hiatu strata vidit, non solicitus de reparanda ruina, tormenta ibi disposuit: ipse cum suis armis egregiè instructus post tormenta ad certamen paratus stabat, misso ad Magistrum caduceatore, vt oppugnationem sine longiore mora institueret. Magister animaduerso suorum, si oppugnationem aggrederetur præsenti periculo, nihil tentauit amplius: tertia postquam venerat die soluta obsidione Rastenburgum petijt. Rex exercitum Germanicum fines Prussiæ ingressum, & à Schlochouia munitissima arce haud longè abesse cognoscens, veritus, ne Germani Vistula fluuio transito cum Magistro castra iungerent, ac Gedano astu occupando consilia agitarent, statuit cum omnibus copijs Gedanum propiùs accedere. Itaq; Bydgostiam properauit, vbi communicato cum Proceribus consilio Ioannem Zarembam Palatinum Calissiensem cum mille equitibus Polonis Gedanum misit, quo non multò antè Storcium cum Polonico peditatu præmiserat. Ioanni Coscielecio Præfecto Marieburgensi iniungit, vt Germanos Vistulam transire conantes remoraretur, & fluminis transitu prohiberet. Germani Slochouiæ oppugnationem loci munitione ac præsidio valido deterriti, ne conati quidem sunt aggredi. Choinicia nullo firmata præsidio, oppidanis vltrò se dedentibus facilè potiti, vt & alia oppida cum Kissaua & Stargardia parum munita in eorum venerunt potestatem, ex quibus locis annona exercitui submissa. Dersauiam inde itum, qua itidem occupata Germani aduectis vndiq; nauigijs flumen transmissuri erant. In vlteriore litore Coscielecius cum aliquot Polonorum cohortibus, tormentis aduersus Germanos locatis, eorum nauigia ad trajiciendum parata adortus est: qui se flumen transire non posse aduertentes, quin etiam Regem cum quadraginta millibus equitum armis instructorum Bydgostiam venisse, ac non longè abesse per exploratores cognoscentes, mutato repentè consilio, Gedanum versus signa verterunt, castrisq; ante vrbem positis Schonbergius per emissarios proconsulem vrbis ad deditionem sollicitauit. Sed cùm responsum quale volebat, non acciperet, minari, & tormentis vrbis mœnia verberare cœpit. Ciues & Præfecti Regij, qui in Gedanensi præsidio erant, nihil his territi, quæ ad defensionem necessaria, apparare omni studio pergebant. Poloni equites crebris eruptionibus in Germanorum castra impetum facientes, cæsis & captis semper nonnullis victores in vrbem magno cum ciuium applausu redibant. Rex Gedano metuens, ex omni exercitu septem equitum millia elegit, quos Duce Firleio Palatino Sendomiriensi ad hostes persequendos, oppidaq; amissa recuperanda misit. Qui eo equitatu contra Germanos profectus, Stargardiam & Dersauiam primo accessu recepit: cuius aduentu nunciato Schonbergius & alij Cruciferícarum copiarum Ductores rati totum Regium aduentare exercitum, consternati veritiq; ne à Regio

Heilsberga frustra oppugnatur.

gio comitatu circumſepti, ipſi in medio cæderentur, motis protinus caſtris multisq; impendimentis relictis, in Pomeraniam iuxta litus maris fugientium inſtar abitum moliuntur. Zaremba cum Polonico equitatu, qui in præſidio Gedani erat præfectus, poſteaquàm Germanos caſtris motis abire vidit, facta ex vrbe eruptione, extremum hoſtium agmen carpebat trucidatis & captis non paucis. Firleius cùm ſtatim pòſt aduenisset, partem equitatus Pomeraniam verſùs ad hoſtes inſequendos miſit, ipſe cum reliquo exercitu ad Choiniciam, ac reliqua oppida recuperanda profectus eſt. Illi qui ad inſequendos Crucigeros fuerunt miſſi, extremum aſſecuti agmen, ſexcentos primo congreſſu, altero nongentos trucidarunt, centum quadraginta equitibus captis. Firleum Choiniciæ obſidio nonnihil demorata eſt, quòd trecenti pedites præſidio à Schonbergio relicti, fortiter propugnarent, poſtremò præſidij præfectum ad colloquium euocatum minis promiſſisq; ad deditionem perculit. Atq; ſic Choinicia Regis Sigiſmundi auſpicio & felicitate, Nicolai verò Firlei virtute ac dexteritate recepta

Eſt autem exercitus Germanici diſciplina militaris ac moderatio meritò deprædicanda, qui in expeditione ab incendijs vicorum, cædibus alijſq; injurijs planè abſtinuerunt: ac non modò nihil ſunt deprædati, ſed etiam commeatum numeratâ emerunt pecuniâ: virginum inſuper atq; matronarnm pudicitiæ religiosè parcentes. Inde factum, vt agreſtes omni depoſito pauore, omnis generis cibaria ad eos ſponte aduecta, venum iuſto pretio exponerent. Poloni verò eadem illa, quæ Germani pertranſeuntes loca, non ſecus ac ſi in hoſtico verſarentur, vicos Regios deprædati neglecta diſciplina militari, nullis non iniurijs, miſeros agricolas affecerunt. Rex Germanis Gedano relicto in Pomeraniam contendentibus, ſoluto exercitu Breſte Cuiauienſe profectus eſt, quò ad eum Soracinius Morauus, qui Regi cum aliquot equitum peditumq; turmis in Pruſſia militauit, debiti ſtipendij causâ venit. Quo accepto in Morauiam cum ſuis militibus receſſit. Venerunt & alij plures equitum præfecti & tribuni militum, quos omnes Rex ad proſequendum bellum in Pruſſiam remiſit. Nam Magiſter Crucigerorum ſub Germanorum in Pruſſiam aduentum, ne rebus ſuis deeſſet, Heilsbergam, in quam Epiſcopus Fabianus ſe abdiderat, capturus, ſecundùm arcta obſidione cinxit, quem locum Sencignouius magna virtute atq; conſtantia tutatus eſt. Per illud tempus quo Heilsbergam Magiſter obſedit, Alexander Ilouius cum ducentis equitibus Polonis, Crucigeris infeſta omnia crebris excurſionibus reddidit, carpenta atq; currus, quibus commeatus ad caſtra hoſtium vehebatur, intercipiendo & exurendo, ita vt caſtra Crucigerorum fame affligerentur; cum Crucigeris quoq; aliquoties fœliciter præliatus eſt, coactusq; Albertus Heilsbergæ obſidionem ſoluere. Sencignouius pòſt oppido egreſſus, abeuntis Marchionis cum ſuo equitatu extremo agmini Raſtenburgum vſq; adhæſit, magna Germanorum cæde edita. Poſteà Albertus Heilsbergam tertiùm obſedit, eamq; per biduum acerrimè oppugnauit, Sencignouio non minore quàm antè virtute obſeſſum Epiſcopum defendente, vt coàctus fuerit Marchio oppugnationem toties repetitam cum dedecore damnoq; deſerere. Qui ad alia loca expugnanda conuerſus, Nouumforum, & pleraq; alia oppida proditione cœpit, vſq; dum Rex Torunium Breſte rediret, quo tempore Regiomontum ſe recepit,

cepit, ibiq; Dionysia agitauit. Eodem tempore Sencignouius cum aliquot equitum Polonorum turmis Ilouio socio circum Firlandiam, Gerdauiam, & Velauiam Crucigerorum terras longè latéq; depopulatus est. Seeburgi ducentos pedites Germanos ad internecionem fudit, & centum quinquaginta pagis exustis, copiosâ onustus prædâ Heilsbergam victor redijt, vbi non diu moratus, Passenheimum oppidum in suam potestatem redegit. Ad Guttstadium inde sequenti anno cum Crucigeris conflixit, & septuaginta ex eis trucidatis, quatuordecim nobiliores cepit. Ita ista quidem breuiter de occupatione Brunsbergæ atq; aliorum oppidorum Diœcesis Varmiensis obsidionibus, vel expugnationibus atq; deditionibus vulgata sunt: sed de ijs res alio ferè contextu narratur in libro bibliothecæ Heilsbergensis. Quam narrationem hic statim subjicere volui. Poterit benignus lector iudicare, num externi, an domesticus author de his rebus veriùs scripserit. Itaq; sic inquit.

Rex generali exercitûs contra Albertum Duce constituto. D. Nicolao Stawronitzki, Palatino Sendomiriensi, gente Firleio, dedit in mandatis, vt oppidis & Ciuitatibus Episcopatûs Varmiensis præsidiarios Polonos milites imponeret, quo ex propinquo bellum faciliùs Ordinis ditioni valeret inferre. Non latebant ista Magistrum, qui Firlei Ducis anteuertenda consilia ratus Brunsbergam, eo vt sequitur modo prior occupauit. Magister, vt celeritate rebus suis consuleret, rumorem omnium sermonibus evulgandum curauit, quasi Regiæ Maiestati homagium præstare constituisset. Et quoniam per ciuitatem Brunsbergensem, illi transitum liberum denegarent, se culpam omnem homagij non præstiti, in eos reiecturum. Itaq; trecentos equites egregiè instructos, partim Heilgebeilam, partim Einsidelum præmisit, & hospitia hinc inde etiam vltra Brunsbergam præparari iussit, quò faciliùs crederetur illum omninò ad Regiam Maiestatem profecturum. Magistratus autem Brunsbergensis de ijs die S. Thomæ certior factus, in prætorio consultationem habuit, num Magister ad Ciuitatem admittendus esset, cui Regia Maiestas bellum iam denunciauerat. Nonnulli suadebant stipendiarium militem, vel Polonos ad defensionem ciuitatis accersendos. Alij sentiebant, Polonos nulla ratione admittendos, quòd insolentes, rapaces, & valdè graues ciuibus futuri viderentur: Magistro potiùs liberam facultatem transeundi concedendam. Alij Magistrum nulla ratione intromittendum censebant, quem Regia Maiestas pro hoste declarasset: alioquin proditionis crimen illis objici posse, & in eos seuerè animaduerti: expectandum potiùs Dominum Fabianum Episcopum, qui pro festo Circumcisionis ex Elbingensibus comitijs Brunsbergæ affuturus esset. Hæc cùm ignoraret Magister, vt sub aduentum Episcopi Brunsbergæ compareret, pridie Circumcisionis Heilgebeilam venit. Manè autem horâ septimâ per densissimam nebulam cum trecentis equitibus, & nonnullis peditibus Brunsbergam per molarem pontem aduolauit, nemine in custodia turris & portæ comparente, præter Philippum Teschner Consulem, quo conscio hæc acta fuisse ferebantur. Magister ingressus aream, seu circulum Ciuitatis occupauit, tympanorum & tubarum sonitu omnia compleuit. Ipse cum aliquot præcipuis versùs Ecclesiam properauit, vbi tunc processio peragebatur: senatu ac primoribus communitatis aduocatis, iussit, vt se in arcem sequerentur, postulata ipsius audituri. Erat tunc in arce Fabianus de Maulen Varmiensis Episco-

Brunsberga occupatur.

patus

patus generalis Aduocatus, qui ſororem Germanam Fabiani Epiſcopi habebat in matrimonio, & erat Magiſtri vaſallus. Burgrabij autem officium gerebat quidam Sacerdos nomine Petrus, qui tum erat in templo. Cùm ad arcem acceſſiſſet Magiſter clauſam reperit, & inclamauit: Fabianelle, inquiens, aperi Fabianelle, qui ſtatim egreſſus miſericordiam implorauit, & portam arcis Magiſtro patere fecit. Ille inſtitit, vt Magiſtratus & communitas iuramentum fidelitatis illi præſtarent. Id vt facerent adduci non potuerunt: aſſerentes, quòd pro Domino, Epiſcopum & Eccleſiam Varmienſem agnoſcerent, quibus quandoquidem iuramento eſſent obſtricti, ſaluâ conſcientiâ in alterius cuiusuis Domini verba iurare nulla ratione poſſent. Ad hæc Magiſter reſpondit: Conceſſum ſibi eſſe à Pontifice Max: facultatem, & ita cum Epiſcopo eorum Domino conueniſſe, vt hanc ipſam, & alias itidem Epiſcopatus Varmienſis ciuitates in poteſtate habeat, easq; à Polonorum iniurijs defendat. Quamobrem vel omninò iurandum, vel moriendum certò ſibi eſſe ſcirent. Illi verò in genua procumbentes orabant, vt eos liberos abire permitteret: quod concedere noluit: ſed accerſito Fabiano de Maulen Aduocato, & Philippo Teſchnero Burgimagiſtro, renunciari Magiſtratui & Ciuium communitati iuſſit, Dominum Magiſtrum cum Epiſcopo apud Balze ita conueniſſe, vt ſi belli neceſſitas incumberet, Magiſter oppida Epiſcopatûs occupare eaq; tueri & defendere quousq; negotium componatur, poſſet. Paratum eſſe Magiſtrum Domini Epiſcopi conſenſum, ſuper ea re in ſcriptis alio tempore Ciuibus exhibere: nunc verbo Principis illis promittere, quòd nec vnius capilli nec obuli quidem iacturam ſubituri eſſent, ſi imperata faciant. Quamobrem ſi ſaperent, & ſua illæſa cuperent, eiusmodi iuramentum præſtare ne detrectarent. His & alijs perſuaſionibus inducti, ad extremum in verba Magiſtri iurarunt. Atq; hi ſunt illi Brunsbergenſes, qui anno 1459. eruptione facta tria Boëmorum millia occiderunt: qui anno 1488. tempore belli ſacerdotum ſeptem millia Polonorum deleuerunt: nunc verò tam turpiter ab exiguo hoſtium numero ſe circumueniri paſſi ſunt. Sed & Fabianus de Maulen pro tot beneficijs egregiam affini ſuo Epiſcopo gratiam attulit. Philippus quoq; Teſchner, qui ex quadam puella baſtardus erat, Lucæ Epiſcopi, dum olim Ludimagiſtrum Torunij ageret, & poſtmodùm eodem Luca creato Epiſcopo promotore vſus, diuitis Brunsbergenſis ciuis Zanderi filiam vxorem adeptus: atq; ita ſenſim è ſtercore ad Conſulatus apicem euectus fuerat, præclaram animi grati erga Epiſcopi ſucceſſorem teſtificationem ſcilicet edidit. Quamuis autem Brunsbergenſes Magiſtro fidelitatem iuraſſent: quoniam tamen facilè videbat id eos illibenter feciſſe, parùm illis fidebat, & arma quæcunq; domi habebant in arcem eos deferre iuſſit, quibus eos ſe defenſurum pollicebatur. Edixit autem vt ne ciues cœtus ſeu congregationes vllas facerent: Dominum Petrum officio Burgrabij priuauit, & in eius locum F. Bartoldum de Almenshoff ſubſtituit: Ciuitati præſidium è centum Regiomontanis benè inſtructis ciuibus impoſuit: quibus Capitaneum F. Simonem de Donen præfecit. Militem per domos ciuium diſpoſuit, vt iuxta facultatem duos vel tres quilibet aleret: qui maximam moleſtiam hoſpitibus inferebant: Vt ciues in officio contineret, ingens patibulum in medio foro erigi iuſſit. Si quis vel minimum rebellionis aut inobedientiæ ſignum daret, vt abſq; o-

Hh mni

mni misericordia statim suspenderetur, promulgauit. Prætereà ad septingentos selectiores milites è suis Brunsbergam accersiuit, qui tempus & occasionem expectarent, occupandæ ciuitatis Elbingensis. Porrò Fabianus Episcopus bonæ cuiusdam sortis beneficio propter profundas niues Brunsbergam pridie Circumcisionis venire non potuit, sed Elbingæ se continuit. Calendis tamen Ianuarij, cùm eò proficisceretur, accepit in itinere à Fabiano de Maulen & Philippo Teschnero literas, quibus illi significabant, Magistrum specie amicitiæ Ciuitatem occupasse. Respondit breuiter Episcopus, illos, quàm rectè hoc fecerint, paulò pòst intellecturos: & Elbingam redijt. Postero die Heilsbergam celeriter accurrit, vbi Magistri literas eo die quo Brunsbergam in potestatem redegit, valdè humaniter & amicè scriptas reperit; quarum hæc summa erat. Quandoquidem in colloquio vtrinq; habito conclusum & definitum esset, vt necessitate instante Magister Episcopatum defenderet, ideò Brunsbergam se occupasse, ne in ea Poloni sedem belli ponere, & inde arma Episcopatui & Ordinis ditionibus inferre possent. Sed orare, vt Episcopus locum & tempus assignaret, in quo coram de his & alijs rebus conferre illis liceret. Excusauit se per literas Episcopus, cur ipse venire non posset, missurum se tamen duos Canonicos Brunsbergam, qui cum eius consiliarijs de rebus necessarijs colloquerentur. Cùm venissent Brunsbergam Canonici, repererunt ibi F. Simonem Dominum de Heideck: qui eos ita fertur allocutus. Princeps & Dominus meus Clementissimus, renunciari vobis per me iussit, quòd Pontifex Max. eum protectorem & defensorem Episcopatus & Ecclesiæ Varmiensis constituerit ac deputauerit, quam rem cum tempore productis suæ Sanctitatis diplomatibus ostendere & comprobare paratus esset. Nunc à vobis postulat, vt ei subditorum in morem fidem & obedientiam in manibus meis iuretis. Responderunt Canonici: se quidem hoc tempore id præstare non posse, quandoquidem Domini Capitulares apud Ecclesiam præsentes non essent: daturos se operam, vt primo quoq; tempore conueniant, & consultatione facta se responsum allaturos. Ita discesserunt, nec ampliùs reuersi sunt. Quamobrem octauo post die, misit Magister milites suos Varmiam, qui oppidum & curias Canonicorum (quorum nonnulli Allensteinium, alij Elbingam, alij Gedanum concesserant) incenderunt & exusserunt Antonitarum hospitali excepto, qui in verba Magistri iurauerant. Sed debeo hic totum negotium Antonitarum finire.

Antonitarum descriptio.

Cùm ergò illi laudatissimi tres primi Fratres ex Monasterio partim decessissent, partim recessissent: successerunt in eorum locum alij fratres longè prioribus dissimiles, qui magis sæcularia quàm Spiritualia curabant: populoq; persuadebant, quod Diuus Antonius eorum Patronus dominium ignis in cœlo obtineret: se non esse Monachos, sed Antonij Dominos. Si quis S. Antonio porcum pro Eleemosyna offerret, eum in iumentis nullum damnum subiturum. Si qui eorum porcis (qui pro signo campanulam auribus appensam gerebat) coretum frumenti pro pastu offerrent, eos pro quolibet coreto quinq; annos de indulgentia & peccatorum venialium remissionem consecuturos. Habebant etiam in Insula Marieburgensi domicilium. Vnde non contemnendam pecuniæ summam & bonorum numerum porcorum acquirebant. Hyeme verò domos obibant, pro Sancti Antonij porco dimidiam hordei mensuram exigentes.

gentes. Qui autem in ſocietatem aſcripti eſſent, ij menſuram integram pendere tenebantur. Hæ & ſimiles exactiones Albertum Ordinis induxerant, vt eos prouinciæ ſuæ aditu prohiberet: licet antehac vt eius Dominia viſitarent, annuatim quadraginta marcas illis donare ſolitus fuerit. Cum ebrietate vitam ſcandaloſam coniunxerant, vt etiam à ruſticis paſſim porcorum Papæ vel porcini Epiſcopi per ignominiam vocarentur. Eos quidem eorum præceptor pius & doctus ſenex viſitaturus aduenerat, vt improbos & à religionis profeſſione alienos, eorum mores emendaret & corrigegeret: cumq; eos ebrietatis nomine vehementer obiurgaret, quidam arrepto fuſte eum in capite adeò grauiter percuſſit, vt in terram decidens, paulò pòſt è vulnere deceſſerit. Percuſſor autem fugâ ſibi conſuluit. Voluit deindè eos viſitare Fabianus Epiſcopus, ſed nulla id ratione permittere volebant. Interea noua Luteri hæreſis inuaſit nonnullos eorum, inter quos extitit Amandus quiſpiam primus Regiomontanorum prædicans, de quo poſteà. Fabianus idcircò eos ferendos non putauit: ac ea quæ à Luca prædeceſſore ſuo data erant, illis ademit. Illi verò locum & hoſpitale Capitulo Varmienſi reſtituerunt, & inde receſſerunt. Paulò pòſt Rex Eccleſiam Cathedralem miſſis centum equitibus, totidemq; peditibus communiuit. Nam arcem miles Alberti non occuparat. Cæterùm miles quem Brunsbergæ Magiſter reliquerat, adeò indignè & malè ciues tractabat, vt Magiſtratus de tot iniurijs apud Magiſtrum grauiter conqueſtus, ab eo humiliter petierit, vt eius inſolentiam compeſceret. Hic miles cœpit conqueri & iactare, niſi tam ſecurè cum Magiſtratu ageret, pridem potuiſſet ciuitatem Chriſtophoro Pfaff Burgrabio & Aduocato Melſaccenſi tradere: quandoquidem plures claues, ad portas Ciuitatis haberet, quam illi Capitaneo Magiſtri conſignaſſent: ſcripſiſſet etiam vnà cum Petro quondam Burgrabio ad eundem Chriſtophorum Pfaffium, vt Polonos accerſeret, quibus claues Ciuitatis, vt eò faciliùs potiretur, traditurus eſſet. His cognitis Magiſter, diligentiùs inquirere cœpit & reperit claues nonnullas, quæ non recens factæ, ſed ab antiquo in prætorio aſſeruabantur: & ea re exacerbatus, maximè verò, quòd antea Brunsbergentes militem præſidiarium Ciuitate eieciſſent, alium ſuo tempore introducturi, comprehendi ſtatim, omnes Ciuitatis Senatores iuſſit, & fune ligatos binos & binos Regiomontum deduci. In eorum autem locum, nouum Senatum ſubſtituit: qui coactus obedientiam illi iurauit. Neq; tamen claues Ciuitatis illi concredidit. Vtq; tumultus excitandi omnem amputaret occaſionem interdixit, ne quis vllam campanam ſiue in turri ſiue in Eccleſia attrectare auderet. Et quoniam intellexerat Canonicos Varmienſes & nonnullos rurales Parochos & Sacerdotes in Eccleſia Parochiali Brunsbergenſi aliquid pecuniæ & argenti recondidiſſe, iuſſit illam ipſam Eccleſiam occludi, & claues ad aſſeruandum ſibi deferri. Ea res Vicarios & alios Sacerdotes vehementer offendit, quòd officia diuina exercere non poſſent, & hinc inde conquerebantur de Magiſtro, quòd in munus ſuum ſe ingereret & campanarum vſum prohiberet. Pleriq; etiam lamentabantur fratres ſuos ligatos Regiomontum abductos, tùm alios propè Libemelam interemptos. Nam iſtuc Brunsbergenſes nonnullos Magiſter miſerat, vt contra Polonos Ciuitatem tuerentur, qui ad vnum omnes interfecti fuerunt. Querelæ iſtæ ad Magiſtrum delatæ, eum ita exacerbarunt,

Amandus primus prædicans Lutheri Regiomonti.

vt statim Petrum qui anteà Burgrabij munus gerebat, comprehendi, & vnà cum focaria sua colligatum, in aliorum Parochorum ruralium & Sacerdotum comitatu Heilsbergam ad Episcopum suum cum ignominia propelli & deduci iusserit. Ne autem Brunsbergenses Parocho carerent, Laurentius Geldriæ Dux appellatus, Magistri mandato è carcere liberatus, Ecclesiæ Rector constituitur. Hunc Sacerdotem Episcopus ad perpetuos carceres in aqua mœroris & pane doloris sustinendum condemnauerat: quod toto triennio ante bellum cum Magistri satellitibus, latrocinijs, cædibus, & furtis per summum scelus sese contaminauerat. Quamuis autem Sacerdotes, ita vt supra memoratum est, eiecti fuerint, didicit tamen Magister, quonam loco eorum pecunia defossa seruaretur. Sub idem tempus, cùm Magister intellexisset ditiores rusticos è vicinioribus pagis bona & facultates suas Meelsaccum comportasse, die nona Februarij cum suis eò Brunsbergâ excurrit, & statim intromissus est, quod nullis præsidijs Ciuitas teneretur. Inde ducenta vehicula varijs rebus, quas coloni securitatis causâ in ciuitatem aduexerant, onerata Brunsbergam abduxit, relictis nonnullis bellicis tormentis cum iaculandi peritis, qui Polonos si superuenirent à muris arcerent. Porrò feriâ quintâ ante Dominicam *Inuocauit*, Poloni Duce Firleio, Zaremba & Achacio Cema apud Meelsaccum comparuerunt, & vt in Ciuitatem intromitterentur, institerunt. Responderunt Ciues, se à Magistro præoccupatos, fidem suam illi iuramento obligasse, nec alium Dominum admittere posse. Hoc responso offensi Poloni suburbia Ciuitatis incenderunt, & circumcirca non leuia damna colonis intulerunt. Obsessi tormenta bellica, quæ Magister reliquerat, in eos exonerabant absq; vllo hostium detrimento: qui tandem vehementi impressione facta, ciuibus vltra resistere diffidentibus, ciuitate potiti sunt. Sic Poloni Ciuitatem ingressi omnes ad vnum Ciues trucidare volebant, quod illis resistere ausi fuissent. Sed Achacius Cema Germanorum Præfectus parcendum esse miseris, qui à Magistro astu circumuenti essent, facilè persuasit. Quamuis insolentiam militis necessè ferre habuerint: quos etiam eo adegerunt Poloni, vt denuò Venerabili Capitulo Varmiensi tanquam proprio & naturali Domino fidem & obedientiam iurarent. Porrò cùm omnia Poloni in Ciuitate consumpsissent, in ditionem Magistri, impressionem fecerunt, custodiâ Ciuitatis Meelsaccensibus concreditâ. Sed Parochus illis statim persuadere cœpit, vt Magistro item se dederent, quòd à Polonis nihil aliud, præterquam damna habituri viderentur. Eius sententiæ reclamabant nonnulli, sed plures tamen secuti Parochũ Brunsbergam ad Magistrum tormenta, quæ illis mutuò dederat, remiserunt. Non multò pòst, Regius miles reuersus, machinas eiusmodi requisiuit: cumq; rem vt erat acta, intellexisset, septem è Magistratu comprehensos, in foro capite plecti iussit, nonnulli per murum elapsi, fugâ salutem quæsiuerunt. Posteà Ciuitas miserè direpta: Parochus secretò foras abductus. Mouit deindè exercitus, duobus Capitaneis cum 300. militibus relictis. Non multò pòst venit Magister ante Ciuitatem, & vi tormentorum pinnas murorum cum turri versùs ortum Solis dejecit. Irruptione facta Poloni omnes qui se egregiè defendebant, interfecti sunt, nec Capitaneis quidem saluis. Duo tamen nobiles, qui Ordines ducebant, capti & abducti sunt. Cæsis Polonis Magister ciuitatem incendi jussit, quæ vnà cum cada-

Laurentius Geldriæ Dux.

Melsaccum Poloni occupant.

cadaueribus in cineres redacta habitatoribus & ædificijs metu Polonorum vacua & penè desolata multo tempore remansit. Magister cùm in expugnatione septem horas insumpsisset, egregium & Nobilem virum Ioannem de Leiden, quo in explodendis bellicis tormentis principali artifice vtebatur, cum duobus famulis & quatuor rusticis globo missili trajectum amisit. Multi in ascensu muri vulnerati. Ad triginta verò ex ejusdem Magistri militibus cæsi fuêre. Feriâ secundâ post Dominicam *Cantate*, Firlejus & Zaremba cum exercitu Brunsbergam venerunt, & ex improuiso nouam Ciuitatem adorti, nonnullos rusticos miseros cum vxoribus & liberis trucidarunt. Ciuitatem verò & ipsam molam injecto igne exusserunt. Quo tempore etiam circiter 40. Polonorum ictu sclopetorum è Ciuitate veteri petiti, occisi fuerunt. Inde recedentes, castra propè arborem jaculatoriam posuerunt, & in obsidione Ciuitatis per aliquod tempus perseuerarunt: quamuis absq; fructu. Nam Magister milite, tormentis, & commeatu Ciuitatem egregiè munierat. Præfectus verò bonam jumentorum quantitatem, quam ex Episcopatu hinc inde collegerat, inter ciuitatem & Passariam in campo sub sclopetariorum custodia emiserat, quam intempesta nocte Polonorum Hussari adorti, abduxerunt. Ejaculata in eos tormenta neminem læserunt, præter unum vitulum. Erumpentes è ciuitate postea centum equites, eos insecuti, cum illis parùm feliciter decertarunt. Nam ex illis circiter 40. ex Hussaris vndecim tantùm perierunt. Cùm itaq; viderunt Poloni, se apud Brunsbergam frustra tempus terere, obsidione soluta, Regiomontum versus commigrarunt. Non multò pòst, vbi Rex accepisset, nullum operæ pretium apud Brunsbergam factum, arbitratus id culpâ Ducum euenisse: quorum vterq; senex & debilis fuerat, vtrumq;, videlicet Firlejum & Zarembam loco mouit, & Januscium generalem Capitaneum constituit, adjuncto illi N. Cosscielecio: quibus injunxit, vt denuò Brunsbergam obsidione cingerent. Quod etiam fecerunt. Sed nullo, vt ante, fructu. Tormenta bellica absq; Ciuitatis aliqua notabili damno exploserunt, fastigium tantùm turris campanarum & tectum concusserunt, & campanæ majoris partem ictu validiore confregerunt. E contra Brunsbergenses è fastigio turris ejusdem in castra Polonorum prospectantes, & quæ agerent studiosè obseruantes, exoneratis æneis machinis eorum conatus disturbabant. Cumq; viderent eos non magnam rerum suarum curam agere, Petrus de Donen Capitaneus cum 40. equitibus & 120. peditibus inopinatò in castra Polonorum irrumpens, duos præcipuos Boëmicæ gentis Capitaneos, D. Sutkau & Veibersnitzky ac circiter 500. milites, vallo exturbarunt, vbi in fuga decem Nobiles Boëmi & ex Polonis multi interierunt. Tormenta in rotis posita in ciuitatem abducebant: cùm in castris clamore exorto Germani milites, nempè Christophorus Pusch, Osualdus Boxs cum cæteris æqualibus (qui ante bellum propter insolentias aliquas Magistro inimicitias denunciauerant) maxima celeritate Brunsbergenses persecuti, tormenta eadem ipsis ademerunt, 42. militibus ibidem interfectis. Reliqui fugâ elapsi & in Ciuitatem reversi intra muros sese continuerunt, & in castra subinde absq; vlla intermissione globos ita jaculati sunt, vt inde Poloni abscedere coacti fuerint. Die S. Bartholomæi, Magister euocato suo milite Bartsteinio, Sippenbeilo, Regeno, Rastenburgo, magna celeritate vsus, die insequenti noctu Resselium peruenit. Vbi in 700. Tartaros incidit:

cidit: quorum sexcenti sunt interfecti, cum præda copiosa etiam sexcentos equos abegit.

Sub idem tempus Magister Episcopo Fabiano, quod ejus inimicos in Episcopatu suo foueret per literas publicas inimicitias denunciauit, quas ille statim ad Janusciurn Polonicarum copiarum Ducem, & ad ipsam Regiam Majestatem misit, orans, vt præsidijs Heilsbergam contra Magistri insultus armaret: qui non contemnendam militum manum ex Boëmis, Polonis, Prutenis, eò misit. Feriâ sextâ post Luciæ, venit Magister Heilsbergam cum septem millibus virorum & tormentis bellicis præstantioribus, eamq; vno & dimidio mense obsedit. Singulis verò diebus ad sexcentas igneas pilas emittebat, vt Ciuitatem exureret: quæ ita erant paratæ, vt singulis pilis duodecim bombardæ minores vnius palmi longitudine alligarentur. Cumq; ejusmodi pilæ alicubi decidissent, ardebant: & intra vnius Aue Maria moram illas bombardas exonerabat. Quæ vt absq; damno Ciuitatis aliquo extingui possent, Georgius Preikius recens totius Episcopatus Aduocatus & Capitaneus ex Curiæ Marsalco creatus, vir magnanimus & strenuus miles, seriò præcepit, ut in tectorum canalibus & superiori ædium parte vnusquisq; ciuium quatuor aquæ vasa, & in quolibet vase corium bouis madefactum haberet, quo projectæ pilæ igneæ extinguerentur. Atq; ita factum est, vt nullum damnum globi hujusmodi ædificijs inferre potuerint: excepta domo Georgij knobelsdorfij, in quam vnus ferreus & candens cum incidisset, tecto & tabulato perforato, in vaporarium vsq; inferius peruasit. Vnus itidem globus similis in Episcopi cubiculum irrupit. Iactus quilibet ejusmodi globorum æstimabatur 20. marcis: ita vt pro comperto haberetur, Magistrum machinis hujus generis explodendis apud Heilsbergam quindecim millia marcarum insumpsisse. Porrò cum videret Magister, quod pilis igneis Ciuitatem accendere non posset, murum ciuitatis cum duobus turriculis longitudinis circiter 30. altitudinis 9. cubitorum, Septentrionem versus vi missilium tormentorum deijcit, & militi statim præcepit, vt in Ciuitatem irrueret. Qui etiamsi paratus erat, tamen ire recusauit: primùm quòd ante murum esset fossa itidem muratæ profunditatis cubitorum 20. quæ multo labore priùs erat complananda: deindè quòd à multis mensibus stipendium non acceperat, nec honorarium expugnationis retulerat. Itaq; noluit, vt juri militari aliquod præjudicium inferretur, quod vsu receptum habet, vt, qui in hebdomadam vnum florenum stipendij percipit, huic antequam ad murum accedit, duo floreni numerentur: & qui plus habent, vt Capitanei, signiferi & similes, ij primi ad murum comparere debeant. Quamuis autem verbo Principis Magister se militi satisfacturum polliceretur, nihil tamen juuit hoc: sed subinde miles vociferabatur, pecunia nobis debetur, pecuniam nobis repræsentent nequam cruce signati Monachi: alioquin nihil faciemus, discedemus. Hæc sæpius Magistro renunciari fecerunt, quæ Magister malè habebat; Preikius autem perforatam & dejectam illam muri partem statim terra & fimo ita obstrui curauit, vt quosuis impetus facilè sustinere posse videretur. Muris etiam intra ciuitatem fossam altam addidit, & militem expansis signis ad conflictum egregiè instructum à noua Ciuitate usq; ad forum decentiori ordine disposuit, vt hosti statim obijci & resistere possit. Tertia demùm nocte validus turbo & tanta tempestas àëris repentè exorta est, vt hostibus terra dehiscere videretur.

Heilsberga oppugnatur.

ventus

deretur. Quamobrem ſummo timore attoniti, hinc inde palantes diſcurrere, & versùs Regiomontum fugere cœperunt, curribus, lanceis, bombardis, armis, & ſimilibus impedimentis relictis: immò etiam ollis apud focum, & alijs eſculentis ac poculentis. Ferebatur, tùm Magiſtrum ad Heilsbergam ad mille ſexcentos homines amiſiſſe: quorum major pars è ſummitate altioris turris Boëmi pixidarij operâ globis miſſilibus proſtrata fuit, pars etiam crebris excurſionibus inopinatè per Georgium Preikium deleta fuit. Jam verò anno 1521. paulò antè Carniſpriuij dies, Sichaujus accepto Magiſtri milite Guttſtadium contendit, ſperans ſe Ciuitatem per proditionem occupaturum. Sed quoniam illic præſidia Polonica erant, proditores cogitata perficere non potuerunt. Itaq; à monte versùs Glottau tormentis muros quatere cœpit: è contra Canonici, præſertim Fabianus Emericus cum nonnullis è ſummitate turris Eccleſiæ ita peritè jaculabatur, vt in monte ad ſeptuaginta duos ex hoſtibus perierint. Ipſe Sichauius grauiter læſus octauo poſt die deceſſit & Regiomonti ſepultus eſt. Porrò cùm viderent hoſtes vi ciuitatem expugnari non poſſe, clàm noctu inter ſcholam & portam, turrim quandam occuparunt, & inde ex improuiſo erumpentes, Polonos omnes trucidarunt: inſuper ruſticos propè quingentos, qui ſecuritatis causâ cum facultatibus ſuis ad Ciuitatem confugerant. Ciues præterea non paucos: ita vt Ciuitas cadaueribus repleretur. Multi tunc potuiſſent per Vormditenſem portam cladem euadere, ſi conſul Vngermannus dictus aperire juſſiſſet. Canonici per molendini portam Allenſteinium ſe ſubduxerunt, Martino Gros excepto, quem hoſtes in poteſtatem redactum, cum priuilegijs Capituli & trecentis marcis argenti Regiomontum ablegarant. Milites tormentorum ictibus, vt ſupra dictum eſt, ſublatos, ritu Catholica in Eccleſia ſepelierunt. Polonorum & ruſticorum cæſorum cadauera extra Ciuitatem humari præceperunt.

Heilsberga ſtrenuè ſe defendit contra Magiſtrum cum maximo ipſius damno

Clades Guttſtadienſium à Crucigeris.

Feriâ tertiâ ante Catharinæ Magiſter ad expugnationem Vormditi acceſſit, & cùm murum Ciuitatis propè balnei piſcinam non mediocriter labefactaſſet, difficilè tamen fuit militi per aquas ad murum accedere. Non multò poſt communicato inuicem conſilio, Capitaneus Polonus & Ioannes Garſau Conſul deditionem ſpontè Magiſtro fecerunt, ea conditione, vt militibus liberè liceret oppido excedere: incolis verò nihil damni inferret. Quod etiam factum eſt. Deditio hæc adeò Regem offendit, vt Capitaneum illum infamem pronunciauerit & proſcripſerit. Magiſter apud Garſauium Conſulem hoſpitatus gratitudinis ergò bona Stollen in Libſtatenſi tractu illi conceſſit & donauit. Ex oppido Seeburgenſi Magiſter nihil lucri reportauit, ſed incendi illud iuſſit. Vartenburgi propter copioſam aquarum inundationem oppugnare non potuit, ſed tormento ſemel exploſo, num ſe incolæ dedere vellent, fruſtrà tentauit. Inde abſcedens Allenſteinium mouit. Sed nullum operæpretium fecit. Septem tamen villas incendio vaſtauit. Sub hoc idem tempus fama publica percrebuerat, quòd Magiſter Lunaticus euaſerat, & non temerè id affirmabatur: nam quandoq; ſolus, quandoq; duobus vel tribus tantùm comitatus pagos incendebat: præcipuè verò Sebeſtum ſolus exuſſit, ne Poloni ſtatiua iſtic habere poſſent. Credibile eſt eiuſmodi affectionem illi eueniſſe ex animi quadam anxietate, quòd neceſſitatis huiuſmodi bellicæ tempore nec milite, nec pecunia à quoquam ex Germania ſubleuatus fuerit: nec

Vormditum deditur.

modum & rationem inueniebat, qua stipendia emerita, quibus debebat, persolueret.

Martio mense Albertus per suos Duces Elbingam tentat. Itaque illuc proficiscebantur noctu ad Lunæ lumen feriâ quintâ ante Dominicam *Lætare*, duo millia equitum: qui vigiles suburbij ceperunt, & multas domos cuiusdam puellæ potum ostiatim mendicantis operâ occuparunt, ac domesticos alligarunt, ne quis periculum Ciuitati instans diuulgaret. Manè dum more consueto porta aperiretur, cursu incitato milites hinc inde ad ciuitatem concurrunt, pontem pensilem, vbi Ciues hostem præsentem vidissent, jam demissum iterum attrahunt: viciſſim verò hellabardis adiectis retrahebant milites. Quod cùm vtrinq; magno conatu faciunt, pons desérens postes decidit, suspensus hæsit. Pertinaciter tamen agentes hostes duas turres portæ, cum paradyso obtinent: vnde in forum jaculantur. Viciſſim ciues hosti non parcunt: qui dum etiam alteram portam ciuitatis effringere conatur, illi caminum dejiciunt, qui perfracto fornice portæ, ingentem puluerem excitauit; quo impediti hostes, & quod Ductor eorum Mauritius Knebell in pede læsus fuerit globo, discesserunt. Magister spe potiundæ Elbingæ frustratus, rebus indies in peius ruentibus, ad pacem vel inducias cum Rege ineundas inclinare cœpit. Ideoq; Rege Breste Torunium ad bellum prosequendum reuerso, sequenti die Lignicensis Dux de pace tractaturus ad eum venit: nec multò pòst Georgius Marchio Brandeburgicus Alberti frater eodem accessit. De pace cùm conuenire non posset, induciæ duntaxat quadriennales factæ sunt hac lege, vt loca vtrinq; capta restituerentur, quo intereà de pace perpetua commodiùs agi posset. Sicq; bellum cruentum ac periculosum inter Polonos ac Crucigeros in Prussia accensum, postquam variâ fortunâ gestum est, consopitum fuit sub mensis Martij finem anno salutis, millesimo quingentesimo vigesimo primo.

In hoc Torunensi conuentu agitata fuit etiam controuersia de peculiari Prussorum consilio, Rege, causas terræ illius indigenarum consilio decidere ex antiquo more, eo usq; solito. Quæ res Polonico Senatui summoperè displicuit. Etenim quòd res Prussicæ à Polonis summis viribus defenderentur, æquum illis videbatur, cum ijsdem in eodem Senatu in commune consulere, tanquam eiusdem Principis subditis, & unius corporis membris. Ideoq; æquitatem ipsam postulare, vt cum ipsis in eiusdem Senatus consessu vnanimiter ac fideliter vt fidis Regis subditis dignum, de bono publico consilia conferrent, quod maximum momentum ad felicem Reipublicæ statum esset allaturum. Nam Prussiam semper malè fuisse administratam gemini istius Prussici ac Polonici Senatus scissione. Eam rem Senatus Prussiæ diligenter perpenderet, quidq; ipsis animi & sententiæ sit, indicaret, vt tandem concordia animorum ac sententiarum coniunctione arctiùs in vnum Reipublicæ corpus coalescere queant. Responsum à Prutenis: Poloniæ Regibus summæ curæ fuisse Prussiam, priuilegiaque à laudatissimæ memoriæ Casimiro, incolis concessa atque etiam confirmata: qui si animaduertisset è re atque vsu prouinciæ esse, Prussicum consilium cum Polonico coniungi, procul dubio peculiare consilium eis non permisisset. Ideoque confidere se, Regem immunitatibus suis & consuetudinibus, vt hactenus ita porrò quoque patrocinaturum. Communem autem prouinciæ pacem quod attinet, quam seruare Polo-

niæ

niæ plurimùm intereſſet, nunquam ſeſe, ſi eiuſmodi aliquis caſus incidiſſet, à communi conſilio ſeiunxiſſe: de priuatis negotijs, libertatibus atq; immunitatibus Pruſſiæ neminem rectiùs conſultare poſſe, eorum grauaminibus atq; difficultatibus indicatis, quam eos, qui inibi nati educatiq; quotidiè ea tractarent. Orare ſe iterum Regem ſubiectiſſimè, ne grauetur, vt hactenus feciſſet, porrò quoque grauamina ac cauſas Pruſſiæ in priuato conſilio cognoſcere ac diſceptare, quemadmodum etiam Lituanis liberam de rebus ſuis deliberandi conſuetudinem antiquam aſſeruiſſet. Ad quæ nomine Regis hanc in ſententiam reſponſum datum à Chriſtophoro Szidlouiecio Palatino Gracouienſi, & Regni Cancellario: Regem ſemper priuilegiorum Pruſſiæ tuendorum fuiſſe percupidum, tamen non videri ei conſultum, quòd ſe à Senatu Polonico ſubducere niterentur, cuius fidem hoc tempore & durante bello ipſi haberent perſpectam, neq; iniquum ſibi videri, vt, quandoquidem Polonorum armis Pruſſia defenſa eſſet, conſilio quoq; ab ijſdem iuuetur. De Lituania quod objicitur, eos peculiarem habere Senatum, liquet ſatis, eos Polonorum conſilium nunquam tergiuerſando defugere. Verùm quia ad illa pluribus reſpondendum eſſet, paucioresq; hoc tempore ex Senatoribus Polonicis adſint: Rex reſponſo eo hac vice acquieſcendum & ampliorem tractationem ea de re in aliud tempus reſeruandum cenſuit. Monere ſe interim eos, vt cum Senatu Polonico, ſi fieri poſſit, ea de re conſenſum aliquem ineant, quo in conuentu Regni proximo, quibus conditionibus inter illos conuentum, Ordinibus indicari poſſit. Reſpondit Epiſcopus Culmenſis Ioannes Conopacius: Prutenos ſemper operam atq; fidem ſuam Regi Regnoq; probaſſe & ſuperioribus temporibus in rebus ad pacem publicam ac Regni huius ſalutem ſpectantibus, communibus cum Senatu Polonico conſilijs omnia fideliter ac pro virili egiſſe. Quia verò jurejurando Pruteni peculiariter ratione Pruſſiæ Regi obſtricti ſint, non verò Regno, ſperare Ordines, ſibi non vitio vertendum, quòd jurisjurandi hujus ratione habita, Senatum Pruſſiæ peculiarem urgeant, eumq; à Polonico ſejunctum ex conſuetudine veteri atq; Regum indulgentia habere, grauaminaq; & omnes quæ incidunt difficultates ac lites Regi ipſi coram proponere cupiant: à quo collatis cum Senatu Pruſſico ſententijs judicentur atq; decidantur. Ei excuſationi Rex acquieſcens, ſequentibus diebus aliquot Pruſſico Senatui ſolus interfuit, terrarum Pruſſiæ priuilegia immunitatesq; confirmauit, grauamina & publica mala, quæ irrepſerant, ſublaturum ſe recepit. Inter cætera de hoc præcipuè fuit controuerſum, quòd Poloni articulum de officijs ac præfecturis demandandis ſic interpretarentur, ut alienigena is eſſet accipiendus ideoq; ſe à dignitatum ac præfecturarum jure nequaquam excludendos quòd externi non eſſent, ſed una cum Prutenis communem Principem Poloniæ Regem agnoſcerent: ideoq; Prutenos ægrè ferre non debere, Regem quarundam arcium in finibus & in ipſa Pruſſia ſitarum præfecturas Polonis attribuiſſe. Regeſſerunt Pruteni, vigore priuilegij non ſolùm externos, ſed etiam omnes eos, qui non eſſent indigenæ, excludi: cumq; inter ipſos aliquot antè annis communibus omnium ſuffragijs de pecunia contribuenda ad arces oppignoratas redimendas conuentum fuiſſet, qua pecunia liberatæ fuêre Schlochouia, Suecza, Tucholia, & alia, Regem contra priuilegia ipſorum feciſſe, dum iterum Slochouiam vni ex Polonicis Proceri-

bus

bus Raphaëli Lefzinio indulsisset in præjudicium ac detrimentum Prussorum. Excusauit se Rex inferens, priuilegia ac libertates eorum nunquam sibi propositum fuisse imminuere vel etiam infringere: quod si de priuilegijs eorum probè edoctus fuisset, quæ antè hac sibi visa non essent, præfecturam Slochouiensem potiùs indigenæ concessurum fuisse. Verùm arcis possessione jam Polono tradita, parùm sibi fore honorificum, eandem sibi ademptam alteri tradere: ideoq; se ab ijs contendere, vt hac vice præfecturæ ipsius collationem ratam habeant, posthac se priuilegij tenore hanc reliquasq; præfecturas non nisi indigenis collaturum. Ad hæc summo grauaminis loco adductum, Regias commissiones de fundis terrestribus plures æquo introduci, ac sine delectu ex Regia Cancellaria quibusuis impertiri, quo pacto ordinarijs judicijs plurimùm erroris ac fastidij, litigantibus autem plurimùm difficultatis, qua pecunia exhaurirentnr, exhiberetur: vnde tandem fieret, vt plebs inobediens erga legitimum Magistratum ex mera petulantia redderetur. Ad ea Rex responsum ejusmodi dedit, se commissiones siue recuperationes de fundis, quæ ad terram Prussiæ pertinerent, restricturum, nec temerè quibusuis, concessurum. Cæterùm quoad Regios fundos, de ijs sine commissionibus eiusmodi non posse transigi, eorumq; causa ad Regem prouocandum. In reliquis, si quid præclarum Senatus Prussicus in judicijs constituere ac efficere possit, non fore id Regis voluntati aduersum. Prætereà de appellationibus à Senatu Prussico ad Regem iterùm difficultas mota est, multis exaggerata, quòd tenuioris conditionis hominibus, qui ejusmodi longinqua judicia persequi non possent, incommoda exorirentur plurima, ad quæ vitanda, vt pauperiores simul ac ditiores jus suum consequi possent, prouocationes antehac veteri more terrarum Prussiæ limitibus circumscriptas fuisse quibusq; appellare lubitum inde esset, Culmam prouocare non vlteriùs licuisse: ac quæcunq; sententia ibi lata, eâ standum: ita causis quæ ibi erant decisæ, in rem judicatam transeuntibus. Quam consuetudinem in Prussia seruandam deinceps ordinibus omninò videri, quæ vt ritè administrarentur, Regi succedaneum aliquem deligendum esse, qui ejus loco plena cum potestate præsideret, atq; etiam ordinandum, in quibusnam & quanti momenti causis prouocandum esset. Postulatum etiam à Rege, vt judicium generale institueretur semel quotannis Marieburgi celebrandum, ad quod ab alijs judicijs cuiuis, qui sibi injuriam aliquam factam quereretur, appellare integrum esset, quæq; ibi pronunciata sententia fuisset, ei citra vlteriorem aliquam cognitionem aut appellationem acquiesceretur. Responsum tandem ad ea à Rege; iniquum esse summam authoritatem suam accidi vel circumscribi: siquidem apud omnes Christianos Principes, imò etiam apud barbaros consuetudine receptum, vt cuilibet, qui iniquiùs secum in iudicio aliquo inferiori actum arbitraretur, ad iudicium superius Principisq; sui cognitionem prouocare liceret. Ideoq; postulatum eorum iniquum esse, ne appellationes à judicijs Prussicis ad se concederentur. Exinde mos introductus, vt prouocationes in ciuilibus ex Prussia ad aulam Regiam fierent, magno cum incolarum damno. Criminalium enim decisio ex antiqua consuetudine & inde à Crucigerorum tempore citra vlteriorem prouocationem penes quælibet Prussiæ judicia mansit. Episcopis quoq; regalia sua integra illibataq; relicta sunt, ita vt subditis suis nullam ulteriorem permiserint appellatio-

lationem: quin & alij casus in diuersis causis quæ vigore priuilegiorum atq; immunitatum sine prouocatione permanserunt, in hodiernum vsq; diem hoc modo vsurpantur.

Non datur appellatio ab Episcopo ad Regem.

Sequenti anno, qui fuit millesimus quingentesimus vigesimus secundus, in Prussia conuentus Graudenti habitus est, in quo Senatores quidam Polonici ad eam rem designati tum etiam Prussici de vsu monetæ multis egerunt, cuius valor superioribus bellis decreuerat, & à Magistro Crucigerorum recens amplius fuerat diminutus. Inprimis autem ab ijs fuit pensitata eo rerum statu inopia argenti, cuius si noua moneta cudenda esset, priùs ingentem argenti vim comparandam, quæ tum acquiri non posset, quòd Fuggeri & aliæ mercatorum societates qui in Portugallia aromatum causa negotiantur, vndiq; omne argentum conflauissent, quòd Portugalliæ Rex argento puro minimèq; signato sibi satisfieri, nullis autem mercibus vellet. Vtrinq; variæ sententiæ sunt propositæ de moneta, valore nouo aut veteri cudenda, multi adductis rationibus vetusne an noua monetæ æstimatio esset vtilior, in eoq; omnibus modis allaboratum, vt Regi Poloniæ subiectæ prouinciæ omnes Polonia, Lituania, atq; etiam Prussia vnanimi consensu monetæ eandem æstimationem acceptarent. Post longam vltrò citroq; disceptationem tunc nihil aliud fuit conclusum, nisi in moneta ista vulgana, siquidem prouincia commodum inde & emolumentum percipere deberet, nullum quærendum. Qua de re dum consultationes habitæ fuerunt, Nicolaus Copernicus Canonicus Varmiensis, à Collegio Varmiensi legatus, æstimationem siue pretium cuiusuis valoris monetæ deduxit, Senatoribusq; exhibuit. In eo consilio fuit actum, qua ratione Prussicæ monetæ æstimatio siue pretium ad Polonicam esset reducenda. Qua de re hoc conuentu, & sequentibus etiam aliquot annis sæpè fuit tractatum antequam de rei summa conuenire potuit.

Nicolaus Copernicus Canonicus Varmiensis 1522.

Anno 1523. moritur Heilsbergæ penultima Ianuarij & sepelitur Varmiæ Fabianus à Lusian Nobilis ex districtu Resseliensi XVIII. Episcopus Varmiensis ex Canonico I.V. Doctor. Vir etiam vrbanus sed paulò effæminatior & mollior fuit. Nam omnem administrandi rationem matri, quam Heilsbergæ ad latus semper habuit, permiserat. Electus à Ven. Capitulo Episcopus ad Sigismundum Regem ipsemet profectus, eidem homagium tanquam Domino & protectori præstitit. Cùm tantum Subdiaconus esset, à Suffraganeo suo F. Ioanne Simbaliensi Episcopo in Ecclesia Parochiali Heilsbergensi Sacerdos primùm ordinatus: deinde Episcopus consecratus primum & vltimum Missæ sacrificium celebrauit; nec vnquam in altaris officio ministrasse visus est. Fuit etiam indulgentior in exurgentem hæresim Luteranam, vt infra dicetur. Credibile est propterea præcipuè Deum puniuisse hunc Episcopum, vt & diœcesim suam bello mirum in modum vastatam videret: & ipse à morbo gallico correptus & miserè cruciatus, frustrà medicorum opem imploraret. Immo, quo plura remedia ab eius Physico & matre adhibebantur, eò peiùs habebat: adeò, vt ad extremum etiam pes, quem vis morbi arrodebat, curationis causâ illi abscissus fuerit: ex qua abscissione sacer ignis irruens Episcopo mortem accelerauit. Anno 1522. nocte illa, quæ præcedit Dominicam Palmarum, etiam Deus Heilsbergense oppidum ita puniuit, vt planè totum incendio conflagraret. Nam cùm Ciuis quidam in domo angulari in foro eius plateæ quæ versùs Eelelesiam Parochialem tendit ad læuam stabulum, vt visere equos ingressus, famulo indignatus candelam parieti affixisset, & arrepto baculo agasonem persequeretur, decidente in stramen candela, non priùs hospe

Fabianus à Lusian moritur & Varmiæ sepelitur. Eius virtutes, & vitia. Præfuit Ecclesiæ annis decem.

Heilsberga conflagrat.

hospes illius recordatus est, quàm cum ignis totum stabulum occupasset, vnde oppidum totum exceptis Ecclesia, domo Parochi, schola, hospitali & ædibus nonnullis coquendæ cereuisiæ destinatis: quæ ex muro solido constructæ erant, exustum est. Hic Episcopus paucos sibi addictos habuit. Nam & Sigismundus Rex illi offensus erat, quòd accepisset, publicè eum iactasse: etiamsi Magister illi totum Episcopatum ademisset, se nihilominus illum absq; Regis Poloniæ auxilio recuperaturum. Sed & Capitulum atq; vniuersa prouincia parùm illi itidem fauebat, quòd Brunsbergam sibi tam turpiter eripi facilè tulerit, & multa damna ditioni suæ hanc ob rem intulerit. Atq; hic Episcopus animo anxio & diuina punitione visitatus ab hac luce discessit: ac tale elogium post se reliquit.

Matris ab arbitrio dependens oppida perdit.
Hæreticos tolerat: tactus ab igne perit.

Eo mortuo Ven. Capitulum mox è medio sui duos Canonicos deputauit, Tidemanum Gisium & Leonardum Niderhoff, qui juxta receptam consuetudinem Ciuitates in Capituli potestatem redigerent, nouo Episcopo asseruandas: quæ postea à Ioanne de Lusianis Palatino Culmensi, qui fratris Episcopi mortem ibidem expectabat; Georgio Preikio aduocato & Capitaneo Episcopatûs generali, Paulo Snobeck Oeconomo & Iacobo Glefer Cancellario receptæ cum omnibus attinentijs fuerunt. Insequenti die aduocato ad se supradicto Georgio Preikio ab eo postularunt, quandoquidem inter Episcopatûs officiales primum locum obtineret, vt juramentum fidelitatis, quod hactenus non fecerat, præstaret. Id ille facere renuit, quòd arcem Heilsbergensem pro Regia Majestate obtinuerit, his periculosis belli temporibus: nec id absq; scitu Regis præstare integrum illi esset. Hunc Preikium Episcopus absq; consilio & Capituli consensu Aduocatum & generalem Episcopatus Capitaneum constituerat, & stipendium pro sex equitibus alendis à Regia Majestate illi impetrauerat: ipse quoq; sex præstantiores equos omnibus instructos eidem donauerat. Quamobrem ea ratione fidem suam Regi comprobare voluerit: quandoquidem in proximo bello egregiam operam rebus præclarè gestis præstitisset. Quoniam autem videbat se propter denegatum juramentum Canonicis parùm gratum esse, qui Ciuibus in arcem aduocatis, modum & rationem illis præscripserant, qualiter se dum nouus Episcopus eligatur, gerere deberent, in suspicionem venit, quasi Canonici & Ciues de illo ex arce exturbando consilia communicassent, quæ anteuertenda ratus Henrico Ricarbio Burgrabio curam castri commisit: ipse verò familiam omnem seriò adhortatus est, vt Canonicos ex arce expellerent: si sibi præstò adessent, amplam ejus rei mercedem se reportaturos, certò sibi persuaderent. Omnes ad id se promptos & alacres obtulerunt: quibus egregiè armatis stipatus ad conclaue è regione fontis in superiore ambulatione positum processit, & foribus pulsatis clara voce edixit, vt statim Canonici arce excederent, nisi interfici illicò vellent. Quid facerent? collectis statim sarcinulis, ipsi inermes inter armatorum militum globos castro excedere coacti fuerunt: ipso Preikio exerto gladio illos ad vltimam arcis portam comitante. Expulsus etiam est Oeconomus, (Cancellarius æger decumbebat) & cadauer Episcopi ante portam arcis elatum, quod acceptum cum paucorum Ciuium comitatu Varmiam deduxit: vbi absq; vlla funeris pompa aliorum Episcoporum tumulo illatum est. Sic post mortem parùm à Capitulo honoratus fuit, qui in vita Episcopatum minùs

Preikius rebellis Capitulo.

nus recte administrauit. Et fuit res cum primis admiratione digna, quod nec mater nec filiæ ex Venceslao de Eilenburg liberi, nec vllus ex consanguineis, qui præsentes aderant, funus comitatus sit: sed & aulicorum nemo. Solus Ioannes de Lusianis equo insidens illud extra Ciuitatem deduxit, & posteà in arcem reuersus est. Eo facto Preikius tantam authoritatem sibi conciliauit, vt omnium Ciuitatum & arcium in Episcopatu, Burgrabij illi tanquam Domino obedirent: quamuis se subditos Capituli & futuri Episcopi professi paulò antè essent. Militem etiam stipendijs Ecclesiæ alendum conscripsit, & oppidis & arcibus præsidia imposuit, quibus se ab Ecclesiasticorum potentia tueretur. Georgium Troscium ad Regios in Prussia consiliarios: alium etiam ad Regiam Majestatem statim misit; significans, quòd Capitulares Regi tributarios fecerit: & quandoquidem ipsum ad juramentum adigere voluerint, vt neminem ex Regijs in arcem intromitteret, se illos ex arce expulisse. Facilè persuasit, vt illi fides adhiberetur, & factum apud aulam omnium sermonibus celebratum: & ea res eò adducta, vt in suspicionem rebellionis Capitulares apud Regiam Majestatem adducti fuerint. Vnde non leuia damna & grauamina Ecclesiastico statui sunt inflicta. Quoniam autem de voluntate Regia constabat, quod arces & oppida pro nouo Episcopo asseruanda præsidijs firmare voluerit: obtinuit hoc à Regia Majestate Capitulum, vt Preikio qui indigena esset, nec illi magnoperè fideret, Collega adderetur. Is autem fuit Nicolaus Iskirczky Capitaneus Hoensteinensis. Allensteinensis arx cum oppido Ecclesiæ remansit libera: reliquæ verò arces & oppida partim à Magistro Teutonico: partim à Regijs supranominatis Capitaneis tenebantur, vsq; ad Episcopi Mauritij qui Fabianum secutus est in Episcopatu approbationem. Fuit verò is electus in Episcopum, 13. die Octob. anno, 1523. & 14 April. Varmiâ Heilsbergam ad residentiam se contulit.

Fuit Mauritius Ferber primarij Ciuis Gedanensis filius. Iuuenis mercaturam exercebat, & procabatur Pilmanni Ciuis ditissimi Gedanensis filiam, eamq; matrimonium sibi promisisse dicebat. Quod cùm illa negaret, nec eum maritum habere vellet, ipse Romam profectus, jure cum ea agere cœpit. Sed cùm probare intentionem suam non posset, virgo alteri matrimonio juncta fuit. Ipse verò summum studium in literis contulit, & Iurium Doctor creatus, Leonis X. Camerarius, & scriptor Apostolicus, ac successu temporis Custos & Canonicus Varmiensis, Lubecensis, Reualiensis, Derpatensis, & Parochus Gedanensis ac Melabacensis factus est. Fuit verò sexagenarius quando consentiente Rege Sigismundo à Capitulo electus est in XIX. Episcopum Varmiensem 14. Aprilis. Postea die 13. Octob. profectus est ad residentiam Episcopalem Varmiâ Heilsbergam. Deinde, 28 Mensis eiusdem ad requisitionem Regiæ Maiestatis Petricouiam profectus, ibidem debitum iuramentum præstitit: vbi etiam à Ioanne de Lasko Archiepiscopo Gnesnensi Episcopus consecratus & solenni epulo cum inuitatis hospitibus exceptus, & humanissimè tractatus fuit. Arces verò & oppida illius Episcopatus, mandato Regio, Die 10. Iulij anni sequentis restituta illi fuêre: Nicolao Copernico, Ioanne Crapitio, & Felici Reich Episcopi & Capituli nuntijs. Vix primis annis mille marcas ex desolato Episcopatu habere potuit. Census tamen posteà diligenti cura ad septem millia reduxit. Ita quidem arces & oppida quæ præsidijs Regijs tenebantur, iussu Regiæ Maiestatis à Preikio sunt illi reddita, licet à iumentis & commeatu valdè imparata & exhausta. Interea sua & Ecclesiæ pecunia coactus est militibus Preikij & eius Collegæ Iskirczky stipendium persoluere.

Mauritius Ferber Gedanensis Episc. Varm. XIX. fuit.

Interea Magister Albertus Budam ad Ludouicum Regem Vngariæ superuenit, eo prætextu, vt pro eo apud Sigismundum Patruum Poloniæ Regem intercederet, quadriennales inducias, quæ Torunij pactæ erant, ad longius tempus prorogari. Qui vt in Senatum Vngaricum admissus venit, ei nec Reges nec aliquis ex Magnatibus assurrexerunt. Vbi supplex orasset inducias, tantùm abfuit, vt ei Ludouicus intercessionem præstare voluerit, vt etiam prolixo sermone hominem hortatus sit ad obedientiam & fidem Sigismundo Regi & Regno iuxta priora fœdera præstandam.

Lutherana hæresis in Prussiam inducta.

His temporibus, vt superiùs obiter memoratum est, mali mores, & hæresis Luterana in Prussiam introduci cœperunt. De quibus mihi modò sub tempore induciarum agendum existimo. Quinam eius sectæ authores, Patroni, & protectores fuerint: quæq; alia in eius introductione acciderint, hæc omnia latè Simon Grunauius Monachus Dominicanus Tolckmitto oriundus, qui eo tempore Gedani vixit, & pleraq; oculis suis vidit, simplici quidem Germanico stylo, qui tunc temporis in vsu erat, sed vero conscripsit. Et quidem scribit, vt sequitur.

Cùm F. Fridericus Margrabius Misnensis summus Ordinis Magister res in Prussia administraret, & exercitum extraneum in Liuoniam per has terras duceret: isto milite Magistro vsi iuniores Prussi, terribiles blasphemias & maledicta imbiberunt, & euomere cœperunt. Exhorrescebant eadem deuectioris ætatis homines, iunioresq; de ijs monuerunt: quamuis id cum exiguo facerent fructu. Nam illi monitionibus locum non dantes etiam longè deteriores execrationes ediderunt. Nec his contenti eorundem exemplo militum diebus iejuniorum vesci lacticinijs cœperunt: prætendentium experientiam Ioannis Koppij Effordiensis Doctoris, medici, docentis pisces esse noxios, infirmitatesq; adferre vescentibus. Hoc cùm alijs suaderent, nihilominus ipsi interim optimis piscibus vtebantur. Ab his etiam Prussi didicerunt festis & prophanis diebus, quando templa frequentanda erant, in popinis vino, medoni, & cereuisiæ epotandis operam suam locare, & ne quidem Ecclesias ab extra aspicere. Accidit subindè Prussos se cingere præter solitum gladijs, persæpeq; huiusmodi compotationes sanguine, mortibus aut mutilationibus finire. Nec deerant equidem plurimi, qui ista laudarent. Nam cùm res ad bellum prospectare æstimaretur, flori iuuentutis huiusmodi exercitia conuenire existimabant. In his deniq; corroborabantur Prussi aduentu militum F. Alberti Magistri Margrabij Anspacensis, sub quo hæresis Monachi Luteri in Prussia inualuit. Hoc enim Monacho authore, quæ pridem optauerant, probè didicerunt: nimirum, non opus esse ad salutem confessionem Sacramentalem, nec iejunium, aut aditionem templorum & similia, quæ homines consilijs suis inuenissent, & ad remissionem peccatorum consequendam Deiq; gratiam promerendam instituissent. Nam omnia opera bona esse ajebant damnationis, quam parua aut magna essent, excepta fide in Christum Iesum. Inuocationem Mariæ & aliorum Sanctorum, nihil aliud quàm effictam Monachorum auaritiam. Monachis aut Ecclesijs quidpiam erogare, maius atq; peius scelus quàm meretricibus, sicarijs, aut incendiarijs pecuniam præbere. Nam Diabolus, vniuersos Monachos inuenisset, & ad mercandas siue procurandas sibi animas excogitasset; eò quòd docerent fidem sine operibus ad salutem non prodesse. Ædes sacras esse dejiciendas, bona & redditus illarum inter egentes Ciues distribuendos. Monasteria in communes habitationes redigenda: Monachis vxores & desertos fundos in annuum censum concedendos.

dendos. Atque hæc erant primorum Apostolorum capita doctrinæ. Vt hæc promoueret dictus Ioannes Koppius, aiebat huiusmodi res astra Monachis prædicere & comminari. Id dictum Prussi pro mandato Dei accipiebant, summoq; desiderio tenebantur bonorum Sacerdotalium & Monasticorum diripiendorum. Sed deerat ita inflammatis color & prætextus rei iustus. Atq; vt quale quale eius initium tandem facerent, laruatos Monachos aratris iunxerunt & per plateas ac fora publica confectis ad rem rythmis ignominiosis deduxerunt. Si singula, quibus Monachos ad impatientiam irritabant, colligere & conscribere vellem, incredibilia lectori viderentur. Sed tamen patienter ferendo omnia, negotium DEO commendabant: nam neminem alium cui suas injurias deferrent, in oppidis habebant. Etenim hi ipsi, quibus officium incumbebat insolentias populi comprimendi, quasi socij facti, æquis passibus, cum illo ambulabant. Cumque hos ipsos populus defatigatus lacessendis monachis, tandem vexare inciperet, libenter quidem illi malo tàm proprio quàm alieno occurrissent, & ad rem operam suam contulissent, sed tardè. Nam jam parui pendebantur Magistratus, timebantque à subjectis sibi justè; cùm priùs indulserint eis & permiserint potestatem Christianas consuetudines conuellendi, & timorem DEI exuendi: eoque insolentia Ciuium & contumacia loco stetit, ut etiam literis editis, ac hinc inde missis propalarent, Magistratus prædones esse, græcari, & insolescere cum conjugibus & liberis suis in vestibus & sumptus facere, quos vsurâ ac alijs malis artibus à misera plebe corrasissent. Affigebantur contra detractores hujusmodi, literæ & seria edicta. Sed frustra: Dicebant enim plebeij: se sæpiùs Regia mandata detrectasse, nec opus esse sibi Consulum edicta curare. Passim quoque contingebat, Consulares viros ad contentiones delabi. Nam exacerbati, apertè invicem sibi nocere non audebant: deliquisset verò aliquis plebeius contra alterum eorum: delinquens in barbam alterius defendebatur cum injuria innocentis. Accidit igitur sub talibus rectoribus notabiliter Ciuitates in fortunis decrescere. In his necessitatibus communibus Regia Majestas longiùs aberat, quàm adiri potuit, & semper mansuetè progrediebatur. Vtque nihil curabant dehortationes ejus ab hæresi desistendi: sic quoque parui faciebant, si eos ad unitatem & concordiam, atque ad justitiam læsis administrandam literis cohortatus fuisset. Auxit rerum perturbationem: quòd alter alterum in mercantijs supplantaret: & quidem tali modo. Cùm in quintum annum in Prussia frumenta usui hominum terra negasset: in Masouia verò & Cujauia vberrimè eadem subministrasset: Prussi de necessarijs sibi providere volentes, dictis vicinis pro frumento nascituro centum vel etiam ducentas marcas pecuniæ paratæ soluerunt. His alij superuenientes ijsdem quoque mercatoribus æs soluebant, ignari quid in hac re alij fecissent. Accidit verò diuina quadam dispositione, quòd cùm Ciues, qui pecuniam soluissent, frumenta se percepturos sperarent, alij Prussi ea pro paratis pecunijs ipsis aspicientibus tollerent. Quòd si ad Dominos suos hoc retulissent, minus ij id curabant. Hactenus hæc loco citato Grunauius.

Atq; his initijs sternebatur facilis aditus Prussis ad hæresim. Sed omissis quibusdam, de quibus posteà, placuit hic ponere ea quæ scribit idem author c. 4. citati tractatûs, in particulari, per quos & quomodo Luterana hæresis in quatuor Episcopatibus Prussiæ orta, incrementa acceperit. Nec intermittit de Gedanensibus dicere, qui ad Episcopatum Vladislauiensem pertinent. Non verò ingrata hæc historia lectori

ctori esse poterit, propterea quòd alibi nusquam apud authorem alium legatur: & nunc quidem post centum nempe annos in lucem primùm prodierit. De ortu vero Luteranismi in Culmensi terra, vt hic incipiam, ita scribit.

Annum Domini millesimum quingentesimum, vigesimum quartum Monachis fatalem, nominabant. Nam quicquid negotij & molestiæ Monachis Luterani tunc exhibere possent, illud non intermittebant. Hæc dum agerentur, venit in Prussiam aliquis, & vt dicitur, profugus ex Ordine Bernardinorum: quem propter varia idiomata linguarum, quas prætendebat se scire, vulgus Doctorem Flickendeutsch nominabat: ideò quòd Germanicæ linguæ immisceret Latinam, Sueuicam, Saxonicam, Polonicam, Judaicam, Græcam. Contigit verò quòd his temporibus Turonenses emporij jus assecuti essent, ac omnia quæ Vistulâ adveherentur, ibi deponerentur. Cujus rei gratiâ ingens quoddam granarium erigere cogitabant: & quidem vt ferebatur sumptibus Ecclesiasticorum bonorum. Nam edocti erant, rem eis hoc modò feliciter cessuram. Torunenses verò, cùm viam emungendæ pecuniæ à Monachis ignorarent, Doctor Flickendeutsch odio Monachorum inductus. Nam non obscurè prodidit, se spiritu fatidico, quem in annulo pollicis gereret, pollere: cujus operâ assequi posset, num Torunenses Monachi pecunijs præditi essent. Quod vt famâ vulgatum ad Franciscanorum aures deuenisset, tenentes ij illud dictum vulgare: Bona pernegata ad Dominium spectare: quadringentas marcas Senatui in prætorio in subsidium granarij inchoati vltrò præsentarunt. Aliàs deinde Monachos etiam centum marcas adferre oportuit. Porrò vt Franciscanorum Guardianus laudem præ cæteris & nomen apud Senatum Turonensem assequeretur, eundem supplex rogauit, vt pro gratia sua thesaurum Ecclesiæ suæ in auro & argento, in suam custodiam reciperet. Nam eum ipsi contra statuta sua & Canones seruarent: tùm quòd eos oporteat habere Calices stanneos. Facilè persuasus Senatus, omnia asseruauit, relictis illis in vsum quatuor Calicibus argenteis euitandi scandali gratiâ. Debebant etiam Monachi S. Nicolai, quæ habebant ad prætorium deferre. Sed tumultuari Franciscani cœperunt contra superiorem suum, omnemq; ei obedientiam denegabant: quin de tollendo eo cogitabant. At præuenit eorum conatum Guardianus, eosq; hujus rei causâ ad Senatum detulit. Is illuc mox de suo gremio misit, qui Monachis mandarent, vt qui nollet paupertatem seruare, posset ille abire, quò vellet. Nec mora, ipsâ horâ ex ijs duodecim abiuere: sequenti die octo. Hi omnes apostatarunt à fide Luterum sectantes, vsq; ad infelicem vitæ exitum. Atq; hæc quidem à spiritu pollicis exorta, sic se habuere. Primùm verò omnium Senatus, & Ciues Turonenses hæresim à suo notario perceperunt: quam deinde illorum Parochus N. Soyfel, quem sibi sine scitu Regis asciuerant, quantùm ad Pontificem Max. Cardinales, Episcopos, Monachos atq; Monachas res pertinebat, dilatauerat. Quod verò attinebat ad Sacerdotes & Canonicos, id explicuit aliquis Franciscanus Monachus. Res verò de nuptijs, festiuitatibus, jejunijs & confessionibus Dominicanus exposuit. Quibus Magistris, egregium Torunenses progressum in Luteranismo fecerunt: ita quidem, ut Imagines Christi reperirentur apud eos in plateis, & Sanctorum DEi in cloacis publicis, in quibus etiam computrescebant. Cùm præterea Torunium mixtim Poloni & Germani inhabitarent, & numero pares essent, vtriq; amplexi Luteranismum, in gratiam alterius per Quadragesimam carnes comedebant, nullamq; Ecclesiam,

Doctor Flickendeutsch.

Torunium hæresis Luterana inducta.

cleſiam, niſi in qua Luteranus prædicaret, ingrediebantur. Apud eos nec jam confeſſiones peccatorum, nec communio ſacra locum habebant: ſine timore Domini & obedientia Eccleſiæ Chriſtianæ viuebant. Catholicis prædicatoribus officia inhibebant. Profugos verò Sacerdotes & Monachos ſuſcipiebant cum mulieribus, quas retinebant. Ingentem numerum Pontificiarum literarum, in quibus illis gratiæ largæ concedebantur, bitumine conglutinarunt, perq; plateas quaſi rete quoddam illas expanderunt in rei ludibrium. Apud ſcyphos quoq; Miſſas in vulgari lingua canebant, eleuabantq; panem & cantaros. Multi referunt hanc Ciuitatem hac in re omnes alias facilè ſuperaſſe. Accidit verò, quòd Luteranus eorum prædicator non ita referret concionem, prout eam ipſi veſperi apud ſcyphos prælegiſſent. Igitur ex oppoſito ambonis ſtabant eumq; dirigebant ac ei ſuggerebant, quicquid ipſis ad buccam venit: crevitq; Euangelium inverecundiæ in immenſum. Conuenit tandem inter Senatum, cum res eſſent omnes perturbatiſſimæ, & periculo proximæ, deferendas Epiſcopo, judicioq; ejus ſtandum eſſe. Nec mora, mittuntur Althauſium nuntij ad Ioannem Conapat hujus nominis quintum Epiſcopum Culmenſem, qui illi omnia & ſingula enumerarunt: concludebantq; demum ſermonem, Torunenſes bonos eſſe Luteranos. Ante hæc quidem Epiſcopus ſe Lutero ſtrenuè oppoſuerat: nunc verò ægrè colligi poterat, cujus animi eſſet: vno excepto, quod animaduerſum fuerit, ipſum non eſſe adeò bene de Miſſa perſuaſum. Quod de ipſo ejus famuli teſtabantur. Cancellarium certè habebat hæreticum & Luteranum. Hic auditus eſt dicere: etſi Torunenſes Monachos & Monachas omnes expuliſſent, non tamen propterea canem, vt eſt in proverbio, galli cantum ceciniſſe. Reſpondit verò Epiſcopus nuntijs: Se non aſſuetum ad honorem eorum. Modò verò ſe adiri & requiri operam ſuam & ſententiam, cùm in altercationes deciderint. Quamobrem ſicut aliàs negotia ſua ſine ipſius conſilio diſpoſuiſſent, ſic eos poſſe & nunc diſponere. Benè valerent. Quod reſponſum Epiſcopi, legati redeuntes domum, expoſuerunt Senatui. Qui tunc Luterani erant, dicebant: Epiſcopum illuminatum eſſe à Spiritu & veritatem Euangelij cognouiſſe: non poſſe illos contrà quicquam agere. Qui verò Luterani non erant, ajebant Epiſcopum lauare manus, velleq; Torunenſes Regi tradere. Atq; alij aliud loquebantur, ſicq; res conſiſtebat. Non diu pòſt repererunt Luterani modum & viam prorſus expellendi Monachos: qui erat talis. In tabulas referebant ea omnia quæ monaſterijs ſingulis proueniebant, ſiue ea vigore fundationis ex beneficijs, ſiue teſtamentis aut hæreditate paterna aut titulo donationis tanquam filijs ſpiritualibus eis darentur. His igitur in ſummas redactis, authoritate Senatûs ea ipſa ac omnia clenodia: quæ tunc in prætorio erant, in ſequeſtro poſuerunt. Et cùm major pars Senatûs ex Luteranis conſtaret, rem hanc eò magis promouerunt: nec quicquam libentiùs vidiſſent, quàm vt primùm ludus cum Monachis inchoaretur, expellerenturq;. Cùm verò rationem conſilij ſui Monachis expoſuiſſent, poſtularunt illi trium dierum inducias. Quarto poſteà die literis & ſigillis Franciſcani, omnibus clenodijs renunciarunt, & ea in utilitatem Ciuitatis Senatui tradiderunt. Accepit clenodia Senatus, gratijs Monachis minimè actis. Accitis deinde Dominicanis, expoſuit ac laudauit Franciſcanorum liberalitatem in cives, quòd nimirum vltrò ipſis ſuum theſaurum reſignauerint. Atq; vt

Lutherizabat Konapat.

eosdem ciues amicos conciliarent & beneuolos sibi redderent, vellent Franciscanos æmulari & Ciuibus sua tradere: id modò posse illos facere: se istud non rogare, sed nec illos cogere. Responderunt Monachi, se id minimè facere posse, sed Regiæ Majestatis cognitioni committere. Continuò ex Senatu aliquis dictus Doctor Kalpfleisch, quod vitulinam significat: Putatisne Monachi, inquit, nos clenodia vestra in mugilibus & siccis piscibus insumpturos? Minimè certè. Nam cum in potestate nostra sint, in ferinis & vitulinis assaturis in prætorio ea consumemus. Subjecerunt Monachi: Domine Doctor Vitulina, vitulinam, & ferinas, vestris pecunijs soluite, non ijs, quæ in honorem DEi collatæ sunt. Finitis his Luterani multis Monachos incusabant, jusq; contra eos postulabant. Verùm Monachi responderunt, in nullo codice reperiri talem juris determinationem, appellareq; se ad Regiam Majestatem: quicquid ille statueret, sibi gratum aut ingratum fore. Appellatione facta, à Regia Majestate Torunenses acceperunt mandatum, ne quis sub pœna capitis Monachos in sua possessione turbaret, redderetq; Senatus illis clenodia. At Torunenses ajebant, Regi hæc tristi excidisse ob mortem Ludouici Regis Vngarorum, fratris filij sui, qui fuisset à Turcis occisus, nescireq; quid scriberet. Tamen se fraterna charitate adductos, pacem Monachis conseruaturos: donec Regiam Majestatem meliùs informent. Sciebat Rex vniuersa, quæ egerant Torunenses, dissimulabatq;. Nam graue negotium cum Turcis & Tartaris illi erat, debebatq; hæc ita relinquere. Atq; hactenus de ortu hæresis Luteranæ in Culmensi Episcopatu.

Georgius Polentz factus hæreticus.

Pergit author & scribit de ortu eiusdem hæresis in Sambiensi Episcopatu his verbis. Georgius nobilis ille à Polentz Licentiatus Iuris vnà cum Alberto Magistro in Ordinem inuestitus fuit. Cum quinquennio Commendatoris officium (id est, eius personæ quæ iudicijs præest) administrasset Regiomonti, à Magistro Episcopatu Sambiensi donatus fuit, confirmatione à Pontifice Max. percepta: cum quo Georgio etiam Leo Papa X. super iudicio sanguinis dispensauit. Regiomonti in Sacerdotem consecratus est. Cumq; iam operi pio coronationis eius instarent Iobus Episcopus Pomesaniensis, & Ioannes Suffraganeus Heilsbergensis, superuenit Albertus cum Moscouiticis legatis in Ecclesiam. Quibus visis schismaticis substiterunt Episcopi, nec procedere in re sacra voluerunt. Verùm vt perficerent consecrationem & panem Episcopi dicti promererentur, mandauit seriò Albertus, & quidem sub comminatione passionis Dei. Atq; sic infulam demùm Georgius assecutus est. Hic egregiè operam suam nauauit Luteranæ doctrinæ: cœpitq; ita die Natali Christri concionari populo. Dilecti fideles. Multi libelli cum nouis commentarijs & expositionibus prodeunt: qui iurisdictionem spiritualem & Sacramenta Christianæ Ecclesiæ impugnant. Quamuis verò his libris & opinionibus præcipua & sana Christianitatis capita se opponant, & eorum inuentorem Luterum ex Christo suo, pro seductore & hæretico habeant, & æstiment: hoc tamen cùm non curemus, sed attendamus id, quod Principes veteris nostri Ordinis amici in Imperio nihil in hac re opinentur aut dicant: hoc quod nouum & recens est legere volumus, & vetus vsque ad meliorem rei experientiam obseruare. Quid ex tali concione consecutum sit, facilè quiuis intelligere poterit. Nam Episcopus cum suis Capitularibus & cum pluribus alijs atq; potiore parte suorum Fratrum, ac etiam cum Ciuibus tam diu dictos libellos voluerunt & reuoluerunt, donec li-

brum

brum Luteri, in quo ſcribit, quomodo viuere debeamus: & quod homines & iumenta vnum finem & interitum habeant, nacti eſſent; tunc ex eius lectione adeò profecit, vt populo ſuo prohiberet deinceps omnes dies feſtos obſeruare. Tamen vt haberetur dies aliquis & tempus compotationis, admiſit diem Dominicum. Verùm, qui deuotionis causâ feriaretur, eum multauit optimo equo. Omnia præterea iejunia ſuſtulit: Monachosq; expulit, vt nuberent. Qui vellet confiteri & communicare, poſſet id nunc facere vltimò: & deinde abſtinere. Mandauit ad hæc, more Luterano Miſſam fieri, & confeſſiones penitusque Quadrageſimam tolli. Quod vt maturiùs fieret, mandauit, vt ſingulis diebus Dominicis Quadrageſimæ Sacerdos aliquis pararet conuiuium & nuptias, in quibus carnes comedebantur, & feſtiuiùs viuebatur. Proponebantur quoq; piſces cum & ſine butyro cocti, quibus quilibet veſci potuit, prout erat in fide Luterana fragilis aut fortis. Ita quidem res tunc Regiomonti procedebant, vendebanturq; per Quadrageſimam carnes ſicut aliàs per totum annum in macellis. Nam vt ſimpliciter dicam, iejunia omnia, confeſſiones, aqua benedicta, extrema vnctio, benedictio candelarum, cinerum & palmarum, ac ſimiles veteres ceremoniæ pro idololatria ac actu hæreſis reputabantur Tollebantur quoq; omnes Miſſæ præter Summam: & vt hæc breuis eſſet, & ſine Organis expediretur, mandatum fuit. Epiſcopus quoq; præcepit Germanicè baptiſmum pueruorum fieri, & Luteri Euangelium prædicari ſub pœna decem marcarum bonarum. Quod cùm fieret, & Germanicè baptiſmus conferretur, idiotæ dixerunt: benè merdatum. Si nihil aliud ſublateat in baptiſmo quàm audimus, certè illo carere poſſumus: maximè cùm nos ſola fides ſaluet. Profectò in fruſta concidendi erant Monachi & Sacerdotes, qui nos hoc balneo ſuillo dementarunt, vt eorum gratiam aucuparemur. Hæc & alia inconcinna fiebant, quæ Crucigeri tanquam recta ex maiori parte admittebant. Interim Magiſter latebat, & quid fieret attendebat. Diffamabantur verò plurimùm Fratres Teutonici Pruſſiæ Mariani milites & miniſtri. Nam in Polonia vocabantur Dominæ noſtræ conuiciatores. Auditi ſunt enim ex ijs quidam dicere: Mariam eſſe ſimilem alijs mulieribus, dicente Euangelio: Ieſum habuiſſe fratres. Maledixerunt ijdem Crucem, quòd per eam à nuptijs impediebantur. In his præibat Epiſcopus cum Capitularibus. Plurimiq; libenter Crucem & conſecrationem depoſuiſſent, ſed continebantur timore Magiſtri adhuc in officio, qui ferebatur Luteranus non eſſe. Si verò prodiret, pœnas ab eis ſumpturus eſſet. Produxit porrò illum ſermonem Epiſcopus, quem exorſus erat in die Natali Chriſti longiùs: quem etiam typis edidit: quo ſermone non meliorem aut doctiorem aliquem, ſanctum Auguſtinum aut Ambroſium feciſſe aſſerebant eius aſſeclæ. Tumebat hac laude Georgius adeò, vt præſumeret Mauritio Heilsbergenſi, Ioanni Culmenſi & Gerardo intruſo Pomeſanienſi Epiſcopis ſcribere, ac eis improperare, quòd Luteraniſmum in ſuis Epiſcopatibus prohibuſſent. Si vellent ducere vxores, illis ſe fore paranymphum; & his ſimiles ſtultitias. Exponebat ſermo ille Evangelium Lucæ ſecundo capite. *Exijt edictum à Cæſare Auguſto.* Thema verò ipſum erat: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Et ibi quidem craſſo admodùm modo, quid Euangelium Germanicè ſonaret expoſuit. Hinc progreſſus ad Euangelium Luteri, quod per Aduentum ſermonibus explicuiſſet, ac calumniari cœpit, aiebatq;: Papæ? quàm clarum & lucidum eſt Euangelium? Non enim aliquid facere nos oportet, ſed ſolùm credere, & ſalui liberiq; ſumus à morte, inferno & ſuppli-

fupplicijs. Quod quidem prorfus in ventum abire nunc finunt, & fuis fordibus polluunt, fcilicet Papiftæ. Quid aliud hactenus fuper Euangelium adduxerunt prædicatores: aut quid in Academijs aut Monafterijs docuerunt, quàm Thomam de Aquino, Scotum, Bonauenturam, Albertum magnum, Occum, & his fimiles authores? Præterea Summas, decreta, decretalia? Negari hoc non poteft, cum libri præfentes habeantur. Imò & nunc fiunt fimiles deceptoriæ conciones. O tempora periculofa? Cùm igitur fim paftor animarum veftrarum, debeamq; vos fub periculo fanguinis mei monere: dico vobis, nolite huj⁹modi concionatores inpofterùm fufcipere. Nam quæ conuentio inter paleam & triticum. Neq; timeatis præterea Papam, Epifcopos, Imperatores, Regem, aut Prncipes. Oportet enim magis DEO obedire quàm hominibus: qui odiô, ignorantiâ, pecunijs, amicitijs & alijs vijs mutationem accipiunt. Sed & ipfum corpus & vitam & quod præterea habetis, ijs opponite, & in Euangelio perfiftite. Et licet debeam vobis in propria perfona fæpiùs prædicare, cum tamen id non poffim, nunc ob negotia bonorum meorum temporalium præftare, in locum meum fubftituo Doctorem Ioannem Brifmannum. Qui cùm fit in diuinis fcriptis verfatus, hic vobis purum Euangelium fine hominum commentis prædicabit. Et ne fcandalifemini in eo, quòd profugus fit Francifcanus. Nam veritatem cognouit, atq; propter eam cucullum deferuit. Præcipuè cauete vobis à Monachis culinarijs prædicatoribus, qui propter pugillum hordei aut fruftum panis, quæ libenter auditis, vobis loquuntur. Nam fatietatem ventris non Euangelium illi intendunt: cùm prædicent & extollant bona opera, quibus tamen non habemus opus fed fola fide. Quo fine excogitatæ funt diuerfæ Religiones: vtpote, Carthufianorum, Bernardinorum & fimilium: quafi DEUS altero, alterum hominem digniorem reputet. Qua opinione etiam imbuti funt Sacerdotes noftri, altiles illi porci cum fuis angularibus Miffis: qui propter munufcula votiua ac pro pecunijs bona opera fua fimplici populo venditant: cùm tamen damnabile mendacium fit docere, alia effe bona opera præter folam fidem. Vt verò veram fidei arcam confequamini, abijcite omnem colorem & fpeciem bonorum operum, omnemq; fpem & fiduciam in Sanctos: enitimini verò, vt comprehendatis veram fidem, & fperate ac confidite in Chrifti mifericordia. Sed hoc non facit pro Sacerdotibus & Monachis, qui etiam bona opera vnà cum fide propter ventrem pinguem prædicant. Et quidem verum eft contra ipfos, quòd fides fola probum & faluum hominem faciat, & non opera bona. Cùm igitur erroribus impliciti, tam pretiofum thefaurum hactenus parui fecerimus, & modicè cognouerimus, quid fides & baptifmus fit, quandoquidem nobis baptifmus in ignota lingua conferebatur: volumus, vt inpofterùm baptifetur quilibet idiomate natiuo. Nam non inuenimus Euangelia latinè confcripta. Qui autem baptifabit, audiente matre pueri id fiet, vt fciat illa quomodo infans fuus prouifus fit. Speramus hinc quidpiam efficax prouenturum. Et ne fit necefsè, vt hactenus, altiles porcos Sacerdotes in hac caufa poftulare & orare, baptifet quisq; in communi, ficut ab initio fuit. Cumque audiuerimus, quomodo & quid in baptifmo promittamus, fic tandem à ftultis noftris votis ad Sanctos, & à propofito amplectendi Sacerdotium, aut ingrediendi Monachorum aut Monacharum inftitutum facile defiftemus: rofariaq; & coronas atq; candelarum

fuccen-

ſuccenſiones valere jubebimus, conuertemusq; nos ad opera manuum noſtrarum, non ad aniles & inanes has fabulas. Inter quas Antichriſticas pietates etiam eſt damnabile iejunium Dominæ noſtræ, S. Barbaræ & ſimilium: tùm peregrinationes Romanæ, ad Sanctum Iacobum aut Treuirim: literæ indulgentiarum ac diſcurſiones ab vna Eccleſia ad alteram: vel nunc hæc, nunc illa eleemoſyna propter Deum, reperiuntur. Quæ cœca pietas, & ignorans promiſſio baptiſmalis effecerunt quoq;, ne hoc die oua aut butyrum comedantur, ferijs etiam quartis, ſextis, & Sabbatho, carnes: quaſi eſſet id grande ſcelus ignominiaq, plenum: cum tamen nullus cibus, qui cum gratiarum actione ſuſcipitur, iuxta Pauli doctrinam, homini obſit. Sed & hoc promanauit inde, in quo & ego vehementer quandoq; errauì, quod modò abiuro, quòd dicatur & doceatur, in altari offerri Deo caro & ſanguis in ſacrificium viuum, pro viuis & defunctis. Et quidem ſecurè dico, nihil hoc dicto eſſe fraudulentius & ad deceptionem aptius. Nam contra omnem ſcripturam & Euangelia pugnat: ac nihil aliud eſt, quàm ex theatro teſtamenti Chriſti, aream munerum & mercantiam facere. O væ, væ, væ. Deploranda eſt deniq; illa cœcitas, quòd mortuorum deuoratores illi, Papa, Epiſcopi, Cardinales, Monachi & Sacerdotes, ex inexplebili ſua auaritia excogitarunt Miſſas, vigilias, pſalteria, campanarum pulſationes, cæroſtataq; ſalutaria eſſe demortuis, & eos ex pœnis purgatorij liberare. Vbi habent per diabolum, in Euangelio purgatorium eſſe, vt animæ ita inde liberentur? Quin magis, Miſſis, Vigilijs & omnibus alijs ſimilibus pro retibus culinarijs vtuntur. Beatus ille qui eis non capitur. Reſtant quædum dicenda, ſed expirauit tempus. Aliàs de his dicemus Chriſti fauente & aſpirante gratia. Amen. His dictis abijt.

Regiomontani itaque toto animi niſu paſtorem ſuum in Luteraniſmo ſecuti ſunt. Paſchatis die idem Georgius Epiſcopus Sambienſis Miſſam Luteranam in Pontificalibus incœpit. Sed & concionem fecit contra doctrinam ſui Antichriſti: dixitq; omnia myſteria & allegorias eſſe hominum figmenta, & prorſus inania ſomnia & hypocriſim. Nam Luterus myſteria reprehenderet: quandoquidem per ea Euangelium obſcuretur & hæreticè corrumpatur. Attamen pro hac vice allegorias & myſticas expoſitiones pro authoritate Euangelica & ipſemet pro gratia ſua adduxit, prout ſequitur. Nam videamus, inquit, nunc, quid lapideum ſepulchrum ſignificet? Id nobis refert ſacram ſcripturam, in qua veritas abſcondita latet, ſicut corpus Chriſti in ſepulchro. Lapis antè ſepulchrum humana ſapientia eſt & intellectus. Hic ſemper impedit cogitationem Chriſti, cupitq; omnia proprijs viribus ſignificare, quæ tamen in verbo Dei abſcondita ſunt: ſicuti certè videmus, quòd humana doctrina & propria opera ſe præferant verbo DEI. Vnde accidit etiam, vt tam ſpirituales quàm ſæculares, vt vocant, Principes, Domini, Prælati, Doctores, ſummè eruditi Monachi & Sacerdotes ad lapidem inuiolabilis veritatis offendant, ſicut ait Iſaias 27. c. dum putant ſe poſſe obſtruere fontem Iſaaci, Gen: 26. At Iacob, id eſt, Chriſtus qui toti mundo imponit, ipſe propter Rachel ſuam, lapidem reuoluit à fonte; & oues eius bibunt. Gen, 29. c. Nam tametſi Iudæi Chriſti corpus omni ſtudio cuſtodiuiſſent, nihilominus omnibus manifeſtum prodijt. Ita quoq; eius Euangelium, licet contra id (ſcilicet Papiſtæ) inſaniant, fremant, ac clament.

ment. Sigilla Pharisæorum in sepulchro Christi, nihil aliud sunt quàm hominum traditiones & inuenta, Pontificumq; & Episcoporum mandata, quibus primum Monachos dementarunt, & hi postea plebeios: deueniretque res eò, vt Monachorum somnia & Sacerdotum deceptiones pro Euangelio haberentur. Verùm, resurrexit à mortuis Christus, confringens sigilla. Ita hodie Euangelium comminuit omnes sophisticas rationes, omnes partes conscientiarum & humanarum constitutionum, vt & nos audiamus Deum, sequamurq;. Et quamuis hominum statuta multa sint, breuiter vnum saltem demonstrabo, quod contra Deum, ius, & rationem humanam pugnat. Nam dicunt aduersarij, cùm Christus quadraginta diebus iejunauerit, igitur & nos quadraginta diebus iejunare necesse est. Ecce quale inuentum? Sed scimus illum passum, ideò nos hilares & lætos esse conuenit. Vide vlteriùs. Si nihil manducabimus uti ipse, certè malè affectos dies paschales habituri sumus: & verendum, ne si crediderimus nos eo ipso seruitium DEO facere, malam gratiam ab eodem referamus. Ignorant planè maledicti sophistæ, Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi, Sacerdotes & Academiæ, Christum ea potestate jejunasse, qua cœcos, infirmos, obsessos á dæmone & mortuos sanauit ac alia miracula patrauit. Faciant etiam similia miracula, tunc credam illorum jejunia esse juxta Christum. Nam illa quidem persuadent misero populo: sed eadem ipsi non faciunt. Sed & inde colligi potest supradictum Diaboli agmen & satellites Papam & Episcopos, ac eorum consortes crassa esse asinorum capita & hujus mundi sapientes: quòd tempora & cibos quos liberos esse DEus permisit, illi tempora prohibita siue ligata appellent, quibus Sacramentum sanctissimi Matrimonij adire Christianis non liceat. Vide quantum saccum portent isti asini? Ita quoq; de cibis ordinarunt. Hoc enim die permittunt esum carnium: altero lactaria sine carnibus: altero pisces sine lactarijs. Viden, vti Diabolus nobiscum ludat? Plurimi enim reperiuntur, quibus hæc contraria sunt & displicent. Neq; ista DEO placent, & tamen hinc multi insaniunt. Vide, quomodo DEI honorem opprimant? Constituerunt enim, vt cesset Dominicâ Septuagesimæ *Alleluia*; cantetúrq; ejus loco, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.* An non intelligunt crassa ista capita, Alleluia sonare, laudate Dominum. Hoc enim præcipitur nobis psalmo 116. Notate verò quàm prudenter hoc faciunt, sicut etiam alias res plerasq;. Ita quidem illi Spiritum Sanctum instruunt & emendant. Quid dicam de damnatis & infelicibus Papistis cum suis sodalibus, qui propriâ audaciâ testamentum siue vltimam voluntatem Saluatoris nostri, id est Sacramentum JESU in utraq; specie nobis relictum populo inhibuerunt: & cum corpus habent, dicant ibi esse corpus & sanguinem. da reime sich buntschuch. cum tamen Euangelista dicat palàm: *Bibite ex eo omnes.* Volunt quoq; semel tantùm esse sumendum ad minus in anno: cum quotidie illud oporteret sumere. Pluries ad id accedere, non est crimen læsæ Majestatis; Christus quoq; semetipsum pro nobis obtulit: & tamen Papistæ dicunt, dum tractant corpus Christi, fieri & esse sacrificium. Audite chari Lapones. Non dixit Christus sacrificate, offerte: sed dixit, *manducate & bibite. Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc sunt clara verba, quæ isti tamen intelligere nolunt & procedunt sicut Baalam cum asina sua. Tùm adeò super pane & vino in hoc sacrificio manuum extensionibus & Cruciplagis vtuntur,

tur, vt qui ea anteà non vidiſſet, diceret, ſacrificulum in eo à pugile inſtructum. Putant his geſticulationibus diabolum poſſe ex pane & vino depelli, & DEum illuc reponi: quem tamen nec cœlum nec terra poſſunt comprehendere. Vndè certè prouenit, quòd nos & omnes amatores Euangelij, iſtud ſacrificium pro maleficio: offertorium pro truffatorio æſtimare debeamus. Conſeruet nos DEus à diabolicis ſchirm ſchlägen Vndt Creutzhaürn. Haberem adhuc quæ vobis, referrem, ſed dies feſtiuior eſt. Seruabo ea in aliud tempus. Vnum adhuc volo addere, de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti. Ita mihi quidem perſuadeo, & ſpero multos inter ouiculas meas reperiri, qui non dubitant de eo. Hæ poſſunt cum DEO accipere utramq; ſpeciem. Si quæ verò dubitaret, vtrum hoc cum bona conſcientia facere poſſet, ſciat, ſe poſſe. Et qui ita accedunt & credunt, hi ſummam abſolutionem & remiſſionem peccatorum ſuorum accipiunt, ita dicente Chriſto. Porrò notandum eſt, quid myſterium cuſtodiæ ad ſepulchrum ſignificet. Hanc ob ſecuritatem ſummi Sacerdotes, Phariſæi & ſeniores Judæorum conſtituerant, ne Chriſtus reſurgeret. Hi cuſtodes, ſunt modò Monachi mendicantes. Nam hi omni ſtudio attendunt, ne veritas in lucem, inq; populum prodeat. idcircò etiam illorum ſuperiores Guardiani dicti ſunt, hoc eſt, Cuſtodes, vt nullatenus veritas emergat. Nec quidem illi parcunt omni diligentiæ & ſtudio, ne colorata & efficta eorum ſanctitas aut ſimulatio, deceptio & nugæ hiſtrionicæ propalentur. Sed æquè accidit illis ac Judæis. Nam etſi tota Judæa aduigilaſſet, nihilominus Chriſtus reſurrexiſſet. Ita & modò nihil juvant omnium Papiſtarum, Pontificum, Epiſcoporum, Monachorum, & Sacerdotum indignationes & murmurationes, etiamſi creparent & ſe permerdarent, manebit nihilominus verbum DEI. Et quod ſeductores ſint, cognoſcuntur. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Amen, Amen, Amen.

Eodem anno ad Pentecoſten vniuerſus orbis deſiderio maximo tenebatur audiendi Epiſcopum ſuum Luteranum: ac ideò aures ſuas acuebant. Accidit intereà virum quendam bonæ conuerſationis Regiomonti in loco Steindam dicto, mori. Hic noluit, quamuis multis monitus communicari à miniſtro Luterano: cujus generis homines tunc primum, cùm veniunt ad infirmum quocunq; tempore id contingat, Chriſti corpus, audiente infirmo conſecrant. Moriebatur verò iſte feriâ quartâ poſt Aſcenſionem Chriſti, horâ duodecimâ. Cùm igitur ſine communione deceſſiſſet, iacuiſſetq; per medium diem & noctem integram, vſq; mane ad horam ſeptimam: eo tempore nonnulli conueniebant, qui eum tanquam infidelem aliquem ad terrorem aliorum ſepelirent. Sollicitabantur in hoc negotio propinqui demortui, & ab Amando tandem miniſtro veteris Ciuitatis muneribus (cupidus enim pecuniæ erat) impetrarunt, permitteret ſepulturam honeſtam defuncto. In qua re etiam ille diſpenſauit. Sed oppoſuit ſe huic qui in Cniphouia miniſtrum agebat. Ita ſanè differebatur cauſa ad iudicium Clementiſſimi Domini Epiſcopi. Qui cum Regiomontum feriâ ſextâ circa horam quintam veniret, defuncto locum in cæmiterio haud grauatim conceſſit. Iamq; aderant pro ſepultura vicini, cum ille rediuiuus homines alloquitur, viciſſimque interrogantibus, quorum ingens numerus die Sabbathi confluxerat, reſponſa dedit, atq; rurſus obdormit. Contra rediuiuum poſteà ipſo die Pentecoſtes Amandus veteris Ciuitatis mini-

Mortuus reuiuiſcit.

minister vehementer concionem acuit: in qua ostendere conabatur, ita conuentione factum: & quidem multis ille hoc persuadebat. Concionante igitur Amando in veteri Ciuitate, eodem tempore etiam Episcopus in Collegio de donis Spiritus Sancti prædicabat: quæ, inquit, si homo non habet, vitam Christiano homini dignam ducere non posset: aliaq; in sequentem modum. Nunc verò, videte Regiomontani, quomodo habueritis Spiritum Sanctum, qui tanquam sues sine intellectu carnes vorastis per Quadragesimam & ferias sextas. Sed voles dicere: Tu mandasti. Dico, id verum non esse. Rogatam igitur velim charitatem vestram, quin & iubeo, vt hos tres dies festiuissimè peragatis & celebretis, rogetisq; Spiritum Sanctum, vt nos illuminet, si erramus, vti boni & docti viri scriptis ostendunt. Velitis quoq; de contributione pecuniaria cogitare, pro illustri Domino nostro Magistro, qui modò ad Clementissimum Dominum Regem componendæ pacis causâ, in commodum vestrum profectus est. Nam humana solatia iam prorsus desunt. Et memineritis, vt sitis iuxta Euangelium liberales, vt ne velitis mandata humana subire. Breui res commutationem accipient. Quibus dictis ad altare accessit, cœpitq; vt Episcopus populum aquâ benedictâ aspergere & cantare Missam cum Canonicis more Romano sicuti antea: quiq; sciebant cantum, cantabant in choro. Stupebant verò omnes. Cantabantur præterea eo die Vesperæ, suffumigabanturq; altaria, quæ supererant, prædicantibus ministris ringentibus præ inuidia. Sed non poterant contra. Altero die Pentecostes visæ sunt in circulo à septima hora ad decimam (circulus verò imitabatur iridem in omnibus coloribus) tres lucidissimæ stellæ, quarum duæ sibi oppositæ erant: tertia verò in medio contra illas superiores: quæ lumen in modum Cometæ reddebant: procedebantq; radij ab vna versùs veterem ciuitatem: ab altera versùs Cniphouiam. Nam circulus hic situs erat supra Prægolam fluuium intra duas ciuitates. Tertia ab his separata fuit, sine radijs. Erat verò dies nubilosa. Si autem Sol resplenduisset, & has stellas aspexisset interdum, videbantur tres Soles apparere. Res hæc homines conturbabat: Luteranis prædicatoribus hoc ipsum incantatoribus, nunc diabolo ascribentibus: aiebantq;: à cælestibus signis ne quis timeat, monuisse Christum, ibatq; res in ventum. Hac ipsa die Regiomontanis mercatoribus nuntium allatum est de eorum nauibus quæ in occidentem nauigarent: viderent qualiter Luteranismum suscipérent. Nam nullibi voluissent nauigantes hospitio suscipere, sed neq;, vti manifestis hæreticis aliquid vendere: nec quicquam ab eis emere: timereq; amissionem nauium & bonorum. Coactos se iam aliquoties abiurare Luteranum Euangelium. Scirent profugos Monachos Regiomonto, rursùs cucullos induisse, & vel maximè Regiomontanos calumniari. Hæc noua non parùm prudentiores affecerunt per festa Pentecostes, nec quid futurum esset sciebant. Sed populus solito modo agebat, nec detrectabat etiam pugnam, cum Diabolo Luteri causâ experiri.

Stellæ tres.

Naues Regiomontana.

Indigebat Magister vt paulò antè dictum est, pecunijs, quas vt corraderent Crucigeri, varios modos excogitabant. Nec deerat Georgius Episcopus eis operâ suâ. Igitur cum anno Christi 1524. ministros in Pentecoste ordinasset, misit binos & binos in minores Ciuitates Ordinis, vt Luteranam sectam prædicarent, Missas cum omnibus alijs officijs Ecclesiasticis tollerent, & quidquid ex auro

1524.

vel

vel argento reperirent, in ciſtas reponerent & occluderent. Sed cum Brunsbergenſes recipere nollent & audire profugum Monachum, miſit ad eos profugum Sacerdotem. Erant tunc Brunsbergenſes adhuc ſub poteſtate Alberti, vt etiam alibi dicetur. Hic præmiſit quempiam, qui ſuum aduentum & prædicationem Luteranæ doctrinæ Brunsbergenſibus intimaret. Sed hunc ciues è templo lapidibus profligarunt, & ex ciuitate ſtercore. Nobili verò à Donen clamore ſublato eos monente, quòd ſalvum conductum haberet ac ideò parcendum ei eſſe, ille euaſit periculum. Et quidem nullus eorum, qui miſſi fuerant, ad prædicationem, eſt admiſſus, ſed omnes prudenter rejecti. Nam ajebant Ciuitates, Chriſtum neminem ad fidem coegiſſe, prout ipſi facerent: ſcire ſe vtiq;, non tam fidei causâ rem inſtitutam, quàm ſupellectilis Eccleſiaſticæ emungendæ. Cum igitur hac via Crucigeris res non ſucceſiſſet, F. ab Heideck quondam Canonicus Babenbergenſis, cum decem equis ad minores Ciuitates profectus, ſeriò illis præcepit Luteranos fieri. Reſpondebant illi pactis ſibi promiſſam conſeruationem Priuilegiorum; idq; vnum eſſe ex eis, vt permittantur in ſua fide & conſeruentur: Se libenter viciſſim in debita ſubjectione permanſuros. Sin minus, neceſſariò hæc ad Magiſtrum ſe delaturos. F. Heideck inquit: Ita vos DEus amet, ſcilicet. Quis vos à fide recedere cogit? Sed recedere vos oportet ab idololatria, quam colitis in Eccleſia per Miſſam & ornatum Eccleſiaſticum, in quo Sacerdotes veſtri ſimulant, dum pecunias veſtras non animas quærunt. Securitatis causâ theſaurus recondi jubetur, ne illum ſacerdotes fugæ proximi propter Epiſcopum Heilsbergenſem, eum ſecum tollant: ac illo vos carere neceſſe ſit. Igitur recondite argentea vaſa in ciſtam & cuſtodite ea ſtudio juvandi pauperes, non ſuperbiendi in idolorum cultu in templis. Ad hæc ciues: Dominus Magiſter, ajebant, concredit nobis Ciuitatem, quæ vtiq; magni momenti eſt, & plus habet, quàm quæ ſunt in Eccleſia. Quæ igitur Eccleſia habet, permanſura ſunt in ea, ſicuti antea, ad honorem DEI. Qui ea in ciſtas reponere voluerit, ferat claues ſecum. Theſaurus verò Eccleſiæ multò minor eſt, quàm poſſit pauperes juvare: quos vos ad paupertatem per bella redegiſtis. Ita quidem reſpondebant vnanimiter vniuerſæ Ciuitates. Sed tamen tandem iſta minorum ciuitatum conſtantia labefactata eſt per Crucigeros. Nam quamuis oppidani in Eccleſijs ſuis non permitterent fieri Luteranas conciones: tamen fouebant Crucigeri profugos Monachos qui in arcibus conciones facerent: ad quas volentibus acceſſus patebat. Itaq; accidit paulò poſt in hæreſim cadere Velauiam, Allenburgum, Gerdaviam, Fridlandiam, Sippelbeinum, Cruciburgum, Cynthiam, Dominauiam, Luneburgum, Bartſteinum, Neideburgum: quin & Vormditum & Guttſtadium. Videns F. Heideck fruſtra ſe cum oppidis expoſtulare, aggreſſus eſt Gerdauienſe, Velauienſe, Tilſenſe, Heiligebeilenſe & Pattollenſe Monaſteria, & quæ in eis reperit, ciſtis incluſit, ordinauitq; in ſingulis Monaſterijs tres ſeniores Monachos qui manerent, omnibus alijs pro mundi repletione, expulſis: & ut tres illi Monachi ſibi vnum calicem ſtanneum fieri curarent ad complendam ſuam hypocriſim, nec quempiam alium reciperent in ordinem: néue multùm diuagarentur. Spem ſuam proijcerent in DEum, qui eos eliberaturus eſſet. In pagis vbi jam Luterani miniſtri erant, hi quoq; proditores ſuarum Eccleſiarum erant. Nam quicquid repererunt in ijs, ea tradiderunt.

Brunsbergenſes pellunt prædicantes Lutheranos.

Ciuitates quædam Pruſſiæ in hæreſim cadunt.

Monaſteria ſpoliantur.

Sic cessarunt officia diuina populusq; à moribus bonis ad ferinos defueuit, & quasi syluestris in hæresim abijt. Nam nec Sacerdotes officia exercebant, nec vicissim decimas accipiebant, Ecclesiæq; plus quàm horrea desolata stabant. De Sacramentis, de Virgine Matre, de Sanctis, de Purgatorio, de Jejunio, de Confessione, & de similibus his apud homines nulla bona persuasio erat. Maria reputabatur pro communi fœmina: Monachi & Sacerdotes pro proditoribus. Propter DEum nemo quidpiam dabat, sed propter fraternam charitatem: putabantq; hoc DEum præcepisse. Tam quidem laudabiliter procedebant res, vt ne quidem alter alteri confideret.

Orta est hoc ipso anno, circa festum S. Michaëlis maxima dissensio Regiomonti in omnibus tribus oppidis. In fabulam enim Prussia apud Germanicam nationem deuenerat, præcipuè Regiomontani Ciues, quòd in nonnullis à Luteri doctrina eorum ministri prædicantes discesserint. Cùm igitur contra hos scripta & tractatus ederentur, tres illi præcipui concionatores Regiomontani inter se altercari cœperunt, secumq; oppidanos inuoluerunt, qui nunc illi nunc alteri adhærebant. Quidam adeò aliorum opinionem defendebant, vt non vererentur dicere: hoc ita juxta Christianam doctrinam esse, vt si contra id aliter ipse doceret Luterus, esset ille in excommunicatione Christi. Vnde, cùm vix ministros in ambone aliquid ex libris Germanicis, de Euangelio dixisse contigisset, reliquum temporis in scommatibus mutuis consumpserunt, & alter alterum pro bove, asino, bufalo, & hæretico proclamauit. Excellebat hac in re eorum antesignanus Magnus Antonita in veteri Ciuitate: quo quidem adeò auditores offendit & scandalizauit, vt aliquot centeni ab eo recederent, concionesq; ejus abiurarent. Non rati diutiùs moram ferre prædicantes, Commendatorem accesserunt, atq; in ius inuicem se vocarunt. Hos verò ille ad Consiliarios Ciuitatum misit: qui ex prædicantibus sciscitabantur, num se illi pro iudicibus recognoscerent & haberent? Recedentes verò tacitè ab eis Ministri, inuicem concordiam inierunt. Sed malo Senatorum. Nam indignissimè in eos debacchati sunt omni contumeliarum genere: ita quidem vt res commiseratione digna esset. Volebantq; Consulares lacessiti iniurijs officio suo resignare. Verùm id non permittebat Commendator, nec seniores Ciues, qui tunc à Luteranismo recessissent. Sed & alter tumultus ortus est ex eo quod familia in eius officio versari noluerit, qui ieiunia celebraret, & Romano modo viueret. Non leuem hinc patiebantur iacturam Catholici in re familiari. Sæpèq; accidit Catholicum, qui conduxisset Luteranam familiam seu socium suæ artis, eidem ferijs sextis carnes proponere, cùm ipse piscibus vesceretur. Cumq; vniuersa carissimo pretio emerentur, plebeij plurimùm angustiabantur. Nam etsi ferijs sextis familia feriaretur ab opere, à carnibus tamen abstinere noluit. Neq; obseruabantur hac in re plebiscita ampliùs. Nam Luterani è famulitio Catholicorum artificum familiam & socios artis clàm persuasos subducebant. Neq; administrabatur super hoc negotio iustitia. Cùm enim inde artifices ad altercationes inuicem deuenissent, rursus eos Senatus ad Commendatorem misit: hic ad Episcopum: iste deniq; ad Magistratum. Ita quidem hoc anno Senatus Populusq; Regiomontanus cum Crucigeris suis ac alijs primoribus communi modo & cursu Luteranorum, & vitam instituêre, & operati sunt in barbam Pontificis

Altercationes prædicantium.

Max.

Max: excepto F. Henrico Reus Plauenio Commendatore Bartensteinensi. Nam hic violento quodam modo retinuit Romanæ Ecclesiæ vsum & consuetudines. Ne quidem mentionem Luteri aliquis coram ipso facere debuit. Attamen illum Crucem deportare non oportuit, quòd eo signo pro Monacho habitus fuisset, & consputus. Erat enim vsu receptum iam, vt si Regiomontum Monachus aliquis transiret, & non deposuisset cappam, aut vxorem non duxisset, stercore petebatur. Et hoc quidem ex pietate & instituto prædicantis Amandi agebatur. Accidit verò in die S. Barbaræ hoc anno mori in hospitali S. Antonij decrepitam viduam, quæ post se in argento reliquisset ad duo millia florenorum. Hæc Amandum in filium spiritualem quondam, cum adhuc esset stationarius in ædibus Antonitarum Fraumburgi, adsciuerat, eiq; omnia sua bona donauerat, scripto. Igitur cùm Luterani eum pro generali Parocho Regiomontano constituissent, ad morti proximam matrem spiritualem accessit, illiusq; donationem ibidem contestabatur. Tum illa, quod huius rei mentionem Amandus charissimus eius filius spiritualis faceret, incepit Mariam Matrem Iesu appellare mulierem in omnibus alijs similem: alios Sanctos negare, Pontificem summum cum clero maledicere, & verbis fœdissimis Missam, Confirmationis Sacramentum, extremam vnctionem & Sacerdotium conspurcare. Infelici morte sublata matre & sepulta, Amandus hæreditatem suam postulabat. Sed non audebat ei eam tradere Senatus, ob id, quod super illam arestum Commendator, Episcopus & hæredes veri posuissent. At confisus Amandus Luteranis suis, verbis mordere cœpit Crucigeros, Episcopum & Senatum, adeò quidem crassè, vt etiam ipsi Luterani dicerent, non posse contingere DEO gratius sacrificium, quàm si omnes ministri in partes conscindantur: cùm de ijs arguerentur, quæ de ijs Luterus eorum prædixerit. Neq; sperabatur de ijs quicquam aliud, quàm singulis horis illos comprehensum iri, vt DEO gratum supplicium reddant. Abscessit interim Episcopus ex Collegio, Commendatorq; arcem firmauit. Cum itaq; solus Senatus superesset, conuocato populo exposuit ille conciones omnes quas fecisset Amandus in Sacerdotes & Monachos: quos tantoperè avaritiæ accusasset, vt ideò expellerentur ipsi: ille verò voluisset pro pane & aqua & crasso panno operam suam concionando præstare; nunc alter rem inueniri. Nam nemo illo avarior esset, nemo superbior. Idcircò ad arma conclamabant in tribus oppidis Ciues omnesq; in armis stabant, quærebantq; internecioni dandum Amandum cum illis qui à parte ejus starent. Sic itaq; à Senatu, senioribusq; populi veteris Ciuitatis, prædicantem & ministrum Amandum territum & rejectum, in Cniphouia Ciuis quidam occultè detinuit. Quispiam scribit Amandum pulsum à Senatu, quòd eum admonuerit, ne intermittat diligentiùs frequentare Ecclesias, intentus rebus & negotijs suis. Sed quàm verùm id sit, ex hoc authore cognoscitur. Post hoc subduxerunt Amandum quidam periculo cum vxore in solis vesticulis, venitq; ita subductus in paupertate summa & impatientia Gedanum. Nam simpliciter nullibi pro prædicante eum recipiebant. Brunsbergæ hic tamen inualuit: vbi etiam constituit, vt Franciscani Monasterium suum non clauderent, sed permitterent ingredi & egredi mulieres & puellas, & quicunq; alius vellet: & vt facerent, quod liberet. Ita ille quidem Diabolo venationem & laudem conciliauit. Plurimis quidem ciui-

bus Regiomontanis & circumquaq; hominibus contraria erat hæresis, sed ad euitandum tumultum, nihil attentare audebant: at alijs placebat eadem admodùm, quod ab illis nihil aliud præter fidem ad salutem æternam requireretur. Crucigeri his conniuebant: immò laudabant illorum studium, dummodò conquirerent ex Ecclesijs pro Magistro argentum, quod quidem accipit ipse, verùm cum paruo suo & suorum emolumento. Hi verò quibus hic modus pecunias colligendi displicebat, consolabantur se, quòd Magister aduentu suo hæresim dispiosurus esset. Verùm ipse redijt etiam abjecta præter spem bonorum Cruce, frequentabatq; Conciones Luteranas. Consueuerant tunc prædicantes Luterani legere biblia in templis, & quidem quæ proditoriè vertisset Luterus. Talia etiam apud se habebat Princeps, dum audiret Conciones, dicebatq; verè, ita scriptum hîc reperio, vti pronunciat prædicans. Ita ille prædicantibus fidem conciliauit ijsdemq; prouidit, vt quilibet eorum, erant autem tres, centum marcas haberet in annum: præcepitq; subditis, vt mentes jam aliò dirigerent, relictis Monachis & Sacerdotibus, & dominio obedientiam debitam præstarent, auxilioq; ei præstò adessent. Non recipiebantur hæc æqualiter ab omnibus. Hic enim aliud, aliud alter cogitabat. Confirmabantur deniq; in Luteranismo Sambienses per Episcopum Georgium, cùm eum resignare viderent bona Ecclesiæ, & dare ea Principi suo, si ei vicissim panem relinqueret, Virginemq; illi in matrimonium daret. Dedit verò Episcopo Dux prædium elegans, & viginti mansos, quibus vteretur ad vitam: & virginem in vxorem. Virgo illa erat Conradi Truchsessij filia: miraculiq; loco fuit, hunc vnum Episcopum intra septingentos annos vxorem duxisse. Accedebant verò Nobiles Ducatus Prussiæ ac alij, supplicabantq; ei, præciperet Sacerdotibus Conciones in pagis eo modo & forma facere, quo illi, qui Regiomonti prædicabant, referrent: quandoquidem ipse Princeps istud Euangelium collaudaret. Quem in finem Episcopus Sacerdotibus ac alijs subditis certum diem constituit, in quo quid vtrisq; præciperet, audirent. Quo adueniente mandauit Sarcerdotibus præsente Alberto, curarent sibi Biblia Luteri, ex quibus diebus Dominicis, ferijs tertijs, ac sextis, concionarentur. De reliquis, constituerent, quod nossent. Querebantur vicissim Sacerdotes, non solui sibi decimas ab alijs nisi à Prussicis bonis: panem se non habere. Nam Prutenici pagi ex antiquo, Parocho soluebant solidum vnum à singulis agrarijs; quæ pensio Rauchgelt vocata fuisset: pro Paschate item quatuordecim denarios: & de funere fertonem medium, id est, duos grossos cum dimidio. Nam quandoquidem nollent hi Luteranam amplecti fidem, Parocho decimas præstabant, alij minimè. Dicebat itaq; illis Dux: Cùm velitis Sacerdotes habere, quid daturi estis ipsis? Responderunt illi in scriptura nihil reperiri, quod illis debeant. Nam gratis, inquiunt diuinæ literæ, accepistis, gratis date. Minimè ita, inquit Dux. Seminare & metere non est vnus idemq; labor cum prædicationibus. Apostoli prædicabant, non verò seminabant: idcircò & hos in officio prædicationis permittite esse, & vos illorum agros coletis ac seminabitis, & quilibet homo addet illis grossum vnum. Ad hoc sæculares ajebant, se minimè, quod postulatur, daturos, Nam id se in sacra scriptura non reperire statutum. Respondit Dux, reperiri in sacra scriptura, quòd DEus mandauerit Sacerdotibus dare decimas: itaq; & has illis dabitis vos. At illi ajebant: antequam demus

Magister Ordinis fit Luteranus.

Georgius à Polentz Nobil. Episc. Sambiensis, factus pessimus Luteri sectator duxit uxorem Truchsess.

Decima.

mus decimam partem, potiùs Ducem & Sacerdotes propellemus. His ita peractis, in diuersa abierunt irâ perciti, agebatq́; quilibet quod placeret. Postquàm verò Georgius Episcopus Conjugem suam vno & dimidio anno habuisset, morte decessit illa, luxitq: Episcopus quinq́; hebdomadibus. Quibus expletis Nobilem quendam allocutus, petijt ab eo filiam in matrimonium. Sed ille respondit; Clementissime Domine, cùm dicat S. Paulus: Episcopum debere esse vnius mulieris virum: quomodo alteram ducere cupitis? Subjecit Episcopus: Sancti Pauli mandatum solui per Euangelium, & non posse Episcopum simul duarum matrimonio conjunctarum mulierum esse virum. Et si quis Sophisticè agere vellet, docuisse ita S. Paulum pro tempore illo, quo gratiâ excellerent homines. Modò verò gratiam DEI esse amissam: quemlibet commodum suum quærere, sed neq́; se esse Episcopum Papisticum, sed pastorem juxta verum & rectum Euangelium. Docere se, non consecrare. Ideò id sibi licere. Adhæc aliquis ex circumstantibus: Cùm itaq;, inquit, S, Paulus ob singularem sanctitatem, qua præditi esse debeant Episcopi, eisdem prohibeat potestatem duas simul legitimas vxores habendi: nobis secularibus, qui perfecti non sumus, infidelemq; familiam alimus, quibus neq; alij defectus desint, plures vxores simul ducere licebit, atq; earum fide nostris necessitatibus succurrere. Respondit Episcopus: id fecisse Abraham, Jacobum, Dauidem ac alios: nec fore illi damnationi, si quis & modò nolit esse absq́; pluribus vxoribus. Summam verò & nucleum Euangelici Matrimonij, in eo verè consistere, vt satis fiat vxoribus, ne sit illis necesse adulterari, quod est damnationis: Respondit aliquis: Per potestatem DEI liberalem habemus Episcopum pro facultate meretricandi; si nobis & vires posset addere, laude dignus esset. Superuenêre paucis pòst diebus ad Episcopum noua, propter quæ secundas nuptias in aliud tempus differre debuit. Atq; hæc de ortu hæresis Luteranæ in Sambia Grunauius.

Hæresis initium in Pomesania.

Qua ratione eadem initium sumpserit in Episcopatu Pomesaniensi, de hoc idem author sic narrat. Cùm Gerardus huius nominis II. Episcopus Pomesaniensis animaduertisset totam Prussiam vehementer amplecti hæresim, & præcipuè Regiomontanos: in propria persona circumire cœpit & in oppidis ac villis suis concionari, ne sui etiam in errores incauti delaberentur: sed sese in obedientia S. Ecclesiæ Romanæ iuxta diuinas literas continerent. Quo nomine magnam gratiam & laudem ipse apud populum non solùm consecutus est, sed & ipse populus conuentionem inter se fecit permanendi in Catholica religione vsq; ad mortem. Inuidit Georgius Sambiensis Episcopus hunc conatum, omnibusq́; modis laborauit, vt eum ad interitum duceret, ac Episcopum hæreticum faceret, qualis ipsemet esset. Nec cessit illi malè propositum malum. Nam Gerardus ab ipso persuasus omnes Monachos & Sacerdotes expulit, persuasitq; populo, vt hoc, quod ipsis solerent dare, in cistam Regiomontanorum more pro adiuuandis pauperibus, vt eò faciliùs census & accisam soluere possent Dominio, ponerent. Sustulit quoq; festos dies, & alias pias consuetudines. Et quamuis ipsemet hæresim doceret, & semetipsum de antehabitis concionibus corriperet, ad eam tamen subditi eius, paucis exceptis, non inclinabant. Cœpit & ipse tandem nuptias celebrare, vt repleret mundum. Pridem sermone ferebatur, fore Romanum Concilium:

Gerardus Episcopus Pomesaniensis fit Lutheranus.

sed ad hoc respondebatur, nihil noui esse in Luterana hæresi, quod Oëcumenicum Concilium exposceret. Cùmq; eo tempore cogitaret Turca Christianum orbem suo imperio subjicere, dicebant nonnulli, consultius esse insumere impensa aduersùs Turcam, quæ in Concilium exponerentur. Palàm & manifestum esse, malè agere Germanos: sed & posse facere quodcunq; liberet. Cumq; iam Luterus declarauisset, quemlibet Episcopum etiam Papam esse: ex hoc fundamento quoq; Episcopus Sambiensis Georgius sibi similem Gerardum Risenburgensem & omnes qui saperent Luterum, ex oppidis Crucigerorum, ac etiam Nobilitatem Regiomontum acciuit. Vbi multis de fide inuicem egerunt. Quo tempore visi sunt quinq; Soles in crucis modum. Statutum tunc fuit, & postmodùm obseruatum, ne idolum (ita vocabant sacram Eucharistiam) vnquam in manica ad infirmos, cùm mortis necessitate communicantur, deportetur. Sed accederet aliquis ad decumbentem, eumq; interrogaret, num crederet ibi esse Dei corpus. Si affirmaret, acciperetur panis albus, quicunq; is esset, siliginaceus aut hordeaceus, diceretq; ad circumstantes: Vt huic homini fiat secundum suam fidem, flectite genua, & cælestem Patrem orate, vt mittat filium suum in hunc panem. Nam hoc est corpus eius. Acceptumq; deinde panem infirmo ostenderet, diceretq;: Ecce, hic id est, vt credidisti & desideras. Posteà ante eum panem poneret, vt comedat de eo quando vellet. Deberet etiam interrogare ægrotum, quidnam libenter biberet, siue vinum id esset, medo, cereuisia, lacphetum, Molcken, illud consecraret: de quo posset infirmus bibere pro modulo suo. Et hoc quidem ita fieri incipiebat, quòd posteà in consuetudinem abijt. Processit verò in medium confidentium Georgius ita exorsus: Et ego cognoui, quòd nullum peccatum condemnet credentem, sicut id vobis nunc per aliquod tempus prædicauimus. Et qui hoc non credit, condemnabitur. Sed & alia multa ibi constituerunt ex parte hæresis suæ. Significabat quoq; Episcopus ciuitatibus & Nobilibus, quòd Magister honorificam ab eis postulet contributionem & paratam pecuniam, quòd ob eorum commodum in exteris regionibus versetur. Cùm verò illi breuiter responderent, se neq; obulum daturos, ostendebantur literæ clarigationis Regis Sueciæ Insterici, ob damnum quòd Magister Suecis intulisset, qui merces suas Regiomontum aduexissent: nam eas ipsis ante pontem sustulisset. Prussi verò sciscitabantur vbi mansissent tormenta fusa illorum sumptu? Respondit Episcopus, tormenta fuisse mutuò data à Magistro Regi exuli Daniæ & Seuerino, fuissentq; numero. 107. cum omnibus attinentijs. Subiecerunt Prussi, eius rei causâ, gratias illis relaturos omnes Diabolos. Sed & intelligebant quoq; Prussi tunc, se nullam annonam habituros ex Lituania atq; Masouia propter hæresim ac violentiam quàm miseris exhibuissent, cùm Masouios coëgerint ad esum carnium in Quadragesima. His finiebatur Concilium, discessitq; quilibet in locum suum.

Soles quinq;

Modus comunicandi infirmum.

Hoc ipso anno Papa Clemens VII. ad postulationem Aragoniæ, Portugalliæ, Hispaniarum & Galliarum Rege atq; Germaniæ Principum omnes Christi fideles literis admonuit mortis, vt ad eam se pararent per confessionem Sacramentalem. Et qui hoc facerent, illis se plenariam dare remissionem peccatorum. Causa verò monitionis mortis erat, quod in Dominijs dictorum Principum pestis adeò

Pestis in varijs regnis.

deò ſæuiret, vt etiam ſine aliqua corporum mala affectione ſubitò homines vitâ decederent, ſicut quondam ſub Gregorio I. Pontifice Max: contigiſſet, & iam regiones media ex parte habitatoribus carerent. Accedebat, Turcam ad decem centena millia militum congregaſſe, quorum partem in Portugalliam, Italiam, Vngariam & Poloniam mitteret: quandoquidem probè ſciret dicta regna vel peſtilentiâ exhauſta, vel diſcordiâ laborare, aut etiam hæreſi infecta eſſe. Expertumq; fuit, iam Turcam præmiſiſſe triginta millia militum, & 3000. profugorum Monachorum & Sacerdotum Luteranorum: qui omnes ei optimam ſpem ſubiugandæ Chriſtianitatis dediſſent: adeſſentq; ei omni auxilio & conſilio. Peterent itaq; Chriſtiani à Deo, vt in ſe oculos miſericordiæ intenderet, Turcamque à direptione regnorum ſuorum auerteret. Has certè admonitiones quidem multæ regiones magnifacientes ſuſceperunt, & ad mortem, confeſſionibus peccatorum ſuorum ſe pararunt. Sed Pruſſi hoc ridebant: præcipuè Gerardus intruſus Riſenbergenſis atq; Georgius Sambienſis Epiſcopi. Hi enim ſe à gratia hac Pontificia, & Communione Catholicorum vt hæretici, & ſcabie infectæ oues, ſepararunt. Et ſiquidem in Pomeſanienſi Epiſcopatu etiam Regia oppida eſſent & pagi, incolæ horum officiali ſuo Marieburgenſi obediebant, & Pontificiæ adhortationi ſatisfecerunt: alijs in ſua conſuetudine permanentibus non aliter quàm Iudæus quiſpiam in arte fœnerandi.

Perſuaſio his temporibus inualuerat in ſimplici populo de ſcriptis Luteri maior quàm de Euangeliſtarum libris aut Pauli aut etiam integrorum bibliorum. Nam fieri non poſſe putabat, Luterum improbum hominem eſſe, cùm perfectiſſimè perſpectas haberet ſpiritualium actiones. Verùm ignorabant idiotæ iſti, quòd Sacerdotes aut etiam Ciues plurimi, de omnibus ritibus diuini cultus, & de Cærimonijs Catholicis, quæ exercerentur in oppidis & pagis, illum per literas certiorem redderent. Qua arte ſciebat Pruſſos conſeruare aquam baptiſmalem incorruptam per integrum annum. Item quòd ij qui intereſſent Miſſæ ſacræ vel ante vel poſt aſpergerentur aquâ benedictâ. Mortuis pulſari campanas: iejunari pridie S. Martini Confeſſoris contra febrem: pridie S. Valentini contra caducum morbum: pridie S. Rochi contra epilepſiam; pridie Sanctæ Apolloniæ contra dentium dolorem: pridie Sanctæ Ottiliæ contra affectiones oculorum, & ſi quæ ſunt alia pietatis exercitia. Nam ſuper hæc ſingula Luterus commentaria conficiens, ea hinc inde diſpergebat plena calumnijs & blaſphemijs: quas tamen ſimplices & qui nullam habebant conſcientiam pro angelicis dictis & reſponſis colebant. Abijt & hoc in conſuetudinem, vt ſi quis Monachus ex monaſterio profugiſſet, cappam pedibus conculcaſſet, Sanctos Dei blaſphemaſſet, Pontificem ſummum cum clero calumniatus fuiſſet, pietatem Chriſtianam abiuraſſet, mox vt tale quid contigiſſet; Luterani alijs oppidis ſcriberent quicquid apoſtata vel egiſſet vel dixiſſet. Hoc collaudabatur tanquam Euangelium factum, & pro exemplo referebatur. Eodem modo procedebant laudeſq; Chriſto dicebant, ſi conſularis vir aut aliàs honoratus Luteraniſmum amplexus fuiſſet.

Fuit quiſpiam Ordinibus ſacris initiatus in hoc Epiſcopatu, iamque ætatis octogeſimum ſecundum annum agebat: quem ætas tamen minimè fecerat ſapientem. Hic cùm in hac ſumma canitie ſua audi-

Monachus 82 annorum dolet quod Cælebs mori debeat.

audiret, quòd Luterus plurima scripsisset in laudem matrimonij, dixissetq; omnes Sacerdotes & Monachos damnationi esse obnoxios, eò quòd iuxta mandatum Dei mundum non auxissent: his commotus amarissimè fleuit, multumq; solicitabatur, quòd vxorem non habuisset, sed cœlebs mori deberet.

Imaginũ prophanatio,

Anno eodem 1524. in nundinis Risenburgensibus, in quibus omnis generis homines confluxerant, Luterani suas vires & quid possent in Imagines beatæ Virginis & aliorum Sanctorum palàm ostenderunt. Nam eis domum comportatis propinabant scyphos, & vt responderent bibendo instituerunt: quod dum non facerent, in capita insensibilium imaginum liquorem infuderunt: additis verbis probro plenis, quæ ne quidem ethnicus fecisset aut excogitasset. Cumq; soluendæ computationis tempus aduenisset, etiam ab imaginibus eo nomine petebantur pecuniæ, repetitis vicibus. Tunc earum nomine aliquis solicitabatur; qui si soluisset pro eis pecuniam, eas auferre posset secum: reperiebanturq; agrestes, qui pecunijs compotationes soluerent, & imagines tollerent. Pro quibus verò non soluebatur, eæ virgis aut etiam gladijs cædebantur, & pungebantur cum improperio. Demùm exurebant illas. Cùm de his Episcopo relatum fuisset, laudauit eos, rectèq; fecisse ait. Neq; enim illos aliter à se esse instructos. Hoc anno, 1524. in autumno Parochus Salfeldensis juxta tenorem sui Euangelij sibi virginem desponsauit. Et vt longè latèq; dimanaret famâ conatus iste Euangelicus alijsq; Sacerdotibus exemplo esset, grandè conuiuium instruxit, & majorem conuiuarum numerum inuitauit. Habebatur ibidem monasterium Bernardinorum eleganter ædificatum. In eo ille nuptias suas peragere voluit. Et ne quid molestiarum inde à quopiam pateretur, à fratre Episcopi Risenburgensis, cujus fidei ciuitas ipsa concredita fuit, obtinuit, vt inde Monachi quasi hypocritæ Antichristici expellerentur. Quod etiam contigit. Peragebatur itaq; conuiuium in Monasterio, coquebanturq; optima quæuis fercula in foco ex siccis lignis de Imaginibus & tabulis Sanctorum, pulpitorum & sedilium, extructo. Et vt Parochus majorem commoditatem & amplius spatium cum vxore sua haberet, traditum est ei monasterium pro habitatione. Quod dum inhabitaret, per dies Dominicos à Nobilibus ibi visitabatur, cantabatur quoq; & saltabatur, & alia lætitiæ signa exercebantur. Habebantur enim ejusmodi exercitia pro Euagelicis deuotionibus in Prussia passim: multiq; Sacerdotes etiam ingemiscentes, desiderijs talibus tenebantur. Peragebantur deinceps in illo Monasterio, ferijs sextis maximè, Sacerdotum nuptiæ. Opinabantur enim illi, se hoc in loco puros Prophetas aut Sybillas facturos, dicebantq; in locis sacris opera debere sacra exerceri. Mirabantur plurimi, quòd breuissimo tempore ad extremam impudentiam Sacerdotes prolaberentur: ita vt multis dicerent, me audiente & oculis vidente, seculares esse bonos Luteranos: sed Sacerdotes & profugos Monachos omnibus Dæmonijs deteriores. Gerardus ille titulotenus Episcopus Risenburgensis tempore Aduentus hujus anni, 1524. à Magistro redijt. Quo tùm meliore in suis negotijs Magister non utebatur. Jamque propè induciæ cum Polonis expirauerant: sed necdum de bello cessando, animo cogitarat Magister. Nam de exercitu colligendo contra Polonos adhuc consilia habuit. Sed pecunia deerat. Igitur Episcopum hunc colligendi argenti causâ in Prussiam miserat. Qui cùm venisset, ex Risenburgensi Ecclesia omne argentum abstulit, ac Fratribus Sancti Spiritus vxores dedit: relicto unico plumbeo calice in Ecclesia, & quidem non benedicto. Ita fecit omnibus Ecclesijs in villis. Neq; jam

jam decimæ Sacerdotibus ſoluebantur, nec offerebantur: debebantq; vxores ducere, arare, & cenſum ſoluere. Deſertæ ſtabant in pagis Eccleſiæ, nec calix aliquis in omnibus reperiebatur: niſi fortè aliquis ſeniculus Sacerdos adhuc in plumbeo ſacra perſolueret alicubi. Quod quidem in pagis Crucigerorum accidebat. Ruſtici verò hac occaſione gratias agebant DEO pro liberatione Miſſæ audiendæ: quam dicebant idololatriam fuiſſe. Animaduertebant hæc oppidani ac argentum in tutelam ſuam acceperunt: ajebantq;, qui nobis hoc eripiet, etiam ceruices noſtras tollat neceſſe eſt. Deniq;, vbicunq; quodcunq; in Eccleſijs argentum & quacunq; nequitia ac dolo aſſequi potuiſſet, non intermittebat ille tollere, exceptis Ciuitatibus: prætendebat verò Clementiſſimum Dominum Magiſtrum Principem, ex collecto argento pro natis natorum & qui naſcentur ab iſtis teſtamentum conditurum. Qua arte corraſit ad ducentas marcas argenti puri: cùm præter hanc ſummam jam in æſtate pro Magiſtro ſeptingentas marcas ejuſdem argenti ex Eccleſijs conquiſiuiſſet: excepto hoc quod ipſemet Magiſter ex Eccleſijs ſuſtuliſſet. Conflabantur ex his pecuniæ in Germania, euanuitq; totum ex manibus Magiſtri, quod de Eccleſijs rapuerat: alijsq; in locis pluribus debitis obſtringebatur quàm rapuiſſet. Nec jam aliquid in Pruſſia reſtabat. Qui Magiſtro fauebant, dicebant: melius eſt id laudabilem Principem expendere, quàm vt Polonis præda veniat. Occupabant quoq; exteri arces, qui ei pecuniam ſubminiſtraſſent, dum ſe in Germania detineret. Diſcedebant quoq; Crucigeri ex Pruſſia, præter decem, relictis Pruſſis in aduerſis. Accidit etiam id in hoc & alijs Epiſcopatibus, quòd multi probi viri intelligere non poterant quid eſſet Luterana fides, nec Luterani eſſe volebant. Hos hæretici plurimis perſuaſionibus vſi, ad Luteraniſmum deducere moliebantur, atq; ita ad eos loquebantur. Nitimini, vt accipiatis Spiritum, qui vos illuminet. Sed hi, quid illuminari eſſet, non intelligebant: multumq; laborabant, vt intelligerent, quid iſtud eſſet. Viciſſim itaq; illos interrogabant, quid facere eos oporteret, vt acciperent Spiritum illuminationis? Accipiebantq; hanc informationem, vt ſcilicet de Sacramento altaris nihil aliud crederent, quàm quòd, ſicut Chriſtus in lapide eſſet & in quopiam pane, ita etiam eſſet in hoc pane. Miſſam eſſe horrendam idololatriam, quæ vnquam fuiſſet: inde prouenire annonæ charitatem & plagas alias diuinas, quòd tolerentur Monachi & ſacerdotes qui talem idololatriam & impietatem promouerent. Nihil ſibi de Maria & alijs Sanctis perſuaderent: nullibi enim ſcriptum reperiri, illos eſſe apud Deum, eos homines fuiſſe & morti obnoxios, vti nos. Quod dicitur de Sacramentis & operibus miſericordiæ, id inuentum eſſe Sacerdotum & Monachorum, vt benè illis contingat. Si itaq; Spiritum illuminationis habere vellent, hæc omnia calumniarentur, maledicerent, & blaſphemarent. Accidit inde multos, plures noctes inſomnes ducere, expectareq; apparitiones: contingebatq; multis Luterum apparere in aureo byreto, in holoſerica criſpata veſte more alicuius liberi militis, dicereq; ſibi: Beatus es qui in me credis: nam ſcito per me orbem terræ illuminatum iri. Alijs quoq; apparebant ſpiritus defunctorum, dicentes ipſis, vt ſe Luteraniſmo deuouerent & dederent, eoſque in ſcripturis quibus vtuntur Catholici contra Luterum, inſtruebant: quomodo ſcilicet illæ recte intelligendæ eſſent. Sed erant hæ meræ deceptiones & illuſiones diabolicæ. Nam à Spiritibus obſidebantur. Quod demùm inde deprehenſum eſt clarè. Nam aliqui ex eorum numero Iudæum vel Græcum non viderant, tamen Iudaicè & Græcè legebant: proferebantque

Magiſter Ordinis corraſit ex omnibus Eccleſijs argentum ad ducentas marcas puri argenti, & ante hac ſeptingentas marcas.

Crucigeri ex Pruſſia diſcedunt.

que Luteri libros ex memoria. Hos totus mundus vocabat illuminatos ſpiritu. Sed & nonnulli de his illuminatis, inſanire incipiebant, ligariq; & caſis comprimi neceſſe habebant. Proferebant ijdem, quid hic aut alibi fieret in conuiuijs, aut factum fuiſſet: quomodo Luteri ſcripta quidam non intelligerent, eò quòd ſpiritum integrè non haberent: & quinam ſacerdotum, monachorum & ciuium verè ſpiritum Luteri haberent, & ſimilia ſecretiora. Turbabatur hinc vbique populus, neſciebatq; quid rerum agebatur. Illi verò qui veri Luterani erant, mirificè cœtum ſuum collaudabant. Quærebatur autem communiter, cur, cum multi eſſent Luterani, qui pertinaciter & cum quadam violentia Luteraniſmum ſequerentur, ipſis tamen nihil tale contingeret, ſed ſimplicibus quibuſdam qui magis ſtultitia & curioſitate adducti hæreſi adhærebant. Et licet nunc hoc, nunc illud pro concionibus diceretur, ſolueretúrq; difficultas propoſita: tamen propter conturbationes animorum capi res non poterat: interibantq; multi apud eos talibus ærumnis. Ferebatur communiter, Magiſtrum habiturum conuentum ſuorum ſubditorum pro feſto Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani Martyrum, anni, 1525. nam nollet Polonis herbam porrigere. Poloni verò quid tandem conſtituiſſet animo, omninò reſcire volebant. Nam ſi nollet pactis antiquis ſtare, cogitabant illi Pruſſiam adoriri. Sciebat porrò Gerandus Poijs pſeudoepiſcopus Riſenburgenſis ſuum non permanſurum Epiſcopatum. Quare corraſis practica mirabili pecunijs (nam omnia vaſa Eccleſiæ & ornamenta quorum intuitu hæreſis cœpit, expilata iam erant cum nullo rapientium fructu) apprehenſisq; quæ potuit, ex Pruſſia diſceſſit. Et ſi forte reuerſurus non eſſet, dedit eis pro nouo anno ſequentes articulos, à Germanica natione, vt dicebat, confirmatos: iuxta quos viuerent. Attende iam lector propoſitum & ſenſum viri, qui ſibi in Pruſſia ab Ordine Epiſcopatum pecunijs comparauerat, quomodo deniq; ouibus ſuis præuiderit.

Articuli ſectæ Lutheranæ.

Sunt verò articuli. 1. Hucuſq; ſeptem Sacramenta habuiſtis & obſeruaſtis; hinc deinceps nullum erit præter fidem. 2. Nulla deinceps erit excommunicatio. 3. Nulla deinceps confeſſio fiet Sacerdoti. 4. Nulla deinceps peregrinatio ad ſacra loca inſtituetur. 5. Nulla deinceps proceſſio habebitur. 6. A nullo deinceps campanarum pulſatio nec cantus pro defunctis fiet. 7. Nulla deinceps fiet benedictio aquæ, ſalis, cineris, palmarum, candelarum, nec vſus illorum erit 8. Nulla commemoratio Defunctorum nec trigeſimus aut ſeptimus pro mortuis celebrabitur: nec orabitur pro ipſis. 9. Non erunt etiam alicubi Monachi aut Monachæ, Antonitæ, aut Fratres S. Spiritus, ſed Fratres militares, vt Ordo Teutonicus. 10. Erunt Epiſcopi quidem, ſed Sacerdotem nullum, nullam Eccleſiam, Chriſma, nec oleum benedicent. 11. Nullum deinceps, ferijs ſextis, Sabbatis, Quatuor temporibus iejunium erit: ſed omnibus diebus comedentur carnes. 12. Nullum deinceps Paſcha, Pentecoſtes, Natalis Chriſti, vel Sanctorum feſtus dies erit, præter diem Solis. 13. Nihil deinceps in templis cantabitur, neq; Pſalmi, neq; Salue Regina, aut Regina cœli. 14. Quilibet deinceps Germanicè baptizabit ſine Chriſmate & oleo. 15. Nullum deinceps offertorium aut decimæ ſoluentur. 16. Nullus panis deinceps in Eccleſia ſeruabitur, de quo hactenus dictum eſt, quod in ſe corpus Dei contineat. 17. Non erunt deinceps imagines in Eccleſia, nec in priuatis ædibus. 18. Prohibitiones & mandata compaternitatis deinceps non reputabuntur. 19. Nullæ deinceps erunt fraternitates aut ſodalitia. 20. Nullæ Miſſæ deinceps celebrabuntur. 21. Si quis communicare velit, bene-

benedicat sibi ipsemet panem & vinum & accipiat. 22. Si quis aliquid pro peccatis suis adhibuerit præter fidem, sit maledictus. 23. Idololatria illa in festo Corporis Christi non amplius habebitur. 24. Omnes Monachi & Monachæ vxores & maritos ducent. 25. Tres illi fidei Ordines, nempè, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non seruabuntur præter vnum Deum: neq; de aliquo alio sollicitus reddetur quispiam.

Hic ipse Gerardus conuocarat anno Christi, 1525. pro festo S. Ioannis omnes Sacerdotes hujus Episcopatus: conueneruntq; ij qui sub Duce Prussiæ continebantur ad consessum. Sacerdotes verò de territorio Regiæ Majestatis comparere non debebant: quatuor exceptis, qui veniâ acceptâ illuc se contulerant. Nam non ignorabant illum omnes dictos articulos pro toto Episcopatu ordinaturum. Contigit verò dum pronunciatum iret hæresim, offerri illi mandatum Regium ad manus. Quo mutatus ajebat: dilectissimi Domini, monemus vos in Christo, vt populum veritate prouideatis. Quod fiet, si purum Euangelium prædicaueritis. Sciatis igitur Cærimonias Ecclesiæ obseruare, sicut hactenus obseruatæ sunt. Nam quamuis ante annum articulos aliquot in specie ediderimus in scriptis, hos tamen propter aliquos Dominos nondum illuminatos, reuocamus modò & cassamus. Et hæc quidem agebantur in Synodo, Interrogabant eum ex Sacerdotib9 quidam nunc hoc, nunc illud: quibus respondebat, vt juxta Euangelium se dirigerent: pœnas Synodales nihil esse. De vxoribus ducendis, interrogatus, inquit: Cui est necessaria, faciat prout potest. Inde contigit omnes accipere vxores, quibus id liberet. Cumq; ruriculæ non soluerent decimas aut offertorialia: neq; vice uersa vxorati Sacerdotes prædicabant aut Missas legebant, aut baptisabant, aut prouidebant Sacramentis infirmos: planeq; feralis & syluestris euasit fides. Nam dicebant rustici habere Sacerdotes agros suos, laborare eos oportere sicut ipsos. Et Parochi quidem, qui officia Ecclesiastica intermittebant, operas rusticas facere & censum dare debebant de mansis suis, sicuti alij rustici. Si quis vicissim Sacramentis prouideri cuperet, pecunijs ea soluere tenebatur. Honorificentissimum judicabatur esse id (siquidem Crucigeri scortis vtebantur) vt quilibet vxorem suam haberet. Quare mouebatur etiam Gerardus pseudoepiscopus, ad rem vxoriam; Prætendebat quoq;, quomodo in Acolythum esset ordinatus & necdum in Sacerdotem, nec in Episcopum vnctus: & quidem Ordini jurejurando se astrinxisse, sed tanquam parum rerum expertem. Et cùm ipsi DEus continentiam non dederit, oportere eum ducere vxorem, & juxta mandatum diuinum augere mundum. Circumspiciens igitur, inuenit Trebnicij in Silesia Ducis Troppensis filiam, à triginta octo annis Virginem monialem S. Bernardi professionis, eamq; Abbatissam. Hæc ipsi desponsata fuit per Fridericum Ducem Legnicensem, & ipsam Ducissam. Recedens illa è monasterio, omnia priuilegia ejusdem secum abstulit. Strelæ peragebantur nuptiæ. Viuebaturq; Epicuricè. Genuit ex hac Monacha Gerardus puellulam, quam Risenbergum deductam Græcè & Hebraicè loqui docuit. Ornabatur ejus Camera aulæis Damascenis, holosericis & aureis: quæ parabantur ex cappis, Casulis & alijs Ecclesiasticis vestibus ad honorem DEI collatis. Cùm autem proditio eorum Crucigerorum prodijsset, quibus Albertus vxores & arces dedisset, (nam fama erat eos constituisse arces rursus Ordini velle subdere) occidissetq; ex eis nonnullos: nulli apostatæ quicquam confidit. Itaq; & suos Episcopos suspectos habere cœpit. Propterea Gerardum Risenbergo, Gartzen, Moranga & Rosenberga Ciuitatibus ac Preuschmarca & Salfeldio priuatum, Regiomonti ad Sanctam

Gerardus Episcopus Pomesaniensis ducit Abbatissam in vxorem.

ctam Crucem, vt aliquem leprosum, cum sua Abbatissa detinuit. Ibi, si quid habebant adhuc de furtiuis, de his grecabantur tristi animo. Attamen ex gratia, pro omnibus pecunijs, quas Gerardus illi mutuò dederat, permisit ei Quizinum. Episcopum Sambiensem Georgium, destinauit Magister ad infirmariam S. Mariæ Magdalenæ omnibus rebus sublatis, eumq; ibi tanquam infirmum aliquem aluit. Nec poterat is Principis gratiam rursus assequi, qua de causa, DEus scit, qui hoc in eum fieri permisit. Parochus verò Marieburgensis erat Ioannes Crapitz, reseditq; in Parochia propter offertorialia & votiua quæ habuit supra portam. Concionabatur Luteranam hæresim multosq; in errorem secum traxit. Quamuis Parochus iste non cum suo fructu hic resideret. Nam ipso testante ultra solitas expensas sexaginta marcas eo anno exposuerat. Nec mirum. Nam mulierem palam cum pueris non sine scandalo omnium fouebat. Ibidem quoq; alter concionator alebatur à bonis viris, qui à prandijs sermonem habebat. Hic minimè Luteranam sectam secutus, strenuè pro Catholica fide laborauit. Cui etiam major & melior pars Ciuium adhæsit. Aliàs etiam Marieburgum hac vice Luteranismo infectum fuisset. Hæc author de origine hæresis & ejus promotoribus in Episcopatu Pomesaniensi: postea qua ratione ea coli cœperit in Episcopatu Varmiensi verbis ferè sequentibus narrat.

Hæresis in Episc. Varmiensē irrepsit negligentiâ Fabiani Episc. à Lusien

In Episcopatum Varmiensem hæresis deuenit, neglientiâ Fabiani Episcopi. Nam non obstitit ille amplectentibus sæcularibus hæresim, nec Sacerdotibus vxores ducentibus. Nam dùm non solùm his rebus alij Sacerdotes & Monachi sed etiam sæculares offenderentur, eumq; de omnibus monerent & hortarentur, vt reprimeret tempestiuè irruentem hæresim in suam diœcesim, dixit ille: Luterus doctus est Monachus, fundatamq; habet suam opinionem in scriptura. Si audet quispiam, aggrediatur illum. Si quæ etiam scripta contra Luterum adferrentur, ajebat: Et hic author scribit juxta opinionem suam, & huic credere oportet.

Elbinga deficit à fide.

Et quoniam Elbingæ potissimùm sedem figere hæresis suam visa est, de eo oppido mihi primùm dicendum est. Cùm autem eam Ecclesiam ita Rege volente contra opinionem Ciuium nouus Parochus regere cœpisset, reperit ibidem Sacerdotem penes Ecclesiam munus concionatoris jam per triginta annos exercentem. Hic exponebat Parocho se jam ampliùs tali officio præesse non posse, ex ea potissimùm causa, quòd nouo modo & forma vti nunc in concionibus oporteret, qui anteà in vsu non fuisset. Conuentum est tamen inter illos amice, vt sustineret dictus Concionator prædicationis munus, donec Parochus sibi de alio prouideret. Interim Ciues Elbingenses, qui erant Luterani, concionatorem hunc in suam sententiam pellexerunt. Hic igitur in concionibus omne virus hæreticum ex toto pectore, quod jam conceperat, profudit, eoq; Ciuitatem vehementer infecit. Aderat quidam Alexander Monachus Bernardinus Regiomonto à Luteranis pulsus. Cum hoc igitur Parochus Elbingensis conuentionem fecit, vt conciones faceret à prandijs in sua Parochia Elbingæ: & ea refutaret, in quibus concionator olim suus de manè erraret. Sed verè Monachus iste indoctus erat. Vnde accidit, vt cùm illum errantem redargueret, hic magis & crassiùs quàm prædicator vetus impingeret, Erat & tertius quispiam, qui concionabatur à duodecima hora ad primam. Hic verò qui de manè, à populo communis Monachus concionans ab undecima hora ad duodecimam, Parochi: & qui deniq; à duodecima ad primam in Monasterio, hypocrita appellabatur. Interim concionator ille senex, DEus nouit

vnde

vndè commotus, sese tandem recolligens, à seminando Luteranismo cessauit: pluribusq; verbis in concionibus suis insinuauit, se cum Lutero errasse. Cum igitur Luterani animaduerterent, veterem concionatorem nolle Euangelium calumniatorium Luteri ampliùs disseminare, omne iterùm studium adhibebant, Alexandrum Bernardinum Monachum, Parochi concionatorem in suam partem pertrahendi. Animaduerterunt verò eum esse rudem. Conferebant autem cum eo aliquoties. Et quamuis ipse amplissimis verbis se omnes difficultates ipsis promitteret soluturum, tandem tamen, cùm plures illi indies legerentur, coactus est illis palmam porrigere. Quo illos immensâ lætitiâ exhilarauit. Quamuis hic vteretur dubio modo concionandi. Nam cum diceret, Mariæ cultum potiùs esse damnabilem quàm salutarem: subintelligebat sine fide & charitate. Huic similes plurimas propositiones habuit, vt propterea post discursus de articulis varijs ita concluderet. Fac quod vis. Christus & charitas te saluum faciet. Timebant proindè damnum sibi maius ab illo fieri posse, quàm ab alio quopiam. Quare Alexandro dimisso, Sacerdotem, qui fuerat Parochus nouæ Ciuitatis Elbingensis induxerunt. qui votis eorum respondebat adeò, vt simplicem populum vehementer in errorem induceret: quamuis aliàs ebriosus & idiota esset, concionesq; suas ex libris legeret, ac demùm tam grandia mendacia in scripturam committeret, vt inde ipsimet Luterani erubescerent. Quæ cùm concionator idem emendare conaretur palinodiamq; cantaret, mendaciorum commissorum in scripturam seq; ipsum corrigeret, ac idipsum tandem doctiores Luterani cognoscerent, ab omnibus ludibrio & contemptui habitus est. Cùm ergò Elbingenses ciues constituissent sibi concionatores, quos voluissent, audiuissentque famâ suæ fidei consortium Gedanensium egregium facinus quòd nimirum suæ Ciuitatis Monasteria diripuissent: eorum vestigijs inhærentes idem aggredi tentabant inita inuicem confœderatione. Re intellecta, Monachi clenodia sua in cista occlusa Senatui commendarunt. Quòd vt Luterani cognouerunt, commoto tumultu, Senatum conuenerunt, scireq; ex eo voluerunt, cur ijs inscijs & inconsultis in custodiam thesaurum Monachorum suscepisset? Qui respondit, se hoc ad preces eorum fecisse. Relicto itaq; Senatu, rursus ad Monachos & Monasterium, tanquam à malignis Spiritibus obsessi, ferebantur, id per vim ingredi volentes: sed detinebantur colloquio Monachorum. Dicebant tandem Luterani, vt Monachi ipsos intromitterent. Quod tamen ideò illi non fecerunt, quòd ex aduersarijs plures essent, & ex sola communitate triginta quinq;. Nam ita conuenerant Elbingenses inter se: vt dum aliqui eorum cum Monachis colloquerentur, alij interim Monasterium diriperent. Itaq; non admissi, Luterani sibi viam ad Monasterium vi & puluere tormentario patefacere voluerunt. Quod procul dubio effecissent, nisi deterriti fuissent, eò quòd Monachi eius rei causâ se signum campanâ daturos minarentur. Neq; cùm rursus instarent, intromissi sunt: nisi fortè adesset Senatus. Tunc enim etiam ducentos eorum ingredi posse dicebant: venerunt paulò pòst cum Luteranis duo ex Senatu, in quorum præsentia Luterani cum Monachis expostulabant, cur tanquam proditores inscia communitate thesaurum suum Senatui ad prætorium tradiderint conseruandum, cùm credant illic illum amissum iri. Respondebant Monachi, se magnas gratias habere ipsis quod dicant, thesaurum esse nostrum, & quod nos Senatui eum commendauerimus ad prætorium. Equidem sic se rem habere. Habemus enim, rursus dixerunt mandatum & rescriptum Regium, quo

Gedanum Lutherizat.

quo vult Regia Maiestas, vt in necessitate nostra Senatûs auxilium imploremus. Cum itaq; sciremus ereptum iri nobis res nostras, eas Senatui commendauimus. Cum igitur etiam optima quidem Ciuitas Elbingensis spectabili Senatui ibidem per longissima tempora sua priuilegia & pecunias concredidisset, isq; eidem semper fidem suam sanctè & illibatè conseruauisset, ea fide quoq; eidem res nostras commisimus. Ad hæc alij alia dicebant, præsertim Monachis maledicebant, volebantq; scire & conscribere res monasterij: quod vbi præstiterunt domum abiuêre. Conuocata communitate duodecima die Septembris, conquerebatur Senatus de facta nupera impressione, quærebatque num omnes in eam consensissent? Compertumq; fuit solos Luteranos eius conscios fuisse. Optabant verò omnes videre ea quæ Monachi Senatui concredidissent, ostendebanturq; illis, quibus visis discedebant. Referri verò ad Senatum curarunt Monachi, num adhuc illorum præsentiam laturi essent? Ad quod respondebant Luterani, posse eos discedere, nec opus esse veniam expectare. Alij verò dicebant: à nobis hunc locum non accepêre: nec eos expellere possumus. Ita sedata res fuit: conuentumq; est inter illos Ciues, vt si venirent Monachi petitum Eleemosynam, qui vellet, is eis donaret, qui non, relinqueret: ne quis verò eos sub pœna capitis molestaret. Certum est Luteranos hanc impressionem in monasterium prædæ causâ instituisse. Nam Ciuis quidam, qui cùm hinc nihil reportasset, quod creditori suo solueret, rem totam, frustratus voto suo & spe confessus est. Cùm itaq; res eis in deprædatione Monasterij non successisset, eo ipso die Luterani ad deprædandos Sacerdotes animum adijciebant, & nominatim Canonicos Varmienses designabant. Ibi enim se opimam prædam reperturos sperabant. Cùm verò aliqui censerent Canonicos ex inspe-rato inuadendos: alij more militari indicendum illis bellum, huiusque rei causam iustam prætendere se non posse viderent: sed neq; de futura præda inter se diuidenda conuenirent: atq; insuper Canonici rei admoniti, præsidio militari sibi prouiderent, à proposito suo discesserunt. In fine huius anni instituerunt in horto sagittariorum Luterani lectiones Theologicas. Et quidam Sacerdos apostata legebat Epistolam ad Romanos. Is omnes sententias quas Sanctus Paulus scribit in contumaces & rebelles Christi, eas direxit in Papam & Cardinales. Quo effecit, vt mulieres quæ haberent Germanicos libellos precatorios, & fortè in eis oratiuncula aliqua reperiretur, quam Papa composuisset, aut authoritate sua confirmasset, eam noluerint recitare. Alter lector Lampos dictus, legebat Epistolam Sancti Petri, & quas sententias reperit in hæreticos descriptas, eas Monachis accommodauit: quo auditores inflammauit, & ingemiscere fecit præ desiderio Monachorum trucidandorum: cùm iam anteà eorum res Ecclesiasticæ ex argento direptæ essent: nec quisquam aliquid illis porrigeret. Lectorum istorum studium & conatum in Monachos, prædicatores noui oppidi & veteris plurimùm adiuuabant. Superabat Bernardinus ille, de quo supra dictum est, facilè omnes alios. Nam si unam concionem fecisset more Christiano, tres postea sermones prout instruebant eum Luterani in Monachos acuit. Lampos ille dum auditoribus lectiones prælegeret, aliquando matronas & puellas ita allocutus est. Dilectæ sorores, istæ certè estis per quas cœlum repleri debet. Miseremini jam hu-

jus

jus, quòd jam plus quam ſeptingenti anni effluxerint: à quo tempore multæ animæ perierunt, eò quòd Tyrannus ille Papa Monachis & Monachabus ac Sacerdotibus Matrimonium prohibuerit: illiq; infelicem hanc vitam ſectati fuerint, & ita perierint. Nam DEUM priuarunt honore, dum animis faciendis abſtinuerunt. Cùm verò vos aptæ ſitis ac idoneæ ad rem, nitimini vt mundus repleatur miniſtris Evangelij. Neq; laterem lauit. Nam effecit hoc ſermone multas prægnare puellas ac filios progenitos defectu neceſſariorum languescere & emori. Nam miſellæ puerperæ nihil ad manus habebant, nec quicquam eis ob amorem DEI dabatur, debebantq; toto die propter fruſtulum panis in morem aſini grauiter laborare infantesq; negligere. Ita ſanè emoriebantur hi. Attamen laudabatur id, quòd dum vix expiraſſet infans, alter jam in vtero materno viueret. Conſolabantur ſe invicem ejuſmodi puerperæ, quòd Euangelium de illis diceret; illas beatiores fore in cœlo, quàm omnes Romaniſtas aut Papiſtas. Qui lectiones audiebant (multi verò eorum erant) potiùs in luſu aliquo fuiſſent, quàm ibi: attamen ſuperabant omnem moleſtiam amore Luteri, vtq; exemplo eſſent alijs. Qui poterant, procurabant ſibi libros Luteri: & ante ſe apertos habebant. Si lector locum aliquem citaſſet contra Pontificem Max: & ejus clerum, juſſit eos quoq; inſpicere libros ſuos, vtrum ita eſſet? Inſpicientes igitur inter ſe colloqui cœperunt in modum anſerum confusè. Quo commoti adſtantes, putauerunt, eſſe id verum & unà omnes pronunciarunt: videte Monachi & Sacerdotes nobis ſuffurati ſunt veritatem, & ejus loco nobis inuentiones ſuas repoſuerunt. DEus eos confundat. Sic porrò profecerunt auditores hi in pietate, vt nunquam ſobrij eſſent in conuiuijs ſuis. Canebantq; Miſſas Germanicas. Eorum quidam cùm in oſſorio Eccleſiæ Parochialis Imaginem crucifixi Chriſti vidiſſent, de nocte eam, quæ intacta ibidem ad ſexaginta annos permanſiſſet, per oſſa mortuorum delati, ſuſtulerunt. Putaſne vt honoratiore aliquo loco conſtituerent? Minimè. Nam ad publicam columnam, ad quam malefici cæduntur, eam applicarunt, dormitum ſe conferentes. Et eam quidem Luterani ibidem de manè inuenientes, ingentes riſus excitarunt: Catholici verò ingenti animorum dolore concutiebantur. Hoc cùm ageretur, ne verbum tamen Senatus contra delinquentes muſſitauit. Nam plurimi de ejus numero ad Luteraniſmum inclinabant, & ab illius parte ſtabant. Timebant verò etiam indè tumultum plebejorum: qui quoq; aliundè timebatur, quòd ſcilicet quidam ex Senatu emerent quaſdam res ſecretò & quaſi furtiuè, easq; ad terras Crucigerorum contra Regiam prohibitionem & propriam conuentionem deueherent. Nam indè caritas annonæ in oppido oriebatur. Itaq; Senatus ſe vtriq; parti, Catholicorum ſcilicet & Luteranorum, magis tamen Luteranorum accommodauit: quo intellecto, hi pro beneplacito cum Monachis & ſenioribus agebant. Ceſſerunt itaq; ad eorum partes nonnulli Monachi & Monachæ atq; Sacerdotes omnes, exceptis quinq; ſenibus: eorum verò in vniuerſum erant triginta & vnus. Et quidem his finiebatur annus iſte, 1524. Cùm ex crucifixoribus hominum (ita tunc Crucigeri appellabantur) reſtaret, F. Caſparus Schualmbach Aduocatus Tolckmittenſis, qui nondum aliquod inſigne opus Luteraniſmi deſignarat: anno tamen ſequenti, id eſt, 1525. id intermittere noluit. Et vt ſatisfaceret pio deſiderio ſuo, acceptum profugum Brunsbergenſem

Monachum, jam Diaconum, cantare Missam Germanicam docuit, eiq; cantanti more hæretico, ad altare in nocte Natalis Christi astitit: eiq Parochiam Neukirchensem non procul Tolkmitto contulit, vt ibidem ouiculas pasceret, vt scilicet plenè Luterani euaderent. Missâ hac absolutâ jussi conuiuabantur & potitabant piscatores eorumq; famuli: atq etiam verberibus certabant inuicem. Cùm tamen de percussoribus judicium institueretur, absoluebantur ij, qui dictæ Missæ Germanicæ profugi Parochi se interfuisse testibus comprobare poterant. Verùm alij qui non adfuissent, pecuniâ multabantur. Inter quos repertus est infælix pater noui hujus Sacerdotis, qui quidem satis grauem pœnam soluere debuit. Fuit verò Ciuis Tolckmittensis. Sed & amarè fleuerat cùm videret suum filium tam temerarium opus facere & infideli dignum: cùm ad altare nondum Sacerdos accessisset & Germanicam Missam cecinisset, quod magis ludibrij loco quàm pietatis haberetur. Et dicebatur hoc fecisse F. Casparus instinctu spiritûs. Ideoq; ejus causâ laudabatur plurimùm. Nam dicebant: vix DEO gratiùs opus contingere, quàm si quis faciat Monachum cucullum deserere, vxorem & Missam Germanicè legere & efficere, vt ejus Missæ gratiâ nihil illi offeratur. Offertorium enim illum accipere oportere de manibus proprijs & laboribus ac sudore vultus sui, pro se & suis, vt DEus constituisset. Suillus prorsus hic Sacerdos Elbingam profectus, non paucos sibi similes offendit Ciues promotores suos. Canebat ijs Germanicam vicissim Missam. Eratq; res proclamata quasi maxima aliqua solennitas. Sed tamen inde cedere debebat. Cùm posteà ex ipso sciscitaretur, quid Ælbingæ fecisset? respondit se ex prudentibus simios fecisse: cùm panem pro DEO adorauerint. Venit idem quadam die Dominica ad Parochialem Ecclesiam. Jam post concionem Parochus ad altare accesserat, cùm Suillus ille Sacerdos eum ab altari detrudere conatur, vt Missam Germanicam canat: quem vicissim depulit Parochus. Neq; jam ampliùs apostata jocabatur, sed arreptum gladium in Parochum vibrat, ictum verò auerterunt Ciues, captumq tradiderunt officiali, ille autem carceri. Aderat Pater apostatæ Burgimagister Tolckmittensis, nomine Marcus Bomler, qui fidem suam pro ipso interposuit. Sed nihil impetrauit. Nam ille missus est Heilsbergam ad Cameram obliuionis. Non proprijs tantùm oppidum Elbingense scatebat Monachis & Sacerdotibus Apostatis, sed & alienis: quorum alij ministri eorum fiebant: alij conciues etiam. Ex quorum numero erat Guardianus Bonauentura Tideck dictus. Sed quomodo id actum sit, author Grunauius sic narrat.

Bonauentura Tideck,

Anno, 1524. Cùm Mauritius Episcopus putaret sua lenitate se posse hæresim supprimere, Diabolus in barbam Episcopi tale quoddam facinus Elbingæ operatus est. Erat ciuis quispiam Elbingensis Martinus Tideck dictus Tolckmitto oriundus, professione aurifaber: adeò primis temporibus locuples, ut ejus vxor, si quando vellet piscem emere, priùs haberet opus quidpiam ex supellectili vendere. In hac extrema sua necessitate recursum ad Bonauenturam Guardianum Neuburgensem fratrem suum habebat: undè plurimùm cœpit ditescere. Et cùm jam exordium hæresis caperet, cupiebat Martinus fratrem suum cappa & cucullo exuere, etiamsi, vt glorianter dicebat, causâ ejus personæ mille marcas exponere deberet. Sciebant verò alij, illum ex labore suo has opes tàm breui tempore non

fuisse

fuisse assecutum. Interim accidit venire Bonauenturam Guardianum Elbingam, secumq; aduehere non exiguos sumptus, vnde posset viuere. Qui etiam ibidem cum suo & aliorum tripudio cappam abjecit, & pedibus conculcauit. Induit verò illum Martinus frater pretiosis vestibus, vocauitq; eum Nobilem siue Dominum Ioannem Tidecum. Neq; pauci Guardianum cum tempore secuti sunt, qui authores erant tantorum mendaciorum & impudentiarum, vt ipsimet dicerent ad alios, Elbingenses hisce fidem adhibentes verè delirare, Cùm ergò frater fratrem repentè in Junckerum mutasset, cupiebat Guardianus vxorem: gloriabaturq; in tribus millibus marcarum. Desponsari verò percupiebat cum aliqua matronarum, quæ pro nobis Sacerdotibus studuissent. Sed hæ nauseam ab eo habebant. Erat aliqua institrix, hanc ille muneribus & pretio vicit, peractisq; cum ea sponsalijs, sponsæ quadringentas marcas dedit. Postulabat post hæc jus ciuicum, quod ei denegabatur, hac quidem ratione. Nam constaret omnibus illum fuisse Monachum & sanè Guardianum Adferret primùm testimonium, quòd deponere cappam possit. Nam adhuc cappam Luterus deportaret: attestationem quoq; secum adferret rationum redditarum officij: velle se deniq; consulere Regiam Majestatem, quid in hac re opus facto esset: expectaret optatum responsum. His ille cadebat animo. Sed vel maximè angebatur, quòd sponsam carnaliter non cognouisset: potissimùm cum audiuisset, copulationes Monachorum ab Episcopo fuisse prohibitas. Idcirco ad conuiuium inuitauit Monachos & Sacerdotes apostatas, atq; alios hæreticos, qui persuaderent sponsæ, non esse illis opus copulatione solenni, sed esse eam inuentionem Papisticam offertorij & congiarij causâ. Et siquidem sponsus & sponsa non haberent fauorem Papisticum, sufficere ipsis, vt ascendant super sanctum Euangelium & promittant sibi Matrimonium, & vt præstarent sibi debita conjugalia. Quod quidem postquam perfecissent, discedebant. Et vti gloriabatur sponsus, sponsaq; subridebat, & ancilla contestabatur, quadam nocte conuenerant tentantes se inuicem, vtrum ipse castratus esset. Lætabantur verò plurimùm Luterani, quòd contra Episcopi prohibitionem nuptias Euangelicas conciliassent. Episcopus enim scripserat Senatui, ne Matrimonium tale admitterent siuè priuatim siue in Ecclesia publicè. Quod quidem rescriptum vocato ad se Guardiano Senatus exposuit, ille verò respondit: Episcopo nullum negotium secum esse. Prouocare se ad Euangelium Christianum, quod sibi vxorem permittit, & meretrices prohibet, quales ejus Sacerdotes fouerent. Jamq; aderat dies nuptiarum. Cumq; sponsus vigore ciuilium statutorum inuitare deberet hospites pro numero sex scutellarum, inuitauit ille pro viginti sex scutellis conuiuas. Procedentem porrò ad Ecclesiam Guardianum ejus frater ab vno latere: ab altero prior Heiligebeilensis, qui eâdem horâ superuenerat apostata factus, comitabantur. Alij præcincti gladijs procedebant. Cùm constitissent in Ecclesia, dicebat Luteranus concionator Capellano; copula tu istos, & præter hos, neminem. Alij, si nollet, Capellano mortem minabantur. Tum dicebat Capellanus: ego vos quidem conjungo, sed non juxta meam voluntatem. Fingebantur hæc verò, & ad oculum fiebant. Nam Capellanus pretio corruptus jam antè, copulationem ipsis promiserat. Missus est tamen ejus rei gratiâ Heilsbergam à Parocho. Duos istos antesignanos suos, id est Guardianum Neuburgensem &

 priorem

priorem Heiligebeilensem Ordinis sui siue Monasterij Fratres, plurimi in apostasia secuti sunt. Talibus quidem nebulonibus ornabatur Ciuitas Elbingensis, ita vt inde pararetur prouerbium, nam cùm alter alteri diceret: nequam es. Respondit hic: etsi nequam sim, tamen valeo pro institore Elbingensi. Alludebant scilicet, quòd Guardianus institricem accipiendo in vxorem, institor factus sit Elbingensis. Decreuit verò is non multò pòst in bonis: habebatq; coadjutores: (conjux enim ejus in meretricem abijt,) ciuile jus affectus. Mauritius Episcopus non solùm prohibuerat copulari apostatas, sed etiam serio mandato vetuerat in Episcopatu suo ipsam sectam Luteranam: sed quòd jam ea plurimùm inualuerit ante illum, serò id fecisse visus est. Literis etiam egit cum Georgio Sambiensium Episcopo, postulauitq; ab eo, ne permitteret infici ouiculas suas lue hæresis apostatarum: se rursus vicinitatis jura sarta tecta seruaturum. Sed frustra. Qua verò ratione ejus Ciuitates Brunsberga, Guttstadium & Vormditum hæresi infectæ fuerint, superiùs dictum est: & de Brunsberga inferiùs pluribus.

Mathias Drzewitzki Episc. Vladislaviensis.

Sed audiamus tandem quid scribat Grunauius de mutatione religionis Ciuitatis Gedanensis. Fuit, inquit, his infœlicissimis temporibus Luteranismi Vladislauiæ Episcopus Matthias Drzewitzki, cuius Iurisdictio etiam Gedanum, Lauenburgum, & Insulam Stoblauiensem comprehendit. Is egregiè se contra hæresim defendit: ac quendam officialem Gedani ordinauit. Nec deerat iste officio suo. Sed remisit tandem feruorem, ita vt nec verbum auderet alicui dicere. In barbam igitur eius, Sacerdotes vxores ducebant. Alij etiam scortis adhærebant. Hos quidem ille mulctabat pecunijs; sed eos qui cum Luteranis conuersationem instituerant, intactos relinquere cogebatur. Cùm hæc intellexisset Episcopus, venit ipse Gedanum, congregauitq; Sacerdotes, ac eis paternè hæresim dissuasit ex scripturis sacris, adeò, vt conjurarent de deserenda hæresi. Verùm jusjurandum tàm diu obseruarunt, donec Episcopus recessisset. Quidam ex illis præsentem Episcopum interrogabat: an omninò contra Euangelium esset, si Sacerdos pro necessitate corporis sui vxorem legitimam duceret? Respondit; omninò. Et tu votum tuum seruare teneris. Nam certè non fuisti puer, cùm in Sacerdotem consecrareris. Credibilius est, cùm de necessitate corporis quæras, te pluries scorta expertum esse, quàm septem Psalmos Pœnitentiales orasse. Cùm videres te non posse castè viuere, quis coëgit te Sacerdotem fieri? Cùm is jam verò factus fueris, facere debes sicut aliquis vir honestus facit. Nam si contingat eum propter negotia sua vnum aut tres annos, plus aut minus, ab vxore sua abesse, propter fidem illi semel datam, se continet. Sic etiam te cogitare oportet. Vide, ne fortè meretrices ingrediantur in regnum cœlorum, & tu minimè. Velis etiam hujus meminisse, inquit Episcopus, quòd cùm Dominus discipulos suos susciperet, illis dixerit: Qui non renunciauerit patri aut matri suæ, aut vxori, non est me dignus. His dictis, abibat. Et quidem primus Concionator Luteranus Gedanensis fuit Doctor Jacobus Finckenblock. Porrò, cœperunt Carmelitæ Gedanenses Luteranam hæresim prædicare, confluebatq; ad eos audiendos maxima multitudo auditorum: quiq; anteà nondum eâ infecti erant, tùm demùm venenum acceperunt. Etsi verò id facerent Carmelitæ, tamen inde nullam gratiam aut commodum reportarunt. Nam Luterani persequebantur illos nihilominus postmodùm,

Carmelitæ Gedani hæresim prædicant

dùm, & ab omnibus risui habebantur. Vt verò Matthias Episcopus cognouit, quomodo agerent sui Sacerdotes, Gedanum adscito sibi Archiepiscopo Gnesnensi redijt, captiuumq; ibidem accepit Luteranum quendam Magistrum & prædicatorem ejus sectæ talem, qualis fortè, non reperiretur intra triginta milliaria, idiotam planè scilicet. Is enim cùm prædicaret Euangelium Matthæi, vbi Euangelista narrat Christum iussisse vt soluerent asinam discipuli, eamq; ad se ducerent: exposuit illud, soluite, non pro enodanda asina, sed pro certa pecunia siue grossis conducenda, vt liceret Christo in ea sedere. Eum igitur, cùm Episcopus curasset in aliqua Camera Parochiæ occludi, ad audiendam Missam se ad Ecclesiam contulit: qua expedita, cum eo conferre voluit, eiusq; doctrinam experiri. Interim per fenestram locutus sacerdos exposuit nauticis hominibus, quàm grauem pateretur incarcerationem: mittendumq; inde se aiebat pro nocte in Poloniam. Congregati mox ad hæc trecenti eiusmodi generis viri expectabant Episcopum; egredientemq; de Ecclesia inter templum & parochiam contumelijs & blasphemijs cœperunt lacessere. Ille verò iter suum in silentio prosequebatur. Cùm verò januam Parochiæ ingrederetur, duas secures & gladiolos tres in eum à tergo vibrarunt, qui januæ inhæserunt. Volentes ingredi Parochiam & internecioni dare quicquid reperirent, à duobus Burgimagistris impediti sunt. Egerunt hi, & eo deniq; rem deduxerunt, vt rudis hic Sacerdos dimitteretur. Discesserunt verò eodem die Episcopi, nemine salutato. Hæc cum sacra Regia Maiestas edocta fuisset, rescripsit Gedanensibus horum illos gratias habituros, nisi id fortè Deus impediret. Cùm posthæc nunc pauciores nunc plures Gedanenses mercatores per Poloniam, Posnaniam, aut Vratislauiam proficiscerentur, à Polonis tanquam hæretici trucidabantur. Hoc vt alij intellexerunt, prodire non ausi, domi se continebant rogabantq; Senatum, vt negotium quàm primùm componeret, nisi velint contra se tumultum experiri. Et profectò antesignanos & præcipuos Luteranismi comprehenderant fortuitò Poloni & occiderant. Vt non deesset officio suo Senatus, ab Episcopo commissorum veniam & gratiam petiuit. A quo rursus postulauit tradi sibi, non tamen neci subijciendos sequentes sacerdotes & Monachos: Iacobum Finckenblock, Iacobum Molnerum prædicatorem ad Dominam nostram, Iacobum Libentahl prædicatorem ad S. Iacobum: & Monachum Carmelitanum scholasticum. Quòd cùm facere recusarent Gedanenses, Episcopus dixit: Nuntios abire posse domum, & meminisse illatarum injuriarum. Monitus deindè Officialis Gedanensis periculi, vrbe excessit. Creuit post hæc in immensum hæresis, cogitabaturq; id vnicè vt diriperentur Ecclesiæ & Monasteria. Et cùm hoc anno Monachali, 1524. Gedanenses Luterani lusum suum cum Monasterijs intra Ciuitatem habuissent, iam animum ad campestria vicina spolianda adijciebant: potissimùm aggredi volebant Carthusiam, quæ opulenta esse dicebatur: eò quòd elocasset pecunias Nobilibus Pomerellis quibusdam proximo bello exhaustis in censum: tum egentibus ciuibus pro clenodijs argenteis oppignoratis. Iam igitur ij, quorum parentes argentum suum oppignorassent Carthusiæ, extra ciuitatem processerunt spe recuperandi pignoris, & decies tantum quantum pignus valeret. Conuenerant quoq; cum his ex nobilitate Pomerellica & Cassubiensi circiter ducenti equites, vt Carthusiam, Pelplinum, Oliuam,

Hæresis Gedani cingitur.

Tumultus Gedani contra Episcopũ.

1524 Annus Monachalis.

 liuam,

liuam, Suchouiam & Zartouiciam intra diem & noctem vnam diriperent. Sed alij ex nobilibus tardiores erant, & quidem in tertium primùm diem. Dum itaq; morantur Nobiles, Pelplinenses Monachi Stargartam: Oliuenses Dersaviam bona sua auexerunt. Virgines Succauienses & Zartouicenses pro præsidio suorum Monasteriorum suos rusticos adhibuerunt, & sic sibi prouiderunt. *Carthusia spoliatur.* Carthusiani verò confisi suis vicinis quos pecuniâ commodatâ sibi deuinctos putabant, securi Monasterium nullo præsidio munierant. Irruentibus itaq; quadam die summo manè centum equitibus in Monasterium, debebant aperire & patefacere omnes januas. Cumq; deprædatores pecunias & argentum multum se inuenturos sperarent, præter septem calices & septuaginta vnamq; marcas, plures non repererunt. Quibus sublatis, Priorem & Oeconomum atrocibus tormentis subiecerunt. *Carthusiani torquentur.* Nam igni adurebant eos atq; setaceis funiculis circa loca genitalia afficiebant: instantes seriò vt confiterentur, quo loco thesaurum defodissent. Negabant Patres quidpiam superesse domi, quàm ipsi sustulissent. Postquàm verò omnes Monachos varijs torsionibus subiecissent, omnem supellectilem, quam comprehendere & auehere poterant abduxerunt secum. Adusti Pater Prior & Oeconomus delati Gedanum curabantur. Sed tamen Pater ex vulneribus obijt. Sic res conquieuit. Primus porrò Luteranus Concionator Gedanensis D. Iacobus Finckenblock, vt hoc ipso exemplum reliquis daret, insigne quoddam scortum in Matrimonium accepit Schiteschöttel dictam. Ægrè tulit id valde Senatus. Cùm igitur minister hic ad thalamum cum charissima sua sponsa deductus esset, à Senatu saccus ei missus est cum mandato, vt oppido discederet manè, nec ampliùs rediret nisi vellet vti hoc sacco pro funerali indusio. Nam in sacco mittendus esset in Motlauiam fluuium satis profundum, in quo naues onerariæ quater centenarum lastarum fundum non attingerent. Ob tale acceptum nuntium, ille de mane conuersos suos, qui adhuc pauci erant, accessit, eorumque auxilia implorauit. Cui illi responderunt, se nunc ei operâ suâ adesse non posse. Nam contra Euangelium esset, quòd Sacerdos communem meretricem Matrimonio sibi jungeret. Datis verò ei pecunijs, miserunt illum Vitebergam, vt rectam à Lutero ipso instructionem caperet. Quò etiam se contulit. Dabat ibidem operam suam nunc huic nunc alteri tabernæ, progrediebaturq; ab vno scelere ad aliud, remanente Schitelschöttela Gedani. *Finckenblock.* Quod verò Finckenblock is Doctor diceretur, huius causa hæc erat. Hic puer viginti annorum, cùm Elbingæ in scholis versaretur, aliquando poti & ebrij ac dormientis ciuis peram argento ornatam, quæq; contineret annulos aureos ac alias pecunias in marcis quinquaginta duabus à cingulo abstulit. Prodente illum cum tempore pera, comprehensus carceri mancipatus est. Consumpserat puer ex pecunijs vndecim marcas, cùm vir ille peram reciperet cum reliquo ære & alijs. Nihilominus pro more juris Elbingensis ei intimabatur, vt se pararet ad patibulum. In his angustijs dum esset, votum emisit Deo de amplectendo Sacerdotio. Quamobrem ij quorum intererat, eum vitâ donabant. Ne tamen diminuerent jus suum judices, scamnum ante arborem, hoc est, ante confessum suum, septum collocari mandarunt. (Est verò illud scamnum in quo castigantur virgis, qui eas meriti sunt & nomen Finckenblock habet) ac in eo is etiam cæsus est, & dato ei schoto, id

est,

est, quindecim nummis, ad suos dimissus. Cum is Vitenbergæ fuit, inter eos repertus est, qui monetam adulterabant: cuius quidem causâ quærebatur, sed elapsus euasit.

Interim adeò aucti sunt Luterani in vrbe Gedanensi, vt etiam sibi proprium Senatum crearent, ac alios viginti quatuor viros qui diligenter attenderent, si quid à Monachis & Sacerdotibus contra tenorem Euangelij Luterani ageretur. Cum verò audirent Apostolum suum Dominum Finckenblock in exilio vivere, viribus & potentiæ suæ confisi Gedanenses Luterani, illi, vt Stolpam veniret per nuntium significarunt, illicq; expectaret currum. Et vt in hoc negotio molestiam & odium Monachis conflarent hac arte, illis ne quidem tale suspicantibus, vsi sunt. Vtebantur Luterani benè amicis Catholicis. Hos illi precibus adegerunt, vt quasdam res pro vsu suo à Monachis impetrarent ad tempus. Et sic alter Catholicorum absq; fraude doloq; suo à nigris Monachis equos, alter ab ijsdem currum: tertius à Franciscanis seruum impetrauit in vsum suorum amicorum. Horum igitur operâ Doctor Finckenblock Gedanum rursus Stolpâ reductus fuit. Cum verò istum præsentem Senatus Regiæ Majestatis esse animaduertisset, conuocatis quibusdam Luteranis exposuit, quomodo ausi essent hominem ejectum in Ciuitatem reducere? Responderunt, se hoc non fecisse: sed idola eorum Monachos illos, qui nec diuina nec humana mandata curarent. Hi illum contributione in communi facta reduxissent. Vocati verò Monachi & à Senatu examinati, rei seriem exposuerunt, seq; deceptos ajebant. Quibus auditis Senatus Doctori Finckenblock præcepit vrbe excedere eo ipso die cum scorto suo Schiteschöttel, sub pœna intentati sacci. Sed Luterani eo die circiter, 500. congregati, pulsari curarunt maiorem campanam, & cum magna solennitate Doctorem Finckenblock ad Sanctam Mariam in ambone ipsâ duodecimâ horâ statuerunt, mandantes ei Euangelium prædicare, sicut ei illud Luterus prælegisset. Quod ipsis se quoq; facturum recepit. Et in hunc quidem modum totum sermonem tunc contexuit. Iudas inquiens proditor Christi, triginta argenteis acceptis eum in manus Iudæorum & gentilium tradidit. Sed deteriores illo sunt Monachi & Sacerdotes. Nam hi acceptis etiam octodecim denarijs cupreis, Christum expendunt in Missis. Ita quidem ille doctoratum suum confirmabat. Post hunc mox venit Amandus Regiomontanorum primus Apostolus, de quo supra dixi. Gratissimus is fuit Gedanensibus eis, qui interitum Senatûs quærebant. Hi sæpiùs illum visitabant, agebatq; cum illis, quomodo Senatui obesse posset, si quæ modò ei Ecclesia quæpiam concederetur. Qua occasione conspirationem inuicem inierunt. Et Amandus quidem auscultabat diligentissimè omnes Luteranos prædicatores eosq; hæreseos arguit: eò quod palliarent Luteri doctrinam & simularent propter gratiam reticerentq; nucleum Euangelij: quo ipsos maiores proditores contemptibilioresq; Monachis fecit. Nam furarentur veritatem. Perpendebat hæc Senatus Luteranus exactiùs, volebatq; Amando prædicatori veritatis Ecclesiam S. Ioannis cum tempore committere, vt cum eidem assueuisset populus, ipsi totam vrbem commendarent. Hoc anteuertere cupiebant honesti viri Catholici nominis, Ecclesiæ S. Ioannis Parochiani: congregati enim circiter ducenti eorum, Senatum adierunt, eiq; exposuerunt; quòd si eos cuperet esse ciues Gedanenses, vt permitteret Ecclesiam suam Catholicam: satis iam incrementi hæresim conniuentiâ accepisse. Omninò nolle habere concionatorem in sua Ecclesia. Et si fortè hoc casu aliquid aduersarij tentarent, vim vi repellere licere: cade-

Dolus Gedanensium.

Amandus Apostata pellitur Gedano.

caderet res vt posset. Libenter hoc amplexus Senatus, ad Amandum ipsâ horâ conuiuio, quod celebrabat Carthusianus quispiam, præsentem: qui diceret ei, vt sub pœna capitis vrbe excederet, & nemini loqueretur, aderatq; paratus auriga, qui eum in Pomeraniam deuexit. Præuenerunt verò eum Cassubij, omnibusq; spoliatum coëgerunt pedes ire iuxta Euangelium cum vxore ministra.

Extitit & alibi tumultus Gedani, Matthia Carmelitano Monacho authore, qui primus ex suo Monasterio Luteranam sectam Gedani pro concione exposuerat. Is duxerat Virginem in vxorem, & docebat ad Sanctam Catharinam. Virgo ista sanguine iuncta erat Petro König præcipuo Luterano Gedanensi. Post nuptias inter coniuges nouos cœpit discordia oriri. Nam Matthias de virginitate suspectam habuit vxorem. Ipsa verò defendit pudorem suum, eò quòd boni viri scirent, se sertum continuò deportasse. Res delata fuit ad senatum Luteranum. Dicebat verò Mathias, inter se & illam non esse matrimonium, cùm virgo non fuerit: nam Sacerdos debet esse vnicus vir vxoris. Sciscitabantur ex Mathia, quomodo sciret non fuisse virginem? Tunc ille, inquit: cum expertus sim hoc anno rem cum virginibus pluribus: vtique oportet me nosse discrimen inter virginem & quæ experta fuisset virum. Cognatæ verò suæ defensionem suscipiens Petrus: per fidem meam, inquit, consanguineam meam in vxorem retinebis, vel te excommunicari faciam in omnibus portis. Sic quidem illos vniuit: attamen Matthias respuit & deseruit meretricem. Sed viciſſim Matthias ab omnibus despectus est. Hæc ex authore Grunauio de ortu & propagatione hæresis Luteranæ in Prussia, dicta sufficiant. Oportet me verò ex eodem adferre, quæ consuetudines veteres ac optimæ per hæresim apud Luteranos abrogatæ fuerint, tùm quales ærumnæ hæresi introducta & bonis consuetudinibus extinctis in Prussia extiterint.

Consuetudines piæ abolitæ.

Iam ab initio Prussi ad honorem & cultum diuinum sua conferre libenter consueuerant. Quod vel solùm patet ex Monasterijs Ordinis Prædicatorum magnificè ædificatis: quæ sarta tecta modò difficulter conseruari possunt. Familia præterea, qualis qualis fortunæ illa esset, fundabat altare in honorem DEI: religiosisq; viris annuam Eleemosynam ad eorum sustentationem largiebatur, & vt perindè mendici permanerent. Similiter quoq; alijs Ecclesijs præstò eleemosynis adfuêre: dicente Christo, date, & dabitur vobis. Quæ profusa largitas ad primum ortum hæreseos in populo fluere destitit. Rursus verò viciſſim sensibiliter eorum studijs contraria fuerunt elementa: ita ut ad egestatem, ut postea dicemus, redigerentur. II. Vitâ defunctos pro facultatibus cum vigilijs, pulsu campanarum, Missis, elargitione panis & cereuisiæ atq; aliorum obsoniorum vestiumq; collatione pro pauperibus domesticis & mendicis, terræ Prussi demandarunt. Rursus redeunte anno sepulturæ, instituebant balnea: quo etiam tempore largiter pauperibus panis albus ac cereuisia, vt DEUM pro piè demortuis orarent. In Ecclesia canebantur Psalteria, Vigiliæ, & Missæ, vt quispiam voluit, & per facultates ei licuit. Ad minus orabatur diebus Dominicis è suggestu in Ecclesia pro Defuncto, quam diu placuit. Fieri etiam curabant Iesu Crucifixi Imagines, easq; depictas coloribus supra sepulchra pro memoria Defunctorum statuebant. Hæ commemorationes & pia exercitia pro Defunctis citò citiùs ad furorem hæresis Luteranæ obliuione obliterabantur. III. Inseruire Sacerdoti sacra facienti ad altare honorificentiſſimum officium credebatur in Prussia, sicuti reuera semper fuit, & est: Operam igitur dabant maximam, immò contendebant

cum

cum lætitia quotidiè Sacerdoti ſacra operanti adeſſe. Vt verò Luterani miniſtrantibus cognomina imponere inceperunt, iſti mox deterriti deſiſtebant à pio opere. IV. Non niſi audita Miſſa opus quodcunq; aggrediebantur Pruſſi. In quem finem in ſingulis oppidis quotidiè ante portarum apertionem canebatur Miſſa matura: cui aderant, qui longiùs aut propè proficiſci cuperent, aut quoſuis alios labores ſubire. Hiſce ſimiles Miſſæ ſucceſſerunt. Nam ſocietates frequentes erant: & in qua vel decem perſonæ fuiſſent, Sacerdotem alebant, cuius rei cauſa prouerbij loco ore omnium dicebatur: Non pauperaſcere eum, qui Eleemoſynam præſtaret: nec eum quicquam negligere, qui Miſſam audiret. Sed hæc deuotio ad aduentum doctrinæ Luteranæ ceſſauit: ita vt iam pauci reperirentur, qui rectè de Miſſa ſentirent. Diſcernebatur verò à Luterano Catholicus Roſario vel libello precum, quem gerebat manibus: vel deniq; auditione Miſſæ. Quòd verò Miſſæ deficerent, non ſolùm id Luteri ſcripta efficiebant, quæ illas fieri prohibebant, ſed erant aliæ propinquiores causæ. Et prima quidem quòd Sacerdotum ſolarium de vſuris ſolueretur: nempè, de centum marcis, duodecim. Igitur, qui tales cenſus ſoluebant, cùm capitalem aliquoties contigiſſet ſolui, rei indignitate commoti, iam indignabantur: præſertim quòd in uſum Miſſæ cederent, cuius negotium iam propè agonizabat, vt ferebatur. Tum quòd ijs res grauiùs accideret, qui ſoluendo non erant. Nam horum ſupellex tollebatur. Ad hæc Sacerdotes ſuis obligationibus non reſpondebant, prout tenebantur, frequenter eas negligentes. Perſoluebant enim Votiuas loco illius Miſſæ ad quam nomine beneficij tenebantur & pro ſingulis ſingulos groſſos percipiebant. Diteſcentes itaq; Sacerdotes ciuibus pecunias mutuò dabant, pro fœnore pacti menſam per annum ſine præiudicio ſummæ capitalis. Inde ſuperbire ijdem Sacerdotes cœperunt. Deportabant enim veſtes vulpibus ſubductas, marturinos pileos, ex aluta caligas, thoraces foraminoſos ſiue concilos more militum: nonnulli etiam gladium ad latus: plerumq; ebrij & inſani, luſores chartarum, inuerecundiq;. Erant hi plerumq; Sileſitæ, Luſacij, Francones, Vogtlandi & ſimilium nationum. Nam habebantur in Pruſſia ex liberalitate piorum hominum non ignobiles ſanè Academiæ: quarum fama exciti exteri adoleſcentes aduenìebant, qui pauliſper hic commorati, Spirituales parentes, vt vocant, ſibi conquiſiuerunt: Sacerdotiaq; non propter Chriſtum ſed pecuniæ causâ amplexi ſunt. Qui pro fœnore menſam pacti non erant, ſuper argento pecunias dederunt. Facti deinceps familiares ciuium, cum eis conuiuabantur, æqualesq; hauſtus faciebant. Blaſphemabant vulnera Chriſti, eius paſſionem, Sacramenta atq; elementa: dediti luſui orbiculario. Ita ſanè aſſueti non orabant horas Canonicas. Siq; placuiſſet per hebdomadam, Miſſam vnam venatoriam, id eſt, præproperam, legerunt: alijs in gratiam formoſarum mulierum, ſine præjudicio ſuorum beneficiorum, prætermiſſis. Quem morem quoq; Sacerdotes indigenæ, id eſt, Pruſſici, aſſumpſerunt. Contemnebant hinc externi ſiue exotici Sacerdotes, quorum fortunæ tamen prouenerant ab incolis, ciues, illisq; paupertatem exprobrabant apud ſcyphos: vnde occulta odia & contemptus omnium Sacerdotum naſcebantur: Epiſcopis & Capitularibus ad tales inſolentias Sacerdotum, quaſi dormientibus. Adueniente igitur hæreſi Luterana & docente: Omnes Chriſtianos eſſe æquè Sacerdotes: nihil eſſe Miſſam, ſed Sacerdotes oportere habere vxores. Nam Deus præcepiſſet mundum per procreationem filiorum replere non Sacerdotes aut Monachos fieri: facilè Miſſæ in contemptum cum Sacerdotibus,

abiue-

abiuerunt: maximè cum Prussi antea & nunc viderent, Sacerdotes maiorem animum adhibuisse liberis gignendis, quàm Missis legendis. V. Ad matutinàs preces Prussi diebus Dominicis & Sanctorum, manè surgebant, orationes suas & laudes Deo persoluturi. Neq; cuiquam aut cibum aut potum ante horam duodecimam sub pœna graui vendere licuit: nisi id summa alicuius necessitas expostulasset. Cùm verò Luteranismus incepisses, tunc temporis se cubitum primùm maior pars contulit, cùm surgendum esset ad matutinum, neq; eo die Ecclesiam vidit: sed eius loco de manè ad crematum vel medonem, aut per integrum diem ad cereuisiam desudabant. Qui templum frequentaret concionibusq; interesset, is hypocrita censebatur. Ita sanè in vitijs dies festi expendebantur. VI. Non extremo cultu obseruabantur in Prussia ab initio Sancti Dei. Inter alias obseruationes erga illos, habebatur in arcibus singulis vel Capella consecrata, vel ad minus altare in honorem Sanctæ Annæ, Matris beatissimæ Virginis Mariæ: quam ferijs tertijs honorabant, quo quis modo nouit: etiam saltem tribus candelis in eius honorem accensis. Hæc verè pia consuetudo interijt tunc quando Ioannis Hussij hæresis in Prussia vigebat: jacebatq; sepulta obliuione in annum ferè, 1489. quo, die S. Annæ celebri maximæ tempestates & tonitrua orta Prussiam terruerunt, rebusq; illius multa damna intulerunt ac nulla ratione conquiescere & consopiri quibant, donec Prussi denuò vouissent, se S. Annam die festo honoraturos. Ad quod votum in momento tempestas resedit. Honorabatur verò deuotione magna Christus per auiam suam. A qua veneratione ad hæresim irruentem major pars destitit. Neq; parentes soli venerabantur Sanctos, sed quoq; filios parvulos ad honorandos eos hac via induxerunt, cum illis persuaderent jejunia. Neq; hæc eos peracturos gratis. Nam fore vt is Sanctus, pro cujus veneratione jejunaverint, eis etiam dormientibus vesticulam nouam; aut pecuniam daturus sit: si etiam scutellulam eum in finem statuerent in loco aperto. Persuasi sic pueri, spe muneris, etiam per totum diem vsq; ad vesperam neq; edebant neq; bibebant. Interim suo tempore operabantur parentes ipsi, quæ filiolis nomine Sancti promiserant. Quæ dona vbi pueri de manè reperissent, deuotionem erga talem Sanctum & optimam persuasionem, vt par erat, conceperunt. Luterani verò effecti, contrario stratagemate inuento à veneratione Sanctorum absterruerunt. Nam postquam eos promissione insigni ad abstinentiam adduxissent, in vascula eorum stercus immiserunt. Quod vt pueri repererunt, Sanctos maledictis incessere cœperunt, quòd suis votis & labori non benè responderint; ridentibus parentibus, & honorationem Sanctorum quasi inanem, ac jejunia vltra dissuadentibus. VII. Ferijs quintis per hebdomadam cantabatur Missa de corpore Christi portabaturq; in honorificè & cum accensis candelis à Ciuibus deducebatur. Hanc consuetudinem penitus abrogarant Luterani Et vt eam tollerent, fabulam de Eucharistia sacra, vel potius blasphemiam contra DEum ex cerebro suo confingebant. Nam ajebant, vti trinus DEus est in personis, ita Romanistæ habent tres DEos. Vnum diuitem, & hic esset Pater, qui feratur in Monstratorijs argenteis & aureis cum cantu & campanarum sonitu ac cum omni Majestate. Alterum DEum haberent pauperem: is esset Filius. Qui etiam voluisset pauperrimam vitam agere in terris, quiq; sæpè pauperes visitasset. Hic cum parua veneratione feratur ad pauperes infirmos. Tertium DEum proximo egentiorem. Is esset Spiritus Sanctus; Hunc protrudi in peram coriaceam, & deferri ad pagos & rusticos sine cantu & luminibus.

Tempestas die S. Annæ.

IX.

IX. Prussi veri Mariæ Virginis serui & Ministri per Aduentum singulis diebus, horâ quintâ manè incipiendo vsque ad sextam Missam de eadem Virgine cum varijs hymnis, Prosis atque Antiphonis festiuè decantarunt. Quisquis huic non adfuisset, non poterat eo die esse lætus. Prætereà per Quadragesimam à quarta hora promeridiana vsq; ad quintam decantabatur Antiphona, *Salve Regina* cum pulcherrimis sequentijs, hymnis, responsorijs & alijs Antiphonis intermixtis aptè. Planè Angelica hæc deuotio erat. Quas cantiones in quibusdam oppidis Ciues ipsi, in alijs scholares pueri depromebant alternatim cum Organis: quæ res gratissima deuoto populo accidit. Excitabantur etiam Ciues certis anni temporibus ad recitandum Rosarium beatissimæ Virginis. Nec quisquam tam deses repertus est, qui illud vel saltem semel per hebdomadam non recitasset. Deuotio hæc erga Sanctam Mariam adueniente hæresi irrisa & contempta fuit adeo, vt fortis & constantis viri nomen acceperit, qui in præsentia Luteranorum hujus rei ergò non erubuisset. Nemo enim credet quàm potenter & proteruè Luterani omnia egerint.

Introducta hæresi in Prussiam & eliminatis ex eadem pietatis exercitijs, immensæ ærumnæ, & plagæ acres, DEI irati aderant: nimirum, annonæ caritas, graues morbi & similes. Et quidem aliquantulum dixi de fame superiùs, cujus caput est penuria frumentorum: cujus causa etiam graues discordiæ inter Ciues ortæ sunt, dum alter alterum anteuerteret in coëmptione. Nunc pauca de ijs ex eodem authore addo. Nam siligo quæ adhuc habebatur, comminuta molâ euanuit: & farina fermentata augmentum non accepit: & massa fumo imposita eadem mansit. Idem contigit in tritico ad panem præparato. Hordeum seminatum spem bonam in initio dabat, deindè degenerabat in zizania, & trituratum ex tribus modijs, proueniebat vna quarta. Neque tale hordeum pro braxatura cereuisiæ valebat, nisi adderetur Cojauiense. Frumenta recondita ex dimidietate à muribus deuorabantur: quod supererat, fœtebat. Notabile istud contigit, quòd his annis in quibusdam oppidis modium siliginis ne quidem pro quatuordecim scotis mercatores vendere voluerunt. Expectabant enim majus pretium. Sed & pecuniæ inde perceptæ imponebantur in pertusum sacculum. Luterani hujus causam dabant, quòd pecuniam ex Prussia Monachi & Sacerdotes Indulgentiarum Promulgationibus sustulerint. Quibus contradicebant Catholici, ajentes: bibliopolas pro Luteranis libris, quod credibilius erat, pecuniam extulisse. Nam multi Luterani etiam vestes & pallia pro ipsis oppignorabant. Magnus erat etiam defectus piscium. Frequenter enim ne quidem tot in vtroq; Habo, in Geserico & Drauseno lacubus capiebantur, quibus piscatores famem suam pellerent. Quiq; prendebantur sordebant in modum fœtidi cadaueris. Sed & pecora quæ ex ijs adaquabantur, ac etiam lac inde proueniens, butyrum, casei, ac vituli fœtebant. Homines quidpiam ex his degustantes, ad mortem infirmabantur. Hinc piscatores qui ex hoc opificio viuebant (nam retia magno emebantur) ad incitas redacti profugiebant cum irreparabili damno eorum, qui eis in hunc finem pecunias credidissent. Emebatur verò sexagena Flackfisch vna marca, tonna mugilum quinq; marcis, tonna halecum quindecim marcis: esoces, anguilas & lampretas vix aliquis soluere pretio poterat. Augebat penuriam rerum, quòd nihil aliunde in Prussiam importari poterat. Non per Pomeraniam & Marchiam. Nam ibi vectigal vitâ & bonis soluere mercatores debebant. Non mari. Nam continuum erat bellum inter Danos & Suecos. Qui Danus etiam

Annonæ caritas.

Piscium penuria

am bello Hansiaticas Ciuitates molestauit. Vt paucis multa comprehendam, nisi Poloni bonæ vicinitatis officium fecissent, frumentoq; Prussis succurrissent, reuera multa millia hominum fame perijssent. Vnde non obscurè animaduertebant Prussi, se DEO & Polonis rectè carere non posse. Quamuis quoq; hi plurimas ac optimas pecunias inde reportauerint. Nam & aurum illi recipiebant: & quidem Vngaricum florenum pro tribus marcis præter quatuor scotos: atq; veteres solidos. Et tum demum cognoscebatur, optimo consilio Prussos illis annis antiquioribus ac melioribus, studuisse supellectili & ornatui argenteis congregandis. Nam si hanc in his annis multi in promptu non habuissent, cum familia & filijs perijssent. Omnium afflictissimi erant rustici cum æquè post bellum ac ante censum soluere tenerentur. Nec dimittebatur de illo quicquam, quamuis nec ædes, nec equos, nec vaccam possiderent. Quo quis enim Dominorum magis in Luteranismo profecerat, eò duriorem se subditis præstitit.

Braunsbergenses procliues ad Luteranismum, & facti hæretici.

Videtur historiæ ratio à me requirere, vt aliquid de affectione Brunsbergensium ciuium erga Luteranismum ex domestico libro huc adscribam. Hi quamuis durantibus inducijs, cùm adhuc in potestate Magistri essent, Episcopi Mauricij paternis admonitionibus in rebus Ecclesiasticis aliqua ex parte obtemperarent; vbi tamen pace cum Magistro stabilita, Rex Ciuitatem pro se, vt & Tolckmittum, ad vnum vel dimidium annum obtinuerat, volebant etiam Gedanenses imitari, si non superare. Itaq; cœperunt Ecclesijs & Monasterio bellum inferre, & enormia facinora contra Deum, religionem, & potestatem à Deo constitutam perpetrare. Primùm omnium Proconsul & Senatus tam Parocho & Vicarijs, quàm reliquis Presbyteris redditus annuos cæterasq; victûs commoditates, ab anno 1524. in hanc vsq; diem retinuit, & in proprios & Luteranorum ministrorum vsus conuertit: ita vt miseri Sacerdotes mendicando victum quærere cogerentur. Iisdem habitationem abstulerunt, ac è Sacerdotum contubernio (in quod nullum ius Ciuitati competebat) violenter eos eiecerunt. Cumq; Georgius Preikius Regius Capitaneus authoritate suæ Maiestatis in eandem domum eos introduxisset, Gregorius Rabe, auulsa per vim ab ostio seratura, suam apposuit, & domum quæ piorum Sacerdotum sumptu constructa fuit, externo Gedanensi concionatori attribuit. Vtq; violentiam hanc contumeliarum accessione deperditi homines acerbiorem redderent, pios Sacerdotes apertè contemptui habebant: publicè in plateis maledictis eos insectabantur: maleficos, nebulones & rapacissimos lupos appellabant, inauditisq; conuicijs turpissimè lacerabant. Insuper ante eorum domos sordes impudentissimè projiciebant, postes & seraturas stercoribus illinebant. Episcopum, Canonicos, ac reliquas Ecclesiasticas personas Luterani Concionatoris operâ probris in concionibus publicis afficiebant. Quamuis autem enormia hæc sint & cum primis deploranda, tamen minora videri possunt ijs quæ contra Deum ipsum Ciues perpetrare non dubitauerunt. Nam Senatus per Petrum Kirsten Concionatorem Luteranum, Ioannem Barbitonsorem dictum, Gedano Brunsbergam accersiuit & aduexit, vt Luteri dogma introduceret. Quod & studiosè fecit. Cùm Sambienses rustici rebellare cœpissent, idem Minister in concione publica dixit: Quandoquidem Magnates ab Euangelio deficerent, Deus Spiritum sanctum suum in miseros colonos immisit, vt illud conseruarent & tuerentur. Itaq; hortatus est popu-

populum, vt se illis coniungeret. Inter plurimos ab Ecclesia damnatos errores, hanc etiam impurissimus homo blasphemiam ore spurcissimo euomuit publicè dicens: in Sacramento altaris non Christum sed diabolum contineri. Quamobrem cùm ad eleuationem hostiæ campana pulsatur, debere illicò omnes ex Ecclesia fugere, & aures insuper obturare. Hactenus sacrificos populum dementasse. Cùm impia hæc doctrina primoribus Ciuitatis adlibuisset, Gregorius Rabe Proconsul in præsentia Leonardi de Rossen eius Collegæ & aliorum multorum, cùm domi cereuisiam coqueret, in contemptum diuini sacrificij ludicrum Missæ simulachrum repræsentauit, & ex calice suos spectatores tractauit, illisq; præbibit. Posteà dictus Leonardus de Rossen Consularis, vestibus Sacerdotalibus indutus, cum Leonardo Schonrado in publicum forum prodijt, vbi ludicram eiusmodi Missam celebrauerunt. Vtq; nihil impietatis prætermitteret clara voce populum, vt ad humanum ventris onus percipiendum sese praepararet, inuitabat. Quæ turpitudo nec apud gentiles, nec apud Iudæos vnquam est audita. Cùm Sacerdos quidam in Parochiali Ecclesia Dominica II. Aduentûs anno superiore Missam iuxta ritum Catholicorum celebraret, idem Gregorius Rabe in Capella Corporis Christi à tergo Sacerdotis stans, publicè gestus eius scurriliter imitabatur, Missam & ipse celebrando, Cruces formando, voce submissa verba proferendo illum apertè deridens. Nocte Natalis D. N. Iesu Christi, supra memorati Leonardus Schonradus, & Ioannes Iochs cum suis complicibus, quo tempore diuina officia peragebantur, pellibus vrsinis & laceris vestibus vt histriones amicti Ecclesiam Parochialem primùm, deindè Monachorum templum ingressi clamores ingentes ac inconcinnas saltationes bacchantium more ita ediderunt, vt à Psalmodia & officijs diuinis abstinere coacti fuerint Sacerdotes. Imagines præterea Sanctorum è templis abstulerunt, & bullas Pontificias cloacis publicis affixerunt; & tempore dedicationis Ecclesiæ vexillum è laceris pannis consutum, appensis fractis poculis vitreis, in comtemptum Cærimoniarum Ecclesiasticarum loco sublimi erexerunt. Quæ res Senatum Ciuitatis minimè offendit, immò id illi non displicuisse præ se tulit. Postquàm autem Nobilis Georgius Preikius Regius in Ciuitate Brunsbergensi Capitaneus mandata Maiestatis suæ accepisset de Luterana hæresi exterminanda, & rebus Ecclesiæ in pristinum statum restituendis, Sacerdotem Catholicum, qui ad populum verba faceret, introduxit: quem seditiosi Luteranæ factionis homines annuente ac permittente Senatu contra Capitaneum ita excitato, vt à cæde parum abfuerit, & non solùm è suggestu, sed etiam ex Ecclesia ipsa per vim expulerint, & in eius locum Luteranum ministrum statuerint. Authores tumultus huius præcipui fuerunt Gregorius Rabe Proconsul, qui primus vociferabatur in concionatorem repetitis verbis, ecce lupus, Laurentius Schonrade, Vrbanus Pricke, Sebastianus Hutter, Matthæus Schiffenteuffel, Andreas Horcher, Simon Ebert, Petrus Hoffman notarius Ciuitatis, Nicolaus Barbir, Ioannes Paffa. Postremò Senatus vasa sacra, clenodia & Ecclesiastica paramenta diuino cultui deputata ex Monasterio atque Ecclesia Parochiali abstulit, ex qua sola octodecim argentei calices subrepti sunt. Cuius exemplum textores secuti, Calicem & duas ampullas argenteas rapuerunt, pretio inter se diuiso.

De tumultu verò illo Gedanensium de quo supra, qui contigit anno,

Gedanensium tumultus. no, 1525. Die, 22. Januarij mihi aliquid hic addendum incumbit. Durauit is per totum diem sequentem. Senatus per istos dies furori populari restitit, tandem victus cessit. Luterani igitur facti superiores, vilissimos è plebe in Senatum legerunt, scribamq; Ciuitatis Proconsulem crearunt, Templa inde & cænobia omnia prophanata sacraq; supellectili ex auro, argento, & gemmis pretiosis spoliata. Enimuerò ad tantam Gedanenses dementiam deuenerant, vt patinis & calicibus sacris in prophanis mensis & cænis vterentur, sacraq; omnia illis essent ludibrio. Literas inde ad Sigismundum Poloniæ Regem scripsêre de fide & Ciuitatis regimine mutatis: orantes ne his quæ totius populi consensu facta essent, contradiceret: nihil suæ Majestati deperire de vectigalibus aut debita in ipsum & regnum Poloniæ fide & obseruantia: populum namq; vniuersum digitis sursum leuatis suæ Majestati & regno Poloniæ cum nouo Magistratu jurasse, tumultum sedatum ac statum Ciuitatis compositum esse. Variè excipiebantur hæ literæ in Senatu Petricouiensi. Tandem judicatum fuit, hac in re dissimulandum esse ad tempus, neq; modò Gedanensibus in præsenti motu aliquid negotij dandum: ne fortè amplissima Ciuitas ad Ordinem deficeret, cùm jam induciæ expirarant & bellum incipere deberet. Hæc hactenus de mutata religione in Prussia, dicta sufficiant.

Nunc ad res quas reliqui inter Regnum Poloniæ, & Albertum Magistrum Ordinis reuertendum est. Debebant verò durantibus inducijs Carolus Imperator vel Ferdinandus Frater & Ludouicus Vngariæ Boëmiæq; Rex de controuersia inter Regem Poloniæ & Magistrum Crucigerorum arbitrari: sed nihil actum. Etsi autem de producendis in aliquot annos saluo compromisso inducijs Oratores suos Pontifex Max. Cæsar & Ludouicus Rex ad Regem Poloniæ mittebant, tamen Poloni jure suo & belli proximi successibus confirmati & inducias bello magis noxias rati recusant bellumq; redintegrant. Fluctuabat interim animo Magister, quid potius faceret, num cum Polonis intermissum resumeret bellum, an secundùm pacta Regi juraret? His diebus Henricus Legnicensis Dux, & Georgius Marchio Brandeburgensis Alberti frater blandienti hæresi manus dederant. Hi Magistrum sollicitare non destiterunt, vt neq; bellum gereret cum Polonis, nec Regi homagium receptum deponeret, sed vt Religionis deposito habitu Luteranam sectam, vt illi, profiteretur: & ex Magistro Crucigerorum profanus Dux in Prussia per Sigismundum crearetur: ea lege, vt virilis sexus liberi ex Matrimonio suscepti in Regiomontano Ducatu succederent: quibus non extantibus Casimirus & Georgius Alberti Ducis fratres in eo Ducatu per Regem Poloniæ surrogarentur. Quibus decedentibus ad Regem & Regnum Poloniæ feudali jure Ducatus Prussiæ in toto deuolueretur. Cùm hæc conditio pacis, à duobus istis consiliarijs suggesta, Alberto non displiceret, imò eam cupidè amplecteretur, ijsdem etiam intercessoribus apud Regem vsus est. Hi igitur, acceptis secum plurimis ex Nobilitate & alijs quibus de conceptibus suis ne minimum verbum aperuerunt, ad Regem Cracouiam profecti sunt: Albertus verò cum suis Beutenæ siue Bithomiæ in ditione Opoliensi vndecim milliaribus Cracouiâ, vt minori ex interuallo citiùs, quæ nuntij tentabant, ad eum referri possent, interim manebat. Tandem, die 10. Aprilis, intercessores potissimum caput legationis suæ, nuntijs Nobilitatis & Ciuitatum aperiunt, sententiamq; desuper rogant.

Responde-

Responderunt illi, se Prussiâ excedentes, & cæteros à quibus ablegati essent, tùm nihil minùs cogitasse, quàm pacis ejusmodi conditionem propositum iri. De qua cùm nihil in sua informatione haberent, nec sibi à præscripto mandato discedere liceat, domum ad suos omnia priùs referri petunt. Fridericus Dux hoc responso offensus regerit, se plena agendi mandata Poloniæ Regi petenti monstrasse, quæ sine dedecore summo reuocare nequeat. Triduum jam ipsis propositum, vt vel bellum finitis proximo Mense inducijs nouum expectent: vel pacem in perpetuum sancitam jurent: vel oblatas conditiones admittant. Quas vt acceptarent, Marchioni Alberto legati Ordinis Erhardus Queis Episcopus Pomesaniensis & Fridericus Heideccus Baro authores erant. Nobilitatis & Ciuitatum nuntij tardiùs assensi, primùm considerare volebant, an Princeps Suffragijs Ordinis Magister creatus, hanc mutationem feudi Ecclesiastici in politicum à Rege & Regno Poloniæ recognoscendum, cæteris sui Ordinis membris in Germania, Belgio, & domi in Prussia relictis probare & excusare, & pericula ex dissidijs subditorum hinc orituris auertere, & legatis, ne quid ex hac actione damni, injuriarum & infamiæ ipsis emergat, cauere possit. Deindè cum de hac inexpectata mutatione nihil domi deliberatum in mandatis habeant, si in eam consentire debeant, vt Marchio Albertus datis literis atq; sigillis internuncios excuset ac de priuilegijs, juribus ac libertatibus subditorum veteribus, quibus sub Crucigeris fuerant vsi, jure Culmensi, immunitate, ac vectigalibus nouis in futurum quoq; asserendis idoneè caueat. Prætereà cum Rege confecta pace, rectà in Prussiam redeat, & rerum à se per triennium actarum seriem, & qua necessitate ad hanc rei conficiendæ viam ineundam coactus esset, subditis exponat, vt faciliùs in Principis ipsius & legatorum actionibus acquiescant. Inprimis autem Principem obtestantur, si ad exitum hæc cum Poloniæ Rege conciliatio deducatur optatum, vt prouinciam deinceps non per alienigenas, sed indigenas gubernari patiatur. Caput verò de successione Fratrum hæreditaria ad Principis deliberationem & Ordinis prouinciæ in aliud tempus reijciunt. Cùm verò Albertus cognita hac deliberatione defensionem consilij & facti sui internuncijs promitteret, non dubitans Regem Poloniæ feudi Dominum patrocinium ac tutelam subditis debitam præstiturum esse, & insuper omnium Priuilegiorum confirmationem literis solennibus comprehensam, & internuntiorum apud ablegantes excusationem polliceretur, sic etiam assensum præbuerunt. Conuentum est etiam inter Regem & nuntios, vt Rex Alberto arces interceptas, & hic Episcopo Varmiensi redderet: quamuis Albertus vehementer cuperet retinere Brunsbergam, Tolkemitum & Nouumforum oppida: quæ illi Rex negauit, quòd in auguratione sua jurasset, nullum se oppidum vel arcem à regno abalienari passurum & nominatim omnia in Prussia occupata Regno asseruaturum. Quatuor tamen millium aureorum Rhenanorum fructus ad tempus vitæ Alberto assignat. Rex omnia Principis ac subditorum priuilegia, juri Majestatiq; Regis & Regni non contraria tuebitur. Princeps proximum à Rege locum in consilijs, comitijs alijsq; congressibus publicis occupabit. Nihil ex ducatu, nisi conscio Rege, alienabit. In expeditionibus cum centum equitibus hastatis Regi ad fines vsq; Prussiæ militabit: extra fines educti stipendio, vt cæteri, Regio fruentur. Offensionum & injuriarum bellis præteritis inter Magistrum

(margin: 1. at "tardiùs assensi"; 2. at "rum & infamiæ"; 3. at "rendis idoneè"; then 1. at "tæ Alberto"; 2. at "juri Majestatiq;"; 3. at "publicis occupabit"; 4. at "In expeditionibus"; 5. at "entur.")

Ordinis ac Masouiæ Duces, Varmiensem & Culmensem Episcopos & alios Regis subditos vtrinq; datarum acceptarumq; amnestia sancitur.
6. Nobiles & agricolæ à juramentis, quibus durante bello suis Dominis sese Sacramento obligarunt, liberabuntur: defectionis &
7. aliorum præteritorum facinorum veniam consequentur. Episcopo Varmiensi prouentus à subditis Ducis Prussiæ soliti pendentur. Si Episcopus probare possit Ecclesiasticos ab antiqua discessisse religione, Dux Episcopum in ejusmodi corrigendis authoritate sua juva-
8. bit. Dissidia inter Regem & Ducem exoritura à consiliarijs æquis
9. judicijs obstrictis Marieburgi aut Elbingæ dijudicabuntur. Si nobiles alijue Ciues actionem Duci intendere volent coram Ducis vasallis seu beneficiarijs ad judicium obligatis jus suum persequentur, à quibus appellatio ad consiliarios Regis, Ducisq; Marieburgi desi-
10. gnatos integra erit. Ex reliquis Prussiæ incolis quisq; in eo judicio, vbi bona sua possederit, aut reus domicilium suum habuerit conueniri, & ad externa judicia neutiquam vocari debet, nec alterius partis ciues in alienis judicijs interdicto magistratûs, discedere pro-
11. hibeantur, quod aresto attineri vulgò vocant. Nauigationes & negotiationes liberas incolæ habebunt: fora seu mercatus in pagis ab-
12. rogabuntur. Vectigalia noua tum Rex, tum Dux, nisi de consensu
13. Ordinum, nulla imponent. Bona naufragorum possessoribus resti-
14. tuentur. Neuter alterius ex professo hostem aut hospitio aut sub-
15. sidio leuabit. Vterq; suos hostes & criminis alicujus reos in alterius territorio persequendos & judicijs, vbi comprehensi fuerint,
16. sistendos ac puniendos curabit. Priuilegia Ordinis Teutonici omnia à Pontificibus, Cæsaribus, Principibus, vel ipsis Poloniæ Regibus indulta, conuentioni isti repugnantia Dux renuntiatione solenniter
17. facta, Regi ipsi reddet: cætera Rex noua conferet. Regni ac Prussiæ Ordines literis suis hanc se pacificationem semper gratam ratamq; habituros, & ab obitu Marchionum se nulli alij quàm Regi ac Re-
18. gno Poloniæ obnoxios futuros promittent. Postremò, aduersus omnes huic transactiaoni contrauenientes Regi Poloniæ Marchiones cum Prussiæ Duce pro virili suppetias ibunt: amicos, inimicosq; communes habebunt. Idem Rex Duci Prussiæ necessitate vrgente præstabit.

Albertus fit Dux Prussiæ. His ita præparatis & conclusis Albertus abjecto habitu Ordinis, sub finem Mensis Martij cum splendido comitatu ad Sigismundum Regem Cracouiam venit: vbi paucis diebus quieti datis, die decima Aprilis ante prætorium sublimi solio ad hoc erecto, auro ac holoserico adornato Sigismundus Rex Regali diademate atq; habitu conspicuus Albertum Marchionem Brandeburgensem, olim Prussiæ Magistrum, titulo tali abrogato, Ducatum flexis genibus orantem Ducem Regiomontanum in Prussia creauit, eique insignia Ducalia & vexillum aquilæ candidæ cum aurea in collo corona manu propria porrexit, & torque aureo grauis ponderis inuestiuit. Ipse rursus Albertus, nouellus in Prussia Dux, juramentum fidelitatis & perpetuæ subjectionis Sigismundo Regi, successoribus suis ac Regno Poloniæ, solenni Cærimonia præstitit, & se suosq; successores in fide ac potestate Regum Poloniæ æternis temporibus astrinxit. Exin literis omnibus assignatis Oratores Prussiæ ordinum per Masouiam in Prussiam reuersi, nuncium de pace perpetua sancita cum Regno Poloniæ suis impertiunt. Dux Prussiæ nouus cum Friderico Duce Li-

gnicensi sororio suo Lignitiam profectus, ibidem ád Pentecosten mansit. Redux in Prussiam, nobilitati ac Ciuitatibus conuocatis pacis acta per triennium prælegi iussit. Cui gratias publicè nomine prouinciæ Georgius Polentz Episcopus Sambiensis egit, simulque Episcopatûs sui regimen politicum Duci renunciat, quòd scilicet Episcopi euangelium docere, non politica imperia & dominatus administrare debeant. Dux prouincialibus in testimonium vocatis, quòd non petente aut postulante se Episcopus vltrà Episcopatui se abdicasset, non inuitus accepit: altero Episcopo Pomesaniensi Iobo, cum silentio adstante. Non multò pòst Regis commissarij, prout conuentum erat, Achatius Czema & Georgius Basenus Regium diploma Duci Prussiæ nouo tradunt, quo Rex recipit se Duci tanquam Principi hæreditario Prussiæ ducatum & ipsi & subditis priuilegia, libertates, immunitates iuraq; eorum perpetuò concessurum ac patrocinium illorum aduersùs omnes suscepturum. Contra cuncti prouinciæ illius Ordinis iusjurandum fidelitatis subiectionisq; hæreditarium prælectum, primùm Regi Poloniæ, dein Prussiæ Duci præstiterunt. Dux etiam incolis obtestantibus diploma confirmationis priuilegiorum sigillo ducatûs nouo munitum dedit. Quod Magistratus Regiomontani fidei asseruandum prouinciales concrediderunt, hac lege, vt exempla, sicubi opus esset, nobilitati ac Ciuitatibus exigentibus impertirent. Displicuit factum Alberti quibusdam Crucigeris. Inter alios verò Erico Brunsuicensi, Commendatori Memelensi. Qui illi arce cedere noluit. Itaque illuc profectus Albertus arcem obsedit. Tandem intromissus conuentionem inierunt, vt annuas Ericus acciperet quàm diu viueret, pensiones & arce cederet. Quod ipse fecit: reliquum vitæ in Germania in bonis Ordinis consumens. Franconico bello siue equestri, quod etiam Polonicum vocant, finito: mox pro celebritate Ascensionis Christi in cœlum secundùm carnem, conuentum Albertus cum suis Regiomonti habuit, in quo Iobus Pomesaniensis Episcopus ab ipso tanquam alter proditor æstimatus est. Sed & Poloni non minùs illum pro veteratore habuerunt. Nam scripserat ille Regi ante bellum, Albertum non parare pugnam contra Polonos, sed aduersùs Moscos, cùm tamen se rem aliter habere optimè nosset. Indè domum rediens, curis agitabatur. Sabbatho proximo post Pentecosten post balneum dum deambularet, concidit & expirauit. Sepultus fuit cum exiguo ploratu. Iobus iste nobilis à Tobeneck vocatus à F. Friderico Margrabio Misnensi in Prussiam, habens in comitatu suo equites triginta in armis, venit. Ipseque sæpè thorace ferreo munitus obequitauit, vnde nomen ferrei Iobi assecutus est vulgò. Regiomonti in Episcopum consecratus fuit, priùs in Ordinem recensitus à Magistro. Rex quæ ad bellum pertinebant cum quibusdam Germanis, qui tamen non erant ex Ordine Crucigerorum, apparabat: præsertim tormenta fundebant, quorum materiam ex Suecia adductam, nunquam soluebant. Exonerabant eadem atq; tonabant vespertinis temporibus, scilicet vt Prussiam perterrefacerent. Accipiebant quoq; literarum copiam ex Germania, quibus auxilia ad bellum, si modò illud inciperent, promittebantur. Ipse quoq; Vladislaum Vngariæ Regem adijt, tunc cùm Pragæ coronaret filium suum Ludouicum II. Apud eum vir disertus Episcopus multa negotia, quæ à re Ordinis essent, agere cœpit, sed frustra omnia. Risenbergum fossis & turribus contra vim diuturnam

Georgius Polentz Episcopatûs regimen Duci resignat.

Iobus Pomesaniensis Episcopg moritur.

muniuit. Magister quoq; Ordinis, acceptis ab illo tormentis & globis, vicissim & Preusmarcam, Hollandiam, Morangum, Salfeldium, & Libemolam concessit. Quæ oppida demùm Poloni cum eius Episcopatu occuparunt. Ex eo ergò, quòd libenter pecunias ac alias res mutuò acciperet & minimè solueret, in prouerbium abijt. Cum verò illi suggereretur de ornandis templis, dicebat inanes esse hos sumptus: armis verò & bombardis subdi regiones ac populos. In Episcopatu ei successit Achilles Cardinalis Bononiensis XIX. Episcopus Pomesaniensis à Sigismundo Rege promotus, qui hac ratione ei gratificari voluit, quòd protectionem Regni susceperit: super quo etiam confirmationem à Leone X. accepit. Sed nunquam ad Episcopatum venit. Loco verò suo Ioannem Conopacium Episcopum Culmensem, in ijs quæ ordinis Episcopalis essent, substituit. Morte sublato posteà Achille, Episcopatum accepit Gerardus Queis Cancellarius Ducis Legnicensis, Magistri sororem in matrimonio habentis: operâ eiusdem Magistri Alberti, qui non contemnendam summam pecuniæ à Gerardo acceperat. Permisit id Rex non grauatim fieri, vt dicebat, vt Gerardus aliquam refectionem & consolationem pro pecunia haberet. Sacerdos non erat. De hoc Episcopo plura dicta sunt superiùs.

Achilles Cardinalis.

Gerardus Queis.

Gedanenses fama noui Ducis in Prussia creati perterrefacti, primarios ex nouis Senatoribus ad Regem ablegarunt, factum mutatæ religionis, quòd anteà iam etiam per literas fecerant, excusaturos. Hos Rex dissimulatâ iterum irâ auditos, benignè dimisit. Quibus domum reuersis, priores Senatores per tumultum amoti, Crocouiam proficiscuntur, statum miserabilem Ciuiumq; suorum audaciam cum insolentia coniunctam coram Rege deflentes, demissè orant, vt Rex Ciuitati exitio propinquæ succurrat. Cumq; rerum magnitudo summaq; necessitas eius præsentiam flagitent, ipse Gedanum venire non grauaretur, omniaq; pro arbitrio suo constitueret & ad pristinam reuocaret formam, sontibus punitis. Rex eos consolatus, bono animo esse iussit, spe illis facta, rebus Poloniæ compositis sui Gedanum aduentus: interim sedulò prouiderent, ne vrbs, nouis turbis fortè exortis, grauioribus afficiatur incommodis.

Rebellio Rusticorum in Prussia.

Supra posito anno, prima die Septembris initium accepit rebellio rusticorum in Prussia contra suos nobiles, in oppido Kaymen, Ducatus Prussiæ. Molitor ibidem sæpiùs agrestium querelas contra Nobilitatem deponi audierat. Is quodam die Sabbathi vxori suæ offensus, tabernam adijt, ac in ea pernoctauit, somnum in scamno trahens. De nocte euigilanti, vir grandis apparuit, eiq;, Vade, inquit, dic rusticis, opportunum venisse tempus jugi nobilium excutiendi. Quod & ipse præstitit. Congregati itaq; rustici ad tria millia, Nobiles, qui non ad proximas arces effugerunt, ceperunt, & internecioni dederunt. Aberat isto tempore Dux. Intereà interposuêre operam suam Regiomontani Ciues, & pacem confecerunt. Aduenìens autem Dux cùm intellexisset quid ruricolæ tentarint, coriphæorum alios morte, alios pecuniâ mulctauit, veniâ reliquis datâ.

Sub initium anni sequentis millesimi quingentesimi vigesimi sexti, Rex conuentu habito Petricouiæ, Gedanum versùs ad fidem Senatui amoto liberandam turbarumq; ac nouationis authores puniendos, decimâ nonâ Februarij iter ingressus, Torunium primùm, indè Marieburgum peruenit. Gedanenses Religionis orthodoxæ

mutatæ ſibi conſcij Regisq; aduentu in Pruſſiam perculſi, clàm congreſſibus habitis deliberarunt, conſultumne videretur Regem in vrbem admittere: Cordatiores euentum penſitantes cenſuerunt, nihil in re tanti momenti præcipitanter agendum. Etenim cùm illi regibus ac regno ſemper fidem ante hac ſinceram præſtitiſſent, læſæ Maieſtatis crimen commiſſuros, ſi ſuâ, Regem, cui juramento ſubiectionis ac fidelitatis obſtricti eſſent, vrbe excluderent: à cuius majoribus tot ornati eſſent beneficijs, tot priuilegijs ac immunitatibus donati. Quæ omnia contumaciâ ac defectione eorum irritatus Rex reuocare poſſet. Ad hæc ipſam Ciuitatem Gedanenſem commercijs Polonorum detractis, nequaquam florere diu poſſe. Hic cùm vltrò citroq; diu diſputatum eſſet, in id tandem communi conſilio itum eſt, Regi omnia obſequia ac fidelitatis officia deferenda, inq; vrbem cum comitatu venientem honorificentiſſimè excipiendum. Rex Marieburgi de omnibus quæ Gedani agerentur edoctus, ante ſuum Marieburgo diſceſſum Chriſtophorum Szidlouicium Caſtellanum Cracouienſem, Andream Tencinium eiuſdem loci Palatinum, Lucam Gorcanum maioris Poloniæ Præfectum Gedanum præmiſit. Eos aduenientes ſumma humanitate omnibusq; officijs Gedanenſes proſecuti ſunt. Iidem poſt in Senatum introducti humaniſſimis verbis omnem irati Regis ſuſpicionem exemerunt adeò, vt nihil magis illi in votis, quàm Regis ipſius præſentiam habuerint. Ea de cauſa protinus ablegarunt, qui Regi de aduentu gratulantes, eum maiorum ſuorum exemplo in vrbem inuitarent. Inter nuntios erat præcipuus Joannes Salicetus Jurisperitus, acerrimus ſectæ Luteranæ propugnator, qui vt ad Regem ablegaretur, author fuit Biſſouius Catholicus. Eos vt clementer Rex exciperet, Proceres à Rege Gedanum præmiſſi Regi ſuaſerunt: id quod factum. Nuntij aduentum fælicem Regi in Pruſſiam Senatûs Populiq; Gedanenſis nomine gratulati, eum vt iniunctum erat, demiſsè ad ſe inuitarunt. Rex eorum precibus annuens, nuntios, qua acceperat fronte, non indonatos remiſit. Nec mora, Marieburgo mouens ampliſſimo cum comitatu Gedanum perrexit. Quò appropinquanti ad primum ab vrbe lapidem magna populi multitudo ſpectandi officijq; causâ ſe effudit. Vrbem ingreſſus Rex, cùm rerum ſuarum ſecuritati caviſſet, Senatui mandat, vt portarum valuæ nuper cardinibus emotæ reponantur, portarumq; claues ſibi tradantur: pacem ſe attuliſſe, nec hoſtem vllum extimeſcendum. Id cùm exequi cunctarentur, Rex expreſsâ aliquantiſper irâ, Palatinos & Caſtellanos acciuit. Aduenit etiam eodem inſperatò ſalutandi Regis gratiâ Barnimus Pomeraniæ Dux è ſorore nepos. Habebat præterea ſecum Rex ingentem Procerum atq; equitum Polonorum numerum: nihilo tamen minùs Regis tanti comitatus multitudine territi ſectæ Luteranæ exercitia frequentabant. Audaciam eiusmodi Rex non ampliùs ferendam arbitratus, opificum Magiſtros in publicam mercatorum domum conuentui deſignatam cogi iuſſit. Hic cum frequentes conueniſſent, Petrum Cmitam Regni Marſalcum ad eos miſit, qui ſcipione ſilentio impetrato quæſiuit ex ipſis, an vellent juramento Regi Regnoq; Poloniæ dato ſtare, nec ne? Vnanimi voce annuentibus, iuſſit qui partium eſſent Regiarum in latus dextrum concederent. Id cùm bona ciuium pars haud cunctanter feciſſet, alij qui ancipiti erant animo, nonnihil tergiuerſantes & ipſi tandem, ad reliquos coiuêre. Quorum fide Marſalcus commendata fidelitatis at-

Sigiſmundus Rex venit Gedanum.

que

que subiectionis sacramentum iteratò ab eis exegit. His transactis Rex de statu Ciuitatis reformando, Senatu vetere restituendo & Catholica religione reuocanda consilia init. Exin Regis mandato Joannes Salicetus & septuaginta circiter mutandæ religionis authores comprehensi in carceres coniecti sunt. Salicetus obiectis criminibus purgare se volens, petijt, vt cum Rege coràm loquendi facultas sibi daretur. Colloquio impetrato, complura obiectorum diluendorum, suæq; innocentiæ probandæ causâ adduxit, magno ciuium numero adstante. Coram quibus, Philippus Bissouius, ex eo quæsiuit, cur sacras ædes, aureis argenteisq; vasis spoliásset, & cur conscenso suggestu primus ipse Luteranam hæresim proponere ausus fuisset, & quidem in principali templo? Furcam, rotas, & gladium ante vrbis prætorium erexisset? Eo inficiante, ac tandem Ciuium astantium iussu ea se fecisse afferente, Ciues constanter factum negarunt, suoq; eum periculo talia ausum esse responderunt. Quorum verbis conuictus, ab ijsq; desertus, conticuit. Itaq; iussu Regis cum tredecim Luteranis eiusdem criminis reis, capite plexus est: reliquis in exilium actis. Rex hinc vrbis statum ex arbitrio suo composuit, vasa argentea aureaq; sacras itidem vestes edicto seuero restitui templis præcepit, Catholicæ Ecclesiæ sacra ac ritus iterum exerceri Sacerdotibus restitutis, mandauit. Portum inde, qui in littore maris est ad Vistulæ occidentale ostium Rex inuisit. Hic naui animi gratiâ conscensa per mare sui iuris vehi voluit, vt terræ illius & maris Dominum se facto ipso comprobaret. Tribus eoq; ampliùs mensibus Rex Gedani commoratus est, omnium rerum copiam Gedanensibus ipsis eiusq; comitatui affatim subministrantibus. Ibidem subsistens Georgio Pomeraniæ Duci ex sorore nepoti, Lauenburgum Bittoniamq; Præfecturas Prussis finitimas beneficij iure concessit. Tandem subiectionis fidelitatisq; jurejurando à Senatu populoq; Gedanensi accepto vigesimâ quartâ Iulij abit, & celebribus Prussiæ locis perlustratis, sub exitum mensis Augusti Varsauiam ingressus est.

Joannes Salicetus cum alijs Gedani capite plexus.

Eodem tempore causa Brunsbergensium ratione religionis commotæ, inter ipsos & Episcopum per Commissarios Regios decisa est, tum etiam ab ipsis commissum crimen in Regium Capitaneum Brunsbergensem Georgium Preikium post seuerum examen factum, vnâ operâ expeditum & compositum fuit. Regij verò Commissarij fuerunt Matthias Vladislauiensis Episcopus, & Ludouicus de Mortangen Elbingensis Castellanus. Hi, 16. Aug. eodem anno, 1526. Brunsbergam venerunt, quo etiam Mauritius appulerat. Die sequenti in Monasterio congregati, inquisitionem faciebant de authoribus & causis tumultus excitati in Ecclesia Parochiali contra Catholicos & Capitaneum Regium. Et quamuis Brunsbergenses authores hujusmodi prodere nollent, ideò fortassis, quòd Senatus ipse tanti mali causa fuerit: tamen conjunctim omnes, nemine excepto in genua prouoluti culpam deprecabantur. Inter alios autem duo Proconsules Gregorius Rabe & Leonardus de Rossen & ex communitate Petrus Kirsten cum enumeratione facinorum perpetratorum, quorum causâ vitæ & amissionis bonorum pœnam promeruissent, maximè rei pronunciabantur. Sed nihilminus omnes conjunctim, ac si æqualiter deliquissent, prostrati, veniam à Commissarijs, præcipuè verò à Domino Episcopo Mauritio, in cujus potestatem venire debebant, supplices sibi dari petebant. Ad extremum preci-

Brunsbergensis commissio.

precibus & tanta ſubmiſſione id effecerunt, vt Domini Commiſſarij juris rigore omiſſo mitiùs cum illis agendum quàm meruiſſent, exiſtimarent. Itaq; vt die ſequenti in arcem Regiæ Majeſtatis mandata audituri conuenirent, edixerunt, Cùm in arcem ventum eſſet, die 18. Auguſti, Felix Reich Cancellarius in hanc ſententiam verba fecit.

Poſteaquam Serenis. Princeps & Dominus D. Sigiſmundus DEI gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Dominus & hæres, Dominus noſter clementiſſimus, Ciuitatem hanc Brunsbergenſem juſtis de cauſis in ſuam poteſtatem accepiſſet, eamq; hucusq; retinuiſſet: multa hic enormia euenerunt, contra diuinam primùm, deindè contra Regiam etiam Majeſtatem, contra Majeſtatis ipſius officiales, contra Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Varmienſis Domini mei gratioſiſſimi dignitatem & authoritatem, diuiniſſimum Sacramentum ſuo cultu, Sancti DEI ſuo honore ſpoliati, Parochi & Sacerdotum aliorum annui redditus, contra Regiæ Majeſtatis mandatum per vim erepti & retenti, ſeditiones excitatæ, templa & Monaſterium ſpoliatum, Chriſtiana vetus religio exterminata, noua peregrina, & condemnata doctrina introducta, Senatus inordinatè loco motus, regendæ & gubernandæ Ciuitatis ratio immutata, plurimaq; alia illicita ſunt perpetrata. Quamobrem, cum Regia Majeſtas grauiſſimis Regni negotijs occupata venire huc non poſſet, pro Chriſtiani Regis ac Principis officio commiſſarios ſuos cum ſumma poteſtate huc deſtinauit: videlicet Rmum in Chriſto Patrem Dominum Matthiam Dei gratiâ Epiſcopum Vladislauienſem & Magnificnm Dominum Ludouicum de Mortangen Elbingenſem Caſtellanum vt exceſſus & abuſus huc introductos vnà cum Reuerendiſſimo in Chriſto Patre D. Mauritio Dei gratiâ Epiſcopo Varmienſi Domino meo gratioſiſſimo hìc præſente tollerent & abolerent: ac in priſtinum ſtatum tàm in ſpiritualibus quàm etiam temporalibus ad DEI omnipotentis laudem, Regiæ Majeſtatis honorem, publicam pacem & vtilitatem gubernandæ Ciuitatis hujus modum reducerent, ſimul ejus poſſeſſionem Reuerendiſſimo Domino meo Epiſcopo Varmienſi darent & traderent. Quamuis autem ipſa juſtitiæ & juris ratio dictet, vt illa, tot tantorumq; delictorum grauitas, capitali ſupplicio, bonorum confiſcatione, & priuilegiorum ac libertatis amiſſione puniatur: habito tamen veſtræ humilitatis & ſupplicationis ac deprecationis, quam Elbingæ per nuncios veſtros & hic aliquoties ipſimet præſtitiſtis benigno intuitu: quodq; ea omnia facere, quæ vobis à Regia Majeſtate, & Reuerendiſſimo in Chriſto Patre Domino Mauritio Epiſcopo Varmienſi, veſtro proprio ac naturali Domino injungentur paratos vos eſſe promittitis, Illuſtres Domini Commiſſarij Domini mei colendiſſimi, juris & punitionis rigorem hac vice omittere & pro mera gratia & bonitate vobiſcum clementer agere, ac quæ tolerabilia ſunt pro delictorum pœnitentia vobis imponere conſtituerunt. Quamobrem Regiæ Maieſtatis authoritate & de ejus ſpeciali mandato ad malorum correctionem, bonorum autem ſolatium & Ciuitatis huius commoditatem Illuſtres Domini Commiſſarij articulos quosdam & ſtatuta conſcripſerunt & ordinarunt, quæ ab omnibus vobis in genere, & à quolibet in ſpecie ſub obedientia Regiæ Maieſtati debita, inuiolabiliter obſeruari volunt & mandant. Ea nunc vobis per me publicari juſſerunt, quod etiam facio.

Nos

Articuli dati Brunsbergensibus. Nos Matthias Dei gratiâ Episcopus Vladislauienfis & Ludouicus de Mortangen Elbingenfis Castellanus & Capitaneus Enquelsburgenfis, Oratores & Commiſſarij Sereniſſimi Principis & Domini D. Sigiſmundi Dei gratiâ Regis Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ, Ruſſiæ, totius Pruſſiæ Domini & heredis, Domini noſtri clementiſſimi, Brunsbergam cum plena Maieſtatis Regiæ authoritate miſſi, ſignificamus omnibus & ſingulis quorum intereſt. Quod cum ſua Regia Maieſtas perpetua pace, cum Illuſtri Duce in Pruſſia ſtabilita Ciuitatem hanc Brunsbergenſem, quam tempore belli idem Illuſtris Dux occupauerat, ab eodem in poteſtatem ſuam recepiſſet; Ciuitas factionibus laborare, & ſeditiones ac tumultus concitare cœpit: peregrinam & Eccleſiæ Catholicæ contrariam religionem recepit, Eccleſias ſpoliauit, Sacerdotes oppreſſit, Ordinariam Juriſdictionem Domini Epiſcopi contempſit, in Regium Capitaneum tumultuosè inſurrexit: Senatum & regiminis rationem mutauit: Regia mandata contemptui habuit, & multa alia deteſtanda facinora commiſit. Quibus & alijs cauſis Regia Majeſtas adducta Ciuitatem ipſam tantiſper in ſua poteſtate eſſe voluit, dum Regia authoritate exceſſus punirentur, Chriſtiana religio reſtitueretur, tumultus ſopirentur, & omnia in Ordinem debitum redigerentur: vt ſic rebus compoſitis, Ciuitas talibus moribus libenter pacificè ad obedientiam & officium reuocata Reuerendiſſimo Epiſcopo tanquam legitimo & naturali Domino in poteſtatem traderetur & reſtitueretur. Cumq; Regia Majeſtas pro officij ſui ratione tanquam Chriſtianus Princeps in Pruſſiam veniens, ſubditorum ſuorum commoda procuraret, antequam diſceſſiſſet, nobis injunxit, vt ſublatis è Ciuitate hac turbis & ſeditionibus, rebusq; ſpiritualibus & ſæcularibus in ea rectè conſtitutis, eam ſic purgatam & reſtitutam Reuerendiſſimo in Chriſto Patri Domino Mauritio Epiſcopo Varmienſi & ejus Eccleſiæ cum omni jure & pleno Dominio conſignaremus & traderemus. Quod quidem negotium ſumma fide ac diligentia vnà cum alijs Regiæ Maieſtatis conſiliarijs Elbingæ cum ſumma poteſtate congregatis tractauimus, & rebus benè perpenſis, matura deliberatione præhabita authores ſeditionis puniendos, cæteros in ordinem redigendos exiſtimauimus. Vt autem futuris temporibus in hac Ciuitate pax, quies, & tranquillitas faciliùs conſeruari, ab eaq; incommoda & pericula quæq; propulſari ac amoueri poſſint, articulos & ſtatuta inuiolabiliter perpetuò ab omnibus ſeruanda ordinauimus & conſcripſimus, quæ ad vtramq; Ciuitatem Brunsbergenſem veterem ſcilicet & nouam extendi & referri debere volumus & decernimus. Inprimis vetus religio & Eccleſiæ conſuetudo, quam à majoribus noſtris puram & incorruptam percepimus ſalua & integra conſeruari ac retineri debet. Nam ſi quilibet pro ſuo arbitrio religionem condere & mutare, ac juxta proprium ſenſum ſcripturas interpretari voluerit, nihil in rebus fidei firmum, nihil in politicis conſtans erit ac ſtabile: quod luce meridiana clariùs videre licet apud Religionis nouatores: qui dum Eccleſiæ Catholicæ doctrinam oppugnare conantur, ipſi inter ſe diuiſi, miſerandum in modum ſeſe dilacerant. Mandamus itaq; vt ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ fidei, & Cærimoniarum Eccleſiaſticarum vſus, quemadmodum à majoribus per manus traditum accepimus, in omnibus & per omnia in iſta ciuitate deinceps retineatur & obſeruetur, Quòd ſi aliquis contrauenire præſumpſerit, pro delicti magnitudine ſe nouerit eſſe puniendus

dum. Si quis juxta receptum Ecclesiæ Catholicæ ritum & nostræ constitutionis huius Ordinationem viuere noluerit, hic intra quatuordecim dies è ciuitate quocunq; migrare voluerit, & ampliùs in eam non reuerti tenebitur. Quoniam autem hoc tempore multi se in prædicationis munus præsumptuosè ingerunt,& sub specioso verbi Dei titulo zizania seminant: mandamus sub vitæ & bonorum amissione, ne quis deinceps tàm intra quàm extra ciuitatem, siue sit Ecclesiasticus siue sæcularis publicè aut priuatim alicui prædicandi facultatem concedat absq; expresso Reuerendissimi D. Episcopi aut eius Officialis consensu. Quoniam nouatores religionis veteribus & ab Ecclesia receptis orationibus & cantionibus spiritualibus reiectis, nouas precatiunculas & cantilenas rudi plebeculæ venditant, præcipimus & mandamus, vt omnes Ecclesiastici diuina officia & Missas iuxta receptam Catholicæ Religionis consuetudinem in hac ciuitate celebrent: nullisq; alijs orationibus Antiphonis, Responsorijs, aut cantionibus vtantur,quàm ijs, quæ fuerint à D. Episcopo, vel ejus in spiritualibus Vicario receptæ & approbatæ. Et quia multi spiritu auaritiæ ducti violentas manus bonis Ecclesiasticis injiciunt: statuimus & ordinamus, quicunq; clenodia, vestes sacras, & alia diuinis vsibus applicata ex Ecclesia vel Monasterio abstulerit, aut in suos vsus conuerterit, vt tanquam Sacrilegus supplicio capitis puniatur. Inhærentes Regiæ Maiestatis tanquam Christiani Principis piæ & Catholicæ ordinationi, præcipimus & districtè mandamus, ne quis in posterum libros ab Ecclesia prohibitos, turpes cantilenas, libellos famosos, & alia huiusmodi, quæ Christianæ professioni non conueniunt, in Ciuitatem introducat aut disseminet, sub amissionis bonorum pœna, & publicationis & proscriptionis. Quandoquidem id cum æquitate & Principis dignitate conjunctum videtur, statuimus & inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruari volumus, vt Officialis Reuerendissimi D. Episcopi: nempè Aduocatus, Capitaneus aut Burgrabius, vbiq; & in omnibus Burgimagistrum & Senatum Ciuitatis loco præcedant: quandoquidem personam & locum Episcopi sustinent. Quod ad Magistratum sæcularem attinet: quandoquidem ij, qui Rempublicam administrant & judicando præsunt, Dominorum suorum & Principum vices gerunt, quorum authoritatem sequuntur, valdè iniquum ea politia rectè constitutarum ciuitatum prorsus alienum nobis videtur, vt Princeps à boni publici procuratione judiciorum & justitiæ, & rerum præsertim carnalium administratione excludi & remoueri debeat. Cùmq; euidenter appareat, quòd Burgimagistri Ciuitatis hujus libertate, in exercenda sua jurisdictione multoties abutuntur: vnde Ciuitas in periculum & discrimen aliquod adduci posset: statuimus, & Regiæ Maiestatis quâ fungimur authoritate, decernimus: ne Senatus modernus à plebe inordinatè electus, officium & locum suum ampliùs obtineat & exerceat. Reuerendissimo autem Episcopo novum Senatum eligendi authoritatem & facultatem damus & concedimus, districtè mandantes, vt nemo inposterum in Senatum admittatur & eligatur, absq; scitu & voluntate dicti Reuerendissimi D. Episcopi, aut eius locum tenentis: cui etiam potestatem facimus, vt Burgimagistrum aut consiliatores, cùm illi opportunum & expediens visum fuerit, loco suo moueat & deponat. Declaramus itidem & decernimus, quòd inposterum judicium capitis in Ciuitate Brunsbergensi pertinere tantùm debe-

et ad D. Episcopum pro tempore existentem, aut ejus locum tenentem: qui de capite sententiam ferendi potestatem tantùm habebunt. Quòdq; Magistratus ciuilis, perpetuis temporibus absq; scitu & voluntate Reuerendissimi Episcopi nemini in Ciuitate saluum conductum concedere, aut militaribus copijs liberum passum permittere possit. Quicunq; de nouo consiliarius aut Scabinus creatus & electus fuerit, antequam loci & officij possessionem adeptus fuerit, debet coram Reuerendissimo D. Episcopo, aut ab eo deputato juramentum fidelitatis præstare: quodq; si quis seditionem mouere velle animaduerterit, de ijs absq; mora aliqua Reuerendissimo D. Episcopo aut ejus Capitaneo significabit, vt seditiosi huiusmodi juxta delicti qualitatem puniantur. Simile juramentum præstabunt illi, qui in confraternitatibus artificum in seniores & præsides electi fuerint. Mandamus itidem, vt nullus ciuium tumultuosè aut indebitis ac illicitis modis se eligi in Senatum procuret sub pœna capitis: atq; non plures quàm quatuordecim personæ in senatum adsciscantur. Interdicimus etiam & prohibemus in perpetuum, ne aliquo in loco congregationes communitatis in particulari vel generali fiant, sine particulari licentia Reuerendissimi D. Episcopi aut ejus locum tenentis, sub pœna amissionis omnium priuilegiorum; Si quid tamen emerserit, quod communi consilio & assensu decerni ac definiri debeat, tunc ex quatuor Ciuitatis regionibus sex graues & prudentes viri: ex senioribus autem artificum duo deputari debent, qui locum & suffragia in consilio habeant & in prætorium aduocentur. Quilibet autem ex dictis tribunis ordinem suum in sedendo retinebit. Monemus etiam, ne quis aliquid aliud in medium adferat, quàm quod pro communi bono à Senatu propositum fuerit. Quòd si quid tale proposuerit, quod Ciuium vnitati & statutis nostris aduersetur, & non vocatus inordinatè in prætorium veniens consultationes turbare ausus fuerit, is capitis supplicium luet. Quæ autem in supradicto consilio à senatu triginta duobus viris definita & constituta fuerint, ea ab omnibus ciuibus & tota communitate inuiolabiliter obseruari debent. Quòd si de aliquo articulo inter se conuenire non poterunt, de eo ad Reuerendissimum D. Episcopum referent, vt is negotium determinet. Si ciuis contra ciuem aliquid habuerit, rem ad Magistratum & judicem competentem referet. Et si illi sententia Magistratûs non satisfecerit, ad D. Episcopum appellare illi licebit, vel ad eius locum tenentem: causæq; huius prosecutionem, quæ tumultus aliquos excitare posset, sub pœna capitis nullibi præterquàm apud legitimum Dominum aggredietur. Ne autem dissensionis & seditionis flamma, quæ non facilè sopiri possit, resuscitetur, seriò mandamus & statuimus, ne quis clàm aut publicè talia verba faciat, quæ diuisionem aut rebellionem contra spirituales personas aut superiores excitare possint. Et quoniam seditiosi solent initio clàm secum consilia communicare: præcipimus & mandamus, vbi duo vel tres personæ siue viri, siue mulieres fuerint in ædibus priuatis, in templo, hortis, intra vel extra ciuitatem conciliabula fecerint, quæ constitutionibus ac ordinationibus nostris ac publicæ ciuium quieti aduersentur, & si quis ad ejusmodi conuenticula consensum præbuerit, & nuncium aut literas miserit, de ijs quicunq; notitiam habuerit, & D. Episcopo aut eius Capitaneo hæc non indicauerit, is capitis & bonorum omnium amissione puniri debet. Volumus etiam, vt Seniores artificum habitâ juramenti

ramenti sui ratione in recipiendis exteris opificibus eos diligenter admoneant, quàm diu in ciuitate versati fuerint, vt se modestè & fideliter gerant, & juxta ordinationes nostras & Reuerendissimi D. Episcopi mandata tàm in spiritualibus quàm in sæcularibus negotijs, viuant. Magistri autem familias hujusmodi leges intimare opificibus tenebuntur. Qui si ob inscitiam contra eas aliqua commiserint, ipsimet Magistri pro illis juxta delicti magnitudinem punientur. Prohibemus etiam ne in curia Regis aut viridarijs compotationes fiant & cœtus congregentur, nisi habitâ à Reuerendissimo D. Episcopo, vel ejus Capitaneo licentiâ. Vt autem nullus constitutionum harum nostrarum ignorantiam prætendere possit, præcipimus & mandamus omnibus cauponibus, cereuisiæ venditoribus, tabernarijs & ciuibus, qui exteros hospites & aduenas, vel amicos in ædes recipiunt, vt ad hospitum notitiam leges has nostras, tàm fidem, Catholicam, quàm ciuitatis regimen concernentes deducant, eosq; moneant, vt ad Regiæ Maiestatis & D. Episcopi præscriptum sese accommodent, sub grauibus pœnis à Senatu injungendis. Quòd si aliquis externus hæresim & ab Ecclesia damnatas doctrinas introducere, & ea quæ fidei aut ordinationibus his nostris aduersentur disseminare ausus, post admonitionem huiusmodi fuerit: vt is à Reuerendissimi D. Episcopi Capitaneo & Magistratu Ciuili pro qualitate patrati facinoris puniri & castigari debeat. Ad extremum volumus & mandamus vt articuli & constitutiones hæ nostræ ad perpetuam rei memoriam publicis libris insertæ, singulis annis semel populo legantur atq; ab omnibus strictè & inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruentur. Quas tamen mutare, corrigere, in illisq; aliqua addere & minuere prout temporis & vtilitatis publicæ ratio dictauerit, potestatem & authoritatem Reuerendissimo D. Episcopo damus & concedimus. Articulum tamen ferendæ sententiæ capitalis ciuitati contra priuilegia ademptum ad cognitionem, & sacræ Regiæ Maiestatis vltimam definitionem reijcimus & remittimus. Nosq; itaq; supranominati Regiæ Maiestatis legati & commissarij post lectionem & publicationem supra scriptorum articulorum in præsentia totius communitatis congregati, ad idq; sufficienti authoritate fulti, Ciuitatem Brunsbergensem cum omnibus juribus, attinentijs, dominijs & præeminentijs, post præstitum fidelitatis juramentum Regiæ Maiestatis nomine, Reuerendissimo D. Episcopo Varmiensi hìc præsenti ejusq; successoribus ac Ecclesiæ prædictæ de specialis suæ Maiestatis nomine restituimus & reddidimus. In cujus rei fidem & testimonium sigilla nostra præsentibus literis apposuimus. Datum & actum in arce dictæ Ciuitatis Brunsbergensis, Sabbatho post Assumptionis beatæ Virginis Mariæ, Die 18. Mensis Augusti. Anno Domini, 1526.

Legatio Mauritij Episcopi ad Albertum Prussiæ Ducem.

Præsenti quoq; anno, misit Episcopus Mauritius honorificam legationem ad Albertum Prussiæ Ducem, qua bona Ecclesiæ suæ tempore Fabiani Episcopi prædecessoris ablata repetebat. Restituit verò Mauritio ea Albertus sine omni difficultate. Præterea articulum illum Mauritius ei ad memoriam reuocari volebat, quo continebatur in pactis inter Regem & Ducem modus præsentandi & inuestiendi Parochos ad Parochias. Nam eius Episcopatus majori ex parte consistebat sub ditione Alberti: cuius permissione & conniuentia plus quàm hæresim saperet. Iamq; consuetudo inoleuerat, quòd rustici pro voluntate & sensu suo Parochos sibi asciscerent vel

deponerent. Nam quilibet promouebat Euangelij suam expositionem. Vnde varij & enormes errores nascebantur. Nam etiam baptismus cœpit contemni & negligi adeò, ut aliquot centeni infantes & morerentur & succrescerent sine baptismo. His malis Mauritius occurrere voluit. Postulabat igitur à Duce, eligeret sibi viros, qui iubessent Ecclesiæ Romanæ, eos Parochijs ad vitam prouideret, sibiq; præsentaret: quos præsentatos, Mauritius, vt Ordinarius examinaret in scientia, & num legitimè ordinati essent. Nam nullo modo tolerare ampliùs posset, Ecclesiam suam à tot apostatis conuelli, iuraq; diuina & Christiana officia, maledici & damnari, vti per quatuor istos annos suo permissu contigisset, & adhuc contingeret, resq; fieri indies peiores, baptismumq; adeò contemni. Albertus Dux sciscitabatur ex legatis, num etiam mandatum haberent postulandi clenodia quæ sustulisset ex Ecclesijs & Monasterijs sui Episcopatus? Minimè dicebant illi. Promittebat verò Dux ipsis responsum infra tertium diem. Veniente igtur statuta die ex consilio assessorum suorum Georgij Sambiensis & Gerardi Risenbergensis Episcoporum, Pauli Desperati Spoliandri, Joannis Brismanni, & aliorum præcipuorum capitum sui Luteranismi, Dux per Gerardum Episcopum tale responsum dedit. Quòd Mauritius bonus vicinus noster, hominum Episcopus ex Heilsberg impatientia commotus sit propter subditos nostros: quasi iuxta ipsius judicium & sensum non Christianè agant: id contigit illi & eis, qui ei in hac re adstipulantur, iuxta Dauidem dicentem: Omnis homo mandax. Sed non erat necesse illum commoueri. Nam Illustritas sua sciret vtiq; modum ouiculas suas coram Deo defendendi & tuendi. Sciret amicè, quòd omnium ouicularum suarum vox vna hæc sit iuxta Euangelium: *Nolumus hunc regnare super nos.* Quod prouocet ad articulum qui in pactis habetur, vt Parochi ab Episcopo inuestiantur, verum id esse. Sed cautum esse hoc ipso, Episcopum Mauritium docere debere ex diuinis literis, quòd Parochi, iuxta Luteranam declarationem quam Dux permisisset, malè agerent. Sed nouem vbi sunt? Quare, quod nunc sint Parochi sine ipsius consecratione, culpam esse ipsius. Nam non daret rationem suæ spei, poscenti. In ducatu verò nostro contra Dei honorem & Christiana statuta agi, superbè sanctos Dei, eius sacramenta & domos orationis contemni, minimè id ita esse: sed nolle se idolum pinguis ventris auarorum Sacerdotum atq; simios sacræ scripturæ ampliùs alere. Nam illi de omnibus dictis articulis mercantias quasdam instituissent, vt probat communis experientia Romanistarum. Attamen, vt plurimis literis ad sacram Regiam Maiestatem atq; clamoribus parcatur: requirimus Mauritium, hominum Episcopum ex Heilsberg, vt circumeat, aut mittat Ecclesiæ suæ doctissimos quosq;, qui secundùm dispositionem juris vestri Ecclesias visitent, erigant deiecta, verbo & exemplo. Et si desint illis scripturæ, palpandam rem darent. Velle se patientes esse pro arrogantibus. Ad hæc respondit nuntius Mauritij Episcopi Heilsbergensis. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Improbè agit, qui margaritas ante porcos mittit. Sed & aliud quidpiam præter opinionem accidit Mauritio fidei zelo accenso, & seductos ad fidem apostatas deducere volenti. Si ij itaq; Monachi fuissent, reduxit eos ad Monasteria. Quare non leuiter contristati sunt Monachi, qui sub regula permanserant, & apostatas recipere cogebantur. Sciebant enim receptos nihil

hil boni facturos. Nec fefellit eos opinio: nam rursus fugientes alios secum abduxerunt. Si verò fuissent sæculares Sacerdotes ac habuissent vxores, reiq; nauseâ affecti coram Mauritio hæresim abiurassent, ijs sub patronatu suo Parochias dedit. Sed & hi paulò pòst fugerunt, ductis alijs vxoribus, primis superstitibus.

Ciuitates & pagi, qui pertinebant ad Episcopatum Varmiensem.

Cùm paulò antè mentio facta sit spiritualis Jurisdictionis, quam habuisset Episcopus Mauritius in Sacerdotes in Ducatu Prussiæ, & scire fortè beneuolus lector vellet, quænam hæ Ciuitates aut pagi fuerint, in gratiam eius sequentia ex charta quapiam descripsi & huc posui. Neq; prætermisi Elbingam Ciuitatem Regiam Archipresbyteralem. Et ad hanc quidem pertinebant Plebanus in oppido Nouo, Preuschmarca, Pomerendorff, Campus Mariæ, Milhausium, Potschendorff, Lauck, Neumarca. Ad sedem Brunsbergensem spectabant, Grunau, Heilgebeila, Bladia, Lamcke, Rudiergersdorff, Tirau, Eisenberg, Lindenau, Valtersdorff, Tidmansdorff. Seb sede Fraumburgensi archipresbyterali comprehendebantur, Lentz, Truntz, Ebersbach. Sub sede Creutzbergensi, Perske, Brandeburgum, Haberstro, Heiligenfelt, Vendorf, Slerbercke, Labenhan, Ottenhan, Starckerberg, Pregelsvalt, Vochsberg, Luduichsualt, Lichtenhein, Manfelt, Torau, Burckersdorff. Sedes Gilauiensis habebat sub se Dachsen, Krucken, Dollenstete, Milhausen, Gesau, Truncke-im, Vderwang, Abswang, Almanhausen, Dominauiam, Smediten. Sedes Melsaccensis habebat sub se Hogenfürstenau, Bellun, Hermansdorff, Cinthiam, Eicholtz. Fridlandensis archiprebyteratus habebat, Vilten, Schonbruch, Clingenbet, Pelluten, Georgenau, Stockheim, Engelau, Podersualt, Velauiam, Allenburgum, Ankiten, Schonwalt, Fridenberg, Alnau, Klemschonen. Sedes Archipresbyteralis Vormditensis habebat Reichau, Libstat, Hertzogwalt, Hermansdorff, Pobeten. Sedes Archipresbyteralis Gutstatensis, nullas habuit Parochias Ducales, similiter & Seeburgensis. Sedes archipresbyteralis Heilsbergensis habebat, Landsberg, Eichorn, Galinden, Bartensteinum, Albrechtsdorff, Redenau. Sedes archipresbyteralis Sipelbeinensis continebat Ditrichsdorff, Lindenau, Langarben, Momainen, Lauenstein, Gerdauiam, Moltaynen, Nordenbur, Assaua, Dringenfart, Marienthal, Barden, Freudenburg, Volfsdorff, Paris, Leunenburg, Suansfelt, Falckenau, Schonau. Sedes archipresbyteralis Bisburgensis habebat Sorquiten, Sensburg, Veiden, Raysno, Targoua, Ortelsburgum, Passenheimum, Mentelsgut. Resseliensis archipresbyter habuit sub se ex Ducatu Gudenicke, Lanckau, Schonflus, Tolcksdorff, Langarbe, Venden, Schwartzenstein, Rastenburg, Rosentahl, Rosengarten, Pilse, Cranichslaucken, Sesten, Letzen, Busse, Millus, Okertoua, Orseche, Brigali, Biala, Komalske, Joannesburgum, Iuchi, Stradumi, Lassoua, Licke, Linde.

Albertus verò primus Dux Prussiæ non diutius moratus anno Christi, 1527. duxit vxorem Dorotheam Danorum Regis filiam: ex qua genuit duos filios & quatuor filias: qui omnes tempestiuè mortui sunt, præter Annam Sophiam, quæ anno 1554. Ioanni Alberto Duci Megapolitano Vismariæ peractis nuptijs, nupsit.

Morbus Lethalis in Prussia.

Anno 15 9. statim post festum Natiuitatis gloriosæ Virginis Mariæ inuasit homines in Prussia morbus, quem sudorem Anglicum vocabant. Dicuntur eo, 30000. hominum extincta. Dux quoq; Prussiæ cum Ducissa eo correptus fuit, sed ad sanitatem vterq; redijt.

 Mortu-

Mortuus est quoq; Gerardus Pseudoepiscopus Pomesaniensis ex sudore Anglico eodem anno, dum ex conuentu quodam Regiomontano domum rediret. Post hunc inuicem sibi successerunt, Paulus Speratus Quizini: Joannes Aurifaber, Joannes Draconites, qui totum Episcopatum recuperare voluit, quem cum assecutus non fuisset, abiuit. Georgius Venetus Libemolæ habitauit. Joannes Vgandus etiam Libemolæ mortuus est, 21 Octob. anno 1587. omnes hæretici. Post initium verò anni, 1531. Rex è comitijs Petricouiensibus Cracouiam redijt. Quo etiam Regni Proceres confluxerunt ad Sigismundi Augusti inaugurationem: quæ Mense Februario peracta est, à Ioanne Lasco Archiepiscopo Gnesnensi. Eam celebritatem cohonestauit Dux Prussiæ cum Guilelmo Marchione Brandeburgensi. Hîc Dux Prussiæ proposuit de loco in Senatu Regni sibi concedendo, & de voto suffragioque in Regis electione ferendi, quod sibi competere persuasum habebat, ac de nouo Prussiæ Magistro nuper à Cæsare in comitijs Augustanis creato, ne quid detrimenti Respublica Polona propter Prussiæ mutationem accipiat. Prius ad proximè futura comitia reiectum, etiam in quibus totius Regni jura corrigenda. De nouo autem Prussiæ Magistro, mandatum est Ioanni Dantisco Sigismundi Regis Oratori in aula Augustæ, vt inibi negotij satageret, ne ob id Polonia Prussiaq; periclitetur.

Sigismundi Augusti coronatio.

Albertus Dux Prussiæ citatur ad Imperatorem.

Circa idem tempus comitia imperij Augustæ Vindelicorum celebrata, vbi Alberto Prussiæ Duci nouus Ordinis Magister Valterus Cronenbergius litem mouit, quòd Prussiæ Magisterium, feudumq; in Ducatum hæreditarium Ordinis socijs in Germania inconsultis, conuertisset, eoq; nomine eum ad Cæsarem ac tribunal imperij citauit. Cum verò non compareret, à judicio Imperiali solenni ritu sub dio promulgatâ sententiâ proscriptus est. Qui causam ad Regem per Oratorem defert, patrocinium opemq; eius implorans. Ei à Rege responsum, missurum se ad Cæsarem legatum quo efficiat, ne inposterum Dux ad judicium extraneum euocetur, ne de cætero molestia ipsi exhibeatur. Cæterùm ad citationem de Regis consilio respondendum, visum est per oratorem Ducis eò mittendum, non agnoscere se, rebus sic immutatis, præterquàm Regis Poloniæ præcipui sui Magistratus, Jurisdictionem aliam, & vt inhibitionem Regiam ibidem repræsentet.

Mense Decembri: anni 1531, edicta à Rege Comitia Cracouiæ, quæ in proximi post hunc anni Mensis Januarium finita sunt. Ibi legati Ducis Prussiæ hoc responsum acceperunt, quo ad Regis Poloniæ electionem esse legibus & consuetudinibus Regni edictum, ne Principum familia ad electionem admittatur, eò, ne tàm suâ, quàm aliorum potentiâ munitus, vel seipsum aut propinquum consanguineumq; superiorem in regnum imponat, intrudatq;. Apologiam quòd velit Dux Prussiæ aduersùs recens creatum Ordinis Magistrum evulgare, non consultum sibi videri Illâ enim ipsâ multorum animos offensum iri, præsertim Religioni Catholicæ addictorum, & rem esse potiùs virorum doctorum, non Principis. Edidit tamen postea Dux Prussiæ scriptum, quo quoquomodo rationem sui facti explicat. In Comitijs deindè Petricouiensibus, ad diem Diuæ Catharinæ, anni 1535. indictis, prima constitutio promulgata erat, de executione omnium legum. Altera, vt antequam Rex jura & priuilegia Regni jurejurando confirmaret, templorum atq; Cænobiorum omnium Ciuitates Prussiæ Gedanum & Torunium priuilegia

legia atq; immunitates proximis in comitijs producerent: in quibus, si quæ juri communi contraria forent, rescinderentur.

Anno 1537. Calend. Julij, moritur Mauritius Ferber, XIX. Episcopus Varmiensis, & Varmiæ in Cathedrali Ecclesia sepelitur. Plurimis quæ de ipso superiùs dicta sunt, addo, eum post bellum proximum multa in Episcopatu vel de nouo ædificasse, vel vetera restaurâsse. Inter alia illud non extremum censetur opus, Curia Episcopalis ampla & elegans, quam apud Cathedralem Ecclesiam ex fundamentis erexit, muroq; ac fossa ipsam Ecclesiam cinxit. Elogio hoc decoratur. *Moritur Mauritius Ferber Episcop. Varmiensis XIX. 1537.*

Mauritium reparatæ arces & templa loquuntur.
Atq; in Varmiaco curia structa solo.
Hæreticam rabiem domuit populosq; rebelles:
Inq; bonis Clerum moribus excoluit.

Mauritium secutus est in Episcopatu Varmiensi Joannes de Curijs vulgò Flachsbinder dictus, Gedanensis, I. V. Doctor, Pöeta laureatus, Alexandri, Joannis, Alberti, & Sigismundi Regum Polonorum Secretarius, & ad Cæsarem Maximilianum primum ac Carolum V. Ferdinandum Boëmiæ Regem & ad Venetos Orator. Ex Canonico Varmiensi factus est primùm Culmensis Episcopus. *Ioannes de Curijs seu Flachsbinder Episc. Varm. XX.*

Circa annum Domini, 1540. in Prussia Torunenses, Gedanenses & Elbingenses prorsus ab Ecclesia Catholica defecerunt. Id vbi Rex cognouit, dat ad eos literas, mandans, vt & Religionem veterem, & quæcunq; alia in pristinum locum restituant, pœnamq; ni pareant, constituit. Cum verò illi præsertim Gedanenses facti rationem qualemqualem redderent, id quod Rex non concedebat, edicta posteà Regia ad se missa de re frumentaria frumentoq; vendendo, nec promulgare nec affigere voluerunt. Hinc anno Domini 1544. Cæsar Volfgango Ordinis Teutonici Magistro Cæremonia solenni palàm inaugurato Prussiæ Magistratus insignia contulit quam dignitatem multis annis Albertus Marchio Brandeburgicus vxore jam ducta usurpauerat. Mense posteà Septembri, anno salutis, 1547. Augustæ Vindelicorum Comitia celebrata sunt, ad quæ à Rege Sigismundo Stanislaus Lascus Palatinus Siradinensis negotij Prussici causâ missus, qui coram Cæsare ac Principum Senatu in hanc sententiam Latinè perorauit. Causam Prussicam non semel iam judicio ventilatam esse, sed quia semper in alios rejecta sit conuentus, habere se in mandatis, vt rursus illam proferat. Regem itaq: sperare, quoniam & liberaliter ei sæpè responderint, & æquitate causæ nitatur, futurum vt ipsius rationem habeant, non quidem vt judices, verùm vt Principes, amici, & vicini. Ac principio quidem inquit, de Ordine Crucigerorum nonnulla sum dicturus, quo res omnibus innotescat. Poloniæ Principes bonam partem huic Ordini, qui vulgò Teutonicus audit, ea lege attribuerunt, vt in Christiani nominis hostes eorum operâ vterentur. Verùm illi beneficiorum immemores, violatis sæpè pactis, in suos patronos arma verterunt. Itaq; bella inter ipsos sæpè, sæpè iterum pax constituta, renouatis pactis, quæ nunc commemorare necesse non est. Illud duntaxat, quod paulò antè memoriâ nostrâ accidit, in medium adducam. Casimirus Rex Sigismundi Pater ingenti prælio fusos Crucigeros nolentes volentes ad pacis conditiones adegit. Ibi inter alia pactum, vt illi Poloniæ Reges dehinc pro suo Magistratu fide jurejurandoq; dato agnosce- *Stanislaus Lascus Legatus ad Cæsarem.*

agnoſcerent. Verùm fuerunt poſteà nonnulli Ordinis nominati Magiſtri, qui pactis temeratis tutelæ aliorum ſeſe dederunt. Eorum ex numero fuit Albertus Marchio Brandeburgenſis, Regis Sigiſmundi ſororis filius, qui cùm ex pacto deberet Poloniæ Regi auunculo fidelitatis præſtare juramentum, intra ſemeſtre detrectauit. Quamobrem à Rege pacis aliàs cupidiſſimo ad arma neceſſaria itum eſt. Quamuis verò de ſumma rerum nunquam pugnatum ſit, vaſtationibus tamen & incendijs atq; velitationibus direptionibusq; plurimum damni datum, adeò, vt Marchio Albertus cùm eſſet impar, induciarum causâ ad Regem venerit. Superueniente autem Germanorum milite ſubſidiario, infecta re diſceſſit, bellumq; renouauit. Sed non multò pòſt deſertus ab illis, quod antè ſimularat, ſeriò coactus fuit præſtare pacemq; petere, quæ demum conſtituta fuit, intercedentibus quibusdam Principibus propinquis, his legibus, vt Regi fidem daret, eaq; faceret omnia, quæ beneficiarium & clientem decent. Hinc patet Pruſſiam ab eo tempore, quo Chriſtianam religionem amplexa eſt, Polonicæ ditionis tàm iure belli quàm pactis fuiſſe. Si qui enim alij iuris aliquid in eam ſibi arrogarunt, id Magiſtrorum Ordinis culpâ factum: qui cùm eſſent noſtrorum quidem Regum permiſſu origine Germani, ſæpiùs conati ſunt Pruſſiam ad alienos transferre. Quæ ſanè res & multis offenſionibus inter Germanos atq; Polonos occaſionem præbuit, & decretum etiam hoc extorſit, quo Marchio Albertus proſcriptus. Cæterùm quod juris habent ij, qui proſcripſerunt clientem alienum? Nam quòd judicio ſe non ſtitit, in ius vocatus à non competentibus judicibus, id Regis mandato fecit, in quem omnis culpa, ſi qua tamen eſt, conferenda: ſin eo nomine proſcriptus, quia pro Magiſtratu Regem agnoſcit, id ſanè eſt iniquum, aliquem videlicet eo puniri, quòd officio ſuo non defuerit. Vt ergò proſcriptionis decretum illud iniquum ac illegitimum aboleatur, petere Regem & à Cæſare, & à Principibus Ordinibuſq;. Neq; verò eſt, vt ambitione quadam & ampliandi Regni cupiditate Regem quis exiſtimet velle Pruſſiam poteſtatis ſuæ facere: nam qui regna etiam vltrò oblata recuſarit, quomodò in rei hujus ſuſpicionem vocetur? Certè non eſt ei tanti hæc prouincia, quin facilè eam, ſi per leges poſſit, ſit neglecturus. Cùm verò ad Poloniæ regnum propriè pertineat, iure Rex facit, qui ipſius patrocinium ſuſcipit. Nam quòd ſæpiuſculè contentiones propterea acciderint, ipſorum id ſemper culpâ euenit: quam audaciam injuriamq; Deus juſtiſſimus vindex ſubinde vindicauit. Nota hæc Cæſar & Ferdinande Rex, auo veſtro Maximiliano Cæſari, qui memor injuriarum, tum ipſi, tum Friderico Parti ab illis illatarum, ſanctè promiſit Sigiſmundo Regi in congreſſu Viennenſi, & promiſit quidem tàm ſuo quàm veſtro etiam nomine, nulla ſe Crucigeris auxilia contra Regem miſſurum. Idem fecit antè Sigiſmundus Cæſar cum Vladislao Jagellone Rege, Principis mei auo. Idem proauus veſter Fridericus Cæſar cum Caſimiro Principis mei Patre, qui vires & arma junxit in Vngariæ Regem Matthiam & Crucigeros tunc fœdere junctos. Et quanquam Rex Caſimirus bello cum Crucigeris implicitus Friderico Cæſari non poſſet copias auxiliares ſubmittere, pecuniam tamen ſuppeditauit, quantam ex pacto debebat. Ex his itaq; liquet, ordinem illum hoſtili ſemper animo fuiſſe in familiam Auſtriacam, quæ Poloniæ ſemper & fœderum & affinitatum vinculis conjuncta fuit: cuius quidem rei Sigiſmun-

giſmundus Rex habere rationem à vobis petit. Nam ſi qui ſunt eius Ordinis qui ſe obligatos exiſtimant, vt fidem & Chriſtianam religionem propugnent, ij ſanè, quod nunc agant in Pruſſia non habent. Nam finitimi circumcirca Chriſto nomen dederunt. Alia igitur loca petenda, vbi ſe exerceant. Eſt Ieroſolyma dudum ab hoſte occupata ad cuius defenſionem Ordo hic fertur inſtitutus: tenetur etiam ab eodem Conſtantinopolis, hic Rhodus, hic ſaltus. Sin nimis longinquum iter videtur, ſunt alia Chriſtianæ Reipublicæ propugnacula à tyranno eodem expugnata. Eò Ordo proficiſcatur, ibi amiſſa recuperet: aut quæ reliqua ab hoſte defendat. Si ciuili bello magis delectentur, cognomento hoc digni non ſunt. Verùm ita res habet: In hoc ordine ſemper deſideratus eſt ordo. Quapropter non è Pruſſia tantùm ſed Bòëmia etiam ante duo fermè ſæcula fuerunt eiecti: neq; tamen ea Bòëmiæ loca, vnde eiecti, quiſquam ſibi reſtitui poſtulauit: ſed ſolùm Poloniam ſibi deleierunt, cui moleſtiam faceſſerunt: cùm tamen ante omnes ei parcendum eſſet. Nam quamuis multis admodum Ordo fuit grauis, Poloniæ tamen inprimis. Etenim paucis exceptis, præſertim qui ſub initium vix vlli eius Ordinis Magiſtro ſuum fecerunt officium: imò pleriq; barbaris omiſſis, in Magiſtratum ſuum Poloniæ Reges arma ſumpſerunt: quin etiam Tartaros, genus hominum crudele & nomini Chriſtiano infeſtum ſolicitarunt ad fœdus, vt de Michàële Sternbergio cognomento Cuchmeiſtro memoriæ proditum. Itaq; ſi quis rationem ineat & conſideret labores, pericula, ſumptus, bella, turbas, prælia, cædes, deuaſtationes, quibus hic Ordo præ cæteris cauſam præbuit, vix illum tanti eſſe deprehendet. Vt ergò malorum finis aliquando fiat Rex maximè optat: & ſi quis Alberto in Pruſſia Duci bellum faciat, non poteſt omninò Rex illius injuriam negligere, quoniam & auunculus eſt & Patronus. Referuntur ad Regem criminationes aliquorum, quòd ei ſanè graue auditu, vtpotè Principi pacis & concordiæ orbis Chriſtiani amanti: verùm ſi quis vim faciat, inuitus quidem ad arma pertrahetur, quæ quidem arripuit, vt ſe quoq; defendat. Amicitiam ille cum omnium Principum tùm potiſſimùm veſtram Cæſar ac Ferdinande Rex appetit eamq; perennem eſſe optat. Antè hæc ſæpè egit per literas, & oratores, vt in Albertum Principem decreta tollerentur, id quo minus adhuc factum, non tàm vobis quàm temporum difficultati tribuit. Nunc verò cùm expoſitæ vobis rationes omnes, putat, poteſtatem habere vos eius conficiendi, quod aliquando prolixè recepiſtis, quando non vnis literis voluntate magis quàm facultate vos eſſe paratos ei gratificari, ſignificaſtis. Quod ſi fortè nolit Ordo quieſcere, ſed diſcordias atq; bellum moturus ſit, planè vos maiorum veſtrorum Maximiliani ac Friderici Cæſarum pacta ſeruaturos confidit. Alterum, quod in mandatis habeo, pertinet ad Gedanum & Elbingam Pruſſiæ vrbes. Hæ quanquam ſint juris Polonici, tamen ad Imperij conuentus euocantur. Petit ergò Rex, ne quid poſthac eiuſmodi fiat. Et cùm præter ipſum nemo quicquam habeat juris in illos, vt ſuis legibus vti permittantur.

Ad Laſci orationem Volfgangus Teutonici Ordinis Magiſter ſic reſpondit. Sibi videri totius negotij cardinem in hoc verſari: vtrum Pruſſia ſit ditionis Polonicæ, an Imperij & poſteriùs hoc ſe demonſtraturum promiſit. Repetita ergò ab ouo Ordinis Teutonici origine, dicit in Aſia & Africa religionis propagandæ cauſâ ante quadringentos annos Ordinem

nem inſtitutum, poſt à Conrado Maſouiæ Duce, qui à Pruſſis tunc adhuc paganis, ipſe Chriſtianus fuit, bello attritus, euocatum auxilio, Culmenſemq; agrum & Pruſſiam omnem, ſi occuparent, præmij loco attribuiſſe. Donationem eam à Cæſare Friderico ſecundo ratam habitam, nec minùs ab ipſis Pontificibus Romanis confirmatam. Felici deindè ſucceſſu Crucigeros cum Pruſſis bella geſſiſſe, Pruſſiam occupaſſe, ad religionem Chriſtianam adduxiſſe: Epiſcopatibus atq; vrbibus exornaſſe ac verè murum atq; propugnaculum Germaniæ ad plagam illam Septentrionalem excitaſſe. Cum dein Lituani Tartaris conjuncti bellum feciſſent Polonis ac Maſouijs, Crucigeros Lituaniam ingreſſos eam longè lateq; vaſtaſſe. Itaq; cum Polonis pacem & amicitiam diuturnam ordini fuiſſe, donec extincta vetere Poloniæ Regum ſtirpe, Lituaniæ quidam Princeps, Poloniæ Rex creatus, gentis ſuæ cladem vlturus, bellum illis repentè intuliſſet, & magnum damnum dediſſet. Compoſitam deindè rem Cæſaris Sigiſmundi ac Regum Vngariæ, Boëmiæq; interceſſione: adeòq; Poloniæ Regem tunc acquieuiſſe, vt nec Dominum nec hæredem Pruſſiæ ſeſe vendicaret, aut vllus Regum poſthac ſit vendicaturus. Sed mox ea pace rupta, ac ſeditione inter nobilitatem ac ciuitates Pruſſiæ orta, ſeptuaginta circiter oppida atq; arces ſimul ad Poloniæ Regem Caſimirum defeciſſe. Coactum tunc ordinis Magiſtrum conditionibus iniquis, cùm Rege tranſegiſſe & capiſtrum accepiſſe tale, vt ſinguli Magiſtri intra ſextum ab inito Magiſtratu menſem, Poloniæ Regem adirent, ac dicto juramento Dominum agnoſcerent: Polonos etiam in Ordinem reciperent: deniq; facultates acquirendas ad regni clientelam deferrent. De his conditionibus Germaniæ ignominioſis, ordini verò damnoſis ſæpè quidem queſtos Ordinis Magiſtros ad Pontificem, ad Cæſarem & alios Reges, ſed fruſtra: in fide tamen Imperij ac clientela permanſiſſe. Albertum etiam Brandeburgicum Ordinis Magiſtrum Imperij primum comitijs Noribergæ interfuiſſe, ac decretis Imperij vt membrum eius ſubſcripſiſſe. Sed acceptis aliquot cladibus, poſtremò in Poloniæ Regis gratiam, deterioribus longè conditionibus tranſegiſſe: quod idem & ab alijs factitatum. Quo igitur jure poſſit Poloniæ Rex petere, vt ſibi juramentum præſtet, ab Imperione deficiat? cum à Cæſaribus vt clientes fuerint ſemper habiti. Ingratitudinem & violata pacta quòd alleget, in eo Ordini injuriam fieri, idq; literatum monimentis doceri poſſe, raro ſeruatam à Poloniæ Regibus fuiſſe fidem. Cæſares ſuperiores quòd nominet Ordini infenſos, rem longè aliter ſe habere. Sigiſmundum enim, Fridericum & Maximilianum Cæſares, ſemper & Ordini fauiſſe, & ſaluum auxilijs etiam ſubminiſtratis voluiſſe. De Ieroſolyma, quod facetè objiciat, recuperanda, contra ſe quærere, cur Rex Poloniæ non repetat à Moſco occupata dudum, & cur à Tartaris infeſtis ſua non defendat? Boëmiâ quod Crucigeros exterminatos objiciat, exemplum eſſe non ſolius Ordinis expulſi, ſed & aliorum Catholicorum, niſi fortè Poloni in ipſis idem imitari velint. Bella cum Polonis ab Ordine geſta fateri ſe quidem, ſed ſemper juris vel defendendi vel repetendi causâ. Quod de fœdere eum Tartaris inito objectum, id ipſos feciſſe Polonos oſtendit. De Gedano & Elbinga, rem eſſe claram, Ordinis vrbes eſſe, & ad Imperium pertinere: nec aliud jus ibi habere Poloniæ Regem, quàm quòd Ciuium defectione conſecutus ſit. Concludit tandem, oratq;, vt pridem lata ſententia in executionem deducatur. Huic reſponſo Laſcus ſcripto quidem contrario reſpondit, ſed non exhibuit. Vtriuſq; enim partis rationibus delecti fuerunt arbitri, qui cauſam cognoſcerent.

Eius

Eius judicij summa fuit, sententiæ in Albertum Brandeburgum Marchionem pronunciatæ standum esse: qui tamen visa maxima difficultate executionis, ad Cæsarem omnia reiecerunt. Obijt anno 1547. die Lunæ Paschæ Anna Dorothea Ducissa Prussiæ.

Anno sequenti, id est 1548. moritur Sigismundus Rex primâ Aprilis. Cui successit in Regno filius Sigismundus Augustus. Terræ autem mandatus est circa Maij initium: cuius funeri etiam Albertus Dux Prussiæ interfuit. Ducebat verò Reginam cum funere euntem Dux Prussiæ dextrâ, sinistrâ Marchio. Non prætereundum est, quod ioculariter admissum offendit sacrorum præsides. Cùm enim Albertus Prussiæ Dux in æde S. Francisci offerret & ipse munera pro auunculo Rege, non quòd ille prodesse putaret mortuo, alienus enim hic vir ab ea religione fuit, sed vt se Regi filio offerenti accommodaret, Ioannes Ocziešski homo salsus & perurbanus, Ducem ludibundus adit, ac monet, etiam atq; etiam Dux videret, quid ageret. Nam Monachos pecuniam à Duce oblatam signare, & consignatam Romam ad Papam velle mittere, quòd illi probent Prussiæ Ducem in purgatorium hoc funere fuisse liberalem. Id Dux pro vero accepit, quod ludo dicebatur, ac respondet: se non commissurum ampliùs, vt Prussiæ Ducis pecunia videatur iuuare purgatorium, abstinuitq;, nec adduci potuit, vt deinceps quicquam offerret. Petebat postea Albertus ex Regis sororibus alteram, alteram Brandeburgensis Marchio. Sed Episcopi vehementer huic petitioni reclamabant, quòd non rectè dari Regias filias desertoribus Romanæ fidei existimarent. Redirent in fidem Romanam illi priùs, deinde virgines, si illis videretur, in matrimonium peterent. Igitur cum hæc procatio non processisset, anno 1550. sexagenarius secundas nuptias diebus liberalibus cum Anna Maria Ducissa Brunsuicensi, virguncula septemdecim annorum celebrauit. Quæ cùm ex Saxonia in Prussiam ad illum ornatissimo comitatu duceretur, excepta fuit honorificè ab Andrea Gorkano Comite Posnaniensi Castellano ac majoris Poloniæ præfecto, triduumq; magnificè ab illo habita, ad virum est profecta.

Sigismundus I. Rex Poloniæ moritur.

Cùm superiùs primorum Apostolorum Luterani Euangelij, qui scilicet eam doctrinam in Prussia seminârunt, nomina, vitam, & mores descripserim: locus & tempus postulant, vt etiam, quales prædicatores istius Euangelij circa hæc tempora extiterint, referam: ac imprimis Andreæ Osiandri historiam. Hic dum ministrum antiquæ Ciuitatis Regiomontanæ, & primarium lectorem Academiæ ageret, ex insperato, anno Christi 1551. contra Augustanam cofessionem, quæ vult fide sola hominem iustificari: incepit docere hominem eâ justitiâ justificari, quâ Deus iustus est. Cuius doctrinæ non solùm actutùm egregios discipulos M. Ioannem Funcium ac alios: sed etiam patronum summum Ducem Prussiæ Albertum accepit. Fuit Osiander Luteri discipulus, Guntzenhusij non procul Norinbergâ Patre fabro ferrario natus. Homo vultu distorto & truculento. Alter Enoch videri ac haberi voluit, & in suggestu ense lateri accincto Thrasonicè se ostentabat. Ioachimus Merlinus minister Collegij Regiomontani huic Osiandricæ doctrinæ & nouitati, concionibus strenuè, fretus gratiâ populi in confessione Augustana persistentis, sese opposuit. Contigit interim Osiandrum mori die 17. Octob. horâ quartâ vespertinâ, anno Christi, 1552. Et quidem miserrimè. Nam rugitibus crebris in morem bouis replens cameram, spiritum exhalauit: dicentibus, qui aderant, se cuipiam tale mortis genus non optare. Iam se igitur putabat palmam de hoste Merlinus consecutum: cùm præter expectationem Dux ipse Prussiæ ad instanti-

Andreas Osiander.

Ioachimus Merlinus.

Mors Osiandri.

stantiam Magistri Joannis Funcij primarij discipuli Osiandri, de quo Funcio inferiùs plura, serio præcepit edicto ministris omnibus in Ducatu suo propalare doctrinam Osiandri de iustificatione, & nolentes ad eam cogi. Quod Merlino & populo grauiùs accidit. Et quidem Merlinus cùm non obediret edicto Principis, ac etiam eidem publicè contradiceret, valere iussus est, 19 die Febr. anni 1553. nequicquam pro eo deprecantibus ad Principem quadringentis matronis, virginibus, ac puellis, quibusdam etiam nobilibus: quæ hoc fine ad arcem ex Cniphouia processionem instituerant. Discessit verò Merlinus Brunsuigam. Sed neq; quicquam impetrârunt nuntij, quos eius causâ Joannes Fridericus Elector Saxonicus ad Albertum ablegârat. Quin omnes alij ministri in Ducatu Prussiæ, qui non recipiebant doctrinam de duplici Justitia, valere iussi. Tandem Princeps Albertus persuasus à Joanne Alberto Duce Megapolitano, qui in Prussiam venit: eo nomine, quòd malè audiret in Germania de remisso nuntio confessioni Augustanæ, non solùm animum & opinionem de justificatione hominis mutauit, sed & Merlinum antea ejectum ex Prussia, cum honore & non exiguis impensis Brunsuigâ reuocauit, & Sambiensi superintendentiæ præfecit. Nec fuit parsum jam sepulto & putrido corpori Osiandrico. Nam reconditum splendidè ante maius altare Ecclesiæ Parochialis, exhumatum est: & vbi nescitur alibi sepultum: posito in eius locum Nicolao Baltasare. Ita quidem omnem, qui ab Ecclesiæ petra recedit, à vento doctrinarum humanarum semper oportet tanquam arundinem agitari.

Fuit Osiander chiromanticus, & etiam artem pridem ab omnibus damnatam alios docuit, præcipuè Ioannem Rugkerum commensalem, qui posteà demortui relictam viduam matrimonio sibi junxit, vt scribit Luteranus minister de Luterano ministro: ne si historiam hanc Catholicus scriberet, de fide suspectus haberetur. At non solùm populum Prussiæ dissonantibus doctrinis distrahebant atq; turbabant, sed etiam sceleratâ vitâ ei præluxerunt illi primi Apostoli, & deinde moderni illorum successores: quibus tamen nihil permota plebs, ad meliorem mentem cogitabat redire: cùm è contra plurimi ad Ecclesiam Catholicam propter solos lapsus Sacerdotum aliquorum, etsi doctrina illorum recta sit, reuerti tergiuersarentur. Fuit etiam anno 1558. Ioannes Vernerus Saxo, superbus quidam vir, vt inquit idem author, sed eis familiarissimus, qui eius amicitiam aucupabantur. Lubecâ is, vbi belli tempore prædicantem in classe egerat, veniens, in Prussia ducali ad diuinum quoq; ministrum in Kaymen promouetur. Cùm carminibus scribendis valeret, atq; alijs donis naturæ polleret, à Ioanne Vigando superintendente Pomesaniensi Capellanatûs officio in arce Regiomontana donatus fuit: atq; studio eiusdem, titulo Magistri decoratus. Suspicione verò forti cœpit laborare de amore puellarum & vxorum alienarum. Cuius rei gratiâ depositus ab officio, vagabundi & otiosi hominis vitam aliquantisper egit. Promotus rursus ex vagabundo in ministrum Lichtenhagensem, non diu ibi moratus est. Nam magnificus Ioannes Iacobi architruxesius aduertens hominis (vtinam ad virtutem) ingenium promptum, eum in ministrum sibi adsciuit, & vt scholæ à se fundatæ Landisbergæ lector esset, constituit. Nec deerat is officio suo tàm in scholis quàm in templo. Quo accidit, vt eo familiariùs magnificus vteretur, nec quicquam ferè tam secretum haberet in aula sua, quod ei non ostenderet, vel eius fidei non concrederet. Contigit interim herum Regiomontum ob corporis aduersam valetudinem proficisci ac ibi emori. Profecta ad demortuum virum coniux eius amantissima

Joannes Rugkerus (margin)

Joannes Vernerus (margin)

ſima, & ij ad quos cura funeris ſpectabat, pro officio quæque circa illud fecerunt. In reditu erant, cùm illis Milhauſij ſubſiſtendum fuit pro nocte, quæ ſacra eſt memoriæ trium Regum incunabula Chriſti olim viſitantium: qua nocte circa Landisbergam grandis tempeſtas orta eſt, alibi temperie àëris bona exiſtente. Iam deuectum fuit ad aulam propriam corpus. Dum verò reuidetur ſupellex, dùm omnia ſcrutantur hæredes, deprehenditur abeſſe ladula magni momenti, vndequaque ferramentis & ſeris firmis munita: longa quinq; quartarum vlnæ: lata trium, & alta vlnæ integræ. In ea recondita ſeruabat vitâ functus quæ in vita homini ſunt chariſſima: nempè literas ſuper bona & fundos: ac vt multa breuibus verbis complectar, theſaurum ſuum, qui non erat contemnendus. Cadebat nunc in hunc, nunc in illum ſurreptæ ladulæ ſuſpicio: & ita quidem grauiter, vt carceri & vinculis manciparentur: nulla, ne quidem minima orta ſuſpicione de miniſtro adſcititio. Quin ipſe ad preces hæredum defuncti ampliſſimis verbis & zelo forti ex ambone populo & Deo rem commendabat: precabaturque ab eodem reum pandi, & vt iſtam ſceleris commiſſi vltionem non euaderet, optabat. Deus qui non irridetur, fecit quoque, quando ipſi placitum fuit ſoricem, id eſt miniſtrum Vernerum ſe ſuo indicio prodere. Nam ipſe ſupra fortunam ſuam & facultates nummos aureos patrinis & puellis nonnullis erogare: cùm eſſet medicinæ peritus, pretioſa medicamenta & libros magni pretij coëmere, atque qui non eſſent in communi vſu aureos ſpectandos vicinis exhibere cœpit. Quibus ſe aut reum aut conſcium ſaltem ablati theſauri apud plurimos tacitè reddebat. His perlatis ad hæredes vitâ functi, effecerunt ipſi apud Ducem Pruſſiæ, vt ſine longiore procraſtinatione ad capiendum Vernerum octo equites cum notario Landisbergam mitterentur. Qui illuc venientes, ei quid in mandatis haberent, exponunt. Erat dies Dominica, & quidem ea quæ carnis priuium præcedit, ipſeque a prædicatione ceſſarat, & ex ambone deſcenderat. Inſtructum quoque; ipſo die inſignem habebat apparatum ad peragendum natalem filij recenter nati: iamq; non exiguus populus ad conuiuium confluxerat. Inde igitur argumentis deductis vius, quòd puerperam ægram, quòd hoſpites haberet, ſe omninò abeſſe domo non poſſe aſſerebat: ſibiq; fieri maximam injuriam ea in cauſa querebatur, cùm ſe ſciret innocuum. Viderint quid aucturi ſint, quiue res caſura ſit, accuſatores. At nuntij profectionem vrgebant, dicebantq; ſe tantillum ei temporis concedere, vt puerperæ valedicat, & domum ordinet, non ampliùs. Ille verò nunc hac nunc illac diſcurrere, nunc hoc nunc illud jubere. Hanc procraſtinationem cum equites non ferrent, juſſus eſt currum aſcendere. Quod dum facit, notarius ciſtas & armaria obſignat. Solus verò currui inſedit vulpina veſte longa indutus: neq; vlla cautio adhibita ei fuit de cultris & pera auferendis, quod factu opus erat. Deuenerant ad prædium Ducis Galleinen dictum: vbi frigoris pellendi causâ eis aliquantulum ſubſiſtere neceſſe fuit, Vernero ſolo in curru dormiente. Excitatus & interrogatus num & ipſe cuperet calefieri; nihil reſpondit: ſuſpiransque altum ac toruum reſpiciens, repletis aqua oculis, rurſus caput reclinauit. Calefactis corporibus, procedebat comitatus verſùs Ilauiam, cùm ecce maxima tempeſtas circa ipſum oritur. Quæ etſi, currum Verneri, quod propè erat, non euertit, galerum tamen & inferiorem piliolum eius ex capite in ſublime ſublatos, longiùs proiecit in terram: quos duo equites allatos rurſus eius (madente inferiore ſudoribus) impoſuerunt capiti. Ipſius verò lingua atra prorſus, digitum vnum

 lon-

longum, ex ore prominebat. Rugientem horrendùm properabant arcâ inferre. Quid multis? à mortuo supplicium sumptum & ipse sub patibulo pro merito sepulturam nactus est. Fuit is non tantùm alieni thori & auri reus: sed & proditor confessionis cuiusdam factæ, vt idem geographus scribit. Georgiburgi scribit idem fuit anno Christi 1572. minister elati animi & suspectus de Caluinismo. Is cùm vxorem in aula probè notam duxisset, ante debitum tempus pater factus fuit: propter quod minister eam cœpit paruipendere, animo ad aliam adiecto, nimirum ad tabernatricem quandam non procul inde habitantem: quam sæpius quoque visitabat, viciſſim ab illa visitatus etiam in alterum diem, quæ tandem peste obijt.

Certè si rem penitus inspiciamus, longè alij erant illi viri qui Prussiam ab ethnicismo ereptam, ad fidem Catholicam conuerterunt, quàm qui per hæc tempora eam à Catholica fide abstractam ad Luteranismum protraxerunt, & eam in ipso confouerunt. Longè, inquam, alij erant viri, S. Suitbertus, S. Adalbertus, & S. Bruno cum socijs suis: quorum vitam in initio libri descripsi: quàm Georgius Polentz, Gerardus Poijs, Amandus, Jacobus Finckenblock, & his similes desertores fidei & status sui: tum successores eorum, Andreas Osiander Merlinus, ac successores eorum. Sed horum vitam cum illorum beneuolus lector ipse per otium conferre poterit: ego ad ea quæ mihi narranda suscepi, pergò. Et quamuis in istis Apostolis istius temporis, ne vmbram quidem ad illorum sanctitatem, probitatem & doctrinam benignus lector, immò eos pluribus sceleribus palàm scaturijsse reperiet: nulla tamen cum difficultate, quin potiùs per risum in suam sententiam magnam Prussiæ partem breui temporis spatio, & ut ita dicam, momento vno pertraxerunt: licet illi etiam vitæ periculum & sexcenta tormenta adeuntes vix barbaros potuerint flectere ad vitam Christianam: sed erant ad conuertendos eos arma Crucigerorum necessaria, cùm eis etiam Polonica nimis lenia fuissent: quibus tandem coërciti nomina sua Christo dederunt. Cur diuersis tàm diuersa acciderint, quæris? Duplici ex causa hoc accidisse refero. Primùm quidem, quod viri illi sanctissimi vitam asperam quæ ducit ad cœlum hominibus exemplo Christi Domini proposuerint, in qua & ipsi exercebantur: hi verò mollem & carnalem ad quàm ipsimet ab aspera & dura declinassent. Non mirum itaque est illos paucos vel etiam nullos habuisse sectatores: hos verò innumeros eosque promptissimos. Deinde vltimi astutia quadam & dolo vsi sunt ad auditores credentes peruertendos (non enim, vt inquit ille, profitentur hæretici ad ethnicos conuertendos, sed ad Catholicos corrumpendos) dum biblia, vt superiùs dictum, à Lutero versa sub titulo veri verbi DEI illis legenda proponerent.

Abstractum & concretum. Debeo etiam meminisse altercationis factæ de abstracto & concreto inter Tilemannum Heshusium Sambiensem, & Ioannem Vigandum Pomesaniensem superintendentes, & eos qui utrisque adhærebant ministros. Post longam & acrem factam de ijs disputationem, cedere denique debuit Heshusius cum sua parte Ducali Prussia, ita dijudicante & jubente Duce Prussiæ inter suos Episcopos. Discessit verò Heshusius Regiomonto, 11. Julij anni, 1577. cum suis Lubecam. Intereà verò dum in concionibus de abstracto & concreto adversùs se disputant, hi termini ad fœcem populi, nempè ad ancillas delabuntur. Itaque istæ cœperunt adversarias suas meretrices abstractiuas, siue in abstracto: hæ viciſſim illas meretrices concretas proclamare: vulgo ein abstractische, ein con-

cretische

eretische Hur. Imaginabantur verò per risum aliqui populo: concretum se habere respectu abstracti, vt se habet farcimen cum pellicula ad farcimen decoriatum.

Mirum quoq; fuit & tremendum, quod circa hæc tempora, postquàm vtcunq; res inter ministros cœpit conquiescere, natura his quasi illudere inciperet, quòd illi cursum doctrinæ veteris inuertissent & abortum fecissent. Hoc natura humana fecit varia monstra producendo: quæ plerumq; fieri solent ad mutationem grandium rerum: inter quas Fides est. Si modò homines intelligere voluissent. Horum monstrorum quædam in gratiam lectoris huc ponere volui. Anno, 1566. natus est 21. Ianuarij in Lebenich Regiomonti sutori infans sine auribus, manibus, ac pedibus, qui vltimi tamen fuerunt leporini. Mox extinctum fuit monstrum. Anno, 1570. die 15. Martij Regiomonti in veteri civitate Anastasia puerum peperit, cujus quidem pectus & venter rectè constituti essent, sed pedes & manus vtraq; ad dorsum obuertebantur, cum virgula virili solitò maiore. Anno 1575, die 11. Febr. nata est fæmella ex Rosa matre in Ramitten villa, sine naso & auribus cum duobus oculis rotundis & prominentibus, ac ingenti ore. Anno 1581. die 15 Aprilis, nata est in Pobeten fæmella cum duobus capitibus ac duplici facie. Anno 1583. die 22. Decembris, genuit mulier in villa Vorinen puerum cum duplici facie: cuius labia essent leporina, cum duobus nasis, quatuor oculis: cum magnis scilicet duobus oculis quasi vitulinis apertis: & duobus exiguis quos habuit in fronte. In vtraq; parte vultûs duas aures, caput superius patens & apertum. Habebat præterea in fronte duos sanguinolentos tuberculos prominentes &c. Anno 1585. natus est infans Regiomonti masculus ex matre Elisabetha qui habuit pelliculam in capite in modum vittæ seu tegumenti bullati siue pustulati nigri, in modum eius quod mulieres deportant: potuit hoc attolli & deprimi. Anno, 1594. prodijt infans Regiomonti, qui habebat vittam ex pelliculis cum plicis, sine oculis. Anno 1591. die 17 Octobr. natus est puer cum rotundo capite: in loco nasi vnum oculum leporinum habuit cum duabus pupullis. Anno 1595. die 8. Febr. Thomædorfij natum est monstrum; præcipuum in ipso erat, quòd haberet in qualibet manu sex digitos & tenuem cuticulam in ventre, per quam etiam intestina videri poterant. Hæc ex Geographo, superiùs etiam posito, accepta, huc posui. Scio nonnullos authores similia monstra etiam alibi in regnis, notasse circa hæc tempora noui Euangelij. Qualia miracula aër in Prussia operatus sit, vix dici potest: Similiter quot sibi ipsis his diebus manus intulerint: quot diabolus visibiliter abripuerit: quot cædes perpetratæ fuerint. Non potuit etiam tàm notabilis mutatio Fidei, sine insigni blasphemia Dei, injuria Sanctorum, Sacramentorum, Sacerdotumq; ac templorum fieri. Et quidem similia ex Grunauio superiùs enumeraui, nunc alia pauca ex alijs authoribus adfero. Stanislaus Resca de Neuteichensibus ita scribit. Ad præpinguem illi porcum in lecto obscurioris cubiculi constitutum Catholicum Sacerdotem tanquam ad infirmum hominem communicandum vocauerunt. (Simile quid Groslichtenauienses antiquitus tentasse superiùs innui.) Venit is etiam vocatus. Satagebant illi & cogebant Sacerdotem, vt porco Eucharistiam porrigeret: sed cùm fraudem animaduertisset Sacerdos, ante porcum vel potiùs porcos margaritam projicere noluit. Cuius rei gratiâ Marieburgi facinorosi illi graui pœna mulctati sunt. Gedanenses etiam, cum in Ecclesiam Dominicanorum irruissent, aras, plerasq; statuas & imagines euertissent, inter alias

Monstra.

1566.

1585.

Statua S. Stanislai à Gedanensibus contumeliosè tractata.

S. Stanislai statuam deauratam, fune ad pedes alligato per ciuitatem ad omnium contumeliam traxerunt. Ad extremum attritam & detruncatam ad valuas eiusdem Ecclesiæ reliquerunt. Sed pestis grauissima statim consecuta, audaciam eorum correxit. Obseruatum est hoc quoque in eadem ciuitate à pijs & religiosis viris, quòd in Ecclesiasticæ supellectilis direptione, quidam ab altari abstraxerat Antipendium, auro, sericoque intertextum, & illud ad vsum tegendi lectuli conuerterat, in quo qui primus decubuit subitanea morte postridie extinctus est: ac nouem deinceps alij eadem lodice quasi vtentes intra paucos dies perierunt. Fortè rem eam vndecimus, qui domi superérat, obseruauit, stragulum ad æditum templi supplex reportauit. Nec aliud deinceps domus illa incommodum experta est. Cùm Elbingæ templum Parochiale vsui Catholico à p. m. Cardinali Hosio Episcopo Varmiensi restitutum esset, & is in eo Patres S. I. atque alios sacerdotes sæculares collocasset, omni eos injuriarum & persecutionum genere Luterani diuexarunt. Sæpè saxa grandia quæ vidimus in dorsum & in caput celebrantis Sacerdotis, illo ipso quo Eucharistiam eleuabat tempore (vocabatur is Pater Petrus Phaë) intorquebant. In alterum Sacerdotem Assermannum verbum Dei è suggestu populo annunciantem quinque lapides proiecerunt, à quibus tamen inuoluto in pallio capite, læsus non est. Quodam die Hanus quidam Luteranus, dum Sacerdos celebraret, Ecclesiam pertransibat, & videns eleuatam Eucharistiam fœtidas braccas deposuit, & nudas nates ad altare Dei exposuit. Admonitus à deuota fœmina obscænitatis: talis, inquit, Deus, tali dignus est reuerentia. Sed statim est diuina vltio consecuta: nam pes vnus ignem, vt vocant, infernalem concepit, quem coactus est abscindere, equo dolore perijt. Fenestras cubiculorum, in quibus Dei Sacerdotes habitabant, singulis ferè noctibus proiectis lapidibus effringebant. Cellarij portam, in quo doliolum cereuisiæ asseruabant, deiecerunt, & in dolium fætida ventris onera deposuerunt. Quod tamen serui Dei, nisi exhausto post multos dies dolio, non obseruarunt. Ad extremum Patri Petro Phaë venenum obiecerunt, è quo brachij vtriusque vsum amiserat: quem tamen illi posteà Dominus restituit. Hactenus Rescius. Timentes verò Ministri Elbingenses, ne ex paruis initijs Catholicorum in vberem segetem fides excresceret, ipsique tandem cognita veritate solùm vertere deberent, idipsum maturè Catholicis Sacerdotibus procurarunt. Proindè mortuo Rege Sigismundo currus paratos ascendere iussos vniuersos Ecclesiæ ministros vsq; Neikirchum Senatus spectabilis auehi curauit. A quo quidem tempore Catholici Ecclesia Elbingæ caruerunt (quamuis paulò post Mathias Machouecius Canonicus Varmiensis, & Parochus Elbingensis multos sumptus ac labores, eo nomine, vt eam reciperet, fecerit) vsque ad annum Domini, 1617. quo eam Simon Rudnicki Episcopus Varmiensis ipsis Calendis Ianuarijs Deo reconciliauerit. Sed hæc majori ex parte anticipate dicta sunt.

Retuli verò hactenus primorum Apostolorum Euangelij noui in Prussia doctrinas, conciones, altercationes, mores, vitas atq; malitias: denique mortes quorundam. Dicet aliquis: Certè erant etiam terribiles mortes illorum virorum, qui quondam Prussiam ad fidem Catholicam conuerterunt, quos Prussi occiderunt. Respondeo: illorum mortes acerbæ, non nisi pretiosissimæ in conspectu DEI erant. Qualis etiam mors Apostolorum Christi fuit. Non enim seipsos occiderunt. Si verò occidebantur ab alijs, non fiebat id ob scelus quodpiam, ab illis perpetratum. Si verò naturali cursu obirent, moriebantur non desperantes,

non

non insanientes, non ebrij. Etsi verò placida mors non etiam omnibus contingat bonis, primis tamen fidei nouæ prædicatoribus pernecessaria est. Subjungam adhuc pauca malè morientium primorum ministrorum exempla in Prussia, & claudam argumentum propositum. Franciscus Freudenhamer Capellanus antiquæ Ciuitatis Regiomontanæ apoplexiâ tactus in ambone, 29. Martij, anno 1552. obmutuit vsq; ad 25. Maij, quo obijt: non meliore vitæ exitu dignus: qui concionatus fuerat, IESU Christi Domini passionem tantùm profuisse (horreo dum scribo blasphemiam) hominibus, quantùm si rusticus contra hostem retrorsus hellabardam terat. Stanislao Polono alicui, qui habuisset plurimos suæ gentis discipulos, agonizanti in fronte guttæ sudoris in modum pisorum obortæ sunt. Andreas Aurifaber dum anno 1559. die 12. Decembris Ducem Prussiæ Albertum, accepturus ab eo instructionem, adit; (nam postero die ad Poloniæ Regem in legatione abiturus erat) repentino casu in camerariorum habitatione concidit & expirauit. In tanta authoritate apud Principem is fuit, vt quicquid vellet, pro libitu impetraret munerum & denariorum voracissimus. Michaël Boer Nurnbergâ oriundus, minister Rinouiensis in Sambia, cùm ejus negotium quod anno 1564. post festum S. Martini quodam die Sabbathi apud Aduocatum Fischausensem Christophorum Albertum Kunheim promouere & expedire volebat, juxta animi sententiam non processisset, ad leuandum curas & nauseam inde contractam, reliquum diei vino hauriendo in domo Proconsulis indulgebat. Ad vesperam domum proficiscentem, vt die Dominico diuinum verbum populo suo prædicaret, in itinere horrenda tempestas detinuit. Delapsus de equo, quo iret, nesciebat. Dum verò errabundus ambulat, deuenit ad piscinam Fischerad. Ibi gladiolo, quo accinctus erat ramos arborum abscindens, lectum sibi strauit: in quo dum dormit caput pallio obuolutus, animam exhalat. Expectabatur manè à plebe pro concione, sed nusquam comparuit: quibusdam etiam dicentibus, à Dæmone malo sublatum esse. Audiens talia Magister Ioannes Sciurus Regiomonti apud quem defunctus diu versatus erat, in tantum exhorruit, vt pestem conciperet, quæ Regiomonti grassabatur, ac moreretur. Adueniente Vere nouo, cum in piscina dicta piscatores rete traherent, cadauer Michaëlis ministri extractum fuit. Tam scilicet castis, vnanimibus, innocentibus, temperantibus, sobrijs, mitibus, quietis, humilibus & ab auaritia procul remotis prædicatoribus Prussi illo tempore aures suas præbuerunt.

Sed omissis his, historiam anni, 1548. cujus aliquantulum digrediens omisi narrationem, resumo. Quo quidem Ioannes de Curijs, Episcopus XX. Varmiensis, postquam eam Ecclesiam vndecim annis benè prudenterq; ac feliciter administrasset, in Domino obdormiuit, Heilsbergæ, & in Varmiensi Ecclesia sua Cathedrali sepelitur, ætatis suæ anno sexagesimo quarto, minus quatuor diebus. Paulò ante mortem sibi hæc duo Epitaphia conscripsit.

Joannes Flachsbinder Episcopus Varmien. moritur & Varmiæ sepelitur.

Jam sexaginta coëunt & tres simul anni.
Hactenus à superis quòd mihi vita datur.
Quam climactericum contingere sentio tempus.
Vltimus hoc multis terminus esse solet.
Intra quod si fortè DEVS migrare jubebit.
Qui fuerim paucis ista notata dabunt.
Aula diu tenuit me Regia, misit ad orbis

Primores: erat hinc infula dupla mihi.
Corpus habet tandem nunc terra, quiete fruatur.
Spiritus æthereâ, quæ sine fine beat.
Hoc quisquis transis, mihi quæso precare viator.
Vt tibi posteritas inde precetur idem.

ALIVD.

Terra tegat carnem, sit vermibus illius esca.
In cineres abeat, quod fuit ante cibus. cinis.
Ad te summe DEVS contendit spiritus, illum
Reddo tibi; redeat, venerat unde priùs.
Ambitio, spes, cura, labor, luxus, dolor, & mens
Rebus in humanis, irrequieta vale.
Soluor ab his in his dena trieride & una.
Illecebris durus qui mihi carcer erant.
Viuimus incerti: postquam procul esse putabis.
Et minimè veris, fata venire solent.
Tu qui securus vis viuere, mortuus esto
Mundo: & in hoc dubio turbine viue DEO.

Elogium Joannis de Curijs.

Ingenio præstans & rebus natus agendis.
Christiadum Proceres præcipuos adijt.
Omnibus acceptus, placidè sua munia gessit.
Protulit innocuos & sine labe dies.

Tidemannus Gise Gedanensis Episc. Varmiensis XXI. Successorem accepit Ioannes, Tidemannum Gisium Gedanensem quoq; ex Custode & Canonico Varmiensi. Fuit is quoq; Parochus Gedanensis postea Episcopus Culmensis: homo literatus & disertus, sed non vsq; adeò in Religione Christiana sincerus: quod scripta ejus demonstrant: quæ tamen in lucem edita non sunt. *Ejusq; mors.* Præfuit Ecclesiæ non totos duos annos. Septuagenarius mortuus est apoplexiâ, Anno Domini, 1550. die 24. Octobris.

Elogium Tidemanni.

Huic fidei placuit nouitas: sed grandior æuo
Intactum moriens liquit ouile breui.

Stanislâus Hosius Episc. Varm. XXII Post eum accepit Episcopatum Varmiensem Stanislaus Hosius. Hosio verò Episcopo Culmensi successit XXIII. Episcopus Culmensis Ioannes VI. Lubodziesky, Anno Christi, 1551. Augustus verò Rex in Februario, anni. 1552. Petricouiam ad Comitia indicta venit. Quibus solutis placuit regni Ordinibus, vt Rex à curis Reipub. nonnihil solutus, Gedanum, quòd vrbs ea ab Imperij fisco subindè sollicitata fuisset, vel ad exiguum tempus se conferret, quòd timendum esset, ne memoriæ pristinæ Regis Sigismundi defuncti animaduersionis & plebis cum Senatu dissidij occasione, ni malo gliscenti occurratur, tumultuaretur. Rex profectione decreta, dignitatis suæ & majoris securitatis causâ, præter ordinarium aulicum comitatum præcipui nominis Proceres secum eò proficisci voluit. *Sigismundus Augustus Rex venit Gedanum.* Gedanum ubi venit, non in curia seu prætorio, vt alij Reges, sed in ædibus priuatis diuertit. Regis aduentu suspensi fuerant omnium animi, nec tutus vsquam aulicis hospitandi locus fuit, cum & puluis pyrius sub prætorio reconditus dicebatur. Itaq; vt me-

luderetur. Tabernarius quiſpiam aliquot quartas butyri in ciuitatem venales adduxerat. Cùm verò ſibi non putaret juſtum pretium offerri per 14. groſſos, eas ad caſtra vexit: vbi illi ſoluebantur ſingulæ ſedecim groſſis in Horngulden. Sed reuera erant calculi computatorij aurichalcej. Miniſter quiſpiam ex villa Presken Regiomonti ſibi emerat quartam bouis, dum caſtra tranſit, à militibus ad hauſtum humaniter inuitatur. Sed dum ibi diutiùs moratur, interim alij ex ſacco carnem eximunt, & eius loco mulieris mortuæ cadauer imponunt. Vbi domum redijſſet, & quid lucri ex compotatione recepiſſet, non obſcurè animaduerteret, ſine mora ad ſocios redijt. Sed nemo ex ijs quicquam de carnibus, nemo de funere ſcire voluit. Erat in ijſdem caſtris miles quem Diabolus per Septembrem & Octobrem in ſpecie hirci ſæpiùs intra paucas horas Erfordiam ad amaſiam detulit, ac retulit adeò laſſum, ut nihil rediens referre potuerit, niſi quòd Erfordiæ fuerit. Pro eo adueniens verò hircus effusè clamabat: nequicquam retinentibus militem conſocijs. Sed ad rem.

Aduenerat Rex cum copijs in Liuoniam, cùm ecce ex inopinato Epiſcopi illi Liuoniæ deſerentes Magiſtrum copias ſuas Regijs coniunxerunt. Itaq; timens ſibi Fürſtenbergius, quamuis alias non contemnendum exercitum habuerit, cùm interim etiam mortem obijſſet ſenior Magiſter, pacem petijt à Rege & impetrauit hac conditione inter alias, vt ſtatim Rigenſem Archiepiſcopum ad Regem deduceret, & in priſtinum locum reſtitueret. Graues videbantur hæ Conditiones Ordinis Magiſtro, attamen metu grauioris periculi pacta præſtitit. Captus eſt deinde Fürſtenbergius anno Chriſti 1560. & in Maſouiam cum triumpho abductus: vbi ſpectantibus duobus captiuis Tartaricis Principibus Caſanenſi & Aſtracano non ſine ſarcaſmis ad locum conſtitutæ captiuitatis perductus eſt. Erico verò Regi Sueciæ, qui paulò antè patri Guſtauo ſucceſſerat, ſe Reualienſes ſubiecerunt. Archiepiſcopus deniq; loco ſuo reſtitutus, ac Magiſter Ordinis Gothardus nouiter electus, & qui reſtabant ex Crucigeris fidei Regis Poloniæ ſe tradiderunt. Quorum defenſionem etiam Rex ſuſcepit. Quare poſt multorum menſium tractationem tandem Rex Nicolaum Radiuilium Palatinum Vilnenſem cum plenis mandatis in Liuoniam miſit, vt permiſſas ſibi à Magiſtro arces, prouincias, documenta & literas acciperet, & à Rigenſi ciuitate juramentum fidelitatis exigeret. Igitur quinta die Martij in arce Rigenſi Magiſter Ordinis Gothardus Ketlerus coram Regio Commiſſario atq; Vicario Nicolao Radiuilio Palatino Vilnenſi Ordinem ſuum reſignans, primùm Crucem, dein ſigillum, poſteà literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Pontificibus & Cæſaribus acceperat, prætereà claues arcis Rigenſis & portæ Ciuitatis, officium commendatoris, jus cudendæ monetæ, vectigal piſcium & omnia alia ſua & Ordinis ſui jura, Poloniæ Regi cedit & tradit. Statim autem facta reſignatione Gothardus Ketlerus à Radiuilio, nomine Regis Poloniæ, Curlandiæ & Semigalliæ Dux ſolenniter proclamatur; cui è veſtigio nobilitas Curlandica & Semigallica velut hæreditario Domino ſuo ſacramentum dixit. Poſtridie verò Dux Curlandiæ ab eodem Radiuilio prorex & gubernator Liuoniæ in curia Rigenſi publicè renunciatus, & claues arcis & portæ Ciuitatis ipſi redditæ ſunt. Hunc finem Ordo Crucigerorum in Liuonia accepit, ſcilicet non longè diuerſum à Pruſſico. Sed ad domeſtica.

Fürſtenbergius capitur.

Gothardus Ketlerus Dux Curlandiæ.

Ericus Dux Brunsuicensis.

Anno 1563. Ericus Dux Brunsuicensis militarium rerum quàm pacis & quietis studiosior, cum militem veteranum in antiqua Saxonia couscripsisset, duodecim millia peditum ac duo equitum selectorum, in Prussiam sub signis ire jussit, copiasq; illas Sueciæ Regi adducere contra Danum præfetulit. Cùm itaq; nemo consilium ipsius satis exploratum haberet, ac nihilominus illi per Marchiam eundum esset, electori Brandeburgico id graue accidit. Itaq; suos in armis esse jubet publico edicto. Facta tandem fide pacato agmine sine maleficio suorumq; molestia iturum affinitati amicitiæque dat, vt diuisim & singillatim extremis Marchiæ veteris finibus traduceret. Cæterùm incredibile dictu est, quanta fuerit militis illius proteruia. Transmisso Albi ad Ioannem Marchionem Brandeburgicum ablegauerat, qui commeatum exercitui, & per fines suos transitum peterent. Is verò patientiam suam tentari, tentatamque contemni ratus, vel quòd non satis fideret ipsi, vel ne imparatus opprimeretur, aut vt à suis militis prædantis injurias auerteret, misso caduceatore eum finibus suis abstinere vult: simul habito suorum delectu militem collegit, excitam nobilitatem præsto sibi esse præcipit, ciuibus arma imperat, commeatum ijs qui pagatim habitant aduectisque tormentis bellicis Costrino, longitudinem nouæ Marchiæ in finibus Pomeranorum instructis copijs emensus, ne pedem quidem figere intra limina ditionis suæ passus est. Iam Cassubiam syluarum densitate ac montium asperitate collibusq; angustioribus impeditam præteruectus erat. Ericus Dux & in Oliuensi Monasterio statiua habebat, neq; pœnitebat virium, multùm robori peditum, plùs autem equitatui confisus. Præsenserat Albertus Prussiæ Dux partim fama renunciante partim agnatis per literas atq; internuntios submonentibus, contra se exercitum illum duci. His igitur monitoribus à rebus licet omnibus imparatus, & nihil minùs quàm bellum à Brunsuicensi expectans cautiùs obseruabat, quid consilij caperet. Quem vbi comperit superatâ Cassubiâ recensitis copijs motisq; castris Oliuâ atq; Dantisco iter instituere & magis ad Vistulæ oram deflectere, tum magis sibi cœpit cauere, misitq; legatos ad ipsum sciscitatum amicúsne an inimicus Prussiam peteret? simul suos omnes in arma concit. Omnibus persuasum erat tantum bello Principem neminem ea tempestate gerendo vel sustinendo esse. Trepidatum est itaq; admodum. Quibus motus, non omninò diffis9 rebus suis ad Polonorum opem confugit, re cum Achacio Czema Palatino Marieburgensi communicata. Gedanenses portas quoq; Erico clauserunt, nec commodè satis aut amicè fulminali capacitatis eximiæ è turri exploso in aream Oliuensis Monasterij vna eiaculatione ad tantum interuallum occupantes, acceperunt. Nunciari illi Dux Prussiæ curat, se nequaquam hostilia ab eo expectare, mirari autem cum primis in quem tot armatos eduxisset. Si in Sueciam eundi animus esset, iret bonis auspicijs. Itaque existimare commodissimum fieri, si ex portu Gedanensi solueret. Concedere transitum per suam ditionem neq; sui juris neque potestatis esse, neq; scire vtrum expeditat. Principem ipsum amicum atq; affinem se cum comitatu aulico, qua posset cum comitate atque liberalitate non inuitum hospitio excepturum, inuitare etiam amanter, reliquum verò exercitum admittere sibi integrum non esse: petere, id ne aliorsum accipiat neque ex eo hostilem animum metiatur. Potiùs veniret felici omine, ad-

uentum eius sibi gratissimum futurum, & si quibus in rebus operâ suâ ipsi prodesse possit, nihil se desiderari passurum. Cùm autem Brunsvicensis legatis ita respondisset, vt non satis apertè semet explicaret, ostenderet etiam, se vel subuculam suam concrematurum, si eam consilij consciam sciret: non ampliùs morandum ratus, præmissis tormentis bellicis Regiomonto, ipse, quamuis minus commodè valeret, jactationemq; itineris grauiter ferret, carpento vectus, interdum etiam lecticâ, cùm morbus vires sumeret, comitatus Alberto Friderico filio cum copijs suis vndiq; contractis progressus, ripam Vistulæ insedit, vt illum transitu prohiberet, & apud Insulam Marianam statiua habuit. Ericus autem Dux cùm omnia maioris difficultatis esse animaduerteret quàm sperauerat, & de copijs Ducis Prussiæ apparatuque belli apud Polonos accepisset, reducere exercitum cœpit, castrametatus in monte vrbi imminente, cumq; militibus promissis oneratis emerita stipendia non soluerentur, discincta erat disciplina militaris, & sibi ipsis milites prospicientes, bona agrestium hostiliter inuadebant, & rapto viuebant: neque tamen exauctorari poterant, neque imperium Ducis audiebant. Tandem communi contributione aliquantum æris procusum publicè, quo emolliti, Ericus Dux, cùm de reliquo spem fecisset, conclamatis vasis, ad suos reditum impedimentis præmissis adornauit, bellumq; magnis viribus repentè ortum, repentè etiam extinctum. Albertus Prussiæ Dux insperato hoc casu oppressus consternatione senili, dum vix mediocres colligendi copias ipsi facultas relinqueretur, morbum contraxit acutum, quem paralysi non absimilem credebant, vsumq; linguæ penè amisit. Etsi autem medicorum ope aliquantulum meliùs habere inciperet, ad pristinam tamen redeundi sanitatem vires defuêre, quibus magis magisq; accedentibus fatumq; insuper vrgentibus, morbis nouis deficiens, ad res gerendas idoneus minimè fuit. Vtebatur quorundam consilijs, & cùm maximè regeretur versuti hominis Pauli Scalichij, quem & præmijs ob id amplis donarat, miræ extitêre in Prussia Ducali turbæ. Nam veterator ille quid euenturum esset maturè præsagiens, consiliarios indigenas Christophorum Creutzium aulæ præfectum, Eliam Canicium, Antonium Borckium, & alios qui ejus molitionibus obuiàm intrepidè ibant, ad Principem jam, vt prouerbio dicitur; iterum puerum, perfidiæ insimulatos loco mouit, complices suos homines nouos Joannem Snellium, Joannem Funcium, qui ex concionatore aulico, ambitione præpostera ad publica munia obeunda se contulit, & Mathiam Horstium scurrilitate sua in aliquot principum aulis gratum surrogauit. Hos Principi à consilijs esse jussit tantisper, dum ipse in Gallia, vnde juniori Duci sponsam esset adducturus (nam ea vanitate Principis creduli animum impleuerat) rediret, sed reuera, vt tempestatem imminentem euaderet. Paulò autem antè Joannes Albertus Megopolitanus Dux Alberti Ducis soceri sui visendi causa in Prussiam aduenerat. Intereà Albertus Dux nouorum consiliorum impulsu noua tributa, contradicentibus Ordinibus imperat, ac Paulo Vobissero ducentorum Joachimicorum millium stipendio promisso, mille equites in Prussiam adducere jubet, ea lege, vt si stato tempore pecunia ea non repræsentaretur, Vobissero à Principis subditis per repressalia, vt jurisconsulti loquuntur, eam pecuniæ vim extorquere integrum esset. Vobisserus pro literis illis impetratis, tribus Joachimicorum millibus

remus

remuneratus Snellium & Horstium, per quem Dux Megapolitanus apud socerum effecerat, vt testamento antefacto ac Regis Poloniæ authoritate confirmato resciſſo, novum conderet: quod de filij tutela ac prouinciæ administratione alijsq; capitibus à priore testamento diuersis sanxit, vtroq; testamento Ducis Megapolitani fidei concredito, eodemq; executore statuto. Hæc dum fiunt, Rex Augustus à Christophoro Creutzio, Elia & Friderico Canicijs alijsq; quibusdam de his edoctus, ex comitijs Lublinensibus amplissima cum potestate Commissarios Regiomontum, vbi prouinciales conuenerant, mittit. Erant autem hi: Joannes Sluzeuius Palatinus Brestensis, Petrus Zborouius Biecensis, Joannes Kostka Gedanensis, & Nicolaus Firleius Vislicìensis, Castellani. Hi causis commotæ camarinæ; quæ antea latebant, inquisitione diligenti erutis, decreti Re-
1. gij capita prouinciæ Ordinibus sequentia proponunt. Paulus Scalichius è Prussia ac tota Polonia extorris esto. Eidem factæ donationes irritæ sunto. Princeps proscriptionem in suo Ducatu promulgari executioniq; mandari curato. Principis testamentum nu-
2. per conscriptum pro Cancellato habetor. Vtrumq; testamentum à Duce Megapolitano reposcitor, Regiq; traditor. Jus successionis in Prussiæ Ducatu à Principe sene Marchioni Brandeburgico Electori tributum reuocator. Commissarij Regis obligationes omnes, priuilegia ac debita Principis cognoscunto, æquitateq; perspecta, quæ seruari debeant, quæ non, declaranto. Veteres consiliarij à Principe depositi, in pristinum restituuntor, nouis à gubernatore remotis. Nulla tributa noua posthac Princeps citra subditorum consensum imponito. Prouincialium grauamina proximo conuentu proposita, de quibus Princeps nihil dum respondit, nunc tandem tolluntor. Controuersiæ inter Principem & Eliam Canicium, qui à Principe proscriptus, commissarijs Regijs, non petita Principis fide publica, se adjunxerat, arbitri à Principe constituuntor. Si recuset Princeps, commissarij judices eligunto. Rex nobilitatis & omnium Prussiæ ordinum priuilegia ac transactiones cum Principe suo initas, tuetor & defendito. Quæ omnia commissarijs præsentibus Princeps exequetur: sin renuat, commissarij communicato cum prouinciæ Ordinibus consilio, Rempublicam constituant: prouincialium grauamina tollant: pacem sedatis motibus atq; dissensionibus restituant, authoribus eorum coercitis. Princeps sumptus non necessarios minuat, & quæcunq; ad prouinciam ex difficultatibus, quibus confligatur, liberandam, malaq; affinia inposterum auerrucanda facere videbuntur, decernat. Ea mandata Commissarij mense Septembri atq; Octobri executi, primùm totius prouinciæ nomine criminalem accusationem contra Horstium, Snellium, Steinbachium ac Funcium tanquam rerum nouarum molitores pacisq; turbatores instituerunt. Hi à Principe Commissarijs traditi ac questionibus subjecti, eorum tres quidem ad mortem damnati sunt, Steinbachio vitæ gratia facta. Confirmata est quoq; à Commissarijs noua inter Principem & Prussiæ Ordines transactio, cujus capita primaria hæc. Vt Episcopatus Sambiensis & Pomezaniensis instaurentur ante Pascha adhuc duobus eis Præsulibus idoneis præfectis, qui vna cum octo ex equestri ordine delectis, Principis consiliarijs ac totidem ex ciuitatibus jurisdictionem Ecclesiasticam integram & quotannis visitandi copiam ac synodos particulares instituendi, consensus in religione alendi fouendiq; gratiâ haberent. Superintendentium delicta ciuilia

ciuilia Princeps cognoſceret, Eccleſiaſtica in doctrina vel ritibus ad generalem Synodum reuocarentur. Scholæ atq; Eccleſiæ reſq; matrimoniales juris Epiſcoporum eſſent: intra annum cum eruditis conſilio inito Eccleſiaſticam ordinationem conſcriberent: exulantes miniſtros Oſiandricos reuocarent: ciuilis adminiſtratio vigore priuilegiorum à Principe indultorum conformaretur, adſcitis ad illam officiaq; publica nobilibus indigenis, exteris excluſis. Officialium domicilia arci vicina nonniſi officio durante, incolant. Princeps eos non niſi ob cauſas legitimas remoueat. Judicium aulicum quinq; ex nobilibus indigenis, ac tribus jureconſultis exerceant. In cancellariam & quæſturæ officium Pruſſos alleget. Exactiones nouas nullis ſubditis imperet, priuilegiaq; ac immunitates illorum ſarta tecta præſtet. Abſq; Regis Poloniæ Pruſſiæq; ordinum conſenſu cum nemine Principum fœdus pangat. Prouincialibus conuentibus indictis, eâdem operâ, propoſitio in ſingulas Præfecturas mittatur, vt matura deliberatione antehabita, ablegati de reſponſo dando cogitare queant. Immodicæ vſuræ & largitiones enormes Principis reuocentur. Sumptus & numerus famulitij aulæ contrahantur. Mandatum quo Scalichij ſecuritati cauetur ac libelli famoſi ab eo editi aboleantur. De pecunia fiſco præfecti rationem reddant. Ex prouincialibus judicibus deſignatis Princeps vnum ſeligat. Jus Culmenſe & conſtitutiones prouinciæ typis evulget. Noua caupona nulla intra vnum ab vrbe milliare citra ſingulare indultum aperiatur. Priuilegia & jura antiqua prouinciæ incolarum Princeps adferat & tueatur: ſecus ſi faxit, Ordinibus prouinciæ liceat citra rebellionis crimen Poloniæ Regis patrocinium implorare, ac pactorum inter Regem ac Principem initorum vi protectionis ab eo poſtulare. Hæc priuilegij noui ſiue interpolati præcipua fuerunt capita. Haud multò poſt Sambienſis ac Pomezanienſis Superintendentes reſtituti ſunt. Pomezanienſi quidem Georgius Venetus Colberga ex Pomerania, vbi exulabat: Sambienſi verò Joachimus Merlinus Brunſuico reuocati, præfecti ſunt.

Moritur Albertus Marchio Brandeburgenſis ultimus Magiſter Crucigerorum & primus Dux Pruſſiæ.

Anno 1568 viceſimâ Martij, moritur Albertus Marchio Brandeburgicus, primus in Pruſſia Dux, cum annos quinquaginta ſex Ducatum rexiſſet, in arce Tapiau, natus anno 1490. Maio menſe. Quem paucis horis poſt conjunx ipſius Anna Maria, filia Ducis Brunſuicenſis Erici, ſubſecuta eſt: relicto vnico filio Alberto Friderico quindecim annorum adoleſcente: qui in Ducatu Patri ſucceſſit. Miſſi ad funus cohoneſtandum à Rege Ioannes Koſtka Caſtellanus Gedanenſis & Ioannes Demetrius Solicouius Regis Secretarius, qui ſequenti die teſtamentum Ducis defuncti Regio nomine reſignarunt, Duciq; juniori ac conſiliarijs eius tradidêre, quod poſteà Regis aſſenſu roboratum.

Subſequenti anno 1569. in comitijs Lublinenſibus, Albertus Fridericus Pruſſiæ Dux feudum & inſignia Ducatûs à Rege Auguſto ſolenni Cærimonia accepit, petentibus ſimul conjunctam Ducatûs Pruſſiæ collationem per legatos Marchione Georgio Friderico Anſpacenſi, Alberti Friderici Patruele, & Joachimo ſecundo electore Brandeburgico ſobrino. Quod feudum Rex cùm Alberto Friderico tũ quoq; Georgio Friderico patrueli ipſius conceſſit Electorem quoq; Brandeburgicum cui ſuperioribꝰ añis beneficio novo ius feudi ſimultaneum in Ducatu Pruſſiæ ex ſingulari gratia fuerat indultum: Rex quidem etiam per Oratores eius præſentes admiſit, ea tamen con-

ditione, ne quid per homagium subditis Ducatûs Prussiæ præposterè acceptum, cuius rescissionem à commissarijs Regijs superiori tempore factam Rex confirmat ratamq; habet, suæ Maiestatis juribus derogetur. De quo Rex & Regni Ordines etiam protestantur. Tradidit deinde Joannes Firleius Palatinus Cracouiensis & supremus Regni Marsalcus, Duci Prussiæ vsitato more vexillum, cuius anteriorem extremitatem Marchionis Anspacensis, posteriorem electoris Brandeburgici oratores attigerunt. Iurejurando præstito, Rex manu sua torquem aureum collo in clientelam recepti Principis appendit, eumq; ad sinistram considere jussit, donec equitibus aliquot leuiter percussis, rursus in genua Dux cum cæteris oratoribus cecidit, gratijsq; solenniter actis & Rege & Senatoribus assidentibus reuerenter salutatis, prælato vexillo in hospitium redijt. Iuramentum quod nouus Princeps deposuit, vexilli extremitatem tenens, erat tale: Ego Albertus Fridericus, Marchio Brandeburgensis in Prussia, Stetinensis, Pomeraniæ, Slauorum, Cassuborum Dux, Princeps Rugiæ, & Burgrabius Norimbergensis promitto & juro, quod Serenissimo Principi ac Domino D. Sigismundo Regi Poloniæ inuictissimo, magno Duci Lituaniæ Russiæq; ac omnium terrarum Prussiæ Domino & hæredi, sicut meo naturali hæreditarioq; Domino & eius Serenissimæ Maiestatis ac hæredum & totius Regni Poloniæ bonum procurabo, & damnum præcauebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem vasallum feudalemq; pertinet. Ita me Deus adjuuet, & hoc sanctum DEI Euangelium. Locus verò vbi Rex sessurus erat, & dux juramentum deposuit, erat in foro suburbij Lublinensis in sublimi erectus, ac sericis tapetibus stratus. Ad eum Rex ex arce proficiscebatur, Senatorum ac Procerum coronâ stipatus. Erasmus Debinsky Cancellarij Regni filius Regi vexillum album, insignitum nigrâ aquilâ, quæ expansis alis in dextra manu hominis ferro induta, gladium tenebat, & in pectore literas S. & A, colligatas præferebat: quo nouellus Dux donandus erat. Ex itinere verò ad quandam domum Rex declinauit, vbi sandalijs aureis, albâ Dalmaticâ & pluuiali aureo & corona Regia ac chyrotecis ac annulis indutus fuit. Ex ea deniq; ad substructum è regione thronum se contulit, habens à dextra sua parte Iacobum Vehanski Archiepiscopum, & à sinistra D. Padniewski Episcopum Cracouiensem. Præferebat gladium euaginatum Andreas Zborowski ensifer; pomum aureum Cruce insignitum Petrus Zborowski Palatinus Sendomiriensis, sceptrum Stanislaus Myskowski. Vbi resedisset S. Maiestas, quatuor Proceres Germani, Prussiæ nomine Ducis sui supplices venerunt, & genibus flexis aliquis ex ijs perorauit. Qua oratione finita, Rex quatuor consiliarios suos illis quatuor adjunctos ad Ducem Prussiæ accersendum misit. Qui cum venisset, & verba quædam elocutus esset, ad pedes Regis genu flexus, vexillum dictum de Regijs manibus accepit. Loquebatur verò Rex hoc modo. Nos Sigismundus Augustus Rex, annuentes vestris & vestrorum subditorum precibus, tradimus & concedimus Illustritati tuæ, prout parenti tuo Illustrissimo tradideramus in feudum terras, Ciuitates, oppida, & arces in Prussia, & ad eas Illustritatem tuam inuestimus per huius vexilli traditionem, ac instituimus gratiâ & benignitate nostra, qua Illustritatem tuam vti Nepotem nostrum charissimum complectimur, speramusq; quòd eius beneficentiæ nostræ & memor & grata fidelisq; Illustritas tua sit futura. Atq; hæc hactenus.

De

De secta Augustanæ Confessionis, & appellatione ex Ducatu Prussiæ ad tribunal Regium, de qua multos ante annos inter Regem & Ducem disceptatum fuerat, & qua petulantiam & contumaciam subditorum aduersùs se, non confirmandam Dux Prussiæ judicabat, peculiari diplomate Duci Rex cauit, quibus & Ducem ipsum & omnes illius subditos se in Augustana confessione seruaturum pro se ac successoribus suis pollicetur. Deinde de appellatione ad tribunal Regium sancit, ne superstite hoc Principe quisquam nobilium ad Regem prouocet, nisi in justa ac notoria violentia ab ipso Principe enormiter læsus, & nisi justitiæ administratio ipsi denegata fuerit: vel in priuatis litibus pro reuisione actorum supplicans aut ad judicium Parium curiæ prouocans, etiam plebeius, non admittatur. Quibus ex animi sententia confectis nouus Prussiæ Dux in Prussiam redijt.

Hoc tempore intestini quidam motus Gedani inter Senatum & populum enati sunt. Cùm ex ciuibus quidam aduersùs Senatum querelas ad Regem detulissent, & à paucis ex Magistratu publicos ciuitatis reditus & opes in priuatos vsus conuerti ac pro libitu omnia in Republica administrari, & ciues occultis Senatorum odijs obnoxios in judicijs præter fas & jus vexari atq; opprimi falsò disseminassent: Rex Commissarios ablegat in vrbem, qui Ciuitatis statum ac bonorum publicorum administrationem cognoscant, emendentq;. Erant autem hi. Stanislaus Kostka Gedanensis, Nicolaus Firleius Visliciensis, Simon Subseius Inouladislauiensis, Castellani. Quorum aduentu audito, cùm Ciues quidam turbulenti, jam anteà Senatui infesti insolentiùs agerent, & voculas minitabundas aduersùs quosdam in Magistratu emitterent: Senatus de vulgi motu ac Commissariorum mandatis amplissimis, nimiam libertatem ipsorum refrenaturis, edoctus: obuiàm illis mittit, capita certa ab illis stipulatur, priùsquam in vrbem accedant. Commissarij verò se vrbe excludi indignè ferentes recesserunt. & apud Regem de injuria illa & crimine læsæ Maiestatis, quòd in vrbem Regi subjectam intromissi non essent, grauiter questi sunt. Rex ita exacerbatus, extrema quæq; Ciuitati minatur, nec placari initio vllis excusationibus potuit. Admissi pòst in vrbem Commissarij, omnium qui se læsos injustis Senatûs ac judicum sententijs videri volebant querimonias audierunt: à consulibus & Senatu rationes administratarum pecuniarum publicarum flagitarunt: quibusdam opificum collegijs, vtpotè lanijs ac cereuisiæ coctoribus inusitata & ampla Priuilegia juraq; Regis nomine concedunt, contradictionibus cum Senatu antea ab illis initis, abrogatis. Portorium, quod ab vrbis initio solus Senatus ad portus maritimi & Vistulæ aggerum munitionem aliaq; ædificia publica destinarat, geminandum, ac de singulis marcis bonorum importandorum exportandorumq; quaternos nummos denumerandos esse decernunt, quorum dimidia pars Ciuitatis fisco, altera Regi deinceps solueretur. Atq; hanc vnicam esse Regis placandi, pristinamq; ab eo gratiam obtinendi viam confirmant. Constitutiones etiam de Reipublicæ statu, de Iurisdictione, de dominio & vsu maris alijsq; rebus sanciunt, quas suis libertatibus ac priuilegijs multipliciter aduersari Senatus querebatur, & tamen placationis literas, in quibus, præter mille auri pondo, portorij dimidiam partem Regi addicebat, hac ipse Commissarijs tradidit, quòd Sigismundo tantùm Regi superstiti, non regno aut successoribus vectigal istud pendendum

Commissio Gedanensis.

dendum judicaret: & viciſſim Commiſſarij piratarum & aliorum omnium, quæ contra priuilegia irrepſerant, abrogationem repromitterent. Quas quidem conditiones diſertè literis conciliationis intercludere Senatus cupiebat. Sed à Commiſſarijs, qui indigniſſimè Regem laturum ajebant, ſi non puram & ſimplicem, ſed conditionibus adſtrictam placationem efficerent, perſuaſi, per modum ſupplicationis illa quæſiuerunt. Poſteà Commiſſarij in Regni Senatu de actionibus ſuis referentes, literas illas placationis ac portorij medietatem Regi perpetuò ex vrbe ſoluendam publico decreto communiri curant. Cumq; Priuilegium à Rege Caſimiro Pruſſi haberent, quo cauſas eorum majoris momenti adhibito Pruſſiæ Ordinum conſilio, nuſquam alibi, quàm in Pruſſia per Regem aut eius legatum cognoſcendas & decidendas ſtatuitur, tùm nouo decreto Gedanenſium, & aliorum Pruſſiæ Ordinum cauſæ notabiles ad judicium Senatûs Regni in Poloniam deuolutæ ſunt. Cùm autem Pruſſi jus proprium retinentes, Regem ſolùm ſupremum Regni caput, cujus ipſi non ſecus ac Poloni & Lituani, libera membra eſſent, Dominum profiterentur, quo deliberationes de controuerſijs Pruſſorum grauioribus, de contributionibus in Pruſſia colligendis & ſimiles non in Senatu Regni ſed adhibitis Pruſſiæ Ordinibus ac ſtatibus ſanciebant. Hæ Commiſſariorum actiones in tertium ferè annum protractæ ſunt. Intereà piratæ Poloni receptum in portu Gedanenſi habentes, auſpicijs Regis Auguſti bellum cum Sueco & Moſco gerentis naues Neruam & Reualiam, quam Sueci tenebant petentes occupare juſſi, Danicas etiam naues ſubindè infeſtant & diripiunt. Quam injuriam vt Daniæ Rex vlciſceretur Gedanenſium naues in Regni ſui portibus ac ſtationibus viciſſim detinet, ac nauigationem Gedanenſibus liberam per freti Danici fauces denegat. Quamuis verò Commiſſarij indemnitatem Gedanenſibus piratarum cauſa nomine Regis promiſiſſent, & miſſis in Daniam legationibus naues repetitæ, ac tandem in Saxoniæ ac Brandeburgicum electores compromiſſum eſſet, tamen vita decedente paulò poſt Rege Sigiſmundo Auguſto, cùm omnia prolatarentur, Gedanenſes vt liberam nauigationem in Belgium, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, quæ regna niſi per fauces maris Danici (Sund.) nauibus accedi non poterant, haberent: ipſi nulla Regni Senatus authoritate interpoſita, cum Daniæ Rege tranſigunt ac depenſis centum Joachimicorum millibus naues ac merces interuerſas vnà cum libera nauigatione, commerciorumq; facultate recipiunt. Anno 1571. mortuus eſt Ioannes VI. Epiſcopus Culmenſis vigeſimus quartus Stargartæ: ſepelitur Culmſeæ vltimâ Aprilis, quem ſecutus eſt Stanislaus à Sislau Abbas Pelplinenſis. Rex verò Auguſtus, mortuus eſt prima die Iunij anni Chriſti, 1572. Poſt hunc ad Regni ſceptra aſſumptus eſt Henricus Valeſius Andium Dux, Henrici II. Regis Galliæ filius. Hic adminiſtrauit Regnum Poloniæ ferè quatuor Menſibus, cùm id relinquens in Gallias abijt ad occupandum Regnum paternum. Anno ſequenti, 1573. decima quarta die Octobris celebrauit Albertus Fridericus Dux Pruſſiæ nuptias, cum Maria Leonora Duciſſa Juliacenſi, horâ nonâ antemeridianâ copulatus. Anno 1574. accepit Epiſcopatum Culmenſem ab Henrico Valeſio Rege Poloniæ Petrus Koſtka à Stangenburg.

Rex Auguſtus moritur.

Succedit Henricus Valeſius ſed paulò pòſt abijt in Gallias

LIBER

LIBER VIII.
HISTORIÆ PRVSSICÆ.



Xeunte anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto indicuntur Comitia nouo Regi creando Varsaviæ ad Mensem Decembrem, in quibus à maxima Senatorum Poloniæ ac Lituaniæ parte Maximilianus Cæsar electus ac renunciatus est Rex Poloniæ, & ab Archiepiscopo Gnesnensi proclamatus. In quam electionem etiam Ordines Prussiæ consenserant. Hoc eodem anno tonna salis grossi in Prussia emebatur viginti quinq; marcis & vltra. Causa huius erat, quòd Rex Daniæ transitum nauibus denegaret ob detentum quendam virum sibi charum in Prussia. Intereà verò temporis dum Maximilianus Cæsar lentas ac diuturnas cum Oratoribus Polonis tractationes & scriptorum permutationes agitat, aduersa Polonorum pars Stephanum Bathoreum Transiluaniæ Principem à se electum, missa solenni legatione ad præstandum juramentum & accelerandum aduentum in Poloniam invitat. Qui nihil cunctatus, juramentum in Transiluania præstat, & comitatu stipatus spectatissimo veteranorum iter in Poloniam quàm primùm arripit, ubi Sigismundi Augusti Regis demortui sorore Anna in matrimonium ducta, cum ea Cracouiæ Rex Poloniæ Calendis Maij anni 1576. inauguratus est. Vigesimâ quintâ ejusdem mensis promeridiano tempore, fulmen horribilem sonitum edens, ac in Franciscanorum templum Cracouiæ incidens, intactis tegulis & fornice, imaginem Crucifixi in medio templi defixam contriuit, & in nihilum redegit, titulo, qui cruci de more affixus erat, illæso. Aliam quoq; Crucem in vertice vexilli ad aram maximam siti comminuit. Consecuta est hoc recens rebellio Gedanensium & bellum ei vrbi à Rege Stephano illatum. Quo simili fulmine ante centum annos in eadem Ecclesia significata fuit seditio, quæ inter populum & Senatum Gedani exorta fuit. De alijs portentis huius belli paulò inferiùs dicam. Obtento igitur Regno Stephanus Rex amicitiam cum vicinis Principibus, maximè cum Mosco inijt, & ad dissensiones domesticas pacandas animum intendit: tùm præcipuè motus istius, cuius causam Gedanenses dederant. Nam juramentum subjectionis debitum Stephano Regi coronato præstare noluerunt, nisi priùs jura & priuilegia eorũ confirmasset, & grauamina, quæ contra illa irrepsissent, sustulisset. In quibus istud præcipuum erat, quod Gedanenses dimidij portorij exactionem Sigismundo tantùm ad illius vitam se concessisse ostendebant. Volebant quoq; vt illis Rex Augustanam confessionem liberam permitteret. Huius rei gratiâ Stephanus quinto mense post coronationem suam Torunium venit, respondito; Gedanensibus: in inauguratione sua jusjurandum se semel dedisse, cuius vigore priuilegia & jura eorum confirmauerit. Grauaminum cognitionem & dimidij portorij controuersiam ad comitia Ordinum reiecit. De Confessione verò Augustana seorsim se ipsis cauere velle promisit. Interim juramentum fidelitatis exemplo cæterorum omnium Regni Poloniæ & Prussiæ ordinum sibi à Gedanensibus etiam quàm primùm præstari, & militem conductum ex

Fulmen comminuit Crucem.

vrbe dimitti flagitauit. Sed verò Gedanenses ante juramentum à se dictum grauamina tolli vrgebant. Tandem se non Ordinum Regni sed Regum Poloniæ subditos esse, nec se Procerum Regni, sed solius Regis Jurisdictionem agnoscere professi, contumaces à Rege judicati sunt. Qua sententia accepta Gedanenses statim vicinum cænobium Oliuam, ne obsessuris Polonis receptum præberet, direptum incendunt ac vastant: imbelles Monachos alios contrucidant, alios ludibrio habent, & ampliores militum copias conscribunt, omniaq; ad defensionem necessaria comparant. Ducem militiæ ab Electore Saxoniæ Augusto accipiunt Joannem Coloniensem, qui ante viginti sex annos in vrbis Magdeburgæ defensione operam strenuam nauârat. Publico etiam scripto innocentiam suam demonstrare conantur, orantq; omnes, vt benignam sui rationem habere velint. Lubecenses viciſſim & confœderatos societatis Hansiaticæ vrbes maritimas à Gedanensibus commeatu & milite juvandis Stephanus Rex Epistolâ acuratè scriptâ, dehortatur, ac Elbingæ, in qua jam à se institutum esse emporium significat, in quo & secura ac magis quàm antea fructuosa cum Polonis commercia, omnibus regni amicis futura sint. Cognoscere itaq; ex illis cupit, an eos pro Regis Poloniæ, an pro Gedanensium amicis habere debeat? Amicitiæ hoc fore signum, si nihil Gedanensibus subsidij submiserint.

Gedanenses contumaces Oliuam devastant.

Captus est hoc anno, 19, Septemb. apud laternam piscis quatuordecim pedes longus & septem in circumferentia, albus fuit sicut ovum coctum desquammatum; habuit dentes obtusos in modum equi & foramen in capite. Vmbilicus eius longus fuit pedem vnum cum semisse. Mensis deindè decembris die decima octaua, natus fuit vitulus cum duobus capitibus in Langart suburbio.

Piscis mirabilis.

Vitulus biceps.

Vigesima sexta die Septembris Rex Grebinum arcem Gedanensium occupat, præsidia cædit & fugat, multosq; pagos quos Zulauia illorum habuit, evastat. Misère hac clade afflicti Gedanenses ad Regem Oratores cum certis postulatis, ad quæ ejusmodi responsum primis Octobris diebus accipiunt: Rege copias suas ex agris illorum abducturo, ipsi quoq; suos milites dimitterent, jusjurandum darent, exteros jurare nolentes vrbe moverent, confirmationem jurium habituri: ad comitia Regni vt venirent: tùm decretum ob contumaciam illorum latum, & quæ vocarent grauamina injustè sibi imposita suo modo tollerentur. Disceptatum est de his Octobri Nouembri & Decembri Mensibus, actum nihil. Vltimi legati, 25. Januarij anni 1577. cum mandatis à Regia dignitate alienis, venêre. Rex videns se ab eis illudi, Bidgostiæ legatis vltimam suam voluntatem scripto porrigit, & sex dierum deliberationem Ciuitati largitur. Reuersi ad suos legati Regis mandata legunt. Duodecimo post die ad Regem Rosenbergius veniens, planè à Regijs mandatis, quæ tamen omnia pro æquitate vrbisq; priuilegijs militabant, aliena reportabat. Quibus auditis Rex colloquium abrumpit, indignatusq; ob speciales causas, vtrumq; Consulem in carcerem conijcit. Lemcam Jurisconsultum remittit, Gedanenses perduellionis damnat: illisq; omnem securitatem terra mariq; adimit: aqua & igni interdicit. Gedanenses, quia Bathor in Grebino & Zulauia parua præsidia reliqnerat, rati, se eos priusquàm nouæ copiæ ijs iungerentur, obtinere posse, septima Aprilis ipso Paschatis festo, cum ductore suo Joanne Coloniensi, quem magnis stipendijs evocarânt, omnibus ad bellum necessarijs instructi, magna manu vrbe exeunt Grebinum recupera-

Stephanus Rex oppugnat Gedanenses.

recuperaturi, Dersauiam, Meua, Novum, Stargardum Regia oppida euersuri. Vix omnes portis exierant & ecce tanta (DEO prophanati festi & Regis contemptus vindice) exorta est tempestas, tanta ingruebant tonitrua, tantus decidit cum vento imber, vt propugnaculi unius pars avulsa, equus ductoris fulminis ictu corruerit. Ductor ipse semivivus in vrbem reductus: duo equites alij in fluvium præcipitati: quorum vnus aquis extractus est, alter ibidem perijt. Reducto igitur in vrbem exercitu, secunda, tertia & sequentibus ferijs idem tentârunt: sed ab imbribus (DEO sic disponente, non vt ij existimabant, incantatoribus) sunt impediti. Instructis tandem duobus navigijs, impositisq; militibus die decimâ septimâ Aprilis, ventis secundis, flumine Vistula aduerso, Dersauiam oppugnatum veniunt, ab altera parte terrestris exercitus procedebat. Præfecerat Rex copijs suis Imperatorem Joannem Zborouium. Is horũ certior fact9, suis auxilium ferre maturauit, & decimâ sextâ Aprilis ad Rokitki castra metatus est prope aquas. Gedanenses ad villam Langau, quæ paulò plus vno milliari distat Dersauiâ, præmissa ad excubias ea exercitus sui manu, quæ major fuit omnibus Zborouij copijs substitêre. Sexaginta verò Zborouius Tartaros, qui nauibus imminerent, misit. Ipse cum suis totam noctem in equis transegit. Manè oriente Sole decimâ septimâ Aprilis Coloniensis castra mouit, conspexitq; Polonos paucos non sine stupore, quos ad conspectum suæ multitudinis fugituros putauit, non secum concertaturos. Inita pugna leuis fit velitatio. Cosaci Poloni equitibus Germanis inferiores initio laborabant: sed Zborouius eis viginti Vngaros & quinquaginta alios equites submisit, magnaq; animi alacritate aliquamdiu pugnatum est. Posteà canitur vtrinq; receptui. Vulnerati sunt aliquot Germani, vnus equo detrusus, equus alteri transfixus corruit: Polonis saluis. Coloniensis vt vidit Zborouium pugnandi copiam vlteriùs facturum, omisso consilio de Dersauia oppugnanda, sepimentum è fissis trabibus, quas secum, vt omnia, vehebat, facit, in illud suos collocat: ipse interim cum tormentis & lectissimis quibusvis viris ab altero montium latere, quà erat per aggerem transitus, Polonos à tergo aggressurus, ad lacum Lubussouiensem, suis fatalem, iter intendit. Zborouius astu hostis deprehenso, quid facto opus foret, init cum suis consilium, concluditq; breuiter, omnem equitum peditumq; globum illuc conuertere, vbi ipsum caput hostium foret. Quod etiam fecit disiecto ponticulo fluuiolo imposito, ne à velitationi deditis & intra sepimenta latentibus à tergo inuaderetur. Seriò diu pugnatum est. Tandem Zborouius adductus in spem victoriæ insigni oratione suos alloquitur: vt alij alijs offensas condonent, Deo animas commendent, opem eius implorent, gloriam morti anteponant, hostem non numerent sed inuadant, hortatur. Hinc Heidones velut in rabiem versi (erat à meridie hora fermè prima) à dextro latere, equites à sinistro in hostem vbi tormenta fuerunt disposita, irruunt. Ab hoste verò emissa tormenta perpaucis nocuerunt, præterquam quod hastas equitum confregerant non paucas. Pedites enim conspecto igne tormentario supini ciciderunt pro mortuis habiti, donec bombardas de nouo globis onerassent, tum enim surgebant. Damnosa hæc fuit Germanis carnis resurrectio. Vulneratur interim Heidonum ductor. Is obtestatus est suos moribundus, vt si vincere vellent, abiectis sclopis, acinacibus cominus pugnarent. Parent illi monitori & Germanorum popli-

Gedanenses cæduntur.

poplites passim succidunt. Cæteri hastis & gladijs nunc pectora transuerberant, nunc capita petunt. Vna hora incerto euentu pugnatum est. Vrgentibus Polonis ferro, equis, clamore primores Germanorum cadunt: tormentis Gedanenses spoliantur & in fugam versi aut occiduntur aut se aquis immergunt, aut in fugam abeunt, inuia syluarum Cassubicarum & Pomeranicarum quærunt; quos Heidones à tergo secuti capiunt. Vbi redijssent milites, orauit Zborouius, vt partem alteram hostium, qui nauibus egressi muros oppidi Dersauiensis pilis verberabant, aggrederentur. Sed ij cursu nauiculas petentes, vbi de Polonorum victoria & contra se aduentu cognouerant, fugere incipiunt, paululumq; prouecti (nam ventus aduersabatur) se post insulam abdunt. Venit interim Marieburgo ad preces Zborouij Polonis subsidio Stanislaus filius Ioannis Kostcæ Præfecti Marieburgensis cum suorum globo & quatuor tormentis, cui persequendi hostem ab illa eadem ripa datum negotium, quod benè cœptum, non minori fortuna peregisset, nisi & nox obscura & ventus secundus fugientibus opem tulisset. Quàm autem salui hi quoq; domum reuerterint, parum liquet. Illud certum, multoties à Polonis, globis tormentarijs fuisse petitos. In hoc bello ceciderunt Gedanensium milites, quater mille quadringenti viginti septem præter eos qui in aquis & fuga obierunt, ex quatuordecim millibus militum. Capti mille. Accepta sunt tormenta ænea magna septem: parua triginta: currus centum quinquaginta: armaturæ ter mille quingentæ. E Polonis, quorum duo millia viginti septem erant, quinquaginta octo tantùm pedites, equites triginta octo cæsi, & sexaginta quinq; læsi sunt: ita vt Rex exclamauerit: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Qui insigni hac suorum victoria confirmatus, se ad obsidionem vrbis parat. Tandem verò Idibus Iunij ad vrbem accessit, & in Episcopi monte vrbi imminente castris locatis aliquot dies tormentorum fulmina in vrbem vibrauit. Parte alia Ernestus Veierus equitum Germanicorum Præfectus ad Vistulæ ostium, vt maris vsum obsessis adimeret, propugnaculum ostij maritimi oppugnabat. Verùm ab illorum militibus repulsus, plurimis cæsis & non paucis in Vistula submersis castra & tormenta bellica amisit. Rex pòst castra mutauit, & à mænibus vrbis mare propriùs secessit. Inde juncto ponte nauali Vistulâ copias ad castellum ostij Vistulæ maritimum traducit, acerrimèq; illud oppugnat. Sed erumpunt denuò ex vrbe Ciuium & militum cohortes, & cum Polonis acrem pugnam miscent. In qua Duce amisso, Poloni tamen fuerunt repulsi, qui rupto ac disjecto incursu nauis onerariæ Gedanensium ponte coriaceo, quo Vistulam Poloni constrauerant, fugientes in flumine plurimi perierunt. Ingressæ sunt postea naues Gedanensium & Regis Daniæ, Duce Comite ab Hardek, per portum Pilauiensem in Habum recentem & Braunsbergam, Vamiam, Tolckemittam, & Elbingam censebant. Facta est deinde pax inter Regem & Gedanenses Electoribus Saxoniæ & Brandeburgico atq; Hassiæ Landigrabio pro Gedanensibus suas preces interponentibus per legatos, ijsdem ferè conditionibus quas ante belli initium Rex sponte tulerat. Vt supplices veniam deprecentur juxta formulam conceptam. Vt ducenta florenorum millia intra quinquennium soluant. Juramentum fidei Commissarijs præstent. Militem dimittant. Ad restaurationem Cœnobij Oliuensis viginti florenorum millia dependant. Stationem

Conditiones pacis Gedanensibus datæ.

& an-

& annuam pensionem, signum supremi dominij, iuxta vim veterum priuilegiorum & consuetudinem statis temporibus deinceps exsoluant. De ijs quæ sibi à Poloniæ Regno deberi prætendunt, in comitijs Regni proximè futuris, deliberetur. Rex vicissim proscriptionem abolet. Priuilegia & iura ipsorum vigore juramenti Cracouiæ in coronatione præstiti, confirmat. De vsu Augustanæ Confessionis libero cauet. Damna Regis subditis tempore belli illata condonat. Bona immobilia fisco addicta restituit. De mobilibus & debitis in fiscum redactis, summam non maierem triginta millibus florenorum retinebit. Cæteræ donationes & decreta tollentur. Ciuitatis & priuatorum actiones in aula vel alijs iudicijs pendentes, partibus saluæ & integræ manent. Militibus & alijs qui Ciuitatem consilio vel armis iuuerunt, ignoscit. Grauamina Ciuitatis negotium ad comitia Ordinum Regni reseruat. Vrbem ingressurus, securitati Ciuitatis vt antecessores fecerunt, authoritate sua prospiciat. Quamuis etiam alij authores alias conditiones addant, scilicet. Vt omnia nomina, quæ fecerat Sigismundus secundus dissoluerent. Vt Regi darent duodecim tormenta bellica quæ Rex eligere vellet. Vt certæ cataphractorum equitum turmæ ad Regis denunciationem semper præstò sint. Vt munitionem quæ fluuium prospiciebat, demolirentur.

In comitijs deinde Varsauiensibus ad annum Domini, 1578. indictis, Georgio Friderico Marchioni Brandeburgensi proximo Alberti Friderici valetudinarii agnato, curatio illius Ducatusque Prussiæ Orientalis & bonorum ac redituum illius omnis administratio commendata est, qui etiam more & instituto maiorum solenni cum cæremonia fidelitatis iuramentum Regi præstitit. Adfuêre legato in Cæremoniis ijs Saxoniæ electoris & Vitenbergici Principis legati, Brandeburgici Electoris legati cum Principis sui nomine tanquam ad simultaneæ inuestituræ jus pertinentis vexillum contingerent, nobilitatis nuntii protestati, quòd primis illis inter Diuum Sigismundum & gentem Brandeburgicam conuentionibus ea Marchionum Brandeburgensium stirps feudo comprehensa non esset, quæ postea priuata authoritate & Ordinibus insciis acta essent, rata se non habere ostendebant.

Anno 1579. Die quinta Augusti moritur Romæ laudatissimus ille Stanislaus Hosius Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Varmiensis Episcopus XXI. Fuit is Patre Vlrico Hosio & Anna coniuge, Nobilis familiæ, quæ ex Marchionatu Badensi prodiit, Cracouiæ anno Christi 1504. die 5. Maji, natus. Adolescens in Christiana pietate educatus, ibidem Cracouiæ literis operam dedit. Cumque tantum processisset, vt lauream Baccalaureatûs accepisset, authore Petro Tomiecki Episcopo Cracouiensi, in Italiam profectus Pataui primùm, deinde Bononiæ Lazaro Bonamico Præceptore vsus, I.V. Doctor creatus est. Reuersus in Poloniam, promotore Samuele Macieouio Episcopo Cracouiensi & Regni vicecancellario Secretarius Regiæ Maiestatis factus, in Cancellaria & præsertim in rebus Prussicis Sigismundo I. Regi Poloniæ egregiam operam præstitit: qui eius præclaris virtutibus incitatus, non solùm Canonicatu Cracouiensi & aliis Sacerdotiis Ecclesiasticis eum auxit: sed & moriens Sigismundus, Augusto Regi filio suo injunxit, vt eum ad Episcopatum, quem in Prussia primùm vacare contingeret, eueheret. Itaque primùm Episcopus Culmensis sub Iulio tertio Pontifice Max: factus

Moritur Stanislaus Hosius S. R. E. Cardin. & Episc. Varmien. Vir incomparabilis 28. annis Ecclesiæ Varmien. præfuit.

ctus, ab eodem Augusto Rege ad Carolum V. Imperatorem & Ferdinandum Romanorum ac Philippum Hispaniarum Regem Orator in Belgium missus est. Legatione perfecta ab Ecclesia Culmensi ad Varmiensem translatus est: anno Domini 1551. Die 21 Iulij. In Episcopatu constitutus, totum se ad quærendam animarum salutem & sacræ Theologiæ studium contulit. Ex decreto Synodi prouincialis Petricouiensis insigne illud Confessionis Christianæ volumen conscripsit, multaq; alia contra sui temporis hæreticos edidit. Deinde ductore Aloysio Lipomano Veronensi Episcopo (qui cum esset in Polonia nuntius Apostolicus Hosio familiariter vtebatur) à Paulo IV. Pontifice Max: Romam euocatus, cum eo de juuandis Ecclesiæ DEI rationibus consilia communicauit: quo mortuo à Pio IV. eius successore ad Ferdinandum Cæsarem nuntius Apostolicus, Concilij generalis congregandi causa designatus est, apud quem cùm triennium exegisset, & rem ex voluntate Pontificis & Ecclesiæ Catholicæ commodo feliciter confecisset, ab eodem, anno, 1561. Die 26 Febr. absens Cardinalis creatus est: & paulò pòst etiam legatus ad Concilium Oecumenicum Tridentinum missus, ibi toto triennio cum alijs S. R. E. Cardinalibus legatis Præsidentis munere, magna cum Poloni nominis gloria functus est. Finito Concilio ad Ecclesiam suam Varmiensem reuersus, Dioecesim ab hæresi quæ pullulare cœperat, repurgauit. Patres Societatis IESV, primus in Poloniam introduxit. Collegium & Seminarium Brunsbergense fundauit. In Regni comitijs Catholicam Religionem liberè contra hæreticorum conatus defendit. Ecclesiam Parochialem Elbingæ ab hæreticis occupatam recuperauit. Regiomontanam seditionem authoritate & prudentia sua repressit. Posteà anno 1569. à Sigismundo Augusto Rege Romam rursus missus negotia Maiestatis eius summa fide ac diligentia tractauit. Pio V. Pontifici Max: & eius successori Gregorio XIII. valdè charus: à quo etiam maior Pœnitentiarius, quæ prima post Pontificiam in Romana curia dignitas est, creatus, officium istud cum summa integritatis laude gessit. Hospitale Polonorum in vrbe fundauit, & erexit. Cùm redeundi in Poloniam facultatem ætas ingrauescens prohiberet, Coadiutorem Episcopatus Varmiensis assumpsit Martinum Cromerum, virum de Ecclesia & Republica Polona benè meritum. Tandem in septuagesimo sexto ætatis anno cùm Capranicam vitandi æstus gratiâ se contulisset, anno 1579. Die 5. Aug. ex hac luce migrauit. Corpus Romam translatum in eius titulari Ecclesia Sanctæ Mariæ trans Tyberim marmoreo tumulo conditum est. Præfuit autem Ecclesiæ Varmiensi annis viginti octo, diebus quindecim. Elogium Hosij.

Successit in Episcopatu Martinus Cromerus XXII.

Scripta Hosij mundus veneratur, gesta stupescit.
Catholicus sequitur, proterit hæreticus.
Concilij præses, præfectus Episcopus Vrbis.
Gloria, dux fidei, flos patriæ, orbis amor.

Juuat hîc breuiter ob oculos ponere, quisnam fuerit status Ecclesiæ DEI & fidei Christianæ in Polonia tempore Cardinalis Hosij. Quoad equidem Sigismundus I. rerum potiretur, salua & inconcussa stabat fides Petri, nec in Polonia de secta vlla sciebatur, præterquam de schismate Græco; vigil, ac in fide firmus, feruensq; Rex in id incumbebat, ne pestis hæretica quæ vicinas terras, ipsamque

adeo Prussiam ac Liuoniam infecerat, in regnum irreperet, vel si irrepsisset, ut in limine opprimeretur. Edictum edidit contra hæresim Lutheranam nonis Septembris anno 1523, quo scripta, & libros Lutheri conquiri jussit, & sub pœna capitis, & confiscatione bonorum retineri prohibuit, deputatis tum alibi, tum præcipuè Cracouiæ inquisitoribus, qui per singulas domos, testudines ac cistas diligenter scrutarentur, vt vbi libros hæreticos inuenissent illinc pœna edicti exigeretur; injunxitq;, vt impressores librorum nihil imprimere, vel bibliopolæ vendere quidquam possent, nisi Rector Vniuersitatis, vel alius per Ordinarium constitutus priùs, quod venum exponebatur è libris, vidisset; secus facientibus in easdem pœnas incursuris. Hortatu eius celebrata est Lanciciæ omnium regni Episcoporum synodus, in qua tam proximè positum edictum, quàm Constitutiones Pontificiæ circa hæresim eandem approbatæ, receptæ ac confirmatæ sunt. Lex itidem dicta est anno 1541 ex ordinum consensu autoritate regia & Reip., vt juxta vetera regni sancita, quicunq; aliquam hæresim amplecteretur, equestri gradu excideret, atq; veluti Maiestatis læsæ, patriæq; proditæ reus puniretur: prohibitum præterea est seuerè, ne vel juventus literarum causâ ad Academias labe hæresis afflatas peregrinaretur, vel professores inde accerserentur: quanquam hæc lex anno 1543 ita correcta est, vt juventuti literarum discendarum causâ accessus variarum Academiarum non vetaretur, modò in patriam reuersi nullam nouam doctrinam auderent vulgare, nullosq; libros inueherent in suos & aliorum vsus: vnde factum, vt multi pruritu sciendi, sibi à libris prohibitis non temperarent, ideoq; in errores occultos prolaberentur, licet pœnarum metu eos palàm propagare aut profiteri non possent. Neque verò solùm verbalia fuerunt hæc decreta, re ipsa pœnæ sumebantur, nam si quem hæreseos accusatum Episcopus damnâsset, eum ciuiles & equestres Magistratus bonis exuebant, ac infamiâ notatum solùm vertere cogebant. Certè zelus Regis tum aliàs, tum præcipuè patuit, cùm Gedanum à fide defecisset, nam Joannem Salicetum Jurisperitum præcipuum defectionis autorem vnà cum alijs tredecim eiusdem criminis reis in terrorem cæterorum capite plecti mandauit, vt refert Neugebauerus & Vapovius, & hic supra fol. 418. Atq; is quidem status fuit Ecclesiæ Polonæ sub Sigismundo primo, qui tamen vt primum è viuis excessit, statim caput erigere visa est hæresis, ac prodire in publicum, quæ hactenus in occulto latuerat; hinc factum, vt confertim deficerent non primores modò nouorum auidi, quibus graue videbatur Ecclesiæ jugum, sed & promiscuum vulgus exempla principum secutum. Regis neoelecti Sigismundi Augusti dubia erat initio fides, alij hæreticum dicere, Cathólicum alij, alij in fide vacillantem existimare: hæretici quidem, quod testatur Hosius Cardinalis ad Joannem Demetrium Solikowski Regium Secretarium scribens: hæretici inquam sibi & alijs de eo persuaserunt, quin & rumorem sparserunt, quod in proximis comitijs rejecturus sit fidem Christianam, & amplexurus Augustanam: suspicionem porrò hæreseos incurrisse videtur ipso sui regni exordio, cum de more Patri justa persoluisset, ac die Mercurij (qui dies in Polonia olim jejunabatur ob memoriam Saluatoris à Juda venditi) carnes Principibus Germanis ac Ferdinandi Regis legatis apposuisset, ex hoc fundamento vulgus hæreticum illum existimauit, vt habet Neugebauerus. Verùm si licet hæreticus non fuerit,

Edicta de hæresi.

Sigismundi primi zelus.

Sigismundi Augusti dubia fides.

Hosij Card. ep. 90. mihi fol. 235.

erit, lentus tamen nimis erat in rebus fidei, & vt ait Florimundus Remundus oppido frigidus, nam Polonia quæ sub Sigismundo primo eius prudentia & solicitudine ab infectione hæresis ferè immunis permansit, sub Sigismundo Augusto conniuente magis ac tolerante quàm permittente omnimoda colluvie referta est. Ac quamuis Rex in alium postea virum mutatus videretur, tum singulari industria Stanislai Hosij Card. cuius plurimas, si placet, literas Regis commonitorias, Spiritu DEI plenas legere poteris tomo 2do operum eius edito operâ & studio Stanislai Rescij: item adhortatione B. Pij V, ad cuius expostulationem antiquauit diploma suum, quod dederat Alberto Friderico Duci Prussiæ Filio vltimi Magistri Ordinis in Prussia, quo diplomate Ducem ipsum, & omnes illi subditos in doctrima Confessionis Augustanæ à se & suis successoribus conseruandos in perpetuum promiserat, addita Beatissimo Pontifici sponsione se in omni vita Catholicam Religionem ex animo professurum, nec ullam eius immutationem in regno suo permissurum. Accessit ad meliorationem eius miraculum hostiæ, quæ in oppido Sacchazzeto diœcesis Pomeranæ, cùm à perfidis Judæis pugionibus ac cultris confossa fuisset, copiosum sanguinem fudit. His alijsq; Rex meliora sapere videbatur, sed ferè cum Phrygibus, jam enim ita latè malum inundauerat, vt vltima non nisi fidei ruina timeretur. Stare adhuc videbatur potestas & authoritas Episcoporum, sed & hæc breui euersa est casu, & exemplo Stanislai Orichovij Canonici Præmisliensis; hic (vt ipse fatetur oratione coram synodo habita Varsauiæ anno 1561 olim Lutheri ipsius Wittembergæ discipulus) anno 1551 vxorem (imò sacrilegam concubinam) publicè duxit virginem nobili familia ortam, & scriptis insuper cœlibatum oppugnauit; ob quam causam cum excommunicatus esset à Dziaduski Episcopo suo Præmisliensi, vt se contra leges & Episcopum muniret, confugit sub patrocinium Palatini Cracouiensis Petri Kmita, apud quem non sceleri modò securum receptum, sed etiam Episcopali autoritati expugnandæ sufficientem potentiam reperit: nam ea occasione nobilitas Episcoporum jurisdictioni sese volens subducere, judicium de hæresi ad Regem pertinere, non ad Episcopos, nec ad Pontificem publicè in Senatu contendebat, ac quamuis Rex pro Episcopis sententiam tulisset, hæc tamen Regis sententia eum motum fecit, vt omnes è senatu cum fremitu abierint, nec facultas fuerit Episcopis secundum leges & canones procedendi, etiam ex legis & Regis decreto. Ipse quidem Orichovius quamuis nunquam se hæreticis conjunxerit, quos tum confessione sua anno 1552 vulgata, tum alijs libellis, vt erat vir eloquentissimus acerrimè insectabatur, occasio tamen fuit Sacerdotibus, alijsq; quidlibet audendi, maximè cùm vidissent sacratissima illa regni judicia, ac soli & vni DEO jurata comitia hominibus improbis, ac Luthero servire. At ferendus hic error fuerat, si vnus fuisset, æqualis, si non gravior priorem excepit, cum in Petricouiensibus comitijs, frustra reclamantibus orthodoxis, inuito Rege, in oculis Apostolici Nuntij, moxq; Cardinalis Commendoni, nequicquam contratendente tota illa sanctitate ac Sapientia sua Cardinali Hosio decretum conditum est, quo sacrarum decimarum causæ per summam injuriam Ecclesiasticæ libertatis tribunali politico subdebantur. Meminit idem Cardinalis Hosius aliorum Petricouiæ sub hæc tempora comitiorum, in quibus de separationis consilijs actum est, quæ quantum DEO displi-

Stanislaus Orichovius.

displicuerint, colligit ex eo, quòd domus illa in qua de separationis consilijs actum est, turbine disjecta est, vnà cum magnificis regni consiliariorum ædibus, neq; regia ipsa relicta intacta, cùm tamen oppidanorum ædes, quæ magis tempestati opportunæ videbantur, nihil aut vix aliquid damni exinde perceperint; vox nimirum, ait Eminentissimus hic ac zelosissimus Antistes, quædam DEI fuit consilia separationis detestantis, simul & tibi, & ijs, qui tibi sunt à consilio denunciantis, nisi fortiter illis restiteritis, nisi grauiter Catholici Regis, Catholicorumq; Senatorum officio functi fueritis, futurum, vt sicut nunc in fastigia domorum, sic non ita multò pòst in capita quoq; vestra multò grauior tempestas desæviat &c. &c. Huc refer quod in ijsdem comitijs ipsis Ecclesiæ hostibus mutuæ de rebus fidei disceptationes non sine graui ruina concedebantur, qualiter anno 1566 Petricouiæ Rege præsente, autoritate Comitiorum impiè à Trietistis seu Trinitarijs Arianis disputatum est, de Christi Diuinitate, quam negabat Joannes Valentinus Gentilis Consentinus Italus, defendebant autem Caluinistæ sed valde ruditer & ineptè, quidquid contra Hosius ac cæteri Orthodoxi conarentur, quos malè habebat inter tales antagonistas, cum tanto periculo audientium disputari, num Christus esset DEVS, adeo vt Hosius postquam Regem jurisjurandi in inauguratione præstiti, & senatum vniuersum officij, pietatisq; monuisset, è comitijs discedere maluerit, quàm eo loci ampliùs morari, in quo blasphæmijs execrandis adoranda Trinitas proscinderetur. Ex quibus omnibus factum est, vt Sacerdotes ad incestas nuptias, religiosi ad ollas Ægypti, pene omnes ad nouam Lutheri fidiculam respicerent, fuitq; ea in Polonia confusio, quæ esse solet, cùm omnes, quæ placent credunt, & faciunt: ac quamvis supradictus Orichovius cum vxore ducta fidem non mutarit, ausi sunt id tamen longè plurimi, ac inter eos etiam Episcopus Kijoviensis, qui ad statum ciuilem transijt à Rege in Senatorio ordine retentus, ac Castellanus Brestianensis renunciatus; ipsæ etiam domus atq; Ecclesiæ Religiosorum ad solitudinem redactæ vix vnum alterumq; ad custodiam habebant. Nec melior conditio excepit sacra DEO templa & cænobia, passim enim vel demoliebantur ea hæretici, vel in synagogas suas, popinas aut stabula conuertebant: Oblatum est posteris annis Stephano Regi Poloniarum volumen, in quo descriptæ erant direptæ, ac dirutæ Ecclesiæ, in hoc ad oculum patuit, quanta sub hæc tempora abominatio desolationis steterit in loco sancto: certe in Gnesnensi Diœcesi numerabantur templa supra octoginta, in Wladislauiensi supra nonaginta, in cæteris per vniuersam Poloniam non pauciora, partim disjecta, partim execrandis hæreticorum sacris contaminata. In Litvania autem res eò deuenerant, vt ad annum 1576 totâ Samogitiâ nonnisi sex Catholici Sacerdotes reperti fuerint, cum tamen paulò ante septingentæ parochiæ in Lithvania numerarentur; inter reliquos autem tantùm excreuerat hæresis, vt audeat asserere Cichocius in alloquijs suis vix millesimam partem Catholicorum remansisse. Sic se quidem res habuit cum Sacerdotibus, & fide, quæ si adhuc aliqua supererat, profliganda videbatur penitus à Scholasticis Academiæ Cracouiensis; occasio talis erat: aduerterant aliquot Academici scortum alicui sub noctem adduci, in hoc irruere, ipsum & lenam exagitare, sannis & stercore aspergere, & alia facere, quæ insolentia eiusmodi hominibus suggessit; incommodum accidit, vt

Consilia separationis.

hæc infolentia impingeret in famulos Andreæ Karnkovij, illius, qui poftea Epifcopus Pofnanienfis deceffit; hi cùm infolentes pueros compefcere volunt, & refiftentiam inueniunt, aliquot ex ijs vulnerant, aliquot etiam occidunt, reliquos in difperfionem agunt. Poftera luce turbo ingens inter Academicos, concurritur ad Regem tunc Cracouiæ præfentem ex omnibus fcholis, petitur juftitia, & vltio contra Karnkovium, quo culpam diluente, cognitoq; poft diligentem inquifitionem ignarum fuiffe omnium, Karnkovius quidem liber dictus eft, familia autem eius juffu Regis in vincula conjecta eft, pœnas datura, quas merebatur. Neq; tamen fubfedit fcholafticorum motus, nam omnes confpirarunt ad relinquendam vrbem & Academiam, ficut defacto vrbe excefferunt omnes, pars maxima in Germaniam, in qua Lutherum difcerent, & in patriam peftem reportarent, & infelices literas damno Religionis emptas, pauci juffu Regis è via retracti funt. Et patuit tunc demum Poloniæ, quantas aluiffet viperas, quæ ita crudeliter Matrem roderent, vt cum fide vitam & falutem ei adimerent. Irrepsêre hac eadem tempeftate multi diaboli adminiftri, doctores impietatis, quorum vna cura erat totam peffundare & perdere Religionem. Eorum vt improperia perfeverent, aliquos hic adducam, videant fera fæcula quanti deceptores patriam prodere tentârunt, & glorificent DEUM, quòd malignitas perierit in adinuentionibus fuis. Primus fit Bernardinus Ochinus, qui ex Minore Obferuante factus Capuccinus, idq; etiam Generalis Ordinis, ac deniq; perfidus Apoftata, quem nonnemo adhoc natum effe dixit, ne folus Seruetus omnium impuriffimus teterriffimusq; hæreticus videretur. Fundatorem Capuccinorum eum aliqui opinantur, vel vnum ex quatuor eius primis profefforibus, fed falsò, cùm ordo hic per Conftitutionem publicam à Clemente VII anno 1528 confirmatus fuerit, Ochinus autem anno 1534 duntaxat eum ingreffus eft, vt proinde videatur fabulam mentita effe hærefis, cùm vt fibi plaufum faceret, tantum virum ad fe acceffiffe fpargeret, in veritate enim non Ochinus fed Matthæus de Baffio Ordinis fundator erat, quanquam is ipfe Matthæus amore liberioris prædicationis caputium illud quadratum deferuerit reuerfus ad Obferuantes. Cæterùm Ochinus poft apoftafiam metu pœnarum ex Italia profugus Genevam priùs, indeq; metu mortis fimilis morti Servetianæ non pridem inibi ob fectam fuam vivicomburio vrgente Caluino ipfo fublati Tigurum, Bafileam, in Angliam, Germaniam, Tranfiluaniam, ac demum in Poloniam conceffit. Scripfit impius defertor apologiam de fuga fua ad Pontificem ita male dicentijs & calumnijs refertam in fedem Apoftolicam, ac Ecclefiam Catholicam, vt Pontificem eò adegerit, vt de extinguendo vniuerfo Ordine tractauerit, vixq; placari potuerit cognitâ Ordinis innocentiâ. Scripfit item Dialogum contra fectam terrenorum Deorum, quo nomine miniftros Genevenfes ac Helveticos defignavit; edidit & alios longè peftilentiffimos & atheifmis pleniffimos libros, quibus non folùm polygamiam propugnabat, fed etiam facras fcripturas, Chrifti Diuinitatem, fanctiffimam Trinitatem, imò & omnem DEitatem oppugnabat, ita fe in ijs gerens, vt quamvis omnia Catholica argumenta defendere præferret, victum fe tamen argumentis aduerfariorum profiteretur. Dedicavit inter alia Regi libellum quo pacto tractandi & occidendi fint hæretici, in quo inter alia hæc habet. Quemadmodum hominem

Bernardinus Ochinus.

nem ad imaginem DEI creatum, si innocens & sanctus est, interficere summæ crudelitatis est, ita eiusdem, ne dicam, majoris crudelitatis est, impium hominem, si mortem meritus est, non interficere, quod decretum contra se tulit impius, qui tamen vno tantùm peccatillo videtur laborare, quòd non credat in DEUM. Hæc de Hosius epis. 72. ad Card. Commendon. Resipuisse tamen eum ante mortem (quæ DEI bonitas est) atq; ejurata hæresi ritu Catholico confessum esse vereq; pœnitentem obijsse multis testimonijs adductis affirmant Annales Capuccinorum: quod ipsum etiam confirmare videtur Beza hæreticus inquiens Ochinum in fine se ostendisse iniquum hypocritam, quem nihilominus miserabiliter in Polonia perijsse tradit.

Secundus seductor erat Ioannes à Lasko nobili in Polonia loco natus, aut ut loquitur de eo Lindanus, plus suis priscis imaginibus à se turpiter defœdatis, quàm doctrinâ nobilis, quippe, ut de eo testatur Hosius Card. patruum habebat Gnesnensem Archiepiscopum & Regni Poloniæ Primatem: hic primum in Anglia Superintendentem Ecclesiæ peregrinorum egerat sub Edvardo ac uxorem duxerat, dein regnante Maria inde pulsus, Daniâ alijsq; regionibus peragratis jam Lutheranus, jam Zuinglianus, vndiq; ejectus deniq; hæresi quam in Polonia profitebatur Sacramentariæ asylum in Polonia reperit; sed neq; cum iis eo in omnibus convenit, siquidem novam verborum cœnæ expositionem excogitauit, nam pronomen *Hoc* in formula Consecrationis, non ad panem, vt cæteri Zvingliani, sed ad totius cœnæ actionem retulit, velut dictum fuisset, panem accipere, benedicere, frangere, distribuere ac manducare hoc totum est corpus meum, vt de eo inter cæteros testatur Sanderus: quanquam Erasmus Alberus prædicans in novo Brandeburgo duodecim modos ab eo excogitatos asseveret, quibus verba Cœnæ detorqueantur. Docuit impostor præter alios errores, quòd baptismus non sit medium ad salutem necessarium, quòd baptismus in idololatriam conversus sit, aliaque quæ solidè refutat Hosius libro qui inscribitur, de expresso Verbo DEI, contra hunc ipsum Laskum scripto, ac post mortem Cardinalis operâ Rescii edito unà cum epistolis eius; ad quem Lectorem remitto. Porrò occasionem scribendi libri huius dedit ipse Laskus Cardinali occupatissimo, quia iam ternis Pauli IV. literis vocato ad Conc. generale ac iter adornanti sparso in vulgus libello refutatorio Libri Hosiani de expresso Verbo DEI, qui multò cum fructu legebatur: hic quidem libellus eius, cùm eandem sortem nescio cuius hæretici libro in platea cuiusdam maritimi oppidi de quo S. Augustinus, invento habuisset, nam & ipsius liber plenus in Ecclesiam calumniis & scommatis in Hosium in platea maritimi oppidi Brunsbergensis inventus ad Hosium deportatus, in quo tum ipsi Sigismundo tum subjectus ei populis fidiculam suam pro puro puto verbo DEI proponit, sed operâ Hosii memoris, quod Patres docent, quòd hæretici scriptis suis firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt, penitus eversam & contritam, cuius scriptionis hanc occasionem etiam reperies apud eundem Hosium in epistola dedicatoria Rescii ad Stephanum Regem Poloniæ.

Tertiò loco ponendus videtur Andreas Osiander natione Bavarus (qui nomen ridiculum familiæ (parens enim eius arte faber ferrarius vocabatur Hosen Enderle) mutaverat in Osiandri; hic propter Cæsareum *Interim* relictâ Norimbergâ, ac totâ profugus Germaniâ in Prussiam ad Albertum Ducem concessit, à quo gratiosè susceptus hæresim

Ioannes à Lasko

Andreas Osiander

novam conflavit, nam vt de eo Lindanus, Dubitantii Dial. 2. cùm sibi spiritum nactus Evangelicum videretur, nec Lutheri quidem vestigiis consistere potuit, tametsi plurima Lutheri loca pro se ad suæ doctrinæ confirmationem adduceret: vnde factum est, vt non Prussia solùm & Polonia, sed tota ferè Germania concuteretur. Porrò hæresis illius hæc præcipua capita erant: docebat hominem non fide justificari, sed eadem essentiali justitia, qua DEVS justus est, quæ est ipse DEUS, vt Christianus non jam sit justus gratiâ, sed naturâ. Item Christum Dominum secundùm solam Divinitatem esse mediatorem nostrum, aliaq; eiusmodi, quin, vt prædictus Lindanus docet, jactitabat se alterum esse Enoch: Enimvero ingentes habuit contradictiones hæc de justificatione hæresis Osiandri, præterquam enim quod plurimi (quatuordecim Lutheranas Ecclesias contra eum scripsisse testatur Prateolus) illum scriptis impetierint, aliam omnes alteriq; contrariam justitiæ definitionem & hæresim assignantes, tantæ excitatæ sunt lites, vt res non longè fuerit à seditione; quin vt Hosius testatur, proclamatus est Osiander hæreticus, anti-Christus, Judæus, Niger Diabolus, Draco, homo nefarius, consceleratus, hostis Christi: fuit de eo confictum, quod quacunq; incederet, eum in specie canum duo diaboli comitarentur, quos non cuivis videre liceret: quodq; quo tempore cibum & potum in inferiore cum suis hypocausto sumebat, vbi vacare solitus erat literarum studiis, in superiore sedens in illius loco Diabolus visus sit scriptitare; & alia id genus plura: tum & illud de eo sparsum fuit, quòd affirmaret Christi passionem & mortem nullum nobis fructum attulisse, cùm tamen in scriptis eius diversum reperiatur. Deniq; tantum fuit homini odium conflatum, vt non modò ipse impius haberetur, sed etiam qui sermones eius audirent à communione cæterorum qui se pios existimabant, arcerentur, ideoq; Merlinus eos, qui Osiandri sermones audiebant, nec sepulturâ mortuos dignabatur, nec infantes eorum vt baptizaret adduci potuit, ut idem Cardinalis testatur lib. de expresso verbo DEI. Missa doctrina eius Wittembergam & damnata est per Melanctonem, Pomeranum, Forsterum & alios; missa etiam Wirtembergam, vbi approbata est per Brentium aliosq; aliquot eiusdem sectæ. Neq; tamen has inter oppositiones animum despondet Osiander, quin audacius it contra, fretus vt ipse dicere solebat, per tria A A A causam doctrinamque suam haud dubiè defendendam promovendamq;: cumq; rogaretur quæ tandem illa tria A A A essent, respondit vernaculâ sibi, id est Germanicâ linguâ, primum A esse den Allmächtigen id est Omnipotentem, secundum verò Albertum, videlicet Prussiæ Ducem patronum ac Dominum suum. Tertium deniq; Adamum id est Carnificem Regiomontanum, cui id temporis Adamo nomen fuit. Neq; hæc abs re dicta videntur, nam prima quidem tantisper conniventem, ac propter altissimas juxta ac sanctissimas rationes suas permittentem scandala DEUM habuit impius eò magis, quòd bonitate & longanimitate eius vteretur in malum: Albertus etiam ita eius causam egit, vt eum deperire videretur, nam relictis in arce templis & concionatoribus aliis Osiandri audiendi fruendiq; gratia xystum ac pergulam qua ad templum veteris oppidi Regiomontani progrederetur, perorantemq; Osiandrum audiret, fieri curavit, eaq; pergula (quoniam aulici ac reliqua familia comitari Dominum intra templum renuerent) prope solus templum frequentaret. Fautor ergo hæretici rabulæ princeps hæreticus nihil omisit, vt error eius latissimè dispergeretur, hinc per annos minimum quindecim à morte eius varia edicta pro errore stabiliendo emanare fecit

Prateolus de vit. haret. verbo Antosiandrini.

Hosius lib. 1. de haret.

fecit, inter alia cùm anno 1554. regnantibus vbiq; Osiandristis ac Funccio potissimùm jurato eius præsultore, synodus Regiomonti indicta & in ea confessio noua confecta est ad Osiandri furorem temperata, geminoq; Principis mandato ita stabilita fuit, vt prædicantes, qui acceptare renuerent, carceribus & exilio affatim mulctarentur; cui cùm contraveniret Joachimus Merlinus Cniphaviensium pastor, ita vrbe exturbatus est, vt (quod partim Hennebergerus, partim Vigandus vehementer deplorant) neq; vxorcula illius ægrota, neque Justus Menius cum alijs è Saxonia legatis, remorari vel ad horam supplicium possent, quin lectus de mulierum puerorumq; Cniphaviensium turba exercitus (quadringenta minimùm capita fuisse dicuntur) ad expugnandum miserabili supplicatione Principis pectus arcem quadrato quasi agmine subijt. Sed irrita fuit oppugnatio; novæ enim illæ prædicanticæ Amazones repulsam ita ab arce passæ sunt, vt cum fletu ac gemitu retroactis agminibus discederent, ac mæstum illud suum canticum Ach Gott vom Himmel sich darein/ und laß es dich erbarmen/ id est, De cælo DEUS respice, & miserere nostri, pro epinicio canerent. Atq; sic quidem per Albertum crevit Osiandrismus. Circa tertium porrò A id est circa tertium sectæ suæ promotorem carnificem videtur votum fuisse Osiandri, optantis, vt reliquus Christi grex per illum exscinderetur, sed aliter id vertit Divina bonitas, quia per eum ipsum Osiandrismus, si non plenè extinctus, certè non modicè repressus, nam cùm Osiandrici Principis gratia & autoritate nixi, insuper habentes sacra omnia & profana, in alios etiam Prædicantes prædicantico furore grassarentur, eosq; carceribus & exilio plecterent, imploratum est ab vniuersis Prussiæ Ordinibus Regis & Regni Poloniæ auxilium: quocirca missi die 23. Aug. anno 1566. regij cum potestate Commissarij, qui servato per omnia juris processu non modò in autores malorum Prædicantes, sed & in Principem ipsum (quod nisi Prædicantes ipsi, scilicet Vigandus, Mislenta, Mörlinus testarentur, quis crederet?) vti turbulentissimorum hominum patronum ac fautorem juris actionem instituì pro more & vsu provinciæ voluerunt. Lectum igitur judicium de equestri ordine (quod in Prussia singulare fuit vulgo Ritterbanck quasi equestre subsellium dictum, in quo causæ cum ipso Theutonico Ordine judicari solebant tempore Crucigerorum) lectum inquam hoc judicium die 12. Septembris è duodecim judicibus judicij totius præfecto Ioanne Truchsesio, & Canitiis in principem actoribus in præsentia Commissariorum: cujus judicij quale decretum fuerit ex eventu divinare licet; coáctus enim princeps autores malorum, & tumultuum faces sistere regiis commissarijs Prædicantes, Ioanne Fuccio genero Osiandri nequidquam ad ipsius Principis vsq; sinum confugiente, & cum gemitu, lachrymisq;, ne traderetur, muliebriter deprecante. Die 14 Septembris conjecti in carcerem Cneiphovianum, ad 28 Octobris, quæ dies Sanctis Simoni & Judæ sacra est, diligenter servati, tandem in forum Cneiphovianum producti, gladio carnificis jugulati sunt Magister Joannes Funccius, Matthias Horstius & Joannes Snellius, Joanne Steinbachio, qui ad illos Triumviros quartus accesserat, in exilium acto. Tragædiam multis vulgari illo chronostico comprehensam.

Henneb. pag 183. Vigandus in Osiandrismo.

sIMonIs IVDæ sneL, fVnk, horst InterIere

Multis prosequuntur Ioach: Mörlinus, Vigandus, Henneberg. pag. 222. & seq. Id unum dolendum, quòd iam non superfuerit in vivis Osiander, vt à Magistro Adamo etiam sibi impendi potuerit obsequium par, vtpote in quo vt supra vidimus spem suam reposuerat, & per quem putàrat

târat sectam suam ampliandam. Verùm quam à carnifice Regiomontano habere non potuit, maturè à Carnifice inferni accepit. Chytræus eum paroxismo epileptico ex hac vita discessisse prostratum; Palladius eum vt bestiam horribiliter extinctum: Hennebergerus bovis instar horrendum immugientem infelicem spiritum orco reddidisse, ita vt ne corpus quidem, quod in templo veteris Civitatis Regiomontanæ conditum erat, quamvis diligenter quæsitum reperiri deinceps potuerit: Porrò hoc in rugitu, quod animam orco reddiderit, non miror hos enim inter psalmos & hymnos venefici, quasi quædam Orci lusciniæ expirare solent, qualem fuisse Osiandrum narrat Hennebergerus his verbis: Osiander Chyromanticus erat, quin & Ioannem Rügkerum commensalem in chyromanticis discipulum habuit, cui anno 1540. signum quoddam in manu sua cùm exhiberet spectandum, rogavit, quid illud notaret? ac tacente quamuis non omnino inscio Rugkero Hæreticum, inquit, signat, & ego quidem hæreticus sum, sed Papæ, scilicet, Hæreticus. Vide fol. 431.

Henneberg. pag. 182.

Frãciscisc9 Stancarus.

Quarto loco statuendus videtur Franciscus Stancarus Italus (is quem bono lavat lixivio Stanislaus Orichovius) hic cum Mantuæ bajulus diobolaris operariorum esset ultimus, novare inibi sectam aggressus est, sed providâ Mantuanorum diligentiâ factum, vt Mantuâ & totâ Italiâ exulare cogeretur. Quæsivit exin locum in Helvetia, ac ulteriore Germania, sed quia facile omnium oculis patuêre eius scelera, fugatus vndiq; pulsusq; est adeo, vt nullus inter ipsos hæreticos ei locus esset super. Igitur ad illos insipientes confugiendum sibi judicavit, qui dicunt in cordibus suis; *Non est DEUS*: & quia larvâ opus erat, quâ nebulo hic tegeretur, eam è Judaismo petijt, quando Hebrææ lingvæ obtentu Cracoviensi Polonorum gymnasio eam profiteri permissus est, Agnitus tamen brevi ex ululatu lupus, ovinam larvam ponere debuit, nam cùm sua illa in palæstra, psalmum *Cum invocarem exaudivit me DEUS*, enarraret, non id egit ut psalmos interpretaretur, sed ut eos everteret, hinc audita est ab eo impia illa vox Virginem matrem necdum in cœlo esse, neq; Christum adhuc intueri, ac tantùm non expectabatur ab eo illud impium:Christus non est DEUS. Advertit impietas Nicolaum Szadek Gymnasiarcham, qui cum Samuelem Maciejowski Episcopum Cracoviensem per literas de iniquo monuisset, captus, ac Lipovicij in custodiam datus est, inde postea custodibus pretio corruptis Pinczoviam Cracoviensis municipij oppidum se contulit; ubi cùm tantisper moratus esset hæreticâ pravitate inductâ in templa irruens imagines Sanctorum evertit, memorias Martyrum delet, altaria suffert, sacra profanat, gazam Ecclesiasticam diripit, sicq; facta est Pinczovia, è qua olim velut ex equo Trojano viri omni præstantia virtutis excellentes prodierunt, lupanar in capite omnis viæ, siquidem in eam liberum ingressum habuêre, qui adulterabant fidei ac sapientiæ veritatem. Ac Stancarus quidem inibi aliquantum moratus Arium, Macedonium, Euthycheten, Aërium, Nestorium suos docuit Pinczovianos, & è novis multa addidit, prout hominem libido impellebat, docuit Christum justificatorem, & mediatorem secundùm solam naturam humanam exclusâ divinâ, cœnam domini præberi tanquam corporis ejus arrabonem, deniq; cœnam tam in signo quam in signato cassam & inanem memorialem quandam esse Christi pro nobis passi, unde quasi reperta veritate exclamasse fertur, Cœnam Papisticam esse malam, Lutheranam multò pejorem, Calvini omnium pessimam, suam autem divinam: addit Galladius eum Rabbinorum contagijs infectum fuisse: postremò canones reformatorios edidit, quorum

summa

ſumma erat, licere veterum Patrum inſtituta novis legibus permutare, veteres religiones abrogare, novas inſtituere, bona ſacerdotum diripere, & in illorum locum alios ſubſtituere, Epiſcopos & Archiepiſcopos Regibus ſubjectos eſſe; Regi non parendum, niſi ex præſcripto fidei Stancarianæ imperanti, nec Sacerdoti, niſi juſſu Stancariano Eccleſiæ præſidenti. Et tolerari poterat furia hæc, ſi ſola fuiſſet, vocatione ejus adeo copioſæ peſtes inundarunt, ut periculum fuerit, ne in errorem inducerentur & juſti. Theodorus quidem Beza, quo nihil ætas illa vidit impurius plurimos Synagogiſtas ei in ſuppetias miſit Pinczoviam, jactans ſe paſſim & audacter Patronum Poloniæ, à quo viciſſim erudiendos ipſe Beza Polonos accipiebat, ut quod unus Diabolus efficere non poterat, alter emendaret. Nec patronatus iſte hominis impuri duntaxat ad oſtentationem erat, quaſi ad hunc invitatus eſſet, pro tali ſe habebat: patuit hoc in colloquio Poiſſiacenſi Vniverſali coram Rege Galliarum, Regina Matre, Epiſcopis ac Regni Proceribus pluribus habito, cùm Beza blaſphemè dixiſſet tam diſtare Chriſtum ab Euchariſtia, quàm cœlum à terra, ac tantus eſſet ob hoc fremitus factus, vt impoſtor propè exanimaretur, reſumpto animo ſtare ſe inibi dixit nomine Helvetiorum, Germanorum ac Polonorum, dicere debuiſſet nebulo nomine Pinczovienſium, ſed rideri timuit, eò quòd Pinczoviæ nomen adeo apud exteros obſcurum ſit, vt nemo ſciuiſſet mas an fœmina ſit Pinczovia, quæ ſi patrono ſola vſa eſt Theodoro Beza, fuit revera dignum patellâ operculum. Sed ad Stancarum revertamur, cui quidem in auxilium venerunt copiæ (Megæras dicere debebam, quæ novo omnia furore replerent) ſed hæ primò in parentem ipſum & creatorem familiæ Sacramentariæ in Polonia excitatæ morſus verterunt, ac ipſum Stancarum dentibus pœne priùs, quàm Chriſti oves confecerunt; quo in horrifico certamine Stancaro evenit, quod viperis ſolet, quæ cùm committuntur, imbecillis à valentiore laniatur, ac ita lacerata ad extremum communi ex antro cedere cogitur, ac aliud quærere latibulum, in quo recreetur, nam & ipſe cùm impreſſionem ſuorum ferre non poſſet, ac plagas & mortem metueret, eiectus inde in oppidum Ruſſiæ devium Dubecium profugit, vbi poſtquam vires refeciſſet, Regiomontum adiit, ſed & hinc brevi pulſus cum aliis prædicantibus, quod mandatum Electoris de defendenda Oſiandri ſecta ſequi nollet, erro per orbem, rudem plebeculam faſcinauit, dum inviſam orco animam evomeret. Pupugit hæc diſcordia ſuorum Bezam, cui cùm aliter mederi non poſſet, Sigiſmundum Auguſtum Regem vigilans ſcilicet & præclarus Patronus Poloniæ per literas admonet, vt novatores regno pellat, & coerceat blaſphemias Trideiſtarum & Anabaptiſtarum, rogat idem & Principem Tranſilvanum, & regni Proceres, & neſcio quos Trecios, Laſicios, Sarnicios, quos Paſtores vocat, vt in curam hanc toto pectore incumbant, quibus etiam ſcribit ſe ſubmittere ſynagogiſtas alios, quòd quidem coram Rege aliiſq; aſtutè vulpes hæc egit, vt neceſſe fuerit Hoſio Cardinali palàm facere impietatem hominis tum literis ad Regem datis, tum libro impreſſo, in quo pænè iiſdem verbis, quibus apud Regem eum depingit, vtitur, inter cætera ſunt hæc: Inſpexi libellum, quem obtrudunt Maieſtati Veſtræ: vidi quòd in eo Theodori Bezæ doctrina continetur. Ut autem ſciat Majeſtas veſtra, qui vir ſit iſte Beza. Scribitur à viris fide dignis quòd omnem vitam ſuam in luſtris & ganeis, & in omni libidinis genere traduxit. Ac indicat hoc Epigrammatum liber per eum editus, in quo Catullos, Tibullos & Martiales laſcivia petulantiaq; ſuâ ſi non ſuperare, ſaltem æquare videtur.

Beza.

Hoſius ep. 105.

Hoſius epiſt. 123. & libro cui tit. Catholica cenſura de adorand. Trinit. mihi fol. 187. & ſeq.

Qui cùm in conuentu Poisiaco ea verba pronunciasset, quæ paulò antè commemoraui, tam distare corpus ab Eucharistia, quàm cælum à terra, lepidè è sodalibus eius quidam dixisse fertur: Quomodo credat corpus Christi esse in Eucharistia, qui vix DEum in cœlo esse credit? Hic est ille Beza, qui Ducem illum fortissimum Guisium prælia Domini præliantem in Gallijs, cùm alia ratione vinci non posse videret, submisso sicario non magis nomine, quam reipsa Poltrono per summum scelus proditoriè confodiendum curavit. Nec satis habuit hoc tam atrox facinus patrasse, verùm etiam edito libello parricidium hoc defendere, laudare, tituloq; pietatis ornare veritus non est. Quin & insidiatoris illius tam horrendum flagitium cum facto Moysis, qui Ægyptium, & Davidis, qui Goliath interfecit, comparare, & cùm, quod meruerat supplicium de scelerato sicario sumptum fuisset, Poltronum inter Martyres referre non dubitavit. Neq; contentus fuit tam immane factum parricidæ laudasse, verùm alios etiam ad imitandum illud eius exemplo accendit, ac fas esse docuit fallere fidem, heris insidiari, & eos quoquo modo tollere juxta illud: Dolus an virtus quis in hoste requirat? Sed quid ego plura scribam de Beza hoc, quo nihil unquam terra produxit scelestius? Hic enim est fax incendiorum omnium, fonsque caputq; malorum omnium, quibus florentissimum quondam Galliæ regnum tot jam annos est afflictum, qui propterea misit huc Synagogistas suos, vt eundem huius quoq; regni Maiestatis Vestræ efficerent statum, & in easdem illud calamitates adducerent. Hæc de Patrono Poloniæ Theodoro Beza zelosissimus Card. Hosius, cuius sectam & fidiculam polonico idiomate sæpe in suis literis vocat Biessowa Wiarka.

Georgius Blandrota. Sed jam videamus cuius farinæ fuerint, qui Stancarum Pinczoviâ expulerunt. Primas inter illos tenet juremerito Georgius Blandrota, ille, qui fugâ lapsus è Ticino, ubi inquisitus fuerat, Genevâ, Helvetiâ, & Germaniâ peragratâ in Transilvaniam penetrârat, ac medicum profitens venenum Arianismi, & impietatis Antitrinitariæ ibidem sparserat; verùm & inde exul, reor mandato Solimani Turcarum Imperatoris Reginæ Viduæ protectoris (justo DEI judicio, vt rex infidelis potiorem curam antiquæ Religionis haberet, quàm ipsimet Catholici Principes) qui cùm intellexisset eiusmodi sectarum novitates, quibus periculum erat, ne regnum pessumiret, omnino interdixit, ne hæretici in Transilvania degere sinerentur; quo tamen postliminiò sub Selimo, regni potito Ioanne Sigismundo eoq; Arianismo infecto redux effecit, vt novissima regni hujus fierent pejora prioribus. Interim homo impurissimus, dum in Poloniam irrepsisset, ac tantam sibi conciliasset autoritatem, ut velut Angelus è cælo delapsus susciperetur, adjunctis sibi socijs Lysmanino, Statorio, Scerebesino susq; deq; vertebat omnia, quæ à prioribus intacta videbantur, docebat unum esse DEUM Patrem, & unum hominem Christum, sed tres DEOS seu Trinitatem quandam excogitatam fuisse, ac ita duos Christos emersisse. Socios ei plures addit Spondanus, scilicet Valentinum Gentilem Italum, qui à Calvino post combustionem Serveti detentus in carcere, ac ex eo simulatâ pœnitentiâ dimissus, in Polonia novus cooperator accesserat Blandrotæ: Rege autem Poloniæ Sigismundo Augusto, ut perturbatæ in regno Religioni succurreret, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto edictum promulgante ut omnes peregrini dogmatis autores Poloniâ excederent, excessit & Gentilis, oblato tamen priùs Regi libro, in cuius præfatione conquerebatur monstrosas & profanas voces & in Ecclesiam invectas esse, vt sunt ὁμοούσιος, Persona, Essentia, Vnitas, Trinitas,

quibus

quibus omnia Divina mysteria pervertantur. In ipso verò libro quàm plurimis expositis doctrinæ suæ capitibus inter cætera ait Trinitatem esse merum humanum commentum, solum Patrem unum esse illum DEUM, qui in scripturis unus & solus DEus dicitur: Filium DEI à Patre quidem esse, sed ei vt essentiatori subordinatum: δευτερόθεον, ἑτερόθεου, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum non solùm quoad Personas, sed etiam quoad essentiam divisos esse, ita ut tres sint essentiæ sicut tres Personæ, tres æterni, tres Omnipotentes contra S. Athanasij symbolum, quem aliter vocandum non esse quàm Satanasium docebat, & alias longè plurimas blasphemias, quæ extant in historia edita de eius supplicio scripta à Benedicto Aretio Ministro Bernensi, cùm capite redux ex Polonia plexus esset ob eas blasphemias, quas ita pervicaciter tuebatur, ut etiam, cùm ad supplicium duceretur, non desierit vociferari se pro gloria Altissimi DEI Patris mortem oppetere, quod nemini hactenus contigisse dicebat, sed omnes Apostolos & Martyres pro Filij tantùm gloria passos esse.

Præter hunc Blandratæ conjuratum ponitur & Joannes Campanus Germanus Juliacensis, qui inter alias abominationes, ac ridiculos vocationis suæ ad propheticum officium entusiasmos pertinacissèmè ac perversissimè docuit Filium DEI & Spiritum Sanctum non esse personam distinctam, solum DEum Patrem & neminem alium adorari & invocari debere, quia ille solus videt corda nostra, quod nulla creatura facere potest, esseq; præceptum veteris legis, ut qui alium præter DEum Patrem adoraverit, occidatur: De hoc refert Lindanus eum posthæc annos plurimos resipiscentiæ spe detentum in Clivia frustra captivum, cùm persæpe delirijs suis illusus prophetarit, sese certos post dies carcere liberatum iri, quod nisi fieret, polliceretur suarum opinionum detestationem atq; palinodiam. Huic accessere alij Diaboli, an Blandratæ administri Lælius Sozinus, Italus Senensis, Joannes Paulus Alciatus, Mediolanensis miles, Matthæus Gribaldus Iurisconsultus, quorum vna hæc videtur fuisse professio, ut contenderent de palma quam alter alijs præriperet in blasphemanda Trinitate, imò vna hæc concordia, ut nunquam concordarent in blasphæmijs istis, sed alter altero plures excogitaret. Effrontem planè inter alios fuisse volunt Gregorium Pauli in his blasphæmijs effutiendis, qui cùm minister esset Cracoviensis in eum finem pingi fecit tabellas, quas in publicum spargeret templi effigiem repræsentantes, cuius tectum Lutherus dejiciebat, parietes Calvinus diruebat, ipse verò fundamenta cum ligone subruebat, hoc est doctrinam de Sanctissima Trinitate subvertebat. Sed de his impostoribus satis, qui si vno regni angulo claudi potuissent, minus malorum attulissent, nunc autem velut emissarij canes in totam Remp. dispersi lacerare omnia, imò velut feri apri totam Christi vineam electam in his terris depascere, & evertere, quæ reliqua erat fides in Polonia.

Neque tamen prætereundus est infamis ille apostata Petrus Paulus Vergerius ex Episcopo Iustinopolitano in Istria, qui circa annum 1557. in Poloniam irrepsit, vt seditionem concitaret, quem si quæsivisses quam doctrinam JESU Christi profiteatur, non habiturus erat, quoad responderet, ut de eo Hosius Card. quia ita sectas sectis miscebat, ut quid crederet, ipse ignoraret. Huius operâ olim Romani Pontifices sæpe vsi, erant in negotijs Germanicis causâ convocandi Concilij, nam & ad Ferdinandum Imperatorem aliosq; Germaniæ Principes à Clemente VII, ac iterum à Paulo III. missus fuerat, habuitq; in mandatis ut promissis ac blanditijs ageret cum Luthero, & alijs eius doctrinæ asseclis

ad eos

ad eos ad obſequium ac concordiam reducendos, quem cum Wittembergæ vidiſſet, ac cum eo copiosè ac humaniter egiſſet, nonniſi ferociam ac Pontificis contemptum retulit. Imò jam in eo erat Pontifex Paulus, ut eum Cardinalem crearet ſed detecta eius pravâ cum hæreticis converſatione à propoſito deſtitit. Vnde Vergerius perculſus palàm defecit, & in eandem defectionem fratrem ſuum Joannem Bapt. Polanum in eadem Iſtria Epiſcopum induxit: ab Inquiſitoribus verò exagitatus poſt diverſa peragrata loca Tubingam à Chriſtophoro Duce Wirtembergenſi evocatus fuit mortuo jam ante eius fratre. In hoc nebulo hic alijs hæreticis peſtilentior erat, quòd Epiſcoporum ac Theologorum inter ſe de rebus in Conc. Tridentino contentiones nequiter colligeret, & eas ſuarum concionum ſubjectum faceret, libris etiam promulgaret, ſicq; Concilij actis omnibus detraheret: quin & privatorum literis idem faciebat, ipſius adeo Pauli Pontificis bullis ſcorijs ſuis obſcuratis. Inter cæteros ejus libellos auſus eſt homo nefarius quendam famoſum, aureum vocat, ſed Hoſio judice de auro Tholoſſano conflatum, ipſi Regi Sigiſmundo Auguſto inſcribere additis literis mendacijs, quæ in faciem ei exprobrat Cardinalis, pleniſſimis. Auſus eſt inſuper majore impudentia, quàm olim Auxentius hæreticus S. Ambroſium, homo hic leviſſimus provocare virum ſui longè diſſimillimum Aloyſium Lipomanum Epiſcopum Veronenſem, quo à ſexcentis prope annis nullum ex legatis Apoſtolicis vidit Polónia neq; doctiorem, neq; ſanctiorem. Plura qui volet de hoc apoſtata, adeat Hoſium tum alibi, tum libro de expreſſo Verbo DEI. Mortuus Tubingæ virulentus apoſtata, exul JESU Chriſti, ſic enim ſe vocare & ſcribere conſveverat, cui nec in vita, nec in morte quidquam Chriſtiani hominis erat.

Verùm fruſtra ego immoror texendo horum nebulonum catalogo, quorum nomina ad hoc ſolùm ſerviunt, vt ea poſteritas deteſtetur: plures ſcire voles, audi quod ſcribit Hoſius Cardinalis ad S. Carolum Cardinalem Boromæum Archiepiſcopum Mediolanenſem in hæc verba: Non ſolùm Catholicos, verùm & ipſos hæreticos queri, quòd Regnum Poloniæ factum ſit aſylum improbiſſimorum quorundam hominum, etiam qui Chriſtum DEUM eſſe negant, quosq; ipſi expellunt Genevâ, & alijs quibusdam Civitatibus Helvetiæ, eis in hoc regno non ſolùm receptum, verùm etiam honores magnos haberi, non ſine magna & Majeſtatis & regni totius infamia. Legiſſe ſe, quæ ſcribunt ea de re miniſtri Tigurini, tum & Heidelbergenſes, quæ ſunt à Calvino quoq; & à Simlero quodam hac ipſa de re typis edita: pudere illum vehementer, quoties & legit & audit, regnum hoc, quod ſexcentis annis jam Catholicum ſemper fuit & Orthodoxum, nec vlli alij vera pietate erga DEUm & religione colenda ceſſit, nunc demum ita traduci per vniverſum Orbem Chriſtianum, quaſi factum ſit aſylum impuriſſimorum quorumq; hæreticorum. Hæc nunquam ſat laudandus Card. Hoſius.

Porrò ſi quæras, qualiſnam hoc in ſtatu hæreticorum, facies fuerit Reip.? ea erat illa, qua inordinatior, ac vix non dixerim fœdior eſſe non potuit in confuſione Babylonica; certè Stanislaus Orichovius deplorans patriæ ſuæ calamitatem hanc, auſus eſt in libello quodam edito anno 1560. 12 Junij aſſerere non dubitavit. Si Sigiſmundus primus ad vitam poſtliminio rediret, nequaquam agniturum patriam; in qua olim natus atq; educatus, eandem Rex gubernaſſet, tanta ſcilicet rerum mutatio eius mortem conſecuta eſt, parochis ejectis, aris everſis, templis in haras ſuillas converſis, fide (vt ipſe ait) Mahumetizata, magiſtratum ordine perverſo &c. Idem Epiſtola ultima ad Stadnicium

verna-

vernaculâ lingvâ sic easdem deplorat ad verbum. Duodecimus jam ab obitu Regis sanctæ memoriæ (Sigismundi I.) agitur annus: jam sub hoc Rege, duodecies comitia, quibus nullus respondit eventus, coâcta. Et quantæ tam brevi tempore cædes domi factæ, quæ plagarum Russiæ depopulationes, quæ in Repub. mutationes, quo pacto jus & justitia & publica regni munimenta funditus eversa? Et quis hæc satis explicet? Deniq; anno 1561. eo audaciæ prolapsi sunt in Comitijs Cracoviensibus, vt palàm, quod Florimundus Remundus testatur, jactarint hæretici: Nullum se habere, aut agnoscere Regem, nisi IESUM Christum. Ex his alijsq; patet quàm luctuosus fuerit status Ecclesiæ & Reip. Polonæ hoc afflicto rerum articulo, quem sæpe nominatus Card. Hosius tum alibi, tum epist. 76. in qua Regem Sigismundum Augustum incitat ad vltionem contra eum, qui Sacerdotem Sacratissimum Christi Corpus & Sangvinem suis manibus gestantem fuste contundere, & pretium redemptionis nostræ conculcare non dubitavit, idq; in ea civitate vbi præsens aderat Majestas, & modò non spectator hujus tam atrocis facinoris fuit, vnà cum præcipua fere senatus, & regni & Magni Ducatus Lithvaniæ parte; quem inquam sic describit: sub Turcis, quod non sine magno animi mei dolore profero, quamlibet immanes sint hostes Christianæ fidei, melior est Christianorum conditio. Licet sub Turcis sua sacra, suasq; cæremonias, nemine prorsus interpellante peragere, quod per impios in terris nostris licitum deinceps non fore videtur &c.

Neq; verò quæ DEI misericordia est, inclinantem jam in interitum suum Poloniam cadere permisit Bonitas Divina, quin potiùs labantem erexit, cum aliquos meritis afficeret supplicijs, alios minis abstraheret, alios submissis novis operarijs in fide solidaret. Horrendum est quod habetur de Nicolao Radzivilio Principe Nesvisij à colore barbæ dicto nigro. Palatino Vilnensi optimæ stirpis teterrimo parente; hic Calvinianam hæresim in Lithvaniam induxerat primumq; Lukiscos in suburbanam villam, dein in ipsam metropolim Vilnam in ædes, quæ ei à morte Gastoldi Palatini Vilnensis obtigerant, invexerat, donec post septennium delubrum pro secta Calviniana ibidem extrueretur. Hic inquam facile primus suæ hæresis, & acerrimus hostis Ecclesiæ, quam scriptis contra eam libris alijsq; modis lacerabat, cum post defectiorem à Rege occupata arce Vilnensi morbo correptus esset, præq; dolorum acerbitate diro omnia vlulatu complesset infelicem animam haud dissimilis vitæ exitu Ario, cujus fuerat æmulator insaniæ. Publicum id erat, ac ad reductionem plurium aptissimum: privatum aliud: Non neminem ex viris principibus Lutheri erroribus addictum diu multumq; P. Petrus Skarga ad Ecclesiæ fidem unionemq; adducere parabat, sed labore irrito: cui demum Pater edixit adfore quondam tempus, quo omnia quæ ex se audisset de Religionis Catholicæ veritate fateretur, confessione tamen minimè sibi proficua. Neq; prædictioni eventus defuit, nam cùm non multò pòst Pater annuis Societatis exercitijs longè à domo Principis operam daret, repente die quopiam circa meridiem sudo per omnia cœlo vehemens quidam turbo circum habitaculi fenestras incubuit, voxq; lamentabilis aures Patris implevit: Pater Skarga, Pater Skarga, vera vera nimis fuêre illa, quæ de religione suasisti; sed væ mihi! Quam postremam lamentantis vocem diu Parer audivit repetitam, donec demum quasi per distantiam loci audiri desineret. Citò pòst Pater nuncium de morte

Prin-

Principis illius accepit, collatóq; eventus sui & mortis ejus tempore comperit illo ipso articulo infelicem illum in hæresi sua defunctum esse. Divulgatum pariter & illud erat, quod quidem confusioni erat sectarijs, retinendis autem in fide catholicis per quàm idoneum: recenset id Franciscus Turrianus, & ex eo Prateolus in hæc verba: Rabula quidam de hara Calvini quendam Matthæum certo conduduxit stipendio in pago Bietzaze non longè Cracoviâ distante, ut se mortuum simularet, atq; ad clamantis vocem ceu mortuus resurgeret. Illum feretro inclusum ad templum deducit uxor artificij nefarij conscia, funus fletu & ejulatu prosequitur. Prædicans ubi satis de novo suo evangelio tonuisset: surge ait Matthæe in nomine Christi, cujus Evangelium prædico: cùm Matthæus non surgeret, ille inclamat altiùs, ut somnum fortè excuteret: ubi nec ita exurgeret Matthæus, itur ad feretrum, detegitur velata facies, & revera deprehenditur mortuus, qui se talem simulare atq; à mortuis ad vitam revocatum simulare volebat. Jucundum hic vidisses spectaculum, cùm quæ nuper lamenta & lachrymas finxerat, tam inopinato casu consternata uxor lachrymis, vocibus ac tantùm non pugnis in prædicantem illum non pastorem sed impostorem inveheretur ac reddi sibi maritum postularet. Atq; hæ quidem miserentis DEI pœnæ erant unum affligentis, ut pluribus prodesset, cùm unum aliquem plecteret.

Non adduco huc varia hoc temporis permissu DEI nata monstra, quale illud est, de quo Cardanus agit, quod natum Cracoviæ flammeis & radiantibus oculis, ore, naribusq; bovinis, dorso pilis canis hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus, qua mammarum locus est, oculis felium subtus umbilicum hypogastrio affixis, tetris canum capitibus ad utrumq; cubitum, & pedis utriusq; patellam antrorsus spectantibus σεγανόπους & σεγανοκεις, figura pedum cygni, cauda sursum reflexa & recurva longitudine ulnæ dimidiæ: quod monstrum post quatuor horas vitæ expirasse fertur in his vocibus: Vigilate, Dominus DEUS vester adventat: natum fertur anno 1543. Non adduco inquam hæc aliaq;, præter unum, quod describit Neugebauerus, de quo uno bene accipias illud Herodoti lib. 6. Cùm DEUS puniturus est gentem vel urbem, prodigijs id priùs solet significare: & illud Ammiani Marcellini lib. 12. Amat benignitas Numinis, seu quæ merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoq; rationibus prodere, quæ impendent. Est autem tale. Anno 1545. in fine Aprilis post horrendum tonitru tres rubeæ cruces apparuêre versus Orientem, duæ juxta se positæ, tertia subtus, in medio vir armatus cum gladio ignito, contra quem exercitus instructus peditatu equitatuq; progressus cum eo ad meridiem usq; dimicavit, eo vincente copias omnes disparuisse, & solum armatum inter cruces substitisse tanquam victorem & triumphatorem: Interim à tergo immanis draco victorem adoritur, & eum unà cum armis illius absumit, crucibus illico evanescentibus: Exinde totum cœlum ignitum duabus ampliùs horis visum est, post quæ densæ tenebræ incubuerunt usq; ad horam nonam ante meridianam diei sequentis: tum demum sereno facto cœlo tres irides amœnissimæ supra se positæ conspectæ sunt, quibus Angeli species insedit aspectu jucundissimo ampliùs horam videndam se præbuit, donec omnia evanescerent. Hoc & pluribus alijs prodigijs bonitas DEI quà pronos in malum tenuit, quà futuro statui Reip. prælusit.

Non

Non erat tunc multum diversus status Ecclesiæ Polonæ ab eo, quem suo tempore deplorat Hilarius inquiens: Periculosum est, atq; miserabile tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores, & tot causas blasphœmiarum pullulare, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita ut volumus, intelliguntur: & cùm secundùm unum DEUM & unum Dominum & unum baptisma etiam fides una sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit.

Circa hoc tempus Seeburgi in suburbio quà Guttstadium itur, apud figulum Michaëlem Risch in Vigilia S. Laurentij Martyris sudauit olla sanguine, eò quòd ex contemptu Martyris raphanum cum flore lactis ex ea comederet. Nam dum eum ejus jejunij moneret uxor, respondit: Jejunet S. Laurentius, qui non laboravit. Sudavit verò aliquot diebus. Et licet detersa strophiolis mundis fuisset, rursus tamen veras guttas sanguinis emisit, lacti suo colore proprio interiùs remanente. Cujus rei certi testes sunt omnes incolæ oppidi: de quibus multi adhuc supersunt modò. Sed cùm id prodigium carmine aliàs longiùs cecinerim, modò hæc de eo dicta sufficiant. Nisi illic fortè sit præcisè annus Christi 1577. positus. *Olla sanguine sudat.*

Anno 1582. quo novum Calendarium promulgatum est, validus ventus in Vigilia S. Martini Confessoris post Vesperas exortus, in multas horas noctis duravit, illatis non mediocribus damnis varijs ædificijs: vt enim reliqua taceam Brunsbergæ in Ecclesia Patrum Societatis JESU frontispicium prostrauit, duas Ciuitatis portas euersas in Passariam fluvium præcipitauit, Guttstadij etiam turriculam templi dejecit, quin & sylvarum vias adeò dejectis arboribus compleuit, vt nemo per eas aliquot diebus proficisci potuerit, donec purgarentur. *Ventus validus.* *1582. Turricula ex Ecclesia Guttstadiensi dejecta est.*

Pendentibus adhuc cum Stephano Rege aliquot capitibus controuersiarum ex Augusti Regis defuncti commissione originem ducentibus: ac inprimis portorij negotio & alijs, quibus contra ipsorum jura & priuilegia grauabantur Gedanenses, in compositione belli ad comitia rejectis, anno demùm 1584. integrè cum Rege transigunt: eiq; binum malem portorij auctionem, vt de singulis bonorum quæ inveherentur & eveherentur marcis, quatuor nummi deinceps pendantur: ejusq; dimidia pars Regi, altera Senatui soluatur, concedunt hac conditione, vt grauamina Ciuitatis nominatim proposita aboleantur. Rex itaq; vicissim omnes Commissariorum Regis Augusti actiones & constitutiones in præjudicium & damnum ciuitatis vergentes & ipsam placationis formulam irritam pronunciat, nec vllam deinceps earum mentionem fieri debere sancit. A Commissariorum, si quos deinceps in vrbem mitti necessitas flagitabit, actionibus ad Regem prouocatio erit. Portorij concessio nihil Ciuitatis juribus, Priuilegijs & libertatibus pristinis derogabit, nec à Rege illiúsue successoribus aut Senatu augebitur, nec immunitatibus extra Ordinem à Rege datis diminuetur. Priuilegium Casimiri de facultate nauigationis & litora regendi anno 1457. datum Ciuitati, & Sigismundi de bonis naufragis & caducis denuò confirmat. Nec vectigalibus nouis in Vistula institutis, Gedanenses, ipse vel successores onerabunt. Ciuium priuatorum lites in aulam deinceps non euocabunt, sed ordinariæ Ciuitatis Jurisdictioni relinquent. Temerè apud Regem de Magistratuum negligentia vel injurijs conquerentes non impensas solùm sed & pœnas calumniatorum subibunt. *Pacta cum Gedanensibus.*

Aduersùs contumeliosarum citationem authores injuriarum agere citatis licebit. Mandata vsitatos juris processus impedientia, deinceps nulla Reges dabunt. Piratas & speculatores maritimos, quales anteà fuerunt, planè Rex abominatur & tollit. Saluis commeatibus Regis Ciues non ab ordinaria jurisdictione, sed tantùm à vi Magistratuum injusta & carceribus exempti erunt, nec vltra trium mensium spatium vlli dabitur, intra quos, si indignus eo beneficio judicabitur, Rex informari: committens crimen, non obstante fide publica comprehendi ac puniri poterit. A jurisdictione ac muneribus personalibus vel realibus, nullum deinceps Reges eximent Contubernijs opificium cæterisq; collegijs priuatim nulla priuilegia Reges dabunt: & si quæ data sunt, irrita erunt. Senatui verò more majorum de collegiorum corporumq; statutis decernendi potestas integra manebit. Moratorias seu securitatis literas nullas Ciuibus aut incolis Rex dabit, nisi fortunæ aduerso casu bona amiserint, & de amissis testimonium à Senatu vrbis habeant, eoq; nomine commendati fuerint: Transmarini salis subuectionem in Prussiam Ciuitas liberam sine vllis exactionibus nouis retinebit. Vistulæ fluminis cursum auerti & alio deriuari Rex prohibet, nec peregrinis, in detrimentum Ciuitatum, in villis & pagis emere ac vendere & opificia ac negatiationes exercere permittit, & priuilegia contraria cum priscis Ciuitatis & cunctæ Prussiæ juribus pugnantia abrogat. Hæc Gedanensibus dimidiam portorij aucti partem Regi permittentibus vicissim concessa, & tractatio tota Grodnæ cum Rege conclusa: jusjurandum verò à Præfectis portorij Joanni Tarnouio Regis Commissario præstitum est. Sequenti demùm anno Varsauiæ in comitijs omnia Senatûs Regni authoritate confirmata & edita sunt. Moritur Stephanus Rex die 12. Decembris Grodnæ, anno Christi 1586. Durauit post eum interregnum vsq; ad finem Septembris sequentis anni: quando Serenissimus Princeps Sigismundus III. Rex Poloniæ Joannis potentissimi Regis Sueciæ filius, Varsauiæ electus à Regni Proceribus, vocatus ad Regnum Poloniæ in Oliua cum viginti quatuor nauibus veniens comparuit: vbi solitum juramentum Regno deposuit. Prima verò Octobris cùm Gedanum venisset, exhibitasq; literas electionis in Ecclesia Dominicanorum legisset, in vrbe adhuc nouem dies hæsit. Hinc profectus Torunium, inde Cracouiam die 27. Decembris in quam incidit festum S. Joannis Apostoli & Euangelistæ Regni coronam accepit. Sequenti anno 1589. moritur, vitæ suæ septuagesimo septimo Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, è ciuitate Biecensi oriundus, I. V. Doctor, Canonicus Cracouiensis, Cantor Varmiensis, S. R. M. Secretarius. A Sigismundo Augusto ad Paulum Pontificem Max: deinde ad Ferdinandum Cæsarem Orator missus summam prudentiæ & integritatis laudem consecutus, ab eodem Episcopatus Varmiensis generalis administrator: deinde Rege adnitente coadjutor cum futura successione designatus, & à Pio V. Pontifice Max: approbatus & confirmatus est: quo in munere nouem annos ita versatus est, vt nullum ob absentiam Cardinalis Episcopi detrimentum Ecclesia Varmiensis experieretur. Mortuo Cardinali, in comitijs Varsauiensib solenniter ab Archiepiscopo Gnesnensi, die 6. Decemb. anno 1579. consecratus est in Episcopum. Vir fuit insigni pietate & doctrina præditus, & in tractandis negotijs singulari quadam dexteritate conspicuus. Cum ad ætatem prouectiorem deuenisset, Stephani Poloniæ Regis postulatione adductus

Stephanus Rex moritur.

Mors Martini Cromeri Episc. Varmiensis.

adductus, de consensu V. Capituli, anno Domini 1585. assumpsit sibi in coadjutorem Illust. D. Andream Bathoreum Cardinalem Diaconum. Ipse in senectute bona, plenus dierum, rebus legitimè dispositis & Ecclesiæ Varmiensi legato bono relicto, in Domino obdormiuit; die 23. Martij. Sepultus in Ecclesia cathedrali Varmiensi, & alijs Episcopis appositus. Ejus elogium ita sonat. *Sepelitur Varmiæ succeßit Ei in Episcopatu Andreas Card. Bathoreus numero XXIV.*

Vir pius & doctus Iuris legumquè peritus
Princeps Historiæ Sarmatis ora tuæ.
Prudens Orator, pastor bonus, arbiter æquus,
Justitiæ vindex, hostis atrox scelerum.

Erat enim circa Ecclesiam sibi commissam vigilantissimus, vt patet ex frequentibus eius literis scriptis, quos Processus seu Circulares vocant, quæ etiamnum extant: ac Synodis ad mores & emendationem vitæ populi juxta ac Sacerdotum accommodatis. Quàm minùs otio & voluptatibus deditus fuerit, ex lucubrationibus alijs editis, quarum copiam assequi potui, patet. Sunt verò: Triginta libri de origine & rebus gestis Polonorum, opus nunquam satis laudatum. Extat etiam Dialogorum opus de vera & falsa religione, & Catecheses Latinè, Germanicè, & Polonicè editæ. Duo libri quibus Poloniam in provincijs describit. De Musica liber. Apologia de nobilitate sua. Oratio in funere Sigismundi I. Regis Poloniæ. Aliquot Homilias S. Chrysostomi ex Græco in Latinum transtulit. Missalia, Breuiaria, Agenda, qui sunt libri Eccclesiastici pristino nitori restituit: quibus tamen posteà obliteratis decenter & cum honore Romana Missalia &c. introducta sunt in Diœcesim. Eâdem diligentiâ vsus fuit in justitia administranda. Nam quotidiè post Missæ sacrosanctum officium, quod vel ipse conficiebat, vel alio operante audiebat, audiendis causis subditorum vacabat. Burgrabium Heilsbergensem affinem suum ob illatam cuidam injuriam ante occasum solis valere jussit. Quamuis verò ita judicijs domi intendebat, circumibat nihilominus quotannis semel arces & Ciuitates suas visitatum: vbi de Burgrabiorum & Magistratuum vita, administrationeq; Iustitiæ inquirebat. Fecit id etiam eò, quòd parceret sumptibus pauperum, qui suas causas per multa itinera deferre ad eum non potuerunt. Dulcissima est eius memoria apud eos vel quibus jus addixit: vel etiam apud eos quos ob delicta quandoq; redarguit: quibus dicere solebat, futura tempora, quando illum expeterent. Mortuus est in lecto præsentibus viris spiritualibus: non ad mensam, sicut scribit quidam geographus mendax, in hoc & in plerisq; alijs.

Anno 1592. primus cursus Philosophicus in Gymnasio Brunsbergensi à P. Richardo Syngletonio Anglo legi cœptus est pro Mense Octobri. Profectus eo ipso anno Sigismundus III. Rex Poloniæ ad Patrem Joannem III. Regem Sueciæ, qui Reualiam in Liuoniam venerat, in reditu Regiomontum diuertit, septimâ Nouembris. Honorificè ibidem exceptus fuit à ciuibus. Permansit hîc vsq; ad 17. diem dicti Mensis, quo die discessit Ilauiam, indè Heilsbergam, vbi in arce à Ioanne Cretzmero Cromeri relicto Cancellario & Canonico Varmiensi oratione exceptus fuit. Hinc profectus est Neudeburgum atq; deinde Varsauiam. Postquam verò Joannes III. Sueciæ Rex Erici Regis frater eodem anno 1592. Mense Nouembri vitâ functus, Regnum suum longè amplissimum ad filium natu ma- *Philosophia Brusbergæ incohata.*

ximum Sigismundum Regem nostrum hereditario jure transmisisset, exigebant Regni illius rationes, vt de profectione Suetica maturanda Rex apud animum suum deliberaret, ac primo quoq; tempore decerneret. Idq; adeò magis, quòd Sudermanniæ Dux Carolus, Regis patruus, rebus nouis in Finlandia studere, loca munitiora occupare, ad Regnum ipsum adspirare, id Regi per seditionem & injuriam abrogare velle, crebris multorum literis sermonibusq; nunciabatur. Carolus verò per Epistolam ad Regem datam delatæ rei maculam eluere conatus est, DEUM hominesque contestatus, se arma neq; contra patriam cepisse, ne quod periculum Regi faceret, sed quæcunq; occupasset, omnia integra ipsi seruare, & venienti optima fide traditurum. Insuper petijt, vt Rex omni abiecta cunctatione in Sueciam traijciens, Regni sui possessionem occuparet. Non deerant viri cordati, qui censerent, fidem dictis minimè habendam, sed Regem ludificari verbis inanibus. Sed Rex hos non audiens, potestate à frequenti Senatu accepta, anno 1593. Nonis Augusti cum consorte Regina Anna, iter ingredi cœpit, Varsaviâ flumine Vistulâ Gedanum versùs.

Carolo Sudermanniæ Dux.

Postridie vesperi, horâ circiter prima à Solis occasu, prodigium cæleste proficiscentibus apparuit, stella crinita horribilis, imminentium malorum præsagium. Quàm incredibiles enim maximorum incommodorum aduersitates Rex Reginaq; toto itinere perpeti habuerint necesse, ex ijs quæ mox subjicientur, perspicuum aliqua ex parte fiet. Torunij existens Regina, nihil habuit neq; antiquius neque sanctius, quàm vt Monasterium Deo sacratarum virginum, quæ solæ viris omnibus multò fortiores constantioresq;, Ciuitate penè vniuersa in hæresim prolapsa, illibatæ perstitêre, inibi ingressa inuiseret. Quod & fecit ad septimum Idus Augusti, admirabili cùm sui ipsius tùm sacrarum Virginum gaudio: quibus etiam egentibus, liberali eleemosyna subsidio venit. Gedanum ventum est ad decimũ nonũ Kal. Septembris, ipso beatissimæ Dei genitricis ad cælos assumptæ peruigilio. Laboratum, vt magnifica Basilica Mariana à Lutheranis nostro sæculo occupata, suo Episcopo restitueretur: at majore conatu quàm fructu. Nempè periculum erat, ne plebs tumultum concitaret. At qui timebatur hinc, alia paulò pòst de causa, satis magni periculi plenus, ex initio exiguo, tumultus, exortus est. Eximia enim cum pace & otio Rex Reginaq; ea in vrbe aliquot hebdomadas exegerant: cùm ecce ad tertium Nonas Septembris inter quartam & quintam horam vespertinam, famulus quidam Polonus, qui onus portanti de via bajulo cedere noluit, ab eodem siue studio siue necessitate leuiter trusus erat. Hanc suam injuriam ille & eius socij euaginatis gladiis in baiulo vlcisci volebant: defendentibus vicissim bajulis socium. Hinc res ad Ciues & Regios deuenit, ita vt totum forum compleretur certatoribus & ex ipsis ædibus Gedanenses in Polonos, & Poloni in Gedanenses bombardas emitterent. Intra breue tempus vtrinq; viginti tres occubuêre: vulnerati, vltra quinquaginta gladijs, sclopetis, saxis, & simili armorum genere. Agebantur hæc in oculis Regis Reginæq;, vt ob id in maximo vitæ periculo essent. Quin ad ædes vbi degebant, atque adeò ad ipsum cubiculum Regium sclopos direxerant homines audaces, quatuor glandes in id jaculati. Enituit tum Proconsulum Gedanensium Gerhardi Brandes & Henrici Schwartzenwald erga Regem ipsum Reginamq; eximia fides. Nam conciti ferebantur ad Regem.

Stella crinita.

Monasterium Virginum Thorunij manet illibatũ ab heresi.

Gedani tumultus

Regem. Indè mox præcipites in mediam tumultuantem turbam etiam cum salutis discrimine, satagentes, vt seditionem componerent, ruebant. Quod & ipsi suâ industriâ effecerunt. Nonnulli ex Regio comitatu in suburbio commorabantur. Ii de tumultu certiores facti, Polonis periclitantibus auxilia ferre voluerunt, sed attractis pensilibus pontibus prohibiti sunt. Tumultu sedato, per duos dies portæ Ciuitatis clausæ tenebantur, donec famulus ille qui tragœdiæ initium dederat, inuentus fuisset atq; carceri mancipatus. Promittebantur centum Vngarici per caduceatorem ei, qui prodidisset eos, qui ad ædes Regias jaculati fuissent. Qui verò eos scienter reticerent, illos cum reis easdem pœnas subituros. Causa fuit hic motus, vt Rex cum Regina velociùs pedem è Ciuitate efferrent, & ad maris ostium, quod etsi quietis nescium, impacatis tamen hominibus tolerabilius multò est, semet conferrent. Quo loci Regina ventorum secundos cum Rege opperiens afflatus, antequam tumentibus maris fluctibus sese committeret; ad octauum Calend. Octobris cum vniuersa aula sua viatico sacratissimi Corporis Dominici animam corpusq; suum cùm piè tùm prouidè communiuit. Pòst sublatis anchoris velisq; fieri jussis ad decimum sextum Calend. Octob. etsi vento minùs idoneo, in altum mare nauigare cœptum. In oppido Hela cùm illos optata aura destitutos circiter octidui moram trahere tempestatem aucupantes contingeret, conspicati ipsi in ædibus ministri hæretici antiquo sed formoso & eleganti artificio pictas tabulas duas, quarum altera patientis Christi effigiem, nascentis altera repræsentabat: minister verò illam quidem pro mensa, hanc verò pro sedili vsurparat, templo cuipiam Catholico perinde vt mos fert illorum, clàm detractas atq; surreptas: dolore tacti ambas à truncis per vim reuulsas in Sueciam secum asportarunt. In nauigatione turbulentissima quam classis passa est, illud accidit memorandum, quòd quidam Polonus, vt qui agitationi maris non erat assuetus, timore victus, & ea re non satis sui compos, à famulo ocreas sibi porrigi mandaret, quibus, si fortè scopulo nauis allisa foret, aut vi ventorum diffringeretur, maris vndas calcare, vitamq; hunc quidem in modum saluare posset. Herum vicissim famulus sciscitatur, num calcaria quoq; pedibus adhibere velit, quibus faciliore negotio periculum vitæ propellat: nescius vterq; quid aut loqueretur aut cuperet. Erat & nonnemo, qui ad ostium cubiculi, quod erat in naui, fixis hærens pedibus, totis viribus tenebat postem, hac mente, vt si sæua ventorum inclementia solueretur nauis, ipse per ostium foras semet proruens, veloci pede fugam maturaret, quorsum quidem ignorans. Vt nihil dicam de ijs, qui sese in angulorum tenebras abdiderant, mortem sic ludificari posse autumantes. Post longas errorum anfractus Rex Reginaq; cum quadraginta nauium classe (cum Gedano exierint quinquaginta septem) flexuoso meatu superatis scopulis Sueticis, magnisq; pelagi perfuncti periculis, Stokolmiam sospites appulêre.

Sigismundi Regis & Reginæ iter in Sueciam.

Insequenti anno, 1594. cum Rex 19. die Januarij in Sueciæ Regem coronatus esset, mensæ Julio Stokolmiâ soluens, cum quadraginta quatuor nauibus. quarum duodecim Gedanenses instruxerant, die S. Laurentio sacro Gedanum venit: vbi eum Episcopus Vladislauiensis, cum quibusdam Proceribus Polonis expectans, honorificè excepit, & in aulam Regiam introduxit. Deniq; postquam Rex Gedani omnia composuisset, in initio Mensis Septembris Gracouiam discessit.

Hyeronymus Rozrazowski.

Anno Christi 1596. Stephanus Bathoreus, frater Cardinalis Bathorei, cum paulò antè in Prussiam, metu Sigismundi Principis cognati, cum matre sua, Ariana hæresi imbuta & filiolo Gabriele, qui post aliquot annos à fide Catholica desciuit, & eam cum Episcopus ex Transiluania exegit, venisset; Marieburgi post Pentecosten nuptias cum Virgine familiæ Kostkauianæ celebrauit, eamq; Heilsbergam non sine splendido comitatu deduxit: quæ ipsi filiolum Andream genuit. Emit pro ipsis oppidum Bissikir in Polonia Cardinalis, pecunijs vndecunque corrasis, quarum magna pars creditoribus non est soluta. Post pauca tempora etiam Prussiam intrauit Sigismundus Bathoreus Princeps Transiluaniæ. Ignotus quidem esse voluit omnibus, sed è contra omnibus innotuit proditus & agnitus, partim ex moneta cui facies ejus impressa erat, partim à comitibus secreti & silentij minùs tenacibus. Rejecerat ille jugum Turcicum, nec dabat Cæsari ampliùs censum, multisq; ac præclaris victorijs à Bassis ejus reportatis. Duxit vxorem Mariam Christinam Caroli Austriæ Archiducis filiam. Sed ita frigidum & maleficiatum se sensit, vt lenta tabe in singulas horas consumi videretur. Et quamuis absentis amore flagrantissimo æstuaret, præsentis tamen ne aspectum quidem ferre potuit. Idq; malum tantò erat grauius, ut nullum ei remedium afferri posset. Relatum fuit, nuptiarum die fœminam quandam in templo visam fuisse, inusitatos quosdam characteres humi describentem: idq; tùm non animaduersum, postea fascini causam fuisse creditam: vel certè Calabrum Monachum qui se in Principis familiaritatem insinuauerat, vt ipsius Confessarius factus sit, post Patrum S. I. discessum. Diuina certè incantatorem vltio non multò pòst secuta est, phthiriasi miserabiliter consumptum. Tantis malis afflictus Princeps (nam & acerbissimos sentiebat cruciatus, & animo ita nonnunquam abalienabatur, vt insanire videretur) Pragam ad Imperatorem profectus, totius prouinciæ imperium in manus eius consignauit: pro compensatione accepto quodam in Silesia Ducatu: valetudine interea siue vi morbi, seu remediorum violentiâ tàm animi quàm corporis in deterius vergente. Cum deinde in Silesiam venisset, & ditiunculam quam pro amplissimo Principatu acceperat, lustrasset, pœnitere eum conditionis cœpit. Cumq; Maximilianum Archiducem in itinere jam esse, adeòq; Cassouiam, vt prouinciam fratris Imperatoris Rudolphi nomine administraret, venisse accepisset, clàm conscenso equo, relictis omnibus, quæ apportauerat, celerrimè in Transyluaniam contendit: ab Ordinibus, quamuis Rudolpho Imperatori fidem jam & obedientiam præstitissent, summa cum gratulatione receptus. Rudolphus Imperator, etsi hac Principis inconstantiâ non mediocriter esset offensus, tamen non modò familiam eius liberam dimitti, verùm etiam bona quæ secum attulerat, restitui jussit. Cùm verò Sigismundus animaduerteret, se tanto Imperio moderando, cùm in odium tam Turcici quàm Christiani Imperatorum incidisset, in Prussia Andream Cardinalem Bathoreum cognatum suum, acerrimum antea inimicum, & qui post Balthazaris fratris necem cœlum & terram contra Sigismundum irritare nunquam cessasset, adijt: vt eum loco suo poneret. Eodem tempore, vxor Sigismundi tantorum malorum pertœsa, in Monasterium quoddam Monialium secessit. Heilsbergæ dum esset, ignis à temulentis aurigis non benè custoditus, cum stabulo ac curru thesaurum ejus, maximè quem Sinane Bassa profligato è præda confe-

Sigismundus Bathoreus.

Ratiboria,

confecerat, absumpsit. Ejus cura fuit, quàm primùm in Prussiam venisset, adire Vartenburgum, vbi Cardinalis sibi & fratri Balthasari Epitaphium in monasterio Bernardinorum sumptuosum ex marmore vario extrui fecerat: legeretq; tabulam inferiùs positam, in qua acerbis verbis ejus crudelitas commissa in Balthasarem, descripta fuit. Sed eam Cardinalis tolli præceperat, cùm de aduentu Sigismundi percepisset. Minimè vltra otiosus fuit in Prussia. Nam Gedanum, Elbingam atq; alia oppida lustrauit. Virium suarum etiam robur non semel ostendit, cùm malleum grandiorem fabri in altum proiectum, manu sua reciperet. Iam nuntius Apostolicus Mala Spina Cardinalem in Subdiaconum consecrarat anteà, cum ille tum persuasus à Sigismundo animum ad Imperium adiecit: acceptaq; in fidem prouincia, cum Imperatore per legatos de pace statim tractare cœpit, Pontificis potissimùm interuentu. Refertur dixisse, cum in Transyluaniam ex prædio suo Smolein, discederet: Vado pro vobis immolari. Cum jam adijsset Principatum, interim Michäel Voiuoda siue Præfectus Moldauiæ, cum magno exercitu in Transyluaniam profectus, multa loca, non priùs denunciato bello, occupat. Cardinalis tam insperato casu oppressus, nec vllius injuriæ aut inimicitiæ contra Michäelem sibi conscius, missis ad eum legatis, cur cum exercitu in prouinciam descenderet, exquirit: atq; etiam à legato seu nuncio Pontificio impetrat, vt tanquam pacis mediator se interponeret, & ad arma deponenda hominem exhortaretur. Ille verò nihil cunctatus, legatum arce quadam includit, & magnis itineribus cum exercitu progressus, missoq; Feciali, à Turcarum Sultano mandatum sibi esse dicit; vt totam Bathoreorum, à quibus superiori tempore non mediocrem cladem acceperat, funditus deleret: etiam sibi à Romano Imperatore Rudolpho injunctum. Ea re accepta Cardinalis, quantas potest copias contrahit: & quamuis viribus multò esset inferior, primam Valachi aciem fundit ac sternit: sed redintegrato prælio, à Gaspare Cornisio Ariano, Equitatûs Duce, cuius filium Cardinalis in aula sua fouerat, vt & Botscaio Varadini Præfecto Luterano, Ecclesiastici hominis Imperium molestè ferentibus, turpiter desertus, noctis vsus beneficio, ægrè euasit. Dum verò aliquamdiu hinc inde vagatur, tandem ex equo admodum lasso ipse non minùs lassus descendit, & in herba exporrectus à somno opprimitur. Insecutus eum Nicolai Ieckel, quem Cardinalis in aula sua fouerat, & egregio prædio prouiderat, frater, & edoctus vbi Cardinalis cubaret, eum ac eius comitem Romanum juuenem nobilem, vna necat falce. Latro iste etiam à Cardinali Heilsbergæ benignè habitus, & dum ab infirmitate detineretur, visitatus, Cardinali dixerat; illum aliquando à se mortem accepturum. Quod tamen Cardinalis non ipsi sed acri dolori, qui eum à mente mouisset, commiseratione quadam adscripsit. Caput Cardinalis occisi, quod Valachi jussu postea depictum, vna cum acinace, equo & signo Cardinalis Viennam ad Mathiam Archiducem missum fuit. Talem finem habuit Cardinalis Bathoreus, formâ egregiâ ac staturâ, multisq; alijs donis à DEO insigniter donatus; ita vt meritò de illo scripserit Treterus, dum adhuc Cardinalis viueret.

Mors Andreæ Bathorei Episcopi Varmiensis.

Vive diu Stephani sanguis clarissime Regis,
Libros imple actis non sine laude tuis.

Ingenium, probitas, animus quoq; Principe dignus.
Ætas & vires sunt tibi, summa pete.

Successit Petrus Tilitzki in Episcopatu Num. XXV.

Et quidem mori illum sic contigit, in die SS. Simonis & Judæ Apostolorum, anno Christi, 1598. Duplicarat censum annuum. Et successit in Episcopatu Varmiensi Petrus Tilitzki Episcopus Lubauiensis, Procancellarius Regni. Natale illius solum, terra Cujauiensis, locus ubi primum lucem aspexit, aduocatiæ Koualiensis prædium; in Ecclesia oppidi ejusdem, sanctiori ablutus lauacro, neq; tanti ingratus beneficij ibidem Ecclesiam cocto ædificauit latere, ac pro dote 10 millium inscripsit summam. Parentum erat res tenuior, neq; is census, quo ille fultus majora sperare posset. Educauêre juuenem pro modo facultatum, & ubi domesticam absoluit institutionem, ad Academiæ Cracouiensis studia transtulerunt. Diuerterat ad domum Contubernij pauperum studiosorum, quam postea in majori gradu, ampliori prouidit censu. Hinc ad aulam transijt Regiam. Joanni Zamoscio in negotijs Cancellariæ sedulam promptamq; non sine commendatione promptioris obsequij nauauit operam. Erat ea tempestate scribarum Cancellariæ honesta & spei melioris sparta: sanè complures in vtraq; Politia ad majores euexit gradus. In ea palæstra primum Tylicius meruit, mox Secretarius Regius sanctiorem induit togam, Canonicus Posnaniensis primum, mox Gnesnensis Præpositus, Canonicus Cracouiensis, Regni Secretariatum à Stephano Rege, à Sigismundo Referendariatum meritorum obtinuit præmium, Zamoscio promouente, eodem annitente ad Culmensem euasit Cathedram; cumq; Ioannes Tarnouius ad Posnaniensem promotus Episcopatum, sigillumq; Regni minus dimisisset, in Conuentu generali anni 1598. tantum capessiuit Magistratum, quod factum in gratiam Zamoscij. Cum *Sigismundo Rege* migrauit in Sueciam, ubi cum omnia *Caroli Sudermani* fraudibus & ambitu, confusa reperisset, Rexq; in aperto versaretur discrimine à pugna præsertim *Lincopiensi*, aut prope pontem *Stangebriensem*, in qua Polonorum exiguæ vires à Suecis partium Regiarum desertæ, nutabant impares potentiæ *Caroli*, neq; consultum videbatur, diutiùs in Suetia commorari *Sigismundo*, nullis copijs militaribus, ad Caroli machinationes euertendas, frangendamq; potentiam succincto, prout hoc *Zamoscius* abeunti in Sueciam suaserat. Hoc ipsum Tylicius Regi repræsentauit, tamq; ingenti periculo subtracturus eò flexit, ut seriò de reditu in Poloniam cogitaret, Dantiscumq; ad finem Octobris appulit. Neq; ab hisce actis, integro concluso biennio, volitat fama, certusq; superuenit nuntius, Cardinalem atroci cæde è viuis sublatum, Tylicius jam ante Canonicatu prouisus Varmiensi Rege Sigismundo commendante, à Collegio Canonicorum electus, *Clemente VIII.* confirmante, Ecclesiæ regimini præficitur; morum eximia suauitate, amorem & beneuolentiam omnium prouocabat. Cùm Varmiensi Episcopatu prope quadriennio Cancellarij munus obiuit, Ordinibus Regni, ob eximiam integritatem conniuentibus, neque; acriùs executionem legis urgentibus, quæ cum Episcopatu Varmiensi sigilli vetat retentionem; ad Cathedram venit 17. Aprilis Anno 1601. Episcopatus Ciuitates lustrauit, negotijsq; publicis ad aulam vocantibus, ex Episcopatu abijt, Joanne Pisimo Cantore Varmiensi relicto Administratore. Sub ejus regimine cum Thesauro Regni & Prussiæ, molesta exorta controuersia, cùm ob

manso-

mansorum prætensam multitudinem, contributiones, magna cum oppressione plebis exigerentur. Gemuit sub hoc onere Episcopatus, donec ejus Successor *Simon Rudnicius* regia commissione impetrata, oppida & pagos ab hac releuaret pressura. Non completo integro quadriennio Varmiensem Cathedram uti reditu & gradu inferiorem cum Vladislauiensi permutauit suffragante Regia nominatione. Nullam in munere Cancellariatûs minoris notæ scripturam, etiam citationem Sigillo signatam dedit, nisi priùs lectam diligentiusq; à se examinatam. Cæterum Tylicij in Ecclesia Varmiensi hæc duntaxat extat memoria; Anniuersarium fundatum in florenis quingentis. Translatus deniq; ad Episcopatum Cracouiensem ibidem obijt 13. Junij Anno 1613.

En Patriæ custos Aquilæ, Regniq; minister,
Linguæ illi magna ubertas ac dulce loquendi
Pondus, & attonitas sermo qui duceret aures;
Cracouiæ tandem sedis conscendit honores.

Quia verò multi adhuc in Transyluania erant Bathoreanarum partium studiosi: Sigismundus rursus eorum fretus fauore è Polonia ad Principatum redijt, posteaquam à Georgio Basta viro militari, ad mandatum Cæsaris, Valachus eiectus fuisset. Sed ad Prussica.

Ex eo verò tempore quo Rex secundò Sueciam petijt ac redijt, atque se Carolus Sudermanniæ Dux pro Rege Sueciæ gerere, Liuoniamq; armis infestare cœpit: id est ad annum Domini, 1598. Prussia quoq; terrore belli inde concussa est, donec tandem re ipsa, quod timebat, experiretur, vt inferiùs relaturus sum. In cujus finem frequentissimæ lustrationes bellicæ exhibebantur.

Anno Jubilæi, id est anno Christi, 1600. grassabatur pestis non solùm in majoribus Ciuitatibus Prussiæ, sed etiam in inferioribus: qua multa millia hominum absumpta sunt. Anno 1605. post obitum Georgij Friderici Marchionis Brandeburgensis, in curatela ægri Alberti Friderici, Joachimus Fridericus Marchio & elector Brandeburgicus successit. Annis 1606. & 1607. durauit contra Regem Sigismundum confœderatio Polonorum Rokus dicta. Ejus authores fuerunt Nicolaus Zebridouius Palatinus Cracouiensis, Stanislaus Stadnicki & Joannes Radiuilus Pocillator magni Ducatus Lituaniæ. Quo tempore Ecclesiasticorum & Ciuium bona mirum in modum spoliata sunt intra Poloniam à Rokussanorum infinita multitudine, Neq; intra fines Poloniæ se hoc malum continuit, sed etiam post Episcopatum Culmensem direptum, libidinem suam ad Episcopatum Varmiensem applicuerunt. Sed is vicinos Ducales habuit arietis loco, à quibus, Rokussanis via ad Episcopatum circa oppidum Soldauiam occludebatur: præterquam quod & Episcopus Varmiensi vasallos suos atq; aliam militiam circa pagum Butrin positos in excubijs haberet. Cum itaq; ductores copiarum Ducalium Rokussianis ingressum vlteriorem in Ducatum Prussiæ & Episcopatum negarent: tamen nuncijs eorum ad DD. Regentes Regiomontum iter concesserunt, à quibus honorarij loco mille florenos acceperunt: quorum exemplum secutus Episcopus Varmiensis Simon Rudnicki, eosdem florenis sexcentis contentauit. Quibus perceptis recesserunt. Antesignanus eorum Nicolaus Zebridouius pœnitentiâ ductus, facinoris sui in Regem commissi veniam deprecatus, & assecutus est Cracouiæ sextâ Junij anno Christi, 1608.

Pestis in Prussia.

Confœderatio contra Sigismundum

Æstas anni ejusdem fuit madidissima, incipiente cadere pluvia vel maximè circa primam partem Mensis Augusti. Et quidem per tres dies primos

Pluuia diuturna.

primos & noctes nec quadrante horæ cessauit. Jam majore ex parte desecta siligo in manipulis stabat. Quarto demum die dum parumper pluvia cessasset, ibant homines erectum manipulos, qui conciderant, ecce, verò excreuerant. Quin postea durantibus imbribus siliginaceæ & triticeæ aristæ stantes adhuc super radice & nondum defalcatæ excreuerunt: atq; manu compressæ, quasi fermentum reddiderunt. Qua intemperie aëris accidit, quod tarde & cum magna difficultate tàm æstiualia quàm hyemalia frumenta in horrea (vberrimè vtraq; prouenerant) congregarentur. Non auditum tamen fuit, alicubi in tantis pluvijs segetes in campis remansisse, præter fœnum quod aqua absorbuit plurimum. Multi, maximè ubi arenosior terra fuit, & frumenta celeriùs maturuerant, nimbos præuenerant. Hi itaq; vtebantur sapida buccella panis: ast alij tam in pinsendo pane qui diffluebat, molestiam, quàm in comestione nauseam experiebantur. Emendabant tamen natantem massam (quæ est hominum industria?) candentibus lapidibus impositis. Conseminabantur agri pro hyeme, siligine superioris anni (nam fertilissimus is quoq; fuerat, ita ut modium undecim grossis Regiomonti mercatores soluerint) vel ea, quæ ante pluviam collecta fuerat. Humidior inuecta seges in horrea dum calefieret, ex compressione perijt ferè, & computruit cum stramine eis, qui triturationes non maturabant. Sequens æstas humida quoq; erat, sed non adeò vt præcedens: quam insecuta fuit tam niuosa hyems, ut nemo duobus simul junctis equis proficisci posset, sed uno post alium sequente. Multæ tum altercationes in obuios sibi ortæ sunt, vter de via cederet, etiam cum vacuo carpento. Nam certum fuit decedentem de via euersum iri, & equos casuros in altam niuem, vndè non facilè expedirentur. Augebat malum quod terra sub niuibus non fuerit concreta glacie: vndè accidit hyemalium satorum maxima ex parte interitus & jactura. Itaq; Vere nouo aduenienti euerterunt agricolæ agros, in quos triticum & siliginem sparserant, paucis intactis de quibus spes aliqua erat, & eos rursus hordeo ac auenâ conseminarunt. Verùm & hic labor cum expensis euanuit ob grauiores Solis calores: Itaq; parum hordei, auenæ, atq; siliginis prouenit, minus tritici: superabaturq; siligo à zizania, quàm vulgò Rath vocant, plus quam duodecima proportione, ex qua zizania homines victitabant: quæ etiam seminata rursus, pro anno sequenti vberrimam & purissimam messem, non sine miraculo & stupore hominum maximo reddidit.

Niues copiosæ.

Zizania seminata

Anno 1609. die 29. Aprilis, Sigismundus Rex, Defunctoanno superiore Ioachimo Friderico Marchione, Curatore Alberti Friderici ægri Ducis Prussiæ, Joannem Sigismundum filium defuncti, Electorem & Marchionem Brandeburgensem in eadem curatela substituit. Diploma curationis concessæ, sequens est. Sigismundus &c.

Diploma curationis.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest uniuersis & singulis. Cum vetustas majorum nostrorum DD. Poloniæ Regum, ac ab ijs deriuatas nostras quoq; proprias necessitudines cum Illustrißima domo Brandeburgica, perpetuumq; illius erga nos, regnumq; nostrum studium, magni, vt par est, faciamus: defuncto Illustrißimo Principe, D. Georgio Friderico, Marchione Brandeburgensi & in Prußia Duce, jus curatorium ægri in Prußia Ducis Illustrißimi Principis D. Alberti Friderici, ad nos, uti supremum directumq; Dominum devolutum, Illus

Illustrissimo Principi D. Joachimo Friderico Marchioni & Electori Brandeburgensi, ad contestandam nostram erga eam domum propensissimam voluntatem, benignè contuleramus. Is cùm decessisset è vita superiore anno devenissetque ad nos denuò eadem illa cura: ipsam non necessitate aliqua juris, sed quasi pignus nostræ benevolentiæ erga Illustrissimi defuncti Electoris filium Illustrissimum Joannem Sigismundum Electorem itidem & Marchionem Brandeburgensem, transferendam iterum putavimus, quòd is Majorum suorum erga nos Regnumque nostrum studium quasi hæreditate in se transmissum amplexus, præclarè tueatur & colat, ejusque singularia jam specimina ediderit: quique non solùm ob vetus agnationis, sed eò magis ob recens affinitatis vinculum, quo ducta in conjugem filia Illustrissimi ægri Principis, Illustritati ipsius arctissimè conjunctus est, ex usu & dignitate ejus Illustritatis curam eam maximè gesturus esse videatur. Itaque ex consilio amplissimi Senatus nostri, rebus Ducatus illius per commissarios nostros constitutis, jureque nostro directi Dominij stabilito, deferimus ad Celsitudinem ipsius munus curationis, eumque Curatorem commemorati Illustrissimi Principis D. Alberti Friderici in Prussia Ducis authoritate nostra Regia constituimus, curationemque & administrationem Ducatus uniuersi in Prussia bonorumque ac redituum quacunque ratione inde prouenientium omnium committimus præsentibus literis nostris, admittimusque Cels. ipsius ad Regimen Ducatus ejusdem jure & potestate curatoris ac vetere titulo in Prussia Ducis, eodem planè modo, ijsdemque per omnia conditionibus, de quibus inter nos & fælicis recordationis parentem ipsius, Illustrissimum Principem Joachimum Fridericum S. R. Imperij Electorem ac Marchionem Brandeburgensem, anno 1605. conuentum, non modò per legatorum chirographa, sed ejusdem Illustrissimi Electoris authenticam comprobationem, transactum fuit. Potissimùm autem, quoniam curatio & administratio hæc vniversa, ob Illustrissimi Principis Alberti Friderici mentis ægritudinem defertur, volumus atque cauemus his literis nostris, ut Illustritati ejus, in ea valetudinis infirmitate constitutæ, de rebus omnibus ad victum & cultum corporis pertinentibus, per Illustrissimum Principem Electorem D. Joannem Sigismundum pro dignitate prospiciatur: sin verò quod optamus, Illustritas ejus ad pristinam mentis sanitatem per Dei gratiam redierit, prolemque conjuge ducta, masculum hæredem susceperit, ipsi quidem Principi Alberto Friderico, si vigorem mentis recuperauerit, administratione sine difficultate & negotio decedere: sin filio demum ea dimittenda veniret, tùm demùm cùm ad legitimam ætatem peruenerit, non aliàs, nec prius Illustrissimus Princeps D. Joannes Sigismundus, Ducatu eo administrationeque eius cedere & curationis suæ rationem redde-

Joachimus Fridericus Marchio Brandeburgensis.

veddere tenebitur. In ijs tamen reddendis, si quid respectu eius Ducatus Celsitudinis ipsius sumptus fecerit aut erogaverit, id omne, ut rectè expensum, suscipi debebit. Atq; hæc quidem curatoris constitutio & ordinatio nostra, ut debitum sortiatur effectum, dedimus negotium Commissarijs nostris ad constituendas Ducatus eiusdem rationes ablegatis, ut eam concessionem nostram Statibus & Ordinibus ejusdem Ducatus denuntient, Celsitudinemq; ipsius in possessionem Curatoriæ inducant. Promittimus verò nostro ac Serenissimorum successorum nostrorum nomine, nos, Serenissimosq; successores nostros commemorato Illustrissimo Principi Electori, curationem præfati Illustrissimi Principis D. Alberti Friderici, Ducatusq; in Prussia administrationem & gubernationem, modo & conditionibus superiùs descriptis, integram expeditamq; præstituros. Saluis ibidem per omnia juribus nostris Regalibus Regni nostri, Ducatusq; illius ac subditorum ejus, tùm & pactis antiquis, quæ per omnia sarta tecta conservare, neq; ijs ullum præjudicium hac curationis atq; administrationis concessione, allatum esse volumus. In quorum omnium fidem præsentes subscripsimus, & sigillo Regni nostri communiri mandavimus. Datum Cracoviæ, die 29. Mensis Aprilis, Anno, 1609. Regnorum nostrorum Poloniæ 22. Sueciæ verò 16.

Vigore itaq; harum literarum anno 1609. Commissarij Regij, quorum supremus fuit Simon Rudnicki Episcopus Varmiensis, Regiomontum missi sunt, vt dictum Ioannem Sigismundum in curatelam inducerent, ac quosdam simul errores, qui contra Dominium Regium directum in Ducatum Prussiæ irruperant; tum grauamina Ordinum eiusdem Ducatus, tollerent. Quæ autem illa fuerint, facilè ex decisione Commissariorum, quam hic breuiter pono, intelligi poterunt.

Statuta Commissariorum.

1. Potestas indicendi conuentus manebit quidem penes Dominos Regentes vacante curatela: propositiones tamen nullas, quantumuis ad commodum Ducatûs spectantes, nisi ex authoritate & consensu Regiæ Maiestatis, vel Regni facient. 2. Sanctio illa, qua appellationes ad Regiam Maiestatem prohibebantur: similiter, quòd literæ salui conductus frangebantur, nullum robur imposterum habitura est. 3. Tempore curatelæ vacantis non sunt quærendi & conscribendi milites: neq; consilia ab extraneis petenda: neq; Magistratus & dignitates inscia Regia Maiestate, conferendi. 4. Negotium Religionis Catholicæ ac Ecclesiarum atq; Episcopatuum Sambiensis & Pomesaniensis, necnon articulus de non instituendis ab Ordinibus Religionis ipsorum Superintendentibus, vel quouis nomine vocandis præsidentibus, tum etiam Calendarij noui receptionem, judicio Regiæ Maiestatis relinquitur. 5. Apostatæ & alij transfugæ alterutrum extradantur. 6. Responsum Illustrissimi Principis & Ordinum, quoad Cameram in portu Pilauiensi instituendam, ad Regiam Maiestatem refertur. 7. Fines Ducatus à Lituania, à Regali Prussia ac Episcopatibus, Varmiensi, Culmensi per mutuos arbitros proximo autumno, segetibus collectis, deducantur. 8. In administratione justitiæ communis nobilibus & omnibus in vniuersum Regni & ducatus incolis semper indilata vtrinq; fiat. 9. De-

functo

functo aliquo ex supremis consiliarijs eligatur in eius locum vnus ex quatuor majoribus Capitaneis indigenis Prussiæ, iuxta testamentum Alberti I. Ducis Prussiæ. 10. Capitaneatus & Præfecturæ omnes & singulæ artium earum in quibus judicia nobilium exercentur: similiter maritimæ vel quas majoribus ab externorum periculis obiectas esse constat, non nisi solis indigenis nobilibus possessionatisq; conferantur. Omnes verò Capitanei jurent se fideles fore Illustrissimo Principi, simulq; recognoscant S. R. Maiestatem supremum & directum Dominum suum, Regnumq; Poloniæ, & quòd jura Ducatûs salua habebunt. 11. Consiliarij Regentes æquales se esse arbitrentur. 12. Rationes prouentuum Domini Regentes, in absentia Principis, juxta ordinationem Cameræ in forma regiminis commemoratam colligent ipsi: vel si ipsis non vacet, per alios Capitaneos. 13. Si quid litis vasallo cum Principe, vel è contra acciderit, licitum sit parti actoreæ, actionem suam ad judicium aulicum vel ad judicium Parium, idq; in causis bona feudalia concernentibus intentare & introducere: à quo judicio appellatio recta ad S. R. Maiestatem deduci debet. Numerus Parium constabit ex duodecim personis per Principem eligendis ex nobilitate, & per vasallum cuius intererit approbandis vel reprobandis. Deinde hoc judicium Parium vasallo petenti intra spatium duodecim septimanarum concedi dariq; debet. Hi verò judices, dum judicandæ illis causæ eiusmodi venerint, à juramento suo, quo Principi obligati sunt absolui debent. Denuò tamen super judicium ipsum juraturi, sumptu verò Principis sustentandi. Si vassallus procuratore suo careret, is ei à Magistratu concedatur. 14. Absente Principe, Consiliarij Regentes, titulum ipsius in citationibus & expeditionibus solitis superimponent. Illi verò in decretis Principe absente nomina sua exprimi facient, qui judicijs interfuerint, præfuerintq;. 15. Cum Dominus Fabianus Baro in præsentia Dominorum Commissariorum non modò suæ fidei (accusabatur Caluinismi) publicam fecerit declarationem: ab obiectione liber, officioque cui præest supremi Burgrabiatus, licitè perfungi potest. 16. Aulici judicij numerus, vti hactenus, constabit ex nobilibus sex indigenis possessionatis & tribus Doctoribus ex Ciuico statu. 17. Cancellariæ atq; Cameræ officijs præponendi sunt indigenæ Ducatûs: veteranis tamen & benè meritis ad vitam ipsorum, citra omnem in futurum sequelam conseruatis. 18. Ad conuentus indictos & consilia illi soli accedant, qui ad ea per leges & consuetudines admittuntur. Veniant debito tempore, tumultus armaq; insolita absint. Sententiæ in ijs à quouis liberè, sed non nisi directoris jussu dicendæ, eæq; non præuertendæ, nec cuiquam prærumpendæ. 19. Capitaneus Brandeburgensis in conuentibus Prouincialibus pro directore seu Marsalco perpetuò habebitur: absente ipso, alter ex quatuor majoribus Capitaneis gradu seu loco ipsi proximior. Votorum verò prædicatio primùm à supremis Capitaneis quatuor, deindè à dignitarijs, pòst à Baronibus & cæteris consiliarijs terrestribus fiet. 20. Si majores contributiones aut alia onera solitò ab incolis exigendæ sunt, æqualitas obseruetur. Similiter vsus earum contributionum non alius in futurum sit, nisi publico consensu approbatus & in illo ipso conuentu præscriptus. 21. In omnibus injurijs & actionibus tàm priuatarum quàm publicarum personarum, Juris processu contra quouis procedendum est, non autem vi aut violentia. Quin & cauendum maximè, ne quis nobilium in domestica pace & conditione sua violentis captionationibus & alijs angarijs & oppressionibus prægrauetur, bonaq; nobilium quouis prætextu absq; legitima causa &

Juris publici processu judicioq; legitimo adimantur. De facinorosis tamen jus & consuetudo obseruetur. 22. Executio rerum judicatarum non solum retardari non debet, sed omnibus præstanda sine mora: sub pœna resarciendorum damnorum ab ipsismet officialibus repetenda: 23. Non ob id indignationem, pœnam aut contemptum quispiam apud Consiliarios incurrat, quod admonitorias Principum de seruandis libertatibus, Priuilegijs ac juribus incolarum singulorum Ducatûs Prussiæ, adferat. 24. Censuerunt DD. Commissarij, jura priuilegiaq; ac libertates Ducatûs Prussiæ satis Principem juramento confirmasse ex reassumptis in Priuilegio curatelæ &c. vt non sit ei opus rursus exprimere in juramento quod facturus est Regi, se seruaturum jura, priuilegia, & libertates Ducatûs incolis. 25. Bona jure caduco ad Principis distributionem deuoluenda, juxta jura & priuilegia distribuenda sunt benè meritis indigenisq;: habita tamen prima ratione nobilitatis Prutenicæ: præsertim in caducis bonorum terrestrium, eoq; adjecto, vt illa bona naturam suam retineant. 26. Calumniatores juris processu judicandi. Nihilominus contra impossessionatos tantò strictiùs procedendum quantò ipsorum conditio vilior sit. 27. Negotium de invehendis Regiomontum & euehendis mercibus à Nobilibus & incolis ducatûs & Regni ijsq; ad priuatum & monopolicum pretium & libertatem limitatum vendendi & emendi redigendis, ad Principem refertur. 28. In Conuentibus publicis liberæ sententiæ supprimi non debent, multò minùs post conuentus expeditos priuatim à quopiam examinandæ & exquirendæ sunt, 29. Venatorum Principis licentia à Capitaneis locorum vnà cum inspectore à Principe ex Nobilitate Prutenica constituendo, ad instigationem cuiuslis injuriati compesci debet. 30. Jus municipale examinandum: & vbi defectus reperiatur, augendum supplendumq; esse Domini Commissarij approbant. 31. Qui Capitaneorum tempus & locum faciendis rationibus non assignauerit, similiter nunciorum vnusquisq; si relationem facere neglexerit, illi pœna restituendi sumptus ad conuentus ex illo districtu erogati puniendi sunt. 32. Judicia terrestria districtus Brandeburgensis vt omninò restaurentur: similiter de Sambiensium territorio & judicijs instituendis in proximo Conuentu Ordinum statuetur. 33 Instructiones priuatæ Principum formulæ regiminis, testamento, priuilegijs, recessibus, juribus, & pactis repugnantes non sunt valituræ. 34. De corijs euehendis pretioq; illis ac alijs rebus venalibus imponendo, Magistratus ordinabit ex æquo & iusto, priuilegijs nullius partium derogando. 35. Terrestria iudicia in suo veteri vsu integra permaneant. Vt verò ibi criminales causæ, tùm etiam inter vasallum & Principem ventilentur, cùm id nouam legem sapiat, absq; consensu illorum quorum maximè interest, fieri non posse Commissarij censuerunt. 36. Quicunq; Ciuium bona terrestria iure legitimo possiderent quo Nobilitas sua possidet, illos ad omnia onera terrestria insimul ac pariter cum Nobilitate ferenda & ad sumptus ex ijsdem bonis in nuncios æquè proportionaliter erogandos tenentur. Hæc tamen lex ad bona Ciuitatum communia non refertur. 37. Literæ inhibitoriæ super Processibus retardandis vel cohibendis non impetrentur sub amissione causæ qui eiusmodi inhibitorias impetrare ausi fuerint. 38. Duos insimul fratres germanos vel Patrem cùm filio aut nepote, judicijs aut Magistratibus non esse præficiendos, ex remotioribus tamen gradibus institui & assumi possunt. 39. Potestas officialium fisci non est alia, quàm omnium jure agentium. In criminalibus omninò delatorem sistant: in Ciuilibus Cameræ Præfecti pro delatoribus habendi sunt. 40. Sancita con-

ta conuentuum typis edere non eſt neceſse, propter mutationem quàm accipere poſſunt. 41. Iura ac priuilegia Ducatûs ſi quis in alium ſenſum vertat ac debeat, ac inde quis damnum accipiat ac injuriam, interpretis id malo fiat. 42. In æſtimanda ſtatûs Nobilium dignitate non dubitant Commiſſarij Principem, vt quò maius ſtudium erga ſe nobilium amoremq; excitet, titulo & inſcriptione eos prærogatiuaq; concernenti in literis ad ipſos dandis cohoneſtare dignetur. 43. Luſtationes extra neceſſitatem ſubitæ ex improuiſo non fient. 44. Reuocandum eſt ius antiquum in dando militari ſtipendio, quod antiquitus Diurnum vocatum fuit. 45. Officium Ducis belli, indigenis è Nobilitate conferatur. Qui quidem poſt collatum ſibi munus, antequam eo fungi cœperit, jurare teneatur ſuper fidelem adminiſtrationem ipſius, & quod contra S. R. M. & regnum & contra Principem ſuum, necnon contra jura publica & priuata Ducatûs attentare audeat quidquam. 46. In cauſis Nobilium Commiſſarios ignobiles nunquam inpoſterum delegandos fore. 47. In obtinendis locationibus bonorum Ducalium, Nobilitas Prutenica præferenda eſt. 48. Venationum vſus talis ſit, qualis temporibus Alberti I. Ducis. 49. De electionibus judicium terreſtrium, lex receſſus anni 1556. obſeruanda. 50. Inter alia grauamina Ordo equeſtris conqueſtus fuit, quod in criminalibus actionibus, judicijs Ciuitatum & oppidorum ſtringeretur, grauareturq;: nec ſibi conueniens eſſe, vt ſtatus major ab inferiore judicetur. DD. Commiſſarij, ex quo id nouam referat judiciorum formam, accedente Principis Curatoris futuri conſenſu ad Conuentum prouincialem proximè futurum remittunt: vbi licitum ſit Nobilitati de hoc cum Principe tractare. Atq; hæc breuiter de Commiſſariorum ſtatutis, 29 die Maji cœpta & publicata 13. Iulij.

Quid verò S.R.M. in illis punctis, quæ ad illam delata eſſe ſuperiùs diximus, ſtatuerit, id modò ſub actis anni ſequentis 1611. quo tempore Ioanni Sigiſmundo à Rege collatum fuit feudum Ducatûs Pruſſiæ, refero: cuius quidem conſequendi cauſa Conſiliarij, vniuerſa Nobilitas, ac Ciuitates Ducatûs Pruſſiæ literas deprecatorias ad Regem dederunt, die 11. Nouembris. Sed quid multis de hoc negotio? Id totum ſolum diploma Regium ſuper feudo dato docebit, quod hic pono eò libentiùs, quòd id gratum lectori futurum ſpero. *Diploma Regium Joanni Sigiſmundo datum.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigiſmundus III DEi gratiâ Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæq;: nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; hæreditarius Rex. Significamus præſentibus hiſce quorum intereſt, intereritue, hujus & futuri temporis univerſis & ſingulis. Quod cùm jam ante à Divæ memoriæ prædeceſſore noſtro Stephano Rege, deinde etiam nobis ipſis, cura Illuſtris Principis D. Alberti Friderici Marchionis Brandeburgenſis &c. in Pruſſia &c. Ducis cognati noſtri chariſſimi, in ea eius ægritudine, in quam permiſſu divino incidit, atq; ad tempus hoc verſatur, Illuſtri Principi Domino Georgio Friderico, Marchioni Brandeburgenſi multis juſtisq; de cauſis benignitateq; & gratia noſtra Regia, demandata collataq; fuiſſet: at verò ille commemorato Illuſtri Principe D. Alberto Friderico in eadem invaletudine per-

manente, decessisset, nos ex Senatûs consiliiq; nostri sententia, non minoribus causis animum nostrum moventibus, adductos, proq; summa necessitudine, quæ cum Illustrissima Electoriali domo Brandeburgica à majoribus nostris mutua tradita nobis fuit, eandem curam primùm Illustrissimo Principi D. Joachimo Friderico, Marchioni Brandeburgensi &c. &c. deindè post Illustritatis eius decessum eiusdem Illustritatis filio, nimirum Illustrissimo Principi D. Joanni Sigismundo Marchioni Brandeburgensi. S. R. I. itidem Archicamerario & Electori contulisse. Cùm autem Illustritates illorum ab aliquot jam comitijs, vt dubitationem quoq;, tàm quæ de jure simultaneæ investituræ, jureq; in feudo Ducatus Prussiæ succedendi, exorta fuerat, simul explicaremus, per suos atq adeò Regum quoq; & per multorum S. R. I. Principum legatos, apud nos, Ordinesq; Regni nostri diligenter institissent: ob superiorum autem temporum difficultates, in comitia anni hujus 1611. proximè hisce peractaq; res fuisset, tandem in ijsdem hisce comitijs, certis conditionibus ita tota de re convenit, transactumq; fuit, ut re in conventibus particularibus ante proposita deliberataq;, tàm amplissimi Senatus, quàm nunciorum terrestrium ab universa Nobilitate ad comitia commemorata missorum, omniumq; Ordinum nostrorum authoritate, unanimiq; consilio & consensu adhibito, publicè per Marsalchum ejus Ordinis, generosum Joannem Swolzewski notarium terrestrem Leopoliensem, ac lege quoq; lata firmato, commemorato Illustrissimo Principi D. Joanni Sigismundo, fratribusq; Illustritatis ejus germanis, Illustrib. nimirum Principibus Joanni Georgio in Silesia Duci Jagersdorffensi: Ernesto & Christiano Vilhelmo Archiepiscopo Magdeburgensi, eorundemq; omnium legitimis successoribus masculis, ex lumbis eorum descendentibus; jus simultaneæ investituræ, successionisq; in feudo Ducatus Prussiæ tribueretur, conferretur, confirmareturq;. Quæ quidem conditiones cùm peculiari decreto nostro comprehensæ sint, ab Illustrissimo etiam Principe Electore peculiaribus literis, manu, sigilloq; Illustritatis ejus editis, acceptæ, approbatæ, confirmatæq; sint, secundùm easdem conditiones, commemoratus Illustrissimus Princeps Elector intra tempus legitimum, juxta prærogationem in Comitijs publica Ordinum authoritate factam, solennis juramenti, nobis, Regnoq; nostro præstandi causâ, Varsaviam in propria persona venisset, dieq; decimosexto hujus Mensis Novemb. publicè solenniterq; in loco publico & theatro, sub dio ex tempore excitato, Senatoribus lateri nostro assidentibus, Officialibus & aulicis nostris magnaq; frequentia Nobilitatis præsentibus, investituram à nobis petijsset, jusiurandumq; præscriptis verbis, solenni ritu ac Cærimonia, nobis Regnoq; nostro præstitisset: Nos, authoritate, consilio, consensuq; omnium Ordinum nostrorum, jam antè duranti-

rantibus comitijs, in eam rem præſtito, peculiariq́; conſtitutione declarato, pacta vetera, tùm poſtremam hanc transactionem in omnibus & ſingulis conſeruando, ijsdem cauſis, ſingulariq́; erga Illuſtritatem eius, univerſamq́; Illuſtriſsimam domum Brandeburgicam, benevolentiâ noſtrâ, qua antea ad concedendam Illuſtritati eius curationem & gubernationem ſupradictam adducti fuiſſemus: cùm præſertim commemorati Illuſtris Principis D. Alberti Friderici in Pruſſia Ducis, non ſolùm valetudo, ſed ætas etiam magis indies ingraveſcat, inq; ætate hac ipſius, vitaq́; cælibe ſeu vidua, proles ulla maſcula vix expectanda ſit: nunc quoq́ue non inuiti faciendum nobis putavimus, ut Illuſtritatem eius ad terras, Civitates, oppida & arces feudalis Ducatûs in Pruſſia inveſtiremus, uti inveſtimus præſentium literarum tenore: ea nimirum ratione, ut quo ad Illuſtris D. Albertus Fridericus in Pruſſia Dux, cuius juri nihil derogatum volumus, in ea quæ nunc eſt valetudine perſeuerauerit, commemoratus Illuſtriſſimus Princeps Elector Joannes Sigiſmundus, tanquam curator ipſius Ducis & gubernator Ducatûs, cum titulo & præeminentia Ducis, Ducatum ipſum teneat: ijs nimirum conditionibus, quæ veteribus pactis decretoq́; noſtro & poſtrema tranſactione, diplomate ab ipſo Illuſtriſſimo Electore ſubſcripto, confirmata convenerunt. Quod ſi verò præfectus Dux in ægritudine deceſſerit & tunc ſuo jure, vigore veterum & noſtræ huius inveſtituræ prædictus Illuſtriſſimus Princeps Joannes Sigiſmundus Marchio & Elector Ducatum in Pruſſia in feudum à nobis & Regno noſtro retineat. Eo ingitur modo Illuſtriſſimo D. Joanni Sigiſmundo Electori & Marchioni Brandeburgenſi eiusq́; hæredibus maſculis, legitimis Feudi ſucceſſoribus in perpetuum & individuum feudum, omnes Ducatûs Pruſſiæ terras, Civitates, Oppida & arces, videlicet arcem Kōnigsberg cum tribus Civitatibus: item arces & oppida Lochſteten, Wangen, German, Pubeten, Radau, Schacken, Kaimen, Kremiten, Waldau, Tapiau, Taplaucken, Narketen, Inſterburg, Allenburg, Wonsdorff, Gerdawen, Angerburg, Nordenburg, Labiau, Laukisken, Tilze, Ragnet, Roziten, Wientzberg, Memel, Brandeburg, Creitzburg, Frideland, Dominau, Barten, Letzen, Balge, Heiligenbeil, Cinten, Lantzberg, Preiſcheilau, Barteſtein, Schonſtein, Sehensburg, Rein, Raſtenburg, Læck, Stradaun, Joansburg, Holland, Libſtadt, Milhauſen, Morungen, Paſſenheim, Ortelsburg, Oſtrode, Hoenſtein, Neidenburg, Soldau, Gilgenburg, Schippenpeil, Oteroslau, Preiſmarck, Libemühl, Salfelt, Riſenburg, Marienwerder, Iſenberg, Powunden, Georgenburg, Roſenberg, Gardenſcheck, Neihaus, Freiſtatt, Salau, Fiſchauſen, Biſchoffswerder, Medenau, cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominijs ſuperioritatibus, libertatibus & juribus, unà cum omnibus arcibus, Civitatibus, fo-

ris, villis, mansis, curijs, molendinis; molendinorum locis, censibus, vectigalibus, reditibus, teloniis, servitijs, feudis, spiritualibus & sæcularibus, lacubus, fluminibus, piscationibus, aquis aquarumq; decursibus, ferarum lustris, ferarum meatibus, venationibus, sylvis, nemoribus, pascuis, pratis, actibus, etiam cum omnibus metallis, quæ modò sunt, seu in futuro fieri possunt, auro, argento, cupro, stanno, plumbo, & salinis supra & subtus terram: similiter unà cum omnibus & singulis iuribus, eminentijs & pertinentijs universis, nullis penitus exceptis, sicut eiusmodi terras quondam Magistri generales & Ordo habuêre, & usq; ad Ducem in locum Magistrorum creatum, usu & fructu tenuerunt, imposterum perpetuè & hæreditariè in commune & individuum feudum tenendas, fruendas, utendas, & possidendas. Ubi verò & Illustris Albertus Fridericus, nunc æger & ipse Illustrissimus Joannes Sigismundus Elector, Marchiones & Duces in Prussia sine legitimis feudi hæredibus ex humanis concederent: dictæ terræ, Civitates, oppida, & arces ad commemoratos Illustres Principes Illustritatis eius germanos fratres vel eorum legitimos posteros masculos, ex lumbis eorum descendentes, prout quisq; eorum in Electoratu sibi successerit, quorum Oratores in hac auguratione & renovatione feudi ex singulari nostra gratia, benignitatéq;, ac postrema hac transactione, ad contactum vexilli admisimus: ita tamen vt postquam alicui ex ijs aperiretur suo Ordine feudum Ducatûs in Prussia, ne per assecutionem priorem Electoratûs aliqua in re præjudicaret iuribus nostris & Regni nostri, quod habemus legitimè hæreditarium ad terras Prussiæ derivari & devolvi debere: ita ut dictæ terræ, ciuitates, oppida & arces, ubi divina ordinatione eiusmodi casus futuris temporibus acciderent, de vno in alium & eorum legitimos feudi hæredes masculos illo ipso ordine, qui superiùs expressus est, cedant & devolvantur, sine nostro, hæredumq; & successorum nostrorum Regum & Regni Poloniæ impedimento & præjudicio. Ea ratione, vt quoties se obtulerit eiusmodi casus devolutionis de uno in alium, Marchiones prædictos, & eorum legitimos feudi hæredes masculos, debebunt illi, & quisq; eorum debebit, nobis & successoribus nostris Regibus, & Regno Poloniæ infra tempus debitum ac legitimum, debitam subjectionem & feudi obligationem ac homagium præstare, neque priùs feudum Ducatûs in Prussia accipere aut susceptum adire, à subditisve juramentum exigere poterunt aut debebunt, quàm nobis successoribúsve nostris Regibus ac Regno Poloniæ in propria persona, juramentum fidelitatis homagiumq; præstiterint. Quòd si prædicti Marchiones, divina voluntate sic disponente, sine mascula prole, feudi hærede legitima, ex lumbis eorum, ordine suprascripto procedente, decederent, tunc omnes & singulæ terræ, Civitates oppida, bona

&arces

& arces suprascriptæ, ad nos successorésve nostros Reges & Regnum Poloniæ, sine omni impedimento & contradictione, incolarum tamen privilegijs & juribus salvis, devolvi debent & redire. Debebit item Illustrissimus Marchio Elector & Dux in Prussia, eiusq; prænominati successores feudi hæredes pro hac nostra in se beneficentia, nobis & Regno nostro tale obsequium præstare: Quod vbi ratione concordiæ & concessionis feudi, à quocunq; cuiusvis eminentiæ & conditionis Principe seu Potentatu impeteretur, aut successores nostri impeterentur, tenebitur ipse Illustrissimus D. Marchio Elector & Dux in Prussia, aut eius prædicti feudi successores Duces in Prussiá, in propria persona nobis & Regno nostro vbiq; vnà cum omnibus subditis suis, pro summis viribus adesse: quòd si vicissim nos & successores nostri Reges & Regnum Poloniæ, alia quavis ex causa, tàm ac infidelibus, quàm à quocunq; alio impeteremur & ipsi in propria persona ad bellum cum subditis nostris proficisceremur, aut successores nostri proficiscerentur, debebit dictus D. Marchio & Dux in Prussia, & eius prænominati feudi successores, Duces in Prussia, nobiscum cum centum equitibus armatis proficisci, & intra limites terrarum Prussiæ nobis servire. Quòd si educere extra terminos Prussiæ illum, aut eius successores in Prussia, cum ipso equitatu voluerimus, aut successores nostri voluerint, debebimus & nos & successores nostri, in eosdem centum equites stipendium tale præbere, quale alijs mercenarijs equitibus nostris dari solet. Vbi verò nos vel successores nostri vellemus præsentem D. Marchionem aut ejus nominatos posteros nobis & successoribus nostris majori comitatu servire: debebimus nos & successores nostri, his omnibus militibus, quos vltra centum prædictos conducere posset, mox post egressum à domibus eorum stipendium, quod nostris militibus dabitur, quàm diu servierint, persolvere. Si autem plures quàm centum prædictos equites, ipse Illustrissimus D. Marchio Elector, aut eius successores Duces in Prussia, educere non possent, non debebimus nos aut successores nostri, ab illo aut successoribus eius Ducibus in Prussia, plures exigere. Præter hæc, ex postrema etiam hac transactione & conditionibus eius, idem D. Marchio Elector, legitimiq; eius feudi successores nostri, in ærarium publicum quotannis inferre tenebuntur, 30000. flor. Polon. triginta grossis vnumquemque computando: quoties verò publica aliqua necessitate postulante, in Regno publicè tributum decretum fuerit, totidem alia, nimirum, 30000. eiusdem valoris ac monetæ, ita vt cùm tributum in regno scitum fuerit, 60000. annua ab eis dependantur. Quarum quidem summarum nomine quoties numeratæ fuerint, thesaurarius Regni nostri, vel ad quos ea res pertinuerit, idoneè prædictum Illustrissimum D. Marchionem Electorem, successorésve

eius, in Pruſſia Duces, miniſtrosvè eorum, liberare ſeu quietare tenebuntur. Quoties etiam neceſsitas poſtulaverit, quatuor naves, tàm Illuſtriſſimus Marchio Elector, quàm ſucceſſores illius legitimi, in Pruſſia Duces ad tuendam oram maritimam Pruſſiæ, ſuo ſumptu habebunt. Quòd ſi nos ipſi aut ſucceſſores noſtri, vti illis voluerimus, aut voluerint, de ſumptu in illos faciendo, cum ijsdem tractabimus, aut ſucceſſores noſtri tractabunt conſtituentque. Alias etiam conditiones, de quibus inter nos convenit, quæquè peculiari ſcripto commemorati Illuſtriſſimi Principis, ſub ipſius chyrographo & ſigillo continentur, debebit ipſe Illuſtriſsimus Elector & ejus prænominati feudi ſucceſſores Duces in Pruſſia, quidquam ex terris, Civitatibus, Oppidis, arcibus & bonis prædictis vendere: verùm ſi ad hoc illum aut ſucceſſores ejus ingens vrgeret neceſſitas, tenebuntur nobis & ſucceſſoribus noſtris, tanquam Dominis ſuis hæreditarijs, ante omnia denunciare. Quod ſi nos ipſi emere non curauerimus, aut ſucceſſores noſtri non curauerint, in hoc caſu ipſe poſtea Illuſtriſſimus D. Marchio Elector & Dux in Pruſſia, aut ejus legitimi feudi hæredes ſeu ſucceſſores, cui voluerint vel potuerint, liberam vendendi habeant facultatem. Regalibus tamen noſtris feudi & obſequiorum juribus, ſemper ſaluis permanentibus. Poterit autem ipſe Dux in Pruſſia & ejus feudi hæredes, vbi neceſſitas vrgens premeret, ex bonis prædictis, quantum opus foret, impignorare ſuis duntaxat vaſallis & ſubditis, vt eadem bona vnita & indiuiſa permaneant. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta & quæcunq; aliæ, quæ vaſallus & feudalis Princeps, erga ſuum naturalem hæreditarium, ac ſuperiorem Dominum præſtare ac obſeruare tenetur, quæq; ſpontanea voluntate ſe præſtiturum ſpopondit ac recipit, debebit ipſe Illuſtriſſimus D. Marchio Elector & Dux in Pruſſia, ac ejus feudi hæredes legitimi ſucceſſores, firmiter & inuiolabiliter adimplere, nosq; viciſſim illum & ſucceſſores ejus, omni gratia & fauore Regio complecti, ac illos in juribus & immunitatibus eorum conſeruare, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Regibus & Regno Poloniæ pollicemur. Juribus noſtris Regalibus directiq; ac ſupremi Dominij noſtri & Regni noſtri & incolarum Ducatûs, ſaluis per omnia manentibus. In quorum omnium fidem & teſtimonium, præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigillumque noſtrum appendi juſſimus. Datum Varſaviæ ex prorogatione ad hunc actum conuentionis Regni noſtri generalis, Die 16. Menſis Nouemb. Anno Domini 1611. Regnorum noſtrorum Poloniæ 24. Sueciæ verò 17. præſentibus Reuerendiſſimis, Reuerendis, Illuſtribus, Magnificis, Venerabilibus ac generoſis &c. &c.

Quæ verò Princeps Joannes Sigiſmundus præterea in ſe receperit, & in ſucceſſores ſuos in Ducali Pruſſia: illa cautio legatorum eius in comitijs Varſauienſibus eodem anno data ita exprimit.

Religio

Religio deinde Catholica Romana in Ducatu eam profiteri volentibus, libera erit, neq; vllus vnquam ex Ducalibus, vel jam eam profitentibus, aut impofterum profeffuris, eam ob rem interpellabitur. Sacella itidem & Oratoria vbiuis, tàm in confinibus, quàm alibi, integra, tuta & conceffa illis erunt, in ijsdemq; liberum pietatis ex doctrina inftitutifq; Catholicis Romanis exercitium habebunt. Nemo eo nomine turbabitur premetúrue, nemo Religionis Catholicæ causâ vllam vim, injuriam, contumeliam, moleftiamue perferet, aut perferre perpetiq; debebit. Ad munera etiam & honores, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus erit. Quicunq; etiam in Ducatu Catholici Romanæ Religionis Barones, Nobiles & Ciuitates jura patronatûs à Magiftris Ordinis Cruciferorum vel Sereniffimis Poloniæ Regibus vel deceſſoribus noftris Ducibus Pruffiæ habuerint, vel præfcriptione confecuti fint, integrum licitumq; illis erit, Religionis Catholicæ Romanæ exercitium in ijfdem introducere, inftituere, habereq;. Si verò ex Nobilibus plures extiterint, qui in vno eodemq; templo jus patronatûs fibi vendicent, partim Catholici, partim Euangelici, nemoq; eorum reliquis de publico exercitio decedere velit, à nobis judicióue noftro caufa cognofci, exq; præfcripto Iuris Canonici definiri debebit. Qua fententia, fi quis grauatum fe exiftimauerit, ad judicium S. R. Majeftatis prouocatio integra erit.

Cùm verò præter hæc in conditionibus anni, 1605. nomine Sereniffimi Regis & ampliffimi Senatus poftulatum fuiffet, vt ad minimùm Regiomonti vnum atq; alterum templum ad Religionis Catholicæ vfus, cum reditibus juftis affignaretur, non folùm propter eos qui ex Ducatu ejus Religionis effent, aut inpofterum forent, verùm etiam qui ex Regno, magnoq; Ducatu Lituaniæ, Catholicæ Religionis homines negotiorum fuorum causâ frequenter eò conuenire folerent: ac verò ita de eo conueniffent, vt per Commiffarios fuos cum ipfis Prouincialibus Sereniffimus Rex ageret, neq; tamen apud illos quidquam adhuc perfici potuerit. Nos quidem tranfactionis conditionumque harum vi authoritateq; præfentium literarum noftrarum recipimus, promittimus, fpondemusq; in vfus hofce, Religionis Catholicæ Romanæ vnum templum, cuius iufta capacitas fit lateritium, feu ex lapide, loco decente & honefto in fuburbio aliquo, vbi Commiffarij Regij, qui in poffeffionem nos mittent, commodiffimum judicauerint. Cæmiterium item circumcirca & campanile, ad fummum intra triennium noftro fumptu extructuros. Similiter etiam juxta templum domum & habitationes neceffarias & commodas pro Parochis & miniftris, tàm eius quàm Ecclefiæ infra fuprafcriptum tempus: tum in dotem etiam Ecclefiæ & alimenta Parochi, mille florenos annuos certi reditus, certis in fundis, villis, agris, aut cenfibus affignaturos. Ius præfentandi Parochum, idoneum tamen & in primis quidem Sacerdotem Catholicum Religionis Romanæ, tùm qui vtriufq; linguæ tàm Polonicæ nimirum, quàm Germanicæ peritus fit, ad nos pertinere debebit. Si tamen intra femeftre tempus nos fuccefforesq; noftri præfentare eum negligeremus, Reuerendiffimo Epifcopo Varmienfi, vti Epifcopo viciniori fuccefforibusq; eius de Parocho ei Ecclefiæ prouidere, ipfumque inftituere liberum erit: ad eundem fuccefforesque eius infpectio in doctrinam, mores, & vitam Parochi pertinere debebit: qui quidem eodem iure, quo alij in Regni Poloniæ Sacerdotes priuilegiatus & exemptus omninò ab omni Iurisdictione fæculari effe debebit: exceptis tamen cafibus in jure Canonico expreffis. Cæterùm eidem Parocho

Templum Regiomontum.

nos,

nos, successoresq; nostri, necnon Magistratus noster, tàm castrensis quàm vrbani, securitatem ab omni vi, injuria, contumelijs, bona fide præstabimus, illiq; præstabunt. De altero autem templo, quemadmodum & de dote reditúue eorum augendo integrum erit Serenissimo Regi cum ipsis prouincialibus per Commissarios, qui nos in possessionem mittent, agere. Quam ad rem non modò nihil impedimenti nos allaturos, verùm fauorem studiumque nostrum apud Ordines Ducatûs candidè, sincerè, bonaq; fide præstituros, promittimus. Ne quoq; Ducatus eius nostri rationes à rationibus Regni cuius corpore continetur, discrepent, Calendarium nouum vt in Ducatum introducatur, in conuentu prouincialium omni studio & opera quàm primùm curabimus, idq; posthac in Ducatu seruari mandabimus.

Anno 1612. Die 22. Mensis Maji Simon Rudnicki Episcopus Varmiensis, Stanislaus Dzialinski Palatinus Marieburgensis, Venceslaus Kielczewski Castellanus Biechouiensis, Reinholdus Heidenstein, S. R. Majestatis Secretarius, Commissarij Regij, Ioannem Sigismundum Marchionem Brandeburgensem in feudum Ducatus Prussiæ immiserunt, statusq; Ducatus nouo Principi juramenta fidelitatis deferre fecerunt, cum priùs inualida esse juramenta pronunciassent, quæ ijdem status anno 1578. toti domui Brandeburgicæ ac etiam Culnbachianæ & Onoldiuæ lineæ fecissent, atq; pro templo ædificando locum designarunt.

Jura extracta ex Pactis, Privilegijs,

Decretis &c. quæ quoad Religionem Catholicam & Catholicos Serenissimo Regi & Regno Poloniæ in Ducatu Prussiæ cōpetunt.

EXTRACTUM

Ex Responso S. R. Maiestatis, Illustrissimi Domini Joachimi Friderici Marchionis Brandenburgensis Legatis, Dato Varsaviæ die 11 Mensis Martij. 1605. vid. Privilegia Ducatûs Prussiæ fol 140.

IN causa Religionis hæc quidem Domini Legati cum urgerentur, receperunt; libertatem nempe conscientiarum nullis Ducalibus Religionem Catholicam - Romanam profitentibus, qui in præsentiarum sint, aut deinceps futuri essent, labefactatum aut convulsum iri: Sacella itidem & Oratoria ubivis tam in confinijs quàm alibi integra, tuta & concessa, in ijsdem liberum pietatis & doctrinæ, institutisq; Catholicis exercitium fore; neminem eo nomine turbari, inquietari, premi; neminem Religionis Catholicæ erga vllam vim, injuriam, contumeliam, extimescere debere. Jura patronatûs etiam & templa, quicunq; Catholicus habebit, eorum vsu & publico exercitio non priuatum iri, sed ipsi integrum, liberum, illibatumq; futurum: ad munera etiam & honores Catholicos idoneos admissum iri, S. R. M. atq; amplissimi Senatûs nomine, *cùm alia quædam proposita fuerunt, tum ut ad minimum Regiomonti vnum atq; alterum templum ad Religionis Catholicæ vsus, redditibus iustis aßignetur, non solùm propter eos, qui ex Ducatu ejus Religionis sint, aut fuerint: verùm*

verùm non minùs etiam qui ex Regno, Magnoq; Ducatu Lituaniæ Catholicæ Religionis homines, negotiorum suorum causâ frequenter eò venire solent. Verùm cùm Domini Legati maximam partem ad Provinciales ista pertinere, atq; cum ipsis, si quid amplius obtinere per Commissarios posśit S. R. M. agat per Cels. suam integrum fore ostendissent: S. R. M. Amplissimusq; Senatus, quæ à Dominis Legatis data sunt, in præsentia quidem accipit, ita ut posteaquam in potestatem aut curam & Administrationem Illustrissimæ Cels. ejus, Ducatus pervenirent, executioni mandentur. De illis autem, quæ ab illis proposita fuerunt, ut cum ipsis Provincialibus, per Commissarios suos, agat, constituatq;, sibi reservat &c.

EXTRACTUM

Ex Actis & Decretis Commissionis Sacræ R. M. Regiomonti habitæ, Anno 1609. Videantur Privilegia Ducatûs Prussiæ fol. 101.

LÆsum deinde est jus Sacræ R. M. & Regni, ob violentiam Catholicæ Romanæ Religionis exclusionem, Ecclesiarumq; Catholicarum in hoc ipso Ducatu antiquitùs fundatarum, Privilegiatarumq; occupationem, & Bonorum Ecclesiasticorum ademptionem, ac in usus privatos, profanosq; conuersionem. Dubium enim nemini est Religionem ipsam Catholicam in ijs oris primitùs institutam, propagatamq; fuisse, ipsoq; tempore Regiminis Ordinis Cruciferorum, nec non sub erectione & institutione Feudi viguisse, bonaq; & possessiones ad usum earum Ecclesiarum habuisse, nec alio Jure & conditione ipsam primævam investituram ratione Feudi concessam fuisse, quàm ijs, quibus Magister Ordinis, Cruciferiq; has terras antea tenuerunt, quos integris Episcopatibus, bonisq; Ecclesiasticis, maximè autem Religione Catholica florentes, Provinciam hanc possedisse verius est, quàm ut demonstrari sit necessum. Hæc verò omnia, post assecutionem Feudi & receptum beneficium, convulsa, occupataq; sunt. Et quamvis permissum fuerat Religionis Augustanæ exercitium, non tamen Religionem Catholicam eò submotam, sed *salva, potioreq; Catholicâ reservatâ, penes illam quoq; usus Augustanæ permissus,* sed *permissus potiùs, quàm approbatus & confirmatus est. Ita verò permissus ipsius usus Privilegio Lublinensi de Anno 1569. uti juxta formulam Augustanæ Confessionis, & ejusdem Apologiæ tantùm, non autem secundùm Articulos Smalcaldicos: (sicut repetitio corporis doctrinæ Ecclesiasticæ de Anno 1570. continet:) à subditis Ducatûs Prussiæ vivatur. Illud enim, quod suis fundationibus & privilegijs constabat, violare nequaquam licuit. Præterea Nobilibus & incolis Catholicis Ducatus hujus, in villis, oppidisve suis hæreditarijs exercitium Catholicæ Religionis non permittitur: Ecclesiis &*

Sacer-

Sacerdotibus ritus Romani prohibentur; quo maximè jus Serenissimi Regis & Regni opprimitur. Qua in re intercesserunt publico nomine transactiones inter S. R. M. Regnumq; & Illustrissimos Dominos Marchiones Brandenburgenses; posteriùs verò cum Illustrissimo Domino Joachimo Friderico Electore nuper defuncto, ejusq; Celsitudinis Legatis, in Comitijs Cracoviensibus, pactum conventumq; fuit, ut Religionis Catholicæ exercitium unicuiq; eam profiteri volenti, liberum in Ducatu eo sit, neq; sacella & oratoria ubivis prohibeantur, neq; professionis Catholicæ causâ, quisquam ulla vi, injariâ aut contumeliâ afficiatur. Ac insuper ejusdem Religionis Catholicæ exercitio unum atq; alterum templum hîc Regiomonti cum proventibus assignetur. Jura item patronatûs Catholicis omnibus firma ac integra conserventur, uti de his omnibus transactio illa publica fusiùs deponit. Quæ cùm ad suum effectum eò usque non devenirent, & interim magis, magisq; turbarentur Catholici, & Ecclesiæ profanarentur, vel ad alia exercitia converterentur, pro gravissima, eaq; publica injuria, Sacra R. M. illud reputat, & restitutionem exposcit. Cautum insuper erat ea ipsa transactione, ut Catholici omnes ad munera & honores admitterentur sine quavis exclusione atq; injuria; sed cùm neq; hoc ad effectum sit deductum, non potest Sacra R. M. id, nonnisi indignè ferre, ubi prisca & avitæ Religionis homines excluduntur. Et quidem ipsimet liberè judicare poterint, quam iniquum, & intolerabile sit Catholico prohiberi exercitio, & excludi, cùm sectas & earundem sequaces post Augustanam ferre & tolerare omnino nolint, nec debent. Exposcit deniq; Sacra R. M. ut in usus Catholicorum Episcoporum Sambiensis, & Pomesaniensis certi aliqui reditus proventusq; aßignentur, cùm ad functionem illam administratoriam sustinendam, illiq; annexa munia obeunda non parvi sumptus requirantur. Item ut fugitivi Apostatæ atq; subditi extradantur, S. R. M. requirit.

EXTRACTUM

Ex recessu Commissionis Regiomontanæ Anni millesimi, sexcentesimi, duodecimi Die 29 Maji.

Cum verò, ne contra jus publicum, privilegiaq; Ducatus hujus, maximè autem Lublinen: (quo penes Religionem Catholicam Romanam, ut in Ducatu hoc Antiquißimam & potissimam, exercitio Religionis Augustanæ libertas etiam in Ducatu hoc indulta, aliæq; omnes cujuscunq; generis Nominis sectæ, exclusæ exterminatæq; sunt) diversæ in Religione opiniones in Ducatum invehantur, non pauci vereantur. Et ad sectas quidem peregrinasq; Religiones quod attinet, si quis post hoc ad Magistratum & Officium adscitus, promotusq; repertus fuerit, qui diversam à Religione Catholica Romana vel Augustanæ Confeßionis, Anno Domini M. D. XXX. publicè Augustæ propositæ & Apologiæ ejus tanquam publico Ordinum Ducatus hujus consensu receptæ & approbatæ, indultoq; Serenißimorum Regum Poloniæ in Ducatu hoc permissæ, quamcunq; vel Zwinglianorum, Calvinia-

vinianorumq́ꝫ, Anabaptistarum, Arianorum vel quibuscunq́ꝫ Nominibus vocentur, sectam foveat, profiteaturq́ꝫ, à Consiliariis terrestribus vel iis negligentibus, à Conventu Universæ Nobilitatis aut quocunq́ꝫ in ordine sibi pari, in Ciuitatibus autem à Magistratu Civium aut quocunq́ꝫ de populo, primò ad Judicium Illustrissimi Principis aulicum vocari poterit, ac debebit, & in defectu quidem plenariæ probationis non aliter liber pronunciari aut evadere debebit, quam ut supra nominatis Zwinglianis, Calvinianis, Anabaptistis, Arianis; vel quibuscunq́ꝫ Nominibus vocentur sectis, manifestè contradicat & renunciet. Et Convictus quidem arbitrariâ pœnâ à S. R. M. quæ pro delicti aut delinquentis qualitate, quousq́ꝫ visum fuerit ex arbitrio S. R. M. extendi poterit, puniri, animadvertiq́ꝫ debebit in eum, & à Magistratu autofficio, in quo constitutus est, mox moveri, cedereq́ꝫ debebit. Salva ut in aliis causis, ita maximè in hac quoq́ꝫ per omnia appellatione ad S. R. M. &c. &c.

EXTRACTUM

Ex Responso Sacræ Regiæ Maiestatis Generosis & Nobilibus Nuntijs tam Illust. Principis Electoris in Prussia Ducis &c. quàm Consiliariorum terrestrium ejusdem Ducatûs Prussiæ, Varsaviæ Die 10. Mensis Julij Anno 1616.

AC primò quidem, cùm Consiliarii terrestres quererentur, à plerisq́; id agi, ut in Ducatum illum Calviniana Hæresis induceretur, S. R. M. quandoquidem privilegio Lublinensi, aliisq́ꝫ tam DD. Decessorum suorum, quàm suæ Majestatis rescriptis, diplomatibus, & novissimis decretis, pactis, & potissimum recessu Anni 1612 cautum sit præter Catholicæ Romanæ & Augustanæ confessionis, ejusq́ꝫ Apologiæ Religionis usu reliquas omnes damnatas & interdictas esse, firmiter iis pactis, decretisq́ꝫ standum esse, decernit.

Hoc specialiter adjecto, ne quis de Hæresi Calviniana suspectus ad Magistratum aliquem promoveatur, ac ut ii, qui hoc nomine in suspicionem vocantur, secundùm modum in recessibus Anno 1567 & 1612 expressum sese justificare, & Calvinisticæ doctrinæ, cæterisq́ꝫ quibuscunq́ꝫ nominibus vocentur, sectis contradicere teneantur, ita, ut omnibus constet illos vel Catholicam Romanam vel Augustanam cum Apologia illius Religionem profiteri.

Articulis Smalcaldicis, conviciisq́ꝫ & scommatibus Religionem Catholicam Romanam (quæ sola ab initio in ea provincia viguit & quam itidem nunc cuivis amplectendi liberrima potestas permittitur) ejusq́ꝫ Antistites proscindentibus expunctis, & exclusis; salvo per omnia usu Religionis Catholicæ, cui, eamq́ꝫ profitentibus, templis ac locis sacris illi dicatis, vel deinceps dicandis, nullum hac visitatione præjudicium fieri debet.

Mandata ab Illustrissimo Principe malè, ut verisimile est, informato, quibus prohibentur Concionatores sectam Calvinianam confutare, & in eius sectatores publicè invehi in favorem Calvinianorum edita esse, ac proinde ex præscripto pactorum & recessuum invalida censeri debere S. R. M. statuit. Famosos, suspectosq́ꝫ libellos, ii cum ordinario Magistratu excutient, qui visitationis Ecclesiasticæ munus exercebunt, jureq́ꝫ contra authores procedetur in foro competenti, salva appellatione. Iidem Visitatores providebunt, ne conviciis Catholici in concione proscindantur.

Academiæ Regiomontanæ Jura & privilegia ab Illustrissimis Ducibus indulta, & à Serenissimis Regibus Poloniæ approbata infringi non debere. Quare utatur illa jure suo in præsentandis Illustrissimo Principi Professoribus, quos ille tanquam satis idoneos sibi præsentatos approbet.

Cùm autem Czepsius & Veisius ab Academia præsentati non fuerint, meritò non fuisse admissos S. R. Majestas agnoscit. In errores Ponianto-vij blasphemasq; illius doctrinas visitatores inquirant. Cæterum cùm is sit monachus Apostata & transfuga, ac tales ex præscripto decretorum extradi debeant, hic etiam Illustrißimo Domino Episcopo Varmiensi extradatur, omnino vult Regia Majestas. Studiosi, qui ad Academiam veniunt nonnisi Catholicæ Romanæ vel Augustanæ Confeßionis Religionem profiteantur, suspecti de Calvinismo vel alio errore, solennem ejus renuntiationem, secundùm declarationem recessuum faciant. Aut certè quomodocunq; aut quocunq; abtrusi, si id facere renuerint, non admittantur, ac admißi jam, excludantur.

Declaratur hic Artic. de Studiosis in Responso Regio Die 4 Martij 1617 in Privil. fol. 149 his verbis:

Articulum de studiosis suspectis ad Professores S. R. M. restringi vult, ita tamen, ut studiosi & Alumni secundùm Leges & Instituta Academiæ vivant, nec alijs scandalo sint.

EXTRACTUM

Ex literis Recessus Dominorum Legatorum Anni 1617. Regiomonti Die 5. Aug. publicatæ, &c.

CAusam Religionis quod attinet, cum Illustrißimus Elector Responsum ultimatum in causa hac tale nobis dederit, videlicet: Quod ad Religionem Celsitudo ejus Electoralis adhuc pollicetur, & recipit, quod in ea nihil novi, multò minùs recessibus & privilegiis quid contrarium introducere cupiat, ne quis justam querendi occasionem habeat. Benè, sanè proindeq;, si quis posthac aliam Religionem quàm Catholicam Romanam vel Augustanam, ejusq; Apologiam, & corpus doctrinæ Prutenicæ, ab hinc docere, concionari, & exercere ausus fuerit, præsumpseritq;, is ut turbator pacis publicæ à quovis hominum conveniendus ac accusandus est in judicio Aulico, summario processu servato, ac salua ad S. R. M. appellatione juxta jura, priuilegia, recessus & pacta Ducatus istius. Jam cùm Consiliarij etiam protestantes & Nuncij nonnulli Nobilitatis diversam contra suprascriptam sententiam, scripto suo ediderunt, divulgaruntq; & in novum dogma introducendum consenserunt, idq; contra jura, privilegia, fidem, recessus & juramenta sua ac decreta S. R. M. ij quoq; ad instantiam cujusvis citati utriusq; Patroni tanti delicti, respondeant necesse est, processu & appellatione supra memoratâ, salva integraq; manente. Circa ejus Academiæ Illustrißimi Electoris responsum conforme est decretis S. Regiæ Majestatis; illud tamen desideratur, ut Electus & præsentatus à multo tempore ab Illustrißimo Electore confirmetur, & salaria debita illis quolibet quartuali sine impedimento solvantur.

Cùm in Articulis Smalcaldicis, multa scommata in Religionem Catholicam Romanam Dominus Jaskius, unà cùm aliis DD. Legatis Electoralibus Anno 1616, cùm Decreta S. R. M. tum ferebantur, coram Illust. DD. Deputatis S. R. M. contineri,

neri, confeſſus eſſet; quapropter ea S. R. M. expungi, decreto ſuo regio juſſit; ſalvo tamen in cæteris omnibus libello: Corpus doctrinæ, ac omnibus aliis capitibus eius. Quam expunctionem Scommatum cùm Illuſtriſſimus Elector ad Ordines rejecerit, & quidquid nos cum eis ea in re concluderemus, ſtatueremusq;, id Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam ratum gratumq; habituram; Domini verò Conſiliarij Terreſtes & Nuntii Nobilitatis proteſtantes, non datâ nobis ſuper his declaratione, uti & ſuper alia capita legationis noſtræ per quod S. R. Maieſtatis Jus in vilipendium venit, diſceſſerint, contra illos ſolenniſſimè proteſtamur; omnibus nomine S. R. M. iniungendo, ut omnes Decreto eiusmodi Regiæ Maieſtatis inhæreant, & Scommata penitùs expungant, nec ea quiſquam ampliùs uſurpet, incurſurus, ſecùs faciens, pœnam S. R. M. arbitrariam.

EXTRACTUM

Ex Pactis Velavienſibus ſive Pace perpetua Regis Regniq; Poloniæ cum Electore Brandeburgico ſub dato 19 Sept. Anno 1657.

EXercitium Religionis *Catholicæ Romanæ, prout ante hoc bellum Sueticum juxta antiqua & recentia pacta in Pruſſia Ducali viguit aut vigere debuit, conſervabitur ac reſtituetur; liberum erit eam profiteri volentibus, nec ullus unquam ex Ducalibus ſubditis jam eam profitentibus aut impoſterùm profeſſuris, eam ob rem interpellabitur; Sacella itidem & Oratoria ac Bona omnia Eccleſiaſtica ipſis appertinentia, ubivis tam in confinibus, quàm alibi tuta, integra, & conceſſa illis erunt; in iiſdem liberum ex doctrina inſtitutisq; Catholicis Romanis exercitium habebunt. Nemo eo nomine turbabitur, premeturq;, nemo Religionis Catholicæ causâ ullam vim, injuriam, contumeliam, moleſtiamq; perferet, & quicunq; eos aliquâ injuriâ affecerit, ſeverè punietur. Ad munera & honores ij, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber aditus erit. Quicunq; etiam in Ducatu Catholici Barones, Nobiles, Civitates, Jura-patronatûs legitimis acquiſiverint modis, in locis, ubi Jura illis ipſis competunt, iiſdem uti ac frui absq; impedimento & conditione poterunt. Si verò alij Com-Patroni non Romæ Religioni addicti fuerint, inibi, atq; lis dedicto jure atq; eius exercitio oriatur, à Commiſſariis à Serenit. Sua ex utraq; Religione pari numero conſtituendis, componetur, vel decidatur juxta præſcriptum Juris Canonici. Templum quoq; Regiomontanum cum ſuo Cœmitorio & locis ad id pertinentibus ac fundatione, aliiſq; Juribus receptis, in eo ſtatu, quo ante hoc bellum fuerunt aut eſſe debuerunt, conſervabitur. Perſonæ Eccleſiaſticæ ijs immunitatibus & foro impoſterùm gaudebunt, quibus hactenùs gaviſæ ſunt aut gaudere debuerunt, juxta pacta priora. Jurisdictio Spiritualis Reverendiſſimi & Excellentiſſi-*

mi Domini Episcopi Varmiensis juxta pacta, intacta & integra conservabitur in Parochum & omnes alias personas Ecclesia, sticas Catholicæ Religioni addictas. Omnibus deniq; Juribus-prærogativis, ac libertatibus fruentur, quæ tam in antiquis quàm recentibus pactis & fundationibus contenta sunt, quæ hìc in hac solùm materia denuò confirmantur, ac pro specificè expressis & declaratis habentur &c. &c.

Floruit his temporibus insignis Poëta Brunsbergæ S. I. Laurentius Bojerus. Qui tamen fœtus sui ingenij plerumq; sub aliorum nomine evulgauit. Duobus distichis aptis connotauit ille solstitia & æquinoctia juxta novum Calendarium, quo veteres versus abolevit, quæ huc ponere debeo. Est autem distichum, quo æquinoctium designavit, istud.

Vt Linus autumnum, sic Ver Benedictus adæquat.
Hic Aries, illic Libra, dat æquidium.

Pro cognitione Solstitiorum, versus sequentes duo alij seruiunt.

Maxima Paulini, minor est Lux postera Thomæ.
Cancer ibi, hic signum Solstitiale caper.

Bisburgenses cædunt confœderatos.

Isto eodem anno confœderati Sapianæ & Zborouianæ cohortium ex Moscouitico bello redeuntes, multò magis Poloniam & ipsius prouincias, quàm supra memorati Rokussani fecissent, afflixerunt. Nec erat immunis ab earum impetitione Episcopatus Varmiensis. Scelerum suorum velamen prætexerunt, quod ipsis emerita stipendia non fuissent exoluta. Est oppidum in Episcopatu Varmiensi postremum Bisburgum dictum sine muris, aliquando tamen muris & arce munitum, cuius, sicut etiam murorum vestigia nunc supersunt. Id plerique Poloni & Masovij inhabitant. Confœderati hoc oppidum repleraut, in qua omnis generis insolentias exercuerunt. At quid Bisburgenses? agmine virorum ac mulierum ac cæterarum imbellium personarum facto, gladijs, perticis, titionibus, & quovis genere armorum in fæcem hanc fortiter irruerunt, & aliquot occisis oppido propulerunt. Quidam Confœderatorum, dum effugium & latibulum quærit, ad furnum jussus est conscendere: sed eum paulò pòst fumo & igne is ipse excitatis, qui ei refugium ostenderat, enecauit.

Cometes.

Visus est dehinc anno Domini 1618. Cometes; Is primùm conspici cœpit die Diuo Apostolo Andreæ celebri inter ortum & meridiem. Eum Eclipsis Solis maxima ex parte subsecuta est, quæ duo cœlestia signa non erant indicia desinentium, sed rectè incipientium malorum non solùm in Prussia, sed etiam in Imperio: quando nimirum vndiq; hæretici contra Ecclesiam DEI & Imperatorem Ferdinandum insurrexerunt, & interitum, quem à multis annis antè concluserant, ipsis inferre voluerunt: nisi id malum clementer DEUS ab illis auertisset. Sed hæc copiosiùs alij prosecuti sunt.

Latro Kix teuffel

Latrocinijs etiam circa hæc tempora viæ complebantur. Habebant latrones hi inter se Regem Danielem, quem nominabant, Kix teuffell aus der Hell. Is Heilsbergæ captus, plurimos suæ farinæ homines prodidit, qui partim rotas, partim suspendia, partim alia tormenta passi sunt: ipse antesignanus forcipibus candentibus tractus, demum in quatuor partes dissectus interijt. Erat aliquis inter illos (fuerunt verò ad 22. qui vna æstate Heilsbergæ, vt taceam eos

am eos, qui in alijs oppidis tam Ducatûs Prussiæ quàm Episcopatus Varmiensis justas pœnas dederunt) qui post catastæ extensionem & membrorum relaxationem ferre potuit & tulit septem modios siliginis in vno sacco. Cumq; dicerent spectatores, esse etiam alicubi Ciuem, qui tantum onus ferret: subiecit ridiculè: Benè esto: sed permittat se priùs extendi: experiar certè, an fuerit par oneri ferendo. Inter alia studia mala furciferorum istud erat sibi commendatissimum, fœtus ex matribus viuis excindere & eximere: atq; ex ijs iterùm corda, si masculi essent, diuisa in tot partes quot adessent, cruda deuorare. Persuasum enim habebant sibi, quòd si talium puerorum nouem corda absumpsissent, se deinceps capi non posse, captos fortè fore insensibiles atq; impassibiles. Si fæmellas reperissent in vtero materno, eas, quasi suæ professioni inutiles, abijciebant. Atq; tales matres infelices jam à se quatuordecim trucidatas profitebantur, in quibus paucos masculos, inuenissent. Quendam juuenem arte sutorem captum, in merica Launensi denudatumq; ac arbori alligatum, muscis, culicibus atq; formicis deuorandum proposuerunt. Cum aliquando mulierculam portantem puerum in vlnis in eadem merica reperissent, ac occidissent: ipsum infantem in truncum decisæ arboris posuerunt: atque ad eum fustibus, sicut ad metam, poiecerunt: certantes ordine, vt qui eum tangeret, Rex inter eos haberetur. Puer videns volantes bacillos, risu effundebantur, nesciens sibi interitum hisce strui. Dejecit ipsum bubulcus aliquis, atque Regis titulo honoratus. Qui etiam eo nomine sibi plurimùm gaudebat: sed eum Daniel Rex contemptui habebat, & puerilem Regem appellabat: se verò ex grandibus factis talem titulum assecutum, ajebat. Ita quidem nebulones isti, non solùm commoditatem ex latrocinijs suis, sed etiam voluptatem & honorem quærebant. Neq; deerant hoc tempore tonitrua, fulguraq;, atq; crebra incendia, quibus homines mirum in modum terrebantur, tum gelidissimæ ac longissimæ hyemes, quibus glacies ad semiduas vlnas excreuerat. Contributionum in bella nullus finis. De metu illorum jam supra dixi. Lue etiam quadam pecora & equi, saltem in quibusdam locis, si non per totam Prussiam miserè interibant. His quidem malis, vtcunq; adhuc tolerabilibus, Deus homines ad mentem revocare voluit, vt agerent pœnitentiam pro peccatis & evitarent majores pœnas. Sed cum nollent officij admoneri, tanquam potens crapulatus à vino, in vniuersæ ferè Prussiæ oppida & pagos pestem gravissimam conjuncta fame annis duobus sese sequentibus immisit. *Pestis gravis.* Emebatur enim vnus modius siliginis in quibusdam locis, posteriore anno nouem Prutenicis marcis siue sex florenis Polonicis. Sed nihilo meliores homines superstites mortibus suorum facti, sed potiùs insolentiores opibus relictis propinquorum redditi, vitam ad consueta vitia, quæ nunquam fortè, ne quidem metu mortis intermiserant, ducebant. Anno eodem in portentum majoris mali, tempestas orta, 11. die Aprilis de nocte ex arce Heilsbergensi duas cuspides cupro tectas ingenti fragore & strepitu dejecit. *Tempestas valida.* Prætendebatur quoq; aliquod majus malum peste, eò quòd in quibusdam Ecclesijs hostiæ sacræ majores ex Monstratorijs, vt vocant, defluerent, ac alicubi satis magna pars mœniorum corruerit: alicubi etiam in Ecclesia altare muro adfixum deciderit,

ac candela noua in altari nemine attingente in festo Purificatæ Virginis inuersa in Missa fuerit. Igitur Deus vltimum extremumque malum, quo homines & terras afficere solet in hac vita, Prussiæ bellum immisit. Veniens enim Gustauus Sudermanniæ Dux

Bellum in Prussia. (secutus is fuit in Regno Carolum Patrem, qui Regnum Sueciæ Sigismundo III. Regi Polonorum vero hæredi surripuerat & occupauerat) anno Christi 1626. cum classe ex Suecia, portum Pilauiensem, ad Habum lacum malè custoditum, ex quo digressio in vniuersam Prussiam patet, septimâ Iulij occupauit, firmissimoque præsidio muniuit. Hinc nonâ Iulij Varmiam nauigans, arcem apertam intrauit & præsidio muniuit. Ipsum verò oppidum incendit. Ipsa nocte misit amuralius Carolus Caroli, qui in Liuonia aliquando captus, in Prussia Marieburgi detentus, dimissus posteà tamen fuit à Sigismundo Rege, conditione adiecta, ne vnquam ampliùs contra se arma sumeret, quadringentos sclopetarios, ex mari Sarmatico expositos, qui Oliuensem Abbatem caperent, monasteriumque deprædarentur. Reperientes verò spe sua firmius monasterium, & quòd ex istis aliquot bombardis occisi essent, tractatu habito cum Abbate, acceperunt 400. florenos & recesserunt: despoliatis priùs accolis monasterij & aduocato atq; nonnullis abductis. Et quamuis deprædatores isti immunitatem nomine Caroli in scriptis promisissent: veriti tamen Reuerendi Patres fragilem fidem eorum, consulto paucis hinc diebus commigrarunt spe salutis aliò. Decimâ die Iulij Gustauus Brunsbergam deditione accepit & præsidio firmauit, sicut etiam Elbingam decimâ quintâ die ejusdem mensis benè munitam Ciuitatem: admirans plurimùm, quòd se tam facile tradiderit, cui nihil ad defensionem longissimam defuisset. Nec vanus fuit timor ille Patrum Oliuensium de fide Gustauianorum. Nam paulò post discessum, misit amiralius alios milites, qui despoliauerunt Ecclesiam cum Monasterio, ablatis etiam ipsis feris januarum & vniuersa supellectili. Insuper ausus est petere aliam redemptionis pecuniam pro Monasterio decimâ sextâ Iulij, promittens eius conseruationem & defensionem. Antequam tamen Gustauus Elbingam deuenisset, habuit is colloquium decimâ tertiâ Iulij Tolckimiti intra sextam & octauam vespertinas horas cum Christophoro libero Domino in Kitlitz, Bernardo à Kiusigick, Jobio Lubener & Secretario Wintero ablegatis Ducatûs Prussiæ, in quo ipsos ad neutralitatem pertrahere conabatur: ipsis è contra absentiam Principis sui causificantibus. Nec intermisit in eadem causa Gustauus solicitare Culmensem Nobilitatem literis ad eam datis. Quas huc cum responso ejusdem apponere placuit. Sunt verò hujusmodi.

Gustauus Adolphus Dei gratiâ, Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex: magnus Princeps Finlandiæ, Dux Estheriæ, necnon Fieringiæ Dominus. Illustres, generosi, Magnifici. Vigesimus octauus jam agitur annus, ex quo cruentum hoc bellum inter duo hæc regna Sueciæ & Poloniæ, magna utrinq; animorum acerbitate geritur. A quo tempore vtræq; hæ regiones tanquam hosti nostro subiectæ hostiliter à nobis impeti potuissent: nunquam tamen induci poteramus, vt ijs

vel

vel minimam commerciorum libertatem ademeremus, semper sperantes tandem finem Christiani sangvinis effusioni futurum: pacem & concordiam multis regionum incolis institutum iri, hanc solam atq; vnicam (Deum testamur) omnibus modis ac vijs hactenus quæsiueramus. Tanta verò humani cruoris libido hostis nostri animo insedit, vt non modò omnes amicos tractatus captiosis procrastinationibus illuserit, sed etiam asperioribus extorquendi medijs contempserit: ab aliquot jam annis id vnicè agere cœperit, quomodo parata in his partibus classe ad nos trajiceret, statuq; Regni nostro turbato, multò quàm antehac infestiùs nos infestaret. Quòd cùm in vltimis comitiis decreto aduersùm nos publicè bello vehementiùs vrserit, necessitas nos nostraq; tuendi expressit nobis præsens consilum, vt & præueniendo occurreremus & muniendo, quantum in nobis est, has partes Prussiæ, vsq; dum mutatâ sententiâ animorum, ad justam tranquillitatem conuerteret. Dei autem, non operâ hominum factum est, quòd animos incolarum in his oris ita ad pacem propensos inveniremus, vt nullam etiam habeamus occasionem eos non amicè tractandi. Omnes, quos adhuc præterire contigerat, armorum metu neutralitatem vel obsequium nobis detulerunt. Quoniam igitur eundem pacis amorem de sinceritate vestra nobis pollicemur, antequam vlteriùs cum armis progrederemur, constituimus etiam ad vos, eandem securè neutralitatis Clementiam præmittere operam neutralem, si hominum prouinciæ vestræ incendijs, vastationibus & cruentum bellum, necnon propriæ salutis discrimen antefertur: requirimus à vobis vestros plenipotentes, quàm fieri citissimè, ad nos expediatis, quibus cum & de neutralitatis conditionibus, & de mutua conditione diplomate vlteriùs tractare poterimus. Quoscunq; autem miseritis, eis tam in itu & reditu, quàm tractationibus nobiscum, quoad illorum personas, comitatum & bona vigore harum securitatem pollicemur. Scribite autem sine mora, vt quod nobis statuendum sit brevi decernamus. Datum in castris nostris Die 25. Julij, Stylo veteri.

Responsum Nobilitatis ad præcedentes literas.

Illustres, Magnifici ac Generosi.

Quam justa ad cruentum inter duo inscripta Regna Poloniæ & Sueciæ bellum suscipiendum gerendúmue causa, vtrinq; per tot annos oblata est, & num legitimæ defensionis aut licitæ inuasionis excusationem isthæc terrarum Prussiæ infestatio mereatur, in primis Dei judicio & communis naturæ rationi eorumq; penes quos summa rerum gerendarum erit potestas, justo arbitrio discernendum relinquimus. Certè pacem justam ac honestam sincerè nobis curæ fuisse & nunc cordi esse nos in-

genuè atq; apertè profitemur eamq; omni bello, cujus non adventus solùm sed & metus affert calamitatem, semper antefe- rendam esse censemus. Et quoniam in hisce terrarum Prussiæ Regionibus Serenissimus Princeps vester hactenus nullâ est lacessitus injuriâ, vtiq; dum se suaq; tuendi consilio portus Borussiæ occludere, sicut perhibet, præueniendo satagit, quos ferè omnes jam occupauit, profectò pedem manumq; militarem huc aut vlteriùs promouere nulla necessitate vrgetur. At Christiani sangvinis effusioni nunc modum aut etiam finem faciet, si gradum sistet, paceq; & concordia salutari, quam omnibus rationibus ac vijs se hactenus quæsiuisse DEUM testem inuocat, nostris Regionibus tranquillè frui justè promittet. Quod attinet neutralitatem, quam Serenissimus vester Princeps nobis offert, de ea tractare ad præsens non est nobis integrum. Nam ex pacto reciprocæ sponsionis Ordinum terrarum Prussiæ cum Regno Poloniæ vnitorum, juxta homagium olim Domino Casimiro Regi, eiusque successoribus Regibus Poloniæ, corporali interposito juramento, præstitum (cujus formula publicis libris circumfertur) absque licentia vel consensu moderni Serenissimi Regis & D. D. Sigismundi III. Domini Nostri clementissimi quocunque colore, arte, necessitate, casu, opportunitate & ingenio Coronam Poloniæ, aut in præjudicium, læsionem aut offensam præsentis subiectionis & deditionis nostræ aliquos tractatus, colloquia vel sermones inire, ex jurisjurandi Religione & sub fide ac honore nostro prohibemur. Quapropter eidem Serenissimo Regi ac Domino nostro, postulata Serenissimi Principis Vestri, quàm fieri potest, citissimè ad notitiam deferemus, & de Serenissimi Regis nostri sententia ac voluntate cùm responso nostro ad Serenissimum Principem vestrum nuncios nostros mittemus. De cœtero omnem adhibituri operam, vt mutuæ pacis atque tranquillitatis conditiones inter vtrumque Regnum Poloniæ & Sueciæ justis ac honestis rationibus stabiliantur atque confirmentur. Hæc de mutuo consilio ac consensu Palatini Prussiæ Regalis & nomine Ciuitatis Torunensis ad Illustres Magnificos & Generosos V. perscribenda esse duximus. In quorum omnium fidem sigilla Illustris & Magnifici Domini Palatini Culmensis ac ciuitatis Torunensis sunt appensa.

Decimâ nonâ eiusdem Mensis oppidum Marieburgense cum arce Gustauus accepit, tradente eam quodam Pentzlauio Polono. Accepit eodem modo his diebus Dersauiam Meuam, Stumam, Puscum, quibus præsidia imposuit. Similiter misit his diebus Gustauus cohortes aliquot in interiora Episcopatus Varmiensis, qui oppida caperent aut censerent cum pagis & Parochi-

is. Un-

is. Unde ingens vis pecuniæ non adeò difficulter corrasa est: existimantibus omnibus se posthac à vexatione liberos futuros. Et quidem nulli omninò aliquam injuriam pro hac vice cohortes hæ, qui se redemissent, inferebant. Vormditum vltrò traditum occuparunt & firmarunt, quemadmodum etiam Meelsaccum. Vltimis verò diebus Mensis Julij, milites illi qui Vormditi in præsidio relicti erant, aliud cogitare cœperunt. Nam excursione facta Guttstadium, aperientibus Ciuibus portas collegij Canonicorum, qui sibi malum futurum præuidentes, consultò discesserant; illud ipsum immaniter spoliarunt, rebus Ciuium intactis præter domum Burgrabij, quam quoque diripuerunt. Quod quidem fecerunt, dum redirent Allensteinio: vnde à constantibus ciuibus rejecti erant. In quo quidem reditu & itinere Gustauiani etiam nonnullos pagos Canonicorum Varmiensium spoliarunt, & prædium Canonicorum Gutstadiensium Ploten, depulsis inde sicut ex Virtzighuben & Cossen equis & pecoribus, succenderunt. Quo ferè eodem tempore, sed fortè Paulò maturius Gustauiani quoq; Abbatiam Pelplinensem, & vicinas mansiones Monasterij ac prædia Neihoff & Bilaucken spoliarunt, prædâ ad Dirsauica castra propulsâ. Rursus, secundâ Augusti mensis die Joannes Suentz, sic enim se appellat Capitaneus Gustaui, à priore Oliuensi Gedani se continente, quingentos florenos in auro vel argento pro redemptione Oliuæ Monasterij inter decimam & vndecimam horas antemeridianas soluendas postulauit. Quam summam ille amore Monasterij conseruandi hinc inde conquisitam soluit, receptis literis assecurationis: sed quod adhuc intactum miles amiralij reliquerat, hic penitus ex eo sustulit, ita vt solos muros relinqueret, & verum esse comprobaret illud dictum Pòëtæ.

Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur.

Quartâ Augusti Gustauus Monasterium Pelplinense in propria persona inuisit, in quo etiam pransus est. In tantum verò miles res eius diripuerat, vt ne quidem ahenum superesset, sed Carpio pro Gustauo in testa lutea coqui debuerit. Gustauianis præsidio nullo Guttstadii, ad quam vltro antea admissi erant relicto, discedentibus, venit circa 24. diem Augusti Voritki Masouius Nobilis, cum aliquanta manu, & se pro præsidio, ad preces quorundam Ciuium contra Suecos gerere cœpit. Cuius præsentiam mox eo ipso die Gustauiani, qui in præsidio Vormditi erant, cognouerunt. Verentes verò, ne à Polonis vicinis periculum paterentur ac per eos ab vlterioribus incursionibus interioris Episcopatus Varmiensis prohiberentur, adscitis quibusdam, vt refertur, ex vicinia hominibus, Gutstadium tempestiuè Polonorum antequam plures Voritki subuenirent, causâ, sub vesperam venerunt, subsistentesque in suburbio versus Vormditum miserunt quempiam, qui aliquos ex Magistratu ad se vocaret. Multorum opinio est, illos voluisse sibi extradi Voritki cum socijs. Quod si fecissent Ciues, salui à Gustauianis relicti fuissent. At Magistratus confidens virtuti sui præsidij, non solùm denegauit Gustauianis colloquium, sed etiam minis eos terruit. Quibus auditis hostes sine mora suburbia vndequaque frumento vtriusq; campi referta incendunt. Acriter Ciues in eos è muro jaculati plurimos & quendam præcipuum inter eos occiderunt. Ex quibus hostes præclariores rhedis impositos auexerunt, igno-

ignobiliores verò igni injectos exusserunt, ne clades eorum palàm fieret. Sed constantia hæc Ciuium diuturna non fuit. Nam videntes etiam Glottouiensem portam ardere piceis corollis injectis & ipsi Ciuitati periculum imminere, animis fracti, à defensione vlteriore oppidi recesserunt, ignemq; in porta extinxerunt. Ex Voritki socijs interim aliquis arrepto malleo grandiore fabri, portam Heidenthor dictam, effringit, & latè patere fecit, per quam vniuersum præsidium fugit. Vix excesserant illi, cùm Gustauiani vsi circuitu per Cossen, oppidum per apertam portam Heidenthor intrant: alij ex illis edocti de vado Alnæ per viridarium Canonicorum ad portam collegij delati eam vi effringunt, inq; vrbem irruunt, ac eadem per totam noctem diripiunt: neq; discedunt priùs inde, quàm septem millia talerorum à ciuibus contributa, præter spolia in redemptionem vitæ & oppidi non incensi accepissent. Ciuium in his turbis nemo interijt, præter mulierem quandam quæ muros ascenderat & curiosè inde prospectarat. Proripuerat se quispiam Polonus de manè vel ex schola, vel certè è domo Vicariorum Ecclesiæ vbi latuerat. Eum adorti tres Gustauiani pariter illi pugnam exhibuerant in cœmiterio. Nec detrectauit is eam, frameâq; solâ vsus satis eis negotij dedit omnesq; tres egregiè & fortiter depulit, vsq; dum veniret ad plateam, quæ est ad domum Spect. Domini Martini Schonualdi, vbi illum manus dare oportuit, quòd quartus cum halabarda superuenerit; aliàs illorum trium impetum euasisset. Intactam Ecclesiam Collegiatam reliquerunt, quamuis hospitalis ædiculam in suburbio Vormditensi in honorem S. Spiritus consecratam vna cum hospitali diripuerint, saluâ eâ quoq; inter flammas nunc & ante biennium in Vigilia Pentecostes, cum circumcirca horrea & granaria fulmen accendisset, permanente. Interim omnia quieta fuêre in Ducali Prussia.

Hic finit Historiam suam Joannes Leo Decanus Canonicus Guttstadiensis.

Imago Christi tribus globis trajecta. Hoc tempore, id est circa annum 1626. miles Sueticus imaginem Christi tribus globis trajecit, prope Brunsbergam, quæ sanguineo cruore fluxit. Res diuulgata, examinata à pictore Laurentio Maas, à Suecis militibus & Officialibus currum fœni transeuntis conscendentibus, comperitur supernaturalem cruorem esse. Id audiens Princeps Vladislaus Sigismundi III. Regis Poloniarum Filius in castris penes Regitten manens, expedit Lampertum Elert Capitaneum à Demuth oriundum, cum sua cohorte, qui nocte trajectâ Passeriâ tabulam è stipite aufert, & Principi defert; die sequenti coram ea præsentibus omnibus celebratum est sacrum. Hinc mittit eam suis Serenissimis Parentibus Varsauiam per Messaccum, vbi & à militibus Polonis & à Clero ciuitateq; vniuersa processionaliter inducta est, inter explosionem tormentorum, & pulsum campanarum præferente eam in alta pertica Hussaro. Fuerat tabula hæc Varsauiæ in conclaui Regio ad tempora Joannis Casimiri Regis, fuitq; in summis Regni necessitatibus eidem asylum, ad quod opem diuinam implorans confugit. Non exponebatur, nisi in processione Corporis Christi in altari in area arcis Varsauiensis extructo. Cùm autem pius Rex se Regno in Comitijs Anno 1668. abdicauit, tabulam sacram Nieporenti in Villa hæreditaria deposuit, mandauitq; Stanislao Węgerski Canonico Kijouiensi Præposito

sito Loci ex reliquo suo censu templum ex cocto latere pro ea imagine fieri. Rex autem in Gallijs Niuerni 16. Decembris obijt, anno 1672. Interea durante bello Suetico stipes nudus Brunsbergæ cœpit honorari à deuoto populo tum precibus tum anathematibus appensis, hæreticis pro tunc Dominis non audentibus stipitem excidere; imò miles sacrilegus exauthoratus est obsequijs militaribus, metuebant enim sibi vindictam ob unius sacrilegium. Tandem anno 1636. facta pace cum Sigismundo III. à Suecis Varmia liberatur. Imago autem vera per Thomam Ujeyski Episcopum Kijoviensem Præpositum Canonicum Varmiensem impetrata, Brunsbergam missa, Principi Episcopo Wydzga exhibita est, qui amplam facultatem dedit, ut publicæ deuotioni exponi possit.



AD CONTINUANDAM HISTORIAM PRUSSIÆ PLACET COROLLARII LOCO APPONERE, QUÆ HABENTUR IN APPENDICE THOMÆ TRETERI CUSTODIS CANONICI VARMIENSIS DE EPISCOPATU ET EPISCOPIS ECCLESIÆ VARMIENSIS.

Simon Rudnicki Episcopus Varmiensis XXV.

TRanslato ad Ecclesiam Vladislauiensem *Petro Tylicio*, Regiâ commendatione accedente, electus à Capitulo *Simon Rudnicki* de Armis Vulpium. Primùm Regni Cancellariæ Regens, Major deinde Secretariuis, Præpositus Posnaniensis, Custos Gnesnensis, Cracouiensis, Varmiensis Canonicus. Nasci illi contigit in *Palatinatu Siradiensi*, qui pridem audit, vt elegans Poëma Trabenta Siradia, inscriptum memorat virtutis natale solum. *Rudniciorum* Domus Orbi non ignota Polono, ibidem floruit, Officijs terrestribus, multi laudabiliter persuncti, multi senatoriâ claruerunt togâ. Vbi primùm per ætatem licuit, domesticâ imbutus disciplinâ, tum in aliqua minori Scholâ prima literarum hauserat elementa, grauiori & solidiori excolendum literaturâ Parentes Cracouiam ablegarunt.

Viuebant eâ tempestate in ea Regni Schola, *Iacobus Gorscius* Canonicus & Archipresbyter Cracouiensis: *Stanislaus Socolouius* Canonicus Crac: S. Floriani Præpositus, *Regis Stephani* Theologus, Viri omnis literaturæ consultissimi, eorum manuductione, ver juuenile *Rudnicius* ita excolebat, vt omnium judicio sanctioris vitæ destinaretur instituto. Annis aliquot Cracouiæ exactis, vltra Alpes, linguarum peritiam acquisiturus perrexit, & in Italiam excurrit, Bononiæq; triennium decenter exegit, studioq; juris Canonici seriò incubuit, etiam per priuata exercitia, stylum ita formabat, vt promptè, eleganter, latinè scriberet ac loqueretur. Ad Aulæ Polonæ theatrum, ac demùm Episcopalis Senatoriæq; dignitatis trabeam, ita se parabat, vt postmodum cum omnium applausu, personam sibi cœlo annuente impositam laudabiliter egerit. Inde Romam abijt; Viuebat eo tempore in Urbe *Stanislaus Hosius* Cardinalis, Varmiensis Episcopus, Ecclesiæ, Reipublicæ Christianæ, valida & præpotens columna: Is Polonus Polonos in Italiam Vrbemq; aduentantes omnibus excipiebat officijs, Ingenium, mores singulorum, quasi ad libram expendebat, indeq; vniuscujusq; futuros metiebatur successus. *Rudnicij* modesta Indoles *Hosio* mirificè placuit, quam ijs occupabat studijs, quæ honorem Episcopalem quandoque ornarent. Præsagire videbatur *Hosius* cùm familiariùs mensâ & colloquio *Rudnicium* dignaretur, eum aliquando in Varmiensi Cathedra nacturum se successorem. Ac cùm jam Doctrina & Ingenium cum ætate *Rudnicij* maturesceret, *Clemens Rudnicius*, *Simonis Patruus*, vnicè desiderabat, per viam Coadjutoriæ in Sacerdotio Gnesnensis Custodiæ, tùm & Vniciouiensis Archidiaconatûs nepotem sibi designari successorem. *Hosij* operâ & patrocinio tandem perfectum, vt hanc adoptionem *Pius V. Pontifex* ratam firmamq; haberet. Redit igitur in Poloniam, collectamq; Integritatis ac doctrinæ in Vrbe famam, in Regiam intulit Aulam. Regnabat tùm in Polonia *Stephanus Rex*, non belli magis quàm pacis artibus celebratus Princeps, Aulam ipsius impleuerant decora Ingenia, *Socolouij*, *Goslicij* Patricij, *Varßauicij*, literis & honoribus famam posthumam promeriti; ijs familiariùs innotescebat *Rudnicius*, ex eorumq; congressu doctior eruditiorq; euadere contendebat, Dignitatem itaq; à *Stephano* in-

Hosio illius mores & Indoles placuerunt.

Coadjutor Gnesnensis Custodiæ factus.

Vu

no inchoatam, à *Sigismundo* auctam ad Infulæq; apicem prouectam, *Rudnicius* est adeptus. *Stephano* è viuis sublato, Regeq; *Sigismundo* succedente, ab eodem impensiùs cœpit æstimari. Inter Secretarios minimè otiosus, Legationibus, Commissionibusq; varijs perfunctus, totq; grauioribus exercitus negotijs. Cùm *Petro Tylicio* collatum fuisset Sigillum minus, ab eodem *Rudnicius* Regens Cancellariæ dictus illam spartam, singulari morum comitate, & promptâ facilitate laudabiliter exornauit, styli elegantiam, continuâ quæsitam lectione, illis negotijs, literis, quæ sub manum veniunt Regentis commendabat, quam etiam externa non improbabant judicia. Triennio in hoc munere versatus, industriæ & meritorum præmium

Secretariŷ major. ad altiora gradum, maiorem Regni Secretariatum Regij censurâ judicii obtinuit. Officium hoc illâ tempestate, inter laboriosa Aulæ reputabatur munia, etiam statuto Regni designata illi, maiorum honorum spes & expectatio. Opimiora etiam accesśere Sacerdotia, Præpositura Posnaniensis & Scholasteria Lanciciensis. His prouisus

AdEpiscopatũVarmiensem euehitur stipendijs, post non longum tempus ad *Varmiensem Cathedram*, Rege promouente, accedente Capitulari electione euehitur, Anno 1604. Consecratus in Conuentu Generali à Nuntio Apostolico Claudio Rangono Episcopo Rhegij. Diutiùs Varsauiæ moratus, tandem ad curas Episcopales commissumq; properauit gregem. Venit ad Ecclesiam sub tempus Quadragesimæ, Dominica Reminiscere, ad implendam boni & probi Pastoris ideam totum se componebat. Ex-

Imitator Hosij & Cromeri. empla Antecessorum *Hosij*, *Cromeri*, reuoluere, ijsq; insistere solicitè contendebat. Occurrebant menti sanctioris notæ Antistites, *Carolus Boromæus*, *Robertus Bellarminus* Cardinales, ex illorum monitis librisq; juris publici, continuò lectis, ad regimen gregis, seq; in eiusdem formam expoliebat. Assumptis in partem laboris, Viris sanctorum Canonum & disciplinæ Ecclesiasticæ gnaris, totam lustrauit Diœcesim, mores & vitam Cleri curatiùs inspiciendo, id effecit, vt Curiones populum sibi subiectum, quasi Operarij irreprehensibiles, non verbo magis, quàm proprio exemplo ad sanctio-

Synodum indicit. rem effingerent vitam. Diœcesanâ visitatione completâ, Synodum Heilsbergæ indixit, Cleroq; Diœcesano ad eam vocato, Sacrosancti Concilij Tridentini sancita, vt in viridem abirent obseruantiam, anxiam intendit curam. Constitutiones Diœcesanas à suis conditas Antecedaneis, reimprimi mandauit, *Breviarij* Diœcesani vsu, vt prisca ferebant tempora, sublato, quod sui Prædecessores adhuc retinuerant, ille Romanum introduxit. *Rituale* circa administrationem *Sacramentorum* reformauit, quod modernus Antistes, vti Romano ritui minimè conforme, ritu Romano vero genuinoq; introducto, abrogari mandauit. Templa, Altaria, consecrare, Cleri ordinationibus vacare, Cathedram circa festa solenniora visere, usitatum illi fuerat. Gratam refert memoriam Altare maius in Ecclesia Cathedrali ab eodem consecratum tabulaq; seu mensa marmorea exornatum. *Heilsbergæ* vbi frequentiùs ob loci commoditatem, annonamq; faciliorem resident Episcopi, templum Parochiale, etiam cælo pluuio pedes adire, diuinisq; interesse offi-

Dotes ac Regimen cijs consueuerat. Nulla prætermissa dies, quin singulari deuotionis sensu Presbyterum sacra facientem audiret, vel ipsemet præmissa exomologesi, tremenda hæc celebraret mysteria. Subditorum querelis pronam dabat aurem. Libellos supplices ipsemet lectitabat: Ius Clero Populoque dixit, cum singulari moderatione, neque

in lon-

in longum trahi sinebat lites, ac parti vtriq; mirificè judicantis placebat æquanimitas. Luxum & fastum omnem domo proscripserat, nihilq; exoticum aut majori sumptu quæsitum patiebatur: Dignitatis nihilominùs Episcopalis & Senatoriæ retinens, eo cultu corporis ad modestiam composito vsus, quem præscribunt Ecclesiæ sancita. Mensæ assidenti codex Sacræ Scripturæ & Historiæ Ecclesiasticæ prælegabatur. Ecclesiam Cathedralem sponsam suam amplis cumulauit donarijs, eidemq; suæ supellectilis non modicam transcripserat portionem, quæ Harpijs Aquilonaribus in prædam cessit, dum à morte ipsius, vt breui dicetur, Ecclesiam, Prouinciam plusquàm barbaricâ deuastârunt rapacitate. Superest adhuc *Rudnicianæ* Liberalitatis monumentum, argentea candelabra sex, crux major argentea, Calix aureus, Infula opere Phrygio gemmis lapidibusque pretiosis distincta; multis alijs eximijs operibus, ad seram posteritatem, nominis sui propagauit memoriam. Ecclesiam Sancti Stanislai, in ruinam pronam deuotioni Polonorum *Heilsbergam* accurrentium, aut ibidem manentium restaurauit. *Wartenburgi* vbi Minoritæ sodales *S. Francisci* Regularis Obseruantiæ à Cardinali *Bathoreo*, introducti, cum Ecclesia illa muro ædificata, testudinem seu concamerationem nullam haberet, eandem & perystilium templo adjacens cocto struxit latere. Ecclesiam Parochialem *Elbingæ S. Nicolai* ad quam missionem PP. Societatis IEsu locauerat *Hosius*, exortâ belli Dantiscani procellâ, in eandem *Elbingenses* ejectis Patribus, rituque Catholico eliminato, Lutheranam hæresim induxerant, Decreti Regij vigore, postliminio vindicauit, reditu Curionem ibidem laborantem prouidit. Ejusdem curâ & solicitudine Regiomonti Catholica Ecclesia ædificata auctaq; prouentu, non sine ingenti Catholicorum commodo, quorum in ea Ciuitate, non infrequens numerus. *Lindam Marianam*, locum Diuæ Virginis Matris, cultu & miraculis celebrem, inualescente hæresi profanatum, & in ruderibus sepultum, *Ioanni Sadorscio* Regio Secretario, è manibus hæreticorum vindicandi, efficax commodauit Patrocinium, sacelliq; adjuuit structuram. Regimontanam Commissionem in Annis 1609. & 1612. ex Decreto Conuentûs Generalis Regni, vnà cum adjunctis ex Senatu & Ordine Equestri, eximiâ prudentiâ & dexteritate perfecit, quæ in Volumine legum Regni exstat impressa. Limites controuersos inter Ducalem Prussiam & Episcopatum, tàm felici complanatione distinxit, vt nihil amplius supersit, quod litem & aliquam posset excitare dissensionem. *Ioannem Sigismundum Electorem Brandeburgicum in Prussia Ducem*, *Heilsbergam* ipso die festo, Sancti *Ioannis Baptistæ* Anno 1612. venientem, cum celebrata humanitatis & hospitalitatis excepit testificatione. Cum Regni thesauro & Prussiæ, circa publicas contributiones, quæ pro libitu asserto numero mansorum exigebantur, populo nimis graues, Regiâ Commissione super mansorum remissione impetratâ sopiuit, totque molestis controuersijs finem imposuit, Regiâ accedente authoritate, vt non nisi ex certo & determinato mansorum numero, Contributiones in thesaurum inferantur. Arces Episcopales vetustate collabentes, *Brunsbergensem*, *Vormditensem*, *Resselìensem*, restaurauit; Cameras aliquas superiores in arce *Heilsbergensi*, abraso antiquo squalore, elegantiùs adornavit. Motu Ciuili in *Polonia* exorto, aliquæ cohortes prædabundæ in *Prussiam* Ducalem & Episcopalem excurrerant, nè rapinis in plebem sæ-

Bona opera.

Zelus in promouenda fide.

Lindam cultu & miraculis B. M. V. celebrem vindicat

Joannem Electorem Brandeburgicum humanissime excepit.

 uirent,

uirent, *Rudnicius* partim positis militaribus seruitijs in Pago *Wuttrinen*, partim ciuilioribus auertit medijs, aliquâ offâ pecuniariâ ijsdem objectâ cohortibus. At longè grauior tempestas totum Regnum, Regalem Episcopalemque inuasit *Prussiam*, militia Regni quæ in *Masouia* Demetrij partibus adhæserat, ab ijsdem retracta, promissâ stipendiorum solutione, tum & ea quæ Regijs auspicijs *Moschos* bello fatigabant, neque subitò repræsentari, aut maturescere poterat solutio, colligatione seu Confœderatione concitatâ totius Regni Oppida, pagos, juris Regij & Ecclesiasticorum, immani rabie, & sanguineâ deuastabat rapacitate. Auctor seu *Mareschalcus* legionum tumultuantium *Zbigneus Silnicki* Brombergæ seu Bidgostiæ, cum selectioribus illius militiæ, fixerat sedem. Tantæ calamitatis portio in *Prussiam* deriuabatur Episcopalem, Oppidani, Agrestes, insolitis pressi exactionibus, sub hac vix spirabant tyrannide. *Rudnicius* tam acerbam populi miseratus sortem, propriâ supellectili, majoris pretij distracta, fundis etiam Episcopalibus, *Paulo V.* Episcopo Maximo annuente oppigneratis, militarem placauit insolenniam, & plebem prouincialem, in quam ingentibus hæc militia debachabatur rapinis, ex tam graui seruitute, hoc redemit lytro. Meretur & hæc *Rudnicij* beneficentia fastis inscribi æternitatis. *Braunsbergæ, & Wormditti* supra triginta juuenes aluit, victum, amictum, tum & alia subministrando necessaria: nec eos duntaxat hâc dignabatur liberalitate, quos nexus sanguinis cum *Rudnicio* nectebat, verùm alij Poloni, *Prutheni* nobiles, etiam ex plebe aliqui, in sortem tantæ admittebantur liberalitatis. Adeò *Rudnicius* pij Antistitis, amantis Ecclesiæ, & Reipub. commoda Senatoris; partes implere contendebat; visu juxta & affectu cunctis venerabilis, ita lubricum hoc viæ iter, inter ambitionis & vitiorum hujus sæculi abrupta, vacuus omni decurrit periculo, vt in ætatis & honorum cursu, nihil in præteritum habeat, excusandum, omnia laudanda. Tandem annis & curis fessus, languere cœpit, & supremâ tentari ægritudine, quæ Medico ipsius familiari, *Sebestiano Szleszkowski*, Viro compertæ in hac facultate peritiæ, Librisq; publici juris famam in Reipub. literatorum adepto, non adeò sontica & periculosa videbatur, quin sanari, valetudoque redintegrari posset; Ille nihilominùs supremam sibi imminere diem, quasi fati præscius euincebat, ad illumque agonem totum se pro more Christiano componebat. Narrauit ipsemet Presbytero, quem arbitrum & moderatorem conscientiæ elegerat, spem vitæ longioris penitus decollare; affirmabatque *Stanislaum pium Presbyterum, Minoritam obseruantem*, ante annum defunctum, in visu nocturno sibi apparuisse, hæcq; locutum verba: *Domine Episcope parâ te ad mortem, ex hoc morbo non euades.* Nec mora curam animumq; ad ea vertit, quæ ipsi ad brauium beatæ æternitatis, expeditum pararent cursum. Protinùs totius vitæ seriem percurrendo, noxas omnes cum ingenti doloris sensu, in sacro pœnitentiæ recensuit tribunali. Sacris omnibus Christianis procuratus, cum magnâ Christianæ pietatis significatione, extremam obitûs sui præstolabatur horam, quæ tandem eum quarto nonas Iulij natum, annos sexaginta nouem, exactis in Episcopatu sexdecim, ex hac mortalitatis euocauit statione, non absque mœrore & luctu totius Prouinciæ. Testamentum condidit benè valens, pro modo peculij, quod non adeò amplum reliquit. Erga Ecclesias, quarum olim reditu sustentabatur, liberalis, familiæ non immemor,

Magno lytro redemit populi calamitatem.

Tandem annis & curis fessus.

Ad mortem se disponit.

Moritur.

Consan-

Consanguineis aliqua legauit donaria, quos nullis coëmptis possessionibus studuit locupletare. Villam hæreditariam *Rzeczyca Municipij Siradien.* Ecclesiæ Collegiatæ Vnieiowien. transcripsit erecto ibidem Canonicatu, quem è domo *Rudniciana* Sanctiorem indutis togam conferendum ordinauit. Ecclesiam *Varmiensem*, ex triente scripsit hæredem, extantq; duo Anniuersaria in hunc vsq; diem opimioris censûs. Tumulum sibi extrui mandauit, ad sinistram partem Aræ majoris, quem Suecorum impia & rapax violauit manus, mortuoque non parcendo, catenulam cum cruce auream, & annulum detraxit. Capitulum *Varmiense*, gratitudinem optimo testificando Præsuli, Altare erexit marmoreum, in quo visitur sculpta *Rudnicij* effigies, genua flectentis ante effigiem Christi Saluatoris è Cruce pendentis, cum hac inscriptione in Altaris tumba.

Suecorum impietas in mortuos.

D. O. M.

Nec non conseruandæ in posteros gratæ memoriæ *Illustrissimi* & *Reuerendissimi Domini Simonis Rudnicki*, ex *Comitibus* de *Bechczyce*, *Episcopi Varmiensis* Beneficentissimi, *Capitulum Varmiense*, Aram hanc posuit, vt hostilem injuriam, priori monumento illatam, suffecto Sacratiori opere vindicaret. Anno M. DC. XXXVII.

In lapide sepulchrali.

D. O. M.

Reuerendissimus Dominus Simon Rudnicki D. G. Episcopus Varmiensis, hîc sepultus est: Obijt *Heilsbergæ* Anno Domini M. DC. XXI. Die 4. Julij, ætatis suæ Anno LXIX. Deus animæ illius sit clemens & propitius. Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccl.* 12. Executores Testamenti & Hæredes posuêre, Vitam *Rudnicij*, accuratiùs connotauit *Ioannes Riuocius* Societatis Jesu, ex ea aliqua libauimus, interim ad alia calamum vertimus, præmissis Carminibus Magni Senatoris.

Dictis & factis indefessoq; labore
Commissas benè pascit Oues. Brandeburgica Feuda
Concinnat Regis jussu; tutatur egenos,
Ære juuans proprio; moritur prouectus in annis.

REgio thalamo sobolescente, hæc cura exercuit *Sigismundum III.* & *Constantiam Reginam*, vt honori Sacerdotij & sanctioris vitæ sorti, *Ioannem Albertum Poloniæ & Sueciæ* principem destinarent. Vacabat Episcopatus Varmiensis à morte *Rudnicij*, ad eum *Ioannes Albertus* annorum tredecim Iuuenis promotus, intermissâ etiam Canonicatûs prouisione, quæ ne à Capitulo vrgeretur *Gregorij XV.* interuenit mandatum, tantiq; Regis Filium, ab hac lege & consuetudine absoluit; Electio nihilominùs integra mansit, Regiæq; commendationi vota & suffragia capitulum detulit. Administratio Episcopatûs, cùm per ætatem, muneri huic esset impar, à *Gregorio XV.* indulta in eamq; rem, Sacrum expeditum diploma. Additus à Sede Apostolicâ Coadministrator *Michaël Dzialynski*, Episcopus Hipponensis Suffraganeus Varmiensis, Camenecensis deinde Episcopus & Abbas Mogilnensis. Accessêre grauiorum negotiorum Arbitri *Iacobus Wierzbięnta Boruchouius* Archidiaconus Varsauiensis Scholasticus Lanciciensis, qui obijt Regni Referendarius. *Paulus Piasecius* Canonicus Varsauiensis, qui decessit Episcopus Præmysliensis, & Abbatiæ Claræ tumbæ Administrator scriptis in Orbe literato clarissimus. Vix Administrationem Episcopatûs capessit *Ioannes Albertus*, ab A-

Ioannes Albertus Poloniæ & Sueciæ Princeps Episcopatus Varmiensis Administrator.

ab Aquilone atrox belli tempestas, Episcopatum inuasit Varmiensem. *Gustauus Adolphus*, *Caroli Sudermaniæ* Principis filius, qui *Sigismundum* regno excluserat, illudq; ad se suamq; traxerat stirpem, non nisi vano titulo *Sigismundo* relicto, parenti vitâ functo successit; Erat hic Princeps Martiæ & præliaris indolis (demptâ armorum justitiâ) Cumq; euulgarentur arcana *Sigismundi* consilia, de Regno Sueciæ, ab iniquo vindicando possessore, præuenire quàm præueniri satiùs existimauit. Liuoniam juris Polonici Prouinciam, armis & bellicâ fortitudine *Stephani Regis* Moscho ademptam, mari Balthico adjacentem, cum viginti quatuor millium exercitu, nullâ præmissa clarigatione occupauit; vsus eâ temporis opportunitate, dum *Poloni* graui ac periculoso impliciti bello, de summa rerum cum *Osmano Turcarum Imperatore* dimicarent. *Rigam* primariam Ciuitatem, proditione Ciuium traditam cepit, cæteræ Arces tantæ impares potentiæ, Rigensem sequutæ deditionem. *Linoniâ* occupatâ præsidijsque infessâ, belli in *Prussiam* transferendi agitabat consilia, quæ ita tecta occultaq; fuêre, vt non nisi classe *Sueticâ*, in mari comparente innotescerent. Diebus Julij Anno 1626. cum triginta nauibus, portum Pilauiensem, nemine resistente, & arma opponente intrauit: ej⁹ loci Præfectus officioso tormentorum disploforum fumo, hospitem non hostem aduenientem salutauit, lautoq; ac liberali tractauit epulo. Locum illum *Suecus* suo firmauit præsidio, Electorali dimisso. Nec diu moratus, sinum maris Balthici *Habum*, *Frischhaff* dictum quem à mari *Neringa* peninsula diuidit, cum suâ Classe inuasit; ipse ad propinquum vicinumq; Habo Castrum, Brandeburgum deflexit, vbi perhumaniter & honorificè exceptus, belli necessaria incredibili celeritate, eidem suppeditata, quasi in antecessum prouisa promptè satis alacriterque Ducalibus ministris hæc procurantibus. Equi quingenti subitò conquisiti, cum nonnisi pedites sex mille, vt scribit *Piasecius* fossoribus magis quàm bellatoribus similes secum adduxerit. Octauâ Julij ex Habo, cui fluuius *Passeria* propè *Braunsbergam* miscetur, ad littus ejusdem fluuij, militem in continentem eduxit, moxq; *Braunsbergam* primariam Episcopatûs Varmiensis Ciuitatem aggressus, omni munitione vacuam, Magistratu, & Ciuibus, terrore insperato consternatis ad deditionem coêgit. *Frauenburgum* vbi Ecclesia *Cathedralis Varmiensis* & Canonicis ab antiquo residere mos est, vno lapide à *Braunsberga* distans, vehementer exterruit, Classis *Habum* nauigans, tùm Nuntius captæ *Braunsbergæ*; Canonicorumq; circa Ecclesiam residentium pro tunc non infrequens erat numerus. In tantis angustijs, nullum aderat auxilium consiliumque; Ad deportandam Ecclesiasticam supellectilem metu hostili confusi subditi, officium subuectionis recusabant aut denegabant; Modicum quid ex hac supellectili. (parte illius potiori relictâ) *Allensteinium* ægrè auectum; Canonici hostilitatem declinando, ad tutiora recesserant, aliqui in Poloniam abierant, nonnulli in Episcopatu circa confinia morabantur. *Henricus Hindenbergius* Cantor Varmiensis receperat se mansurum circa templi custodiam, prout mansit, cum ducentis peditibus, ad militaria seruitia, juxta morem Prouinciæ obligatis. *Gustauo Braunsbergæ* hærente, *Hindenbergius* ad illum excurrit, deditionem Castri spontaneam (vbi Ecclesia Cathedralis) offerebat, modò Ecclesia militati rapinâ, edicto seueriori Regis posset conseruari. Hanc im̄unitatem *Gustauus* non grauatim spondebat promittebatque. At vbi *Gustauus* venit ad portam Castri, *Hindenbergius* frustra fidem datam

Gustauus Liuoniam invadit.

Braunsbergam occupat.

tam implorabat, portâ clausâ Regem intromittere, nisi de promissa caueret securitate, nolebat: sed irruentes *Sueci*, rejecto *Hindenbergio*, in Basilicam Cathedralem irruperunt, & quidquid Sacræ remanserat supellectilis abstulerunt. Mortuorum sepulchris non parsum, *Simonis Rudnicij* Episcopi tumulum expilarunt, mortuoq; Episcopalia ablata insignia; Sacrum panem Eucharisticum ex argentea arculâ, super templi pauimentum projectum & dispersum; *Gustauus*, sine horrore spectauit vocatoq; *Hindenbergio* irrisit illusitq;. Supellex omnis Ecclesiastica, organorum elegantior structura, tabulæ altarium, ipsaq; altaria ad *Sueticas* deportata naues, & in *Sueciam* auecta, campanæ majores itidem ablatæ, vnaq; cum naui mari absorptæ. Ipsemet etiam *Hindenbergius* in *Sueticam* tractus captiuitatem, ex quâ non leui redemptus pretio, libertatem tandem nactus, ærumnis confectus non diu superuixit. *Frauenburgum* eo tempore à *Suecis* incensum, ferè totum in fauillas & cineres abijt. *Wormdittum*, ab excurrentibus in Episcopatum Suecis occupatum, præsidiumq; ibi militare locatum. Parochiæ, Pagi, insolitis pressi oneribus, ingensq; ex hac rapinâ summa pecuniæ corrasa; serpebat vlteriùs per Prouinciam hæc rabies hostilis, Melsaccum Capitulare oppidum, direptum & incensum, arxque Capitularis ibidem exusta. Vltimis Julij diebus *Wormditto Sueci* exurrentes, *Gudstadium*, Ciuibus arcendæ hostilitati prorsus imparibus, inuaserunt, Canonici illius Collegiatæ ad famam propinquæ hostilitatis, tempestiuè recesserant, & securitati consuluerant. Collegium seu domus, in quâ Canonici resident, adjacens Ecclesiæ, ita direpta expilataque, vt vix parietes aut muri non diruti remanserint; In oppido relictum Sueticum præsidium, quod *Wormditti* & *Gudstadij* non diu substitit. Superuenit cum *Polonis* Cohortibus, *Martinus Kazanouius* Castellanus Halicienfis veteranus Tribunus, (qui Palatinus Podoliæ & campestris militiæ obijt Præfectus) à *Stanislao Koniecpolio* Palatino Sendomiriensis, Supremo exercituum Generali, (qui Dersauiam obsidebat) in Prussiam missus Episcopalem, ex illis locis hostes ejecit, prædasq; & rapinas, aliquantisper coërcuit. Verùm iterùm *Wormdittum* in Anno 1627. à Suecis interceptum, ob ignauiam *Vladislai Lipnicki*, & *Henrici Leschwangi*, qui imperiti præsidiarij, locum illum Suecis prodiderunt. *Allensteinium*, Dominij Capitularis Oppidum, eodem tempore Sueci tentârunt inuadere, à Ciuibus rejecti constanter, in pagos Capitulares & plebem agrestem furorem effuderunt. Tam atrox hostilitas Prussiam Episcopalem, ad Annum 1629. vehementiùs diuexauit, quò tandem induciæ ad pagum *Altemark Christiburgensis* Præfecturæ, ad Annum 1635. inter *Polonos* & *Suecos* conclusæ aliquid respirij, laceræ totq; aduersis fatigatæ toti indulserunt Prussiæ. *Wormdittum*, *Gudstadium*, deductis præsidijs hostilibus, libertati, veteriq; Dominio restitutum; *Braunsbergam*, *Frauenburgum*, Suecus vsq; ad Annum 1635. retinuit. Eo nihilomninùs tempore tam iniquo in Anno 1627. *Gudstadij* in Ecclesia Collegiata, Synodum Diœcesanam congregauit, *Michaël Dzialynski*, Coadministrator, pro *Ioanne Alberto* Principe, quæ ab eodem approbata exstat impressa. Societas JESU *Braunsbergâ* exacta, aliud domicilium, in Prouincia quæsiuit, *Resselium* liberalitate domûs Regiæ, introducta, templum & monasterium ab Eremitis S. Augustini, olim ad Saxoniæ Prouinciam spectans, tùm desertum, accedente consensu *Ioannis Alberti* Principis, eidem societati traditum. Post talia nubila, bellicosq; fragores, quietiùs agebat

Mortuorum sepulchris non parsum.

Sed nec Eucharistiæ sanctæ.

Supellex Ecclesiastica in Sueciam deportata.

Etiam campanæ.

Frauenburgum combustum.

Melsaccum similiter.

Gudstadium expilatum.

Milites Poloni superueniunt.

Hostes ejiciunt.

Iterùm Vormdittum à Suecis occupatur.

Allensteinium se defendit.

Induciæ factæ.

Synodus Prouincialis celebratur.

Iesuitæ pulsi Braunsberga, Resselium introducti.

bat Prussia Episcopalis, quam vti superiùs innuimus, per Coadministratorem gubernabat *Ioannes Albertus*, neque ipsemet, sponsam aut Episcopatum inuisit. Demùm è viuis abeunte *Andrea Lipski* de armis Grabie, Epicopo Cracauiensi eidem à Rege designatus Successor, Varmiensi dimissâ ad illam Cathedram fecit gradum, ibidemq; in Basilica Cathedrali Cracouiensi Romanæ purpuræ insignia Anno 1633. recepit; Verùm hæc & vlteriora, nè videamur extra oleas ferri, alijs connotanda relinquamus. Donaria *Ioannis Alberti* visuntur in Ecclesia Varmiensi albi & rubri coloris Sacerdotum & Ministrorum vestiarius cultus, Augusti splendoris ex telâ sericeâ aureis intertexta floribus, etiam pallia majoris altaris, quæ gratam tanti Principis referunt memoriam. Erat & aurea statua S. Andreæ Apostoli, de quâ dicetur infra. Huic Magnus Noster Senator ita cecinit.

Ostendunt terris hunc tantùm fata, nec vltra
Esse sinunt, magno magnorum Sanguine Regum
Austriadumq; satus; Patauina extinctus in Vrbe,
Vix oritur, moritur, sub primo flore juuentæ.

Nicolaus Szyszkowski Episcopus Varmiensis.

SAnè in procliui est ijs ad summum eluctari culmen, quos fautores gradus, dignationisq; altioris, necessitudine sanguinis juncti humo leuant, ad eamq; manuducunt viam, per quam spargitur lux. Hæc sors contigit *Nicolao Szizkouio* gente Ostroio: A teneris eum fouit, educauit *Martinus Szizkowski* Luceoriensis, Plocensis, demùm Cracouiensis Episcopus. Prælatus magnorum in Ecclesia & Republica meritorum. Domi primùm etiam extra fines Regni Italicâ peregrinatione ingenium excoluit, reducem Patruus opimioribus auxit Sacerdotijs Pultouien. Præpositurâ, Cracouiensi, Plocensi Canonicatu; ad Abbatiam Czeruinensem non spernendi reditus, eundem promouit, etiam Majori Secretariatu, vt *Sigismundus Rex* cohonestaret, apud quem *Szizkouius* pollebat gratiâ, non difficulter impetrauit. Eundem Patruus tabulis vltimæ voluntatis ex asse amplissimi peculij scripsit hæredem, adiectâ eâ obligatione, vt in pago *Borkow* natali & hæreditario *Szizkouiorum*, vnâ Leucâ distanti *Calissio*, in Gnesnensi Archidiœcesi, Ecclesiam ex muro ædificaret, eandemq; dotaret, quam conditionem morte præuentus non adimpleuit. Supra nouennium & ampliùs Secretarius Major, prudentia & integritate eam collegit existimationem, vt minimè otiosum illâ tempestate officium Secretarij, laudabili gesserit dexteritate. Probabat *Sigismundus*, etiam *Vladislaus* in throno successor, majorum capacem genium, altioriq; in Ecclesia & Republicâ honori destinabant. Orba erat, & sine Pastore Ecclesia Varmiensis, post translationem ad Cracouieñ. *Ioannis Alberti* Cardinalis Poloniæ & Sueciæ Principis. Perfecit válida & ponderosa commendatio, *Vladislai Regis*, vt *Szizkouius* juxta morem Ecclesiæ concordibus Capituli votis, electus fuerit Episcopus, & ab *Vrbano VIII.* qui tùm rei præerat Christianæ, confirmaretur. Venit in Prouinciam, quam laceram, rapinis exhaustam inuenit; omnem proinde operam dedit, ut tot ærumnis concussa Prouincia, aliquo posset recreari solatio: & hoc breui ex integro affulsit, cùm in Anno 1635. ante Septenium factæ induciæ inter *Suecos* & *Polonos*, Gallicâ, & Anglicâ mediatione accedente, exspirarent: Rexq; *Vladislaus Moscho* ad petendam pacem adacto, victricia in Prussiam arma transferret. Aliqua fruebatur quiete Prussia Episcopalis,

&

& interim rapinis prædisq; exhausta manebat in tranquillo. Belli apparatum contra Suecos summo feruore *Vladislaus* moliebatur. *Stanislaus Koniecpolius* Castellanus Cracouiensis, Supremus Exercituum Præfectus, Polonas legiones, quæ cum Abasi Bassa ad Camenecum, rem prospere gesserant in *Prussiam* traduxerat, verùm interpositio Regum, Galliæ, Angliæ, tùm & fœderatorum Belgij Ordinum acies has diremit, pactisque firmatis ad Annos 26. ablata omni à Suecisq; deoccupata, Sueticis præsidijs abductis, in Regia & Episcopali Prussia restituta, veteriq; tradita Dominio. Aduentum ad Cathedram distulerat *Szijzkouius*, in Annum 1636. neq; enim hostilibus præsidijs *Frauenburgi*, *Braunsbergæ* locatis, licebat expediebatq; visere Sponsam: ad quam venit in peruigilio festiuitatis SS. Omnium, salutauit eum nomine Collegij, *Albertus Rudnicius* Præpositus Varmiensis, Gnesnensis Canonicus. Ita jam pacato, & ad sensum tranquillitatis composito Episcopatu, Ecclesia Cathedralis, omni decore, & ornamento spoliata, hæreticorum impiâ & sacrilegâ barbarie profanata, ad pristinum redijt ritum. Nonnisi bina superant altaria, majus *Lucæ* de *Allenstein* Episcopi sumptu pro more antiquo erectum, & alterum Decani, quod *Fabianus Konopacius* Decanus Varmiensis, Posnaniensis Canonicus Gnesnensis erigi curauerat. *Szijzkouius* omnem curam, conatumque vertit, ad Ecclesiam exornandam, pegma Pani Eucharistico reponendo, decens fieri, curauit: Vrnas binas argenteas, majorem & minorem pro conseruando eodem pane comparauit. Et cùm in Diœcesi, omnes ferè Ecclesiæ à Suecis expilatæ, pro pane Angelorum recondendo, arculas ægrè possent comparare, sanctior *Szijzkouij* liberalitas, hanc Sacram Curatis distribuit supellectilem. Locum in *Springborg*, seu ad fontes Diuæ Virgini Matri dicatum, ab antiquo miraculis clarum, voto concepto, ob Prussiam Episcopalem pacificatam, temploè Lateribus ædificato exornauit, ibidemq; Sodales S. Francisci Minoritas Obseruantes introduxit. Societatem JESV *Reßelij* Domûs Regiæ beneficentia fundatam, benignè, & liberaliter fouit, eandemq; perpetuo prouidit censu, cum ea obligatione, vt per Prussiam Episcopalem Missiones frequentarentur, plebemq; vrbanam & villanam fidei Catholicæ docerent rudimenta, ex societate Presbyteri. Erga *S. Franciscum Xauerium*, qui Indiarum audit Apostolus, mirè deuotus, etiam in remotum illum tractum, liberalem extendit manum, aureum Calicem Goam misit, vbi Diui hujus mortalitatis quiescit depositum. Amabat decorem domûs DEI, & in hunc vsq; diem, in Ecclesia Varmiensi, beneficæ voluntatis ejusdem indicia visuntur. Exstat ferculum majus pro pane Angelorum, & effigies Diuæ Virginis Matris ex argento solido justi pretij & ponderis; Vestes Sacræ non minoris sumptus. Episcopatum rexit cum eâ prudentiâ, cujus in hunc vsq; diem, grata viget recordatio; Clero, subditis clemens, etiam vbi erat opus, seuerus. Ad Conuentus Regni Generales identidem excurrebat, terrarumq; Prussiæ non omittebat. Famulitium aluit decorum, splendidusque fuit in pannis Omninò nihil eorum intermisit, quæ probi Antistitis, amantis bonum publicum Senatoris requirebat officium, sedit in hac Cathedra propè annos tredecim, cùm morbus ab atrâ bile, Hypochondriam Medici vocant, eundem corripuit, adeò pertinax, vt omnem eluserit Medicorum industriam: accessit Lethargus, quo inualescente die Septima Februarij, Sacris procuratus Christianis mortalitatem expleuit. Testamentum nullum

Sedit in Cathedra propè Annos XIII, Moritur.

lum condidit, totaque hæreditas deuoluebatur ad Capitulum. Nihilominùs interueniente *Vladislao IV. Fratri Germano Martino Szyszkouio*, olim bonorum Spytkowice hæredi, tum & Patrueli Petro Castellano Woynicienfi, alijsq; Sanguine junctis, non minorem relicti peculij partem Capitulum repræsentauit. Elato pro funere in Ecclesia Cathedrali, sermonem & Epitaphium dixit, Ludouicus *Scrobkouicius* ex Sodalitio Minorum, qui vocantur obseruantes, meritò inter decora recensendus ingenia, olim *Martini Szyszkouij, Andreæ Lipscij*, Episcoporum Cracouiensium, literarum scriptor, ab iisdem, opimioribus auctus Sacerdotijs, ijsq; dimissis huic religiosæ se aggregauerat familiæ, in qua disertus, eruditusq; audijt Ecclesiastes. Cæterùm nomen *Szyszkouiorum*, totaq; domus extincta, non diù ijs fulsit splendoribus, quos honor Sacerdotij, tanquam potentiæ firmamentum in Equestrem congesserat Familiam. Ea sors versat omnia prospera, vt cùm ad summum peruenerint, incremento non relinquant locum; veriùsq; scriptura, omnis potentatus vita breuis. Erexit ad dextram Majoris, Altare *S. Caroli Boromæi* & *Sanctæ Rosaliæ*. Cujus & tumuli hæc inscriptio.

In Altaris Tumba.

DEO OPT: MAX:

Diuisque publicæ Sospitatis Tutelaribus, *Carolo Boromæo* & *Rosaliæ Virgini* Prouinciâ & Episcopatu Varmiensi à peste liberato, voti reus & in posterum beneficio fidens, Aram hanc perpetuæ gratitudinis & venerationis pignus, *Nicolaus Szyszkowski* Episcopus Varmiensis, Anno Domini M. DC. XL. XVIII. Kal. Octobris erexit & dotauit.

In lapide Sepulchrali.

D. O. M.

Nicolaus Szyßkowski Episcopus Varmien: hîc quiescit. Tu qui legis, Nouissima cogitans, peccatorum ejus veniam à DEO exposce. Vixit annos LIV. obijt *Heilsbergæ* die VII. Februarij Anno Christi M.DC.XLIII. *Noster verò Senator sic de illo scripsit:*

Eheu quàm raro respondent ultima primis.
Omnibus excultus fortunæ, animiq; talentis,
Vrbanus, largus, prudens, generosus; at ecce
Fit similis puero, tetricus, lucemq; perosus.

Ioannes Carolus Konopacki, Electo Episcopus Varmiensis XXVIII.

INter *Pruthenorum* veteres domos, *Konopaciorum* non postrema ab antiquo censebatur. Eorum aborigines in hac Prouinciâ, Palatinorum, Castellanorum curulibus, etiam sanctioris potestatis splenduerunt Infulis. Ex hac prodijt stirpe *Ioannes Carolus*, Mathiæ Culmensis Palatini, & Elisabethæ *Dulsciæ* Filiæ *Ioannis Dulski*, Regni Thesaurarij Filius. Parens *Mathias* Vxore præmortua, à *Sigismundo III.* ad Culmen. euectus Cathedram: Cui laudabiliter, aliquot præfuit annis, ac tandem fatis, Culmseæ, in Ecclesia Cathedrali tumulatus. Eius parentis filius *Ioannes Carolus*, repetitis per Europam peregrinationibus, ingenium excoluit, ciuilemque collegit prudentiam. In Aula *Sigismundi III.* etiam cum dispendio patrimonij satis diu meruit, nec nisi *Dibouiensem* Præfecturam non adeò ampli Censûs, pro tot annorum sumptuoso seruitio, quasi præmium obtinuit. In vlteriori tandem ætatis flexu, & major quinquagenario, aulicæ vitæ pertæsus, sanctiorem induit togam, & à *Vladislao Rege* post ascensum *Ioannis Lipski Ladicij ad Culmen.* Cathedram, eidem *Wachocen. Abbatia* collata. Abituriebat extra Regnum *Ioannes Ca-*

nes Casimirus Poloniæ Princeps, eidem in Italiam, Genuam, indeque maritimo itinere, Hispanias visere agitanti, veteranus in Aulâ Regiâ *Konopacius*, comitem se viæ offert, adjungitque. Iter hoc improsperè cessit, Principem momorabili aduersorum inuoluit serie; neq; ab hac sorte immunis *Konopacius*. Nondum triremis Massiliam peruenerat, quæ *Ioannem Casimirum* Principem, ejusque vehebat famulitium, *Ioannes Godofredus* Massilian. prodit, euulgatq; Magistratui, Principem Poloniæ Massiliam intra biduum venturum. Vbi jam detentionis coquebantur consilia, *Champignio*, Gubernatore Prouinciæ satagente, vt ea deuenirent ad executionem. Nonnulli ex familiaribus Principis præsenserant hoc arcanum, circa detentionem Principis, etiam forensi plebi non incompertum: Cumque de hoc præmonitus fuisset Princeps, cymbam conscendens ad triremem peruenit, quam intrando, tutam, omniq; vacuam periculo sperabat nauigationem. Vix triremis sex Leucarum emensa erat iter, & ad portum Gallici juris *Iour* de *boue* Gallicè dictum peruenerat, ac propè vicinum eidem portui *Castellum Martegues*, jactis anchoris triremis substiterat, primùm triremis illius Nauarchus, in continentem euocatur & detinetur. Hæc vbi Princeps intellexit, mittit *Konopacium* ad Castellanum, expostulatum, cur tàm inciuiliter, amicæ & fœderatæ Ciuitatis, triremis & Nauarchus detinetur? neque vltrà nauale hoc iter liceret continuare. Surdis auribus excepta *Konopacij* requisitio, quinimò, ipsemet retentus, nec permissum illi ad Principem regredi. Non mitior sors parabatur *Ioanni Casimiro*, qui si in continentem descendere nollet, tormenta triremem quassatura fuerunt disposita. Inuitus ergò & minis magis, quàm precibus ex triremi coactus egredi, ad supra memoratum deducitur Castellum, inde sub militari custodiâ *Salonam*, *Cisteronem*, deductus, arctiùsque detentus, quâ ciuilitate & quibus humanitatis officijs, in illa detentione Princeps mactabatur, an honorabatur, qualiterq; sit libertati restitutus, ab alijs denarratum; Nos *Konopacij* vitam prosequimur. Porrò in illa vicissitudine, *Konopacius*, Principem non deserebat, nec à latere ejus discedebat, donec Aulæ Gallicæ mandato, *Parisios* migrare jussus, vbi annum integrum scenæ hujus tristioris, lætum aliquem præstolabatur Epilogum: quæ cùm in longum traheretur, redijt in Poloniam *Konopacius* & in Wachoceñ. morabatur Abbatiâ. Aulam subindè reuisebat Regiam, quæ rem augustiorem, totque meritotum Prælatum, non dubiâ opimioris Sacerdotij spe, solabatnr. Redierat jam ex hac Gallica detentione *Ioannes Casimirus* Princeps, qui Comitem, consortemque ærumnarum suarum *Konopacium* Fratri *Regi Vladislao* impensiùs commendabat Cesserat fatis sub id tempus Iacobus *Zadzik* Episcopus Kracouiensis, ob eximia in Ecclesiam, & Rempub. merita, fastis inscriptus æternitatis. Designauerat eidem successorem *Vladislaus Rex*, *Petrum Gembicium* Episcopum Præmysliensem, Supremum Regni Cancellarium, Abbatiæ Tynecensis Administratorem: quæ Abbatia tum vacans cessit *Konopacio*, reditûs luculenti: rationibus ipsius interim optimè consultum, donec gradum & censum majorem aula destinaret. Neque diu erat expectandum. In Anno 1643. abijt è vita *Nicolaus Szyszkowski* Episcopus Varmiensis. Ad eam Cathedram *Pruthenum* Indigenam, moribus suauem, vitâ integerrimum, prudentiâ & doctrinâ insignem, promouit *Vladislaus IV*. Capitulum vnanimi elegit consensu. Procurabat in Vr-

be Sa-

be Sacrorum diplomatum expeditionem, quæ priusquàm vltrà alpes peruenirent, *Konopacius* febri maligna correptus, vltimis diebus Decembr. Anno 1643. in Abbatia Tynecensi major sexagenario, mortalitatem expleuit, cum magna Christianæ pietatis significatione. Diu satis mansit insepultus, etiam Fratre germano remissiùs supremum curante officium. Exile satis & tenue reliquit peculium, hocq; forsan causauit, neglectum, an dilationem sepulturæ. Demùm cùm *Vladislaus Rex Cæciliæ renatæ Vilnæ* magno cum omnium dolore vitâ functæ, in Basilica Cathedrali Cracouiensi, justa persolueret, *Georgius Ossolinius* Supremus Regni Cancellarius, pro ea necessitudine amicitiæ, quæ illi cum defuncto constans intercedebat, eundem tumulari curauit, in Ecclesia illius Abbatiæ Religiosorum S. Benedicti. *Simon Starowolscius* spectatæ integritatis & doctrinæ, Polyhistor Sarmaticus, sermonem funebrem scripsit *Konopacio*, qui in opere Concionum illius exstat impressus, pro comperto affirmat, nonnisi aureum unum ab obitu *Konopacij*, in arcula secretiori repertum. Profectò palàm erat omnibus, illum erogandi magis, quàm corradendi denarij artem calluisse.

Comis, linguarum gnarus, morumque; peritus;
Splendidus, & cunctis Regali gratus in aula.
Consensu obtento Româ, dum gestit adire
Heilsbergam; in Claustro Tynecensi è corpore migrat.

Venceslaus Comes de Lesno Lesczczynski, Episcopus Varmiensis.

COæua Religioni & Regno, Comitum de Leszno Domus, ex *Bohemia* in *Poloniam* migrauit. Constans majorum habet traditio, in Comitatu *Dambrowsca*, filiæ *Boleslai* Bohemorum Principis, *Mieczislai* primi *Polonorum* Christiani Principis Coniugis, *Nobilem Persltinium*, venisse in Poloniam, familiæq; *Lesczynsiorum* fuisse authorem. Quæsitæ ab eodem posterisq; eius amplæ circa fines Silesiæ possessiones, & nunc haud interruptâ serie, eiusdem Illustrissimæ Domûs, longa & auita præferentis decora, sunt hæreditas. Vidit parentum & nostra ætas; quod raræ dixerim felicitatis: quatuor Cancellarios, Ciuili prudentia eminentes, & Patriæ commodis vnicè intentos. Cæteros heroas recensere non mihi in procliui, quorum nomina, in Ecclesiam, & Rempubl. merita, viuunt, perennantq; in seræ posteritatis memoriâ. Graphicè satis & felici venâ hæc complexus *Samuel Tuardouius*, in suo pòëmate, cui titulus: *Palatium Lesnense*, linguâ vernaculâ, juris publici facto, inscriptoq; *Boguslao* Comiti in *Lesno*, maioris Poloniæ Generali, pòst Supremo Regni Thesaurario, demùm Regni Pro-Cancellario, ad quem Lectorem remittimus. Ex his ortus Majoribus *Venceslaus Comes* de *Lesno*, editus in hanc lucem Anno supra Millesimum, sexcentesimo quinto, Augusti decimâ quintâ, qui dies Diuæ Virgini Matri ad cœlos assumptæ sacer. Geminos omine felici contigit nasci. Prior & quasi Maior natu *Præclaus*, qui Sremensis Castellanus, deinde Palatinus Derpatensis, Capitaneus *Wschouen.* seu *Frawstadiensis*, quadriennio à morte *Venceslai* obijt: Cùm *Venceslaus* secundo genitus & quasi junior è vita prior migrauerit. Pater erat *Andreas Comes* in *Lesno*, Palatinus Brestensis Cuiauiæ, Naclensis Capitaneus, qui illâ tempestate hæreticorum fuit Antesignanus, & qui in Pseudosynodo Hæreticorum Thorunen. 1595. congregata, seueriorіq; edicto Regio improbatâ, quasi caput & præses, illius audiuit conciliabuli, prout ex Actis ejusdem constat impressis: obijtq; in Anno 1606. Caluinismi per-

mi pertinax extra gremium Ecclesiæ. Mater erat *Sophia* de *Bnin* Opalenia, *Ioannis* Castellani Rogoznen. filia, germana *Petri* & *Ioannis* Palatinorum Posnaniensium, continuato succedentium ordine, soror Patruelis *Andreæ Posnaniensis Episcopi*, *Lucæ* Supremi Regni Poloniæ Marschalci, fœmina prisci moris, religionis Orthodoxæ, zelo, pietate, sanctioris æui non impar Matronis. Orba marito in ipso flore ætatis, omnem curam conatumq; vertit, ad prolem in fide Catholica educandam. Erat frater major *Raphaël*, qui Castellanus Vislicensis post Belzensis fuit Palatinus, prioris Conjugis *Firleæ* Filiæ *Castellani* Lublinen. à teneris dogmate Caluiniano innutritus, ejusdem, ingens fautor: is tutelam sibi naturalem arrogans, omni studio contendebat, *Ioannem* natu majorem; qui Supremus Regni Cancellarius, tandem Palatinus obijt Cracouiensis, hosq; altè memoratos geminos, à maternâ abstrahere educatione, & heterodoxâ Caluini imbuere sectâ. Fatigabat forensi strepitu optimam Matrem, oppidoq; anxiam & sollicitam circa institutionem in fide Catholica. Animo, subitis casibus maiore, ex illis litium euasit molestijs, fratribus *Opalenijs* auxilium, consilium suggerentibus. Vernantes ætatis Annos, in Posnaniensi Societatis JESU Gymnasio, humaniori excoli literaturâ Mater curauit, & ne vis aliqua *Venceslaum* ad Hæreticam abstraheret Scholam, in Monasterio Sodalium *S. Francisci* de *Obseruantia*, Scholis Societatis vicino, prouidit domicilium, & mensam. Maturiorem in *Germaniam*, *Italiam* expediuit, adjuncto parastatâ, comiteq; itineris, *Ioanne* de *Zalesie Baykovio*, Canonico Posnaniensi, pòst Episcopo Ennensi, Suffraganeo Posnaniensi, integerrimi moris, compertæq; virtutis Prælato. Germaniâ Italiaq; lustratâ, etiam grauioribus eruditus studijs redijt in *Poloniam*, indutus sanctiorem togam, in Aula comparuit Regiâ, ac in censum Secretariorum, à *Sigismundo III.* transcriptus. Viuebant in aula & orbe Polono, magna nomina, cum quibus propinquior sangvinis nexus intercedebat *Lesczynio*, ejus Patruus *Venceslaus Comes* de *Leßno* Supremus Regni Cancellarius, majoris Poloniæ Generalis; *Nicolaus* de *Podbaice Wolski* Supremus Regni Poloniæ Marschalcus, *Lucas Opalenski* Curiæ Regni Marschalcus, qui fauore, gratiaq; apud *Sigismundum Regem* pollebant: Hinc pronum erat *Leßczynio*, ad aliquem opimioris fortunæ assurgere gradum, tantis attollentibus Patronis. A viuente *Sigismundo* nihil præter spem obtinuit, sumptuq; indigens, aulicum seruitium domesticis sustentabat impensis. Quasi de industriâ cælitus reseruata fuisset, aucta, consummataq; ejus dignitas *Vladislao IV.* Neque longum abijt tempus, cùm *Sigismundus III.* ob mortem *Constantiæ Reginæ*, mœrore & ætate languidus, catarrho extinguitur. Assumitur ad Thronum, magno totius Regni applausu *Vladislaus IV.* Patruelem *Venceslai*, *Andream*, qui Episcopus Culmensis & Cancellarius Regni, demum Gnesnen. obijt Archiepiscopus, Abbatiâ Prementensi tum vacante prouidit, à quo bina dimissa Sacerdotia, Canonicatum Cracouiensem, Præposituram Lancicien. contulit *Leßczynio*, hoc liberaliori fultus stipendio, in aula mansit aliquantisper. Excurrerat tum in Italiam *Lucas Opalenius* Supremus Regni Poloniæ Marschalcus, cui se comitem adjungit *Leßczynius*. Porrò illo in Poloniam redeunte, *Leßczynius* abijt in Galliam, vbi supra biennium commoratus, linguæ Gallicæ, ad elegantiam redijt gnarus. Sacerdotio in Metropolitana Gnesnen. Ecclesia initiatus, cujus postmodum fuit sponsus & Archiepiscopus. Aulam

Xx subin-

subindè visebat Cracouiæ frequens morabatur. Iudex illius sacri Collegij ad tribunal deputatus, eam functionem, cum eximiâ integritatis obiuit commendatione, & in Anno 1643. eandem exercebat functionem. Vacabat tum in Aula Referendariatus Regni post ascensum *Alexandri Trzebinij*, ad Episcopatum Præmysliensem & Procancellariatum Regni. Multi in Aulâ præsentes ad illud officium spe, & votis aspirabant. Absentis *Leßczynij* egêre causam *Gaspar Comes à Dönhoff* Palatinus Siradiensis, *Lucas Opalenius* Supremus Regni Marschalcus; effecerûntque vt Regni à Rege declaratus fuerit Referendarius, additâ Plocensi Præpositurâ tum vacante, amplioris reditûs Prælaturâ. Non integro biennio egit Referendarium, & Regiâ commendatione ad Varmiensem euasit Cathedram. Erat tum Vilnæ Rex *Vladislaus*, cùm nuntius mortis, *Ioannis Caroli Konopacij* ad Aulam peruenisset. *Cæciliâ Renatâ Reginâ* promouente, Rex designauit *Leßczynium* Konopacio Successorem, Regiâque fultus commendatione, à Capitulo electus, Nuntio Regio *Stanislao Kobierzycki*, Castellano Gedanensi, deinde Pomeraniæ Palatino, genere, probitate, literis perinsigni, negotium conficiente. Varsauiæ in Anno 1644. peractâ Consecratione, venit in Prouinciam. Ad Sponsam, Ecclesiam Cathedralem secundâ Augusti in Anno 1644. primum habuit ingressum. Regimen Episcopatûs, eximiâ temperauit benignitate. Erat tùm *Vladislaus Rex* viduus, fatis sublatâ *Cæciliâ Renatâ* Vilnæ, eademq; in Basilica Cracouiensi sepultâ, de innouandis Matrimonij votis, agitabat consilia, quæ in eum abiêre euentum, vt ex Gallia *Mariam Ludouicam, Caroli Gonzagæ, Mantuæ* in Italia, & Niuerniæ in Gallia Ducis Filiam, sociam throri & throni præoptaret. Præmiserat in Galliam, *Gerardum* Comitem *Dönhoffium* Palatinum Pomeraniæ, pactorum connubialium arbitrum. Porrò ad Sponsam deducendam designauit Legatos, *Leßczynium* Varmien. Episcopum, *Christophorum Opalenium* Posnanien. Palatinum, Fratres Consobrinos, tanto negotio pares, Palatinus Posnanien. cum amplo & splendido Polonæ juuentutis comitatu, terrestri pergens itinere, commodè satis viam hanc longinquam confecit: *Leßczynius* conductis Dantisci nauibus, Lubecam versùs maritimum ingressus iter, cum suo famulitio, atroci jactatus tempestate, totq; nauigationis incommoda perpessus, seriùs Palatinum assecutus, simul tandem, sub finem Octobris Parisios ingressi, aulam Gallicam, totumq; populum Parisios confluentem, ad illudq; spectaculum effusum, in admirationem traxerunt. Cultus, vestitus Polonus, in illis oris incognitus, non leui quæsitus pretio, equi generosiores, peritiâ equitandi, Scenam illam aut pompam Aulæ, populo gratam amœnamq; adornabant. Exstat Poëma *Andreæ Kanon* Societatis IESV, orbi literato non ignoti, publici juris, super eâ Legatorum expeditione in Galliam, inscriptum *Lucæ Opalenio*, Palatini Fratri Germano Succamerario Posnaniensi, qui obijt in Anno 1662. Varsauiæ, Curiæ Regni Mareschalcus, Vir egregiè probus & Polonorum doctissimus. Ingressu hoc peracto quintâ Nouembris in Anno 1645. in Regia Capella, *Ludouicâ Mariâ* desponsatâ *Vladislao IV.* Paranymphi egit personam, Palatinus Posnaniensis, *Leßczynius* primùm pro Sponsa *Vladislao* impetrandâ, perorauit ad Galliæ Reginam, præsente *Ludouico XIV. Galliarum* Rege tùm octenni. Postmodum juxta Ecclesiæ Catholicæ ritum, illi astitit matrimonio; seruatis circa talem actum consuetis ceremonijs. Hisce confectis Episcopus & Pala-

Palatinus, Parisijs; aulâ Gallicâ salutatâ, in Poloniam, abeuntem *Ludouicam Mariam* comitantur, quæ tàm longinquo, per tot terrarum tractus *Gedanum*, inde *Varsauiam* vndecimâ Martij peruenit. Aduenientem in Basilica Varsauiensi *S. Ioannis Baptistæ*, *Rex Vladislaus* salutauit. Matrimonium antè Parisijs, per Legatum Plenipotentiarium contractum, *Ioannes* de *Torres*, Archiepiscopus Adrianopolitanus, Nuntius Apostolicus confirmauit. Cæterùm *Lesczynius*, tam longinquo sumptuosoque confecto itinere, ad Episcopatum redijt, vbi comitatu illo numeroso dimisso, de nominibus dispungendis, quæ grandia contraxerat, ad eam functionem gloriosè perhonorificèque obeundam, modum rationemq; inijt, quod quidem exactè præstitit. Episcopatum rexit singulari animi moderatione, Conuentibus terrarum Prussiæ, frequens intererat. Secutâ morte *Vladislai IV.* designatæ ab Ordinibus Regni electioni præsens interfuit. Præter exardescentem Cosacorum rebellionis flammam, aliquæ *Principum Fratrum*, bonum publicum impediebant simultates. Vterque studijs, suffragijs, circa orbum sceptrum distrahebat Rempublicam. Nonnulli Procerum, Ciuili prudentiâ eximij, ijs componendis allaborabant, quos inter *Lesczynius* suasit, effecitque, vt *Carolus Ferdinandus*, in *Ioannem Casimirum* spem & vota transferret. Eodem tempore Varsauiæ consecrauit, in templo tum ligneo Clericorum pauperum Matris DEI *Albertum Pilchowicz*, Episcopum Hiponensem, Suffraganeum & Canonicum Varmiensem, Successorem Michaëlis Działynij, Episcopi Camenecensis, Abbatis Mogilnensis. Electione *Ioannis Casimiri* feliciter completâ, abiit in Episcopatum. Erat in propinquo annus Sanctus Iubilei magni, quem *Lesczynius*, vt in ipsa Metropoli consequeretur, Romam excurrit, vbi à Summo Pontifice *Innocentio X.* à Sacro Cardinalium Collegio perhumaniter exceptus; Romæ ob morum suauitatem omnibus gratus. Româ redux, belli Cosacici gliscente incendio, Equestrem vt vocant Raytarorum Cohortem propriis auctoratam impensis, ad Castra expediuit. Incipiebat jam tentari hæreditario arthritidis morbo, ad eum leniendum quæsiuit fomenta, in acidulis Badensibus, quarum inefficax remedium nihil juuit, cùm ætate ingrauescente, debilitate pedum ita fuerit correptus, vt nonnisi sellâ gestaretur. Enimuerò Cosacicæ rebellionis grauem Regno tumultum, grauior atrociorque belli aquilonaris tempestas ingens, aduersorum additamentum exaggerauit. Quasi non sufficeret, Regno pessundando, interna hæc vis, etiam externis armis; & furore Suetico aggredienda & spolianda erat Polonia. Cesserat throno & Regno, *Christina filia Gustaui Adolphi*; Eidem ab ordinibus suffectus *Carolus Gustauus*, ex domo Palatina Bipontina, *Gustaui* sororis filius. Primum facinus noui Principatûs, moliri occipiebat, agitabatq; consilia, belli in Poloniam transferendi. Equidem erat in procliui, tot cladibus fessam attritamq; inuadere Poloniam. Causa fomesq; belli, præcipuus titulus Regni Sueciæ, à *Sigismundo*, *Vladislao*, etiam à *Ioanne Casimiro*, peruicaciùs retentus usurpatusq; neq; in literis ad Regem Sueciæ recenter coronatum, juxta præscriptum pactorum Stumdorffiensium, cum triplici & *cætera* scriptus: insuper in iisdem literis incautiùs à scriptore Literarum, vt mos regnantium, scripti, additiq; anni Regnorum. Illud verò magis pensiculatè, à Suetica libratum Aula, & pro motiuo belli inferendi arreptum, dum circa actum Coronationis *Caroli Gu-*

Mors Vladislai IV.

Rex Sueciæ bellum inferendum Polonis proponit.

Causa belli.

stavi, Regis Poloniæ internuntius, *Canafilius* Natione Gallus, publicè Coronationi *Caroli Gustavi* reclamauit, inicio Senatu & Ordinibus Regni, eo tamen ipso, & hac intercessione, pacta induciasq; abruptas, Aula *Suetica* conficiebat euincebatq;. Subitò Præliminaris narratio Causarum belli Polonis inferendi, quasi clarigatio in lucem protrusa; cui scripto, cum omni latini sermonis, & ciuilis prudentiæ grauitate, respondit, *Gregorius Borastus*, Cracouien. Varmiensis Canonicus, natione Suecus, probitate & doctrinâ eximius, cum eo titulo Causæ præliminares limatæ, & eliminatæ. Ac tanti Poloniæ constitit titulus ille à Regibus, nullo fructu commodoq;, verùm cum ingenti Regni jacturâ, & summo discrimine, pertinaciùs retentus, Suecisq; enixiùs deposcentibus non dimissus, aliàs pacificationem perpetuam, & ablatorum restitutionem offerentibus. Hærebat jam in Pomerania conscriptus Suecorum exercitus, cui præerat *Arfardus Wirtembergius*, eundem Regis mandato, ad fines maioris Poloniæ promouit. Nec adeò validum militiæ Sueticæ robur erat, quin à nostris opprimi posset. Duorum Palatinatuum Nobilitas *Posnanien.* & *Calissien.* ad amnem *Notessium*, propè Oppidum *Vscie* ad arma euocata, castra posuerat. Æmulatio inter ductores nobilitatis, offensæ contra Aulam, occasionem rei bene gerendæ cum Suecis euerterunt: & aliquo tractatu cum *Wirtembergio*, protectione Regis Sueciæ acceptata elusaq;, Nobilitas tumultuariè domum abiit, hocq; specioso protectoris illecta titulo, inuasori Regni Sueco portas aperuit. Posnaniam, Calissium, Suetica insedêre præsidia. In ædes sacras, domos Nobilium, omni prædandi rapiendiq; grassabantur licentiâ. Nec à cædibus innocentum abstinuêre; etiam Sacri Ordinis *Ioannem Branecium* Episcopum Ennensem Suffraganeum Posnaniensem, in pago hæreditario Srodensi Oppido vicino, dum humaniùs inuasores excipit tractatq;, ab iis pilis plumbeis interimitur, totaq; supellex diripitur. Superuenit cum alio exercitu Rex Sueciæ, Regnum ingressus, *Cracouiam*, Varsauiam & vtramq; Poloniam, vno deoccupauit impetu. Etiam in Prussiam fulminis instar furor hic Suecus penetrauit. *Thoranium*, *Elbinga*, *Mariaburgum*, aliaq; loca, Suecum patentibus excepêre portis. Solum Gedanum supererat, quod constantem & intemeratam fidem, Regi & Regno seruauit: sumptu maximo terrâ mariq; Suecorum insultus aut morabatur, aut propulsabat. Acerbam hanc sortem, sensit Episcopatus Varmien. & rapacitatem non euitauit Sueticam. Sacra tamen Ecclesiastica supellex, tempestiuè nauibus aueкta Gedanum, in securo mansit. Argenti nihilominùs & auri potior pars, Summo Pontifice indulgente, publicæ data necessitati, etiam insigne & Basilicum donarium *Ioannis Alberti* Principis, Statua *S. Andreæ* ex auro solido, librarum aliquot decades, fisco cessit, & aliæ per Regnum Ecclesiæ, coactæ hanc sanctiorem depromere gazam. Aliquam testificando gratitudinem Ordines Regni, lege cauerunt publicâ, argenti ab Ecclesijs accepti restitutionem, quod sperandum in Anno magno Platonis. Interim Canonici ob ingruentem hostilitatem, Ecclesiâ desertâ, ad tutiora recesserant. Episcopus abijt Regiomontum, & sub amici, domuiq; suæ beneuoli Principis vmbrâ, in tam flagranti periculo quæsiuit securitatem. Neq; Regiomontum extra curam pastoralem Varmien. Episcopi; suberat olim Sambien. Episcopo, eius titulum Varmien. vsurpat Episcopus, cùm reditus Lutheranismo in Prussia Ducali inualescente, in pro-

Miles Sueticus Wirtembergio duce in Pomerania.

in profanam & heterodoxam abiêre dominationem. Eccleſia Catholica, quæ ibi exſtat, recognoſcit Ordinarium Epiſcopum Varmien. Fecerat aliquam ſpem Elector *Brandeburgicus*, etiam in Conuentu Generali terrarum Pruſſiæ, idipſum per ſuum declarauerat Ablegatum, Pruſſiæ Regalis, ab ingruente hoſtilitate defenſandæ, armaque Suecis opponendi: verùm proſperi Suecorum ſucceſſus, totaq; Pruſſiâ Regalis occupatâ, ad alia conſilia flexit Electorem. Aliqui Poloni exercitûs Tribuni, cum ſuis legionibus in partes Sueci tranſierant, in Pruſſiamq; aduentantes cum *Brandeburgica* militia aleam Martis tentârunt, quæ cùm Brandeburgicis improſperè ſucceſſiſſet, ad media pacificationis cum Sueco Elector inclinabat. Non otiosè Regiomonti egit *Leſſczynius*, vnà cum *Vincentio Coruino Gąsieuio*, Supremo M. Ducatus Lithuaniæ Theſaurario, ibidem Campeſtris Militiæ Præfecto, aulâ non inſciâ pertrahebat Electorem in partes Regis & Regni; qui duntaxat id prætendebat, vt ex Ducali in Pruſſia ad aulam tollerentur appellationes: inſuper ſummam aliquam notabilem, pro ſtipendijs Polonæ offerebat militiæ. Cæteroqui nonnullorum opera, qui nihil in Republ. præclarum exiſtimant, niſi quod ab iis repertum conſultumq; tractatus ille reprobatus, contemptimq; habitus, etiam Regi hiſce ſuſurrantibus diſplicuit. Aderant in aula præſentes Cancellarij & Miniſtri ſtatûs, *Stephanus Coricinius* Supremus Regni Cancellarius, *Andreas Trzebicius* Epiſcopus Præmyslien. Minor Regni Cancellarius, illi tractatum à *Leſſczynio* & *Gąsieuio* cum *Brandeburgico* concluſum, ratum haberi contendebant: præualuit priuatorum ſiniſtra & maleuola informatio, qui offenſi *Leſſczynio*, eundem citra omnem culpam, ſequioribus apud Regem onerauerant delationibus. Cùm ille nihil intermiſerit, donariis, largitionibus aulam Electoralem molliendo, ne fides Catholica in Pruſſia Epiſcopali periclitaretur. Et iam Elector, proſperis Suecorum expenſis, quorum exercitus totam inundaverat Pruſſiam Regalem, metuensq; ne & Ducalis nutaret, primùm per occultiores Internuntios cum Sueco confert, poſtmodum ipſemet *Bartenſteinij*, Oppido Pruſſiæ Ducalis, quarto ab *Heilsberga* lapide congreſſus, pro mutua ſecuritate iniit pacta, quibus Epiſcopatus in Dominium transſcribebatur Electoris: qui nullâ vſus morâ, præſidia per Oppida diſpoſuit, eamq; Patrimonij Chriſti portionem, Pruſſiæ Ducali vnire, aggregareq; intendebat. *Frauenburga*, vbi Cathedralis Eccleſia, *Brunsberga*, quæ prima in Polonia, naſcentem excepit Societatem JESV, primaria Epiſcopatûs Ciuitas, *Habo* & *Paſſeria*, quæ ibidem in Habum influit adjacens, firmiori inſeſſa præſidio. De amouenda inde ſocietate, agitari conſilium, præſenſerat in Aula Electorali *Leſſczynius*, hoc ne ad effectum deueniret, Caluiniani dogmatis Prædicatorem, qui Conſorti Electoris, quaſi Conſiliarius erat, (ſi Diis placet) ſpiritualis, non leui obligauit honorario, hic cauſam Societ: Jeſu feliciter egit, perfecitq; vt *Braunsbergæ* remaneret. Hæc & alia didici narrante *Leſſczynio* Domino Patrono meo beneficentiſſimo. Totum Epiſcopatum pro libitu Elector, exactionibus, Militum Statiuis prægrauabat, *Allenſteinum*, *Melſaccum*, Dominij Capitularis loca, gemebant in hac incude tribulationis. Interim fauentiùs beningniusq; cælum, toti Poloniæ feliciores diſponebat tranſitus. Subita illa & nimia Suecorum fortuna, languescebat, ſuumq, relinquebat Victorem trepida nimis ad nomen *Georgij Lubomirſcij* nunquam partibus Sueti-

cis adhærentis; qui Exercitum Polonum, fortunam Suecorum sequentem, ad fidem Regis ac Reipubl. defendendamq; Patriam, inauditâ prudentiâ reuocauit; *Regi Casimiro* è Silesia, vbi reclinauerat, (quem ante aliquot annos suâ prudentiâ Regem creauerat) Regnum restituit, ac Coronam Thesaurumq; Regni conseruauit, feliciterq; eundem ad propriam sedem reduxit. *Magnum Tartarorum Chanum* cum ingenti Exercitu (cum quo illi ab antiquo stricta fuit amicitia) contra Suecos proprio ære adsciuit. *Rakocium Transyluaniæ*, Suetici belli contra Polonos socium, vastatis partibus Hungariæ, illo in Polonia commorante, gloriosè è finibus Poloniæ pepulit, fuso ad internecionem eius exercitu, Ducibus in captiuitatem Tartarorum redactis. Meretur & inde nominis famam immortalis idem *Lubomirscius*, quòd Graudentum summâ prudentiâ expugnauit; Thorunium ingenti apparatu bellico, & ingenti fortitudine oppugnauit & prosperè expugnauit, Suecis ab hinc inuincibilem iniecit terrorem, cum quibus tandem pacem Oliuæ composuit. Deniq; *Seremetum Moschorum* Ducem, ad *Cudnouiam Cosacorum* viribus, Duce Cechirâ potentissimum ad internecionem deleuit, stupendamq; ac Posteritati admirandam reportauit Victoriam: sed tanti Viri heroicis ausibus & gestis immortalibus, nec vna dies, nec vna sufficit pagina. Dedêre tunc boni Cælites felicitati Polonorum & alium non dissimilem priori Virum *Stephanum Czarnecium* Castellanum Kijouiensem & deinde Palatinum, in omnes casus belli expeditum, qui Suecum pariter pluribus in locis, incredibili celeritate vsus, victricibus armis oppressit, & vires infensas in tantum fregit, vt faustos ab initio Suecorum progressus, nulli nixos justitiæ, tristis terminaret catastrophe. Hæc vbi prosperè in rem Polonorum geruntur, expendebat Elector successus Sueci, fatali obnoxios vicissitudini, rotamq; fortunæ erga Suecos pronioris, brevi aliter vertendam permutandamq; fore. Nec alieno erat animo à resumendo tractatu, quo rebus Suecorum inclinatis suæ consuleret securitati. Commissum datumq; negotium Leszczynio Regiomonti commoranti, tum & *Vincentio Coruino Gasieuio* Supremo Magni D. Lithuaniæ Thesaurario, & Campestris Militiæ Præfecto, cum Electore paciscendi, & qui (vt supra memoratum) aliquorum susurris interuerso tractatu, centena millia Imperialium, in ærarium Regni pollicebatur se illaturum, modò cum suprema potestate Ducalem gubernaret Prussiam. Nec onerosum erat, cum Electore taliter pacisci. Verùm Elector transactione Sueticâ, tùm & Episcopatûs Varmiensis apprehensione elatus, oppido in prægraues conuenit conditiones, quas hic attexêre prolixum & superfluum. Prussia Episcopalis vigore horum pactorum, exempta à prætenso Dominio Electorali, pleniq; juris possessio, Episcopo & Capitulo, asserta, vindicataq; , etiam miles Electoralis excessit, & in Prussiam migrauit Ducalem. *Frauenburgum* nihilominùs & *Braunsberga* ab Electorali præsidio retenta mansit ad Annum Domini 1663. eoque tandem Anno, asserta in libertatem, excedente militiâ Electorali. Pacta de quibus supra confecit *Leszczynius* & *Gasieuius* cum Electore *Welauiæ* 1657. 19. Mensis Septembris, approbata & confirmata à Rege *Casimiro Bromberga* seu Bidgostiæ eodem Anno 6. mensis Nouembris. Necdum verò bellico hoc fragore consilescente, *Leszczynius*, ea quæ sunt potestatis Episcopalis implebat. *Seeburgi* in Ecclesia illius Oppidi Parochiali consecrauit *Thomam* de *Rup-*

Leszczynij Acta in suo Episcopatu.

niow

niow Vieyski Episcopum Kijouiensem Præpositum Varmiensem Abbatem Plocensem, qui raro exemplo, infulam in Anno 1677. cum religiosa Societatis JESU permutauit lacernâ, & post eam tempestatem lætior & pacatior status redibat Episcopatui. Quamuis *Elbinga*, *Mariæburgum*, in propinquâ viciniâ metum terroremque spargebant, Suecis ibidem latitantibus, quorum excursiones Polonæ Militiæ cohortes, in Episcopatu consistentes reprimebant. Tandem illa formidabilis Suecorum potentia jam decreuerat, totque cladibus à Polonâ militiâ illatis, vix trahebat spiritum, nec nisi *Elbingæ Mariæburgi* hi corui braccati, quasi in nidis aliquibus delitescebant. Superuenit Gallica mediatio, quæ mutuas diremit acies & annorum aliquot truci finem posuit classico. *Oliuenses* pacis tractatus, tot cladibus, deuastationibus optatam superinduxêre tranquillitatem. Verùm non diu *Leßczynio* in Episcopatu, ad sensum pacis composito, morari permissum. Viuere desierat ejus Patruelis *Andreas Comes* de *Leßno* Archiepiscopus Gnesnensis in Anno 1658. nec quidquam ambientem, imò inuitum & reluctantem, Rex nominauit Archiepiscopum Gnesnen. ad tantumq; pertraxit gradum, qui in Varmiensi Ecclesia tumulum jam cogitatione impleuerat. In Anno 1659. circa ortum veris abiit Varsauiam, pro Conuentu generali Regni, quo finito ad Archiepiscopatum venit. Priusquam in Poloniam proficisceretur, per omnes Parochias ex Ambona publicari mandauit, vt si aliquibus illata injuria esset, ejus compensationem sperarent & requirerent. Omnibus beneuolus & beneficus esse contendebat. Viros doctos fouit. Ioachimo ab *Hirtenberg* Pastorio, Regio Historiographo & Secretario, qui lutheranismo ejurato, Catholicam fidem Orthodoxam professus cum domesticis, Consorteq; præmortuâ in ætatis decliuio sacris initiatus, Parochus Gedanensis & Officialis deniq; Cantor Varmiensis in Anno 1681. abijt è vita, elegantioris literaturæ, quam libri testantur impressi, famâ celebri, annuum pendebat stipendium. *Sigismundum Christophorum Stösselium* Custodem Varmiensem, quem Archiepiscopus melioris notæ ornauerat Sacerdotijs, Gnesnen. Louicen. Canonicatu, Præpositurâ Calissiensi habuit familiarem, ejusdemq; in grauioribus negotijs tristi & turbulento statu Episcopatûs calamo, operâ, consilio vtebatur. *Albertum Nowieyski* ab Academicâ professione in Aulam adsciuerat virum literatum, & ad Canonicatum promouit Varmiensem. Multos, cum quibus illi sanguinis intercedebat nexus, ab hæresi ad fidem reduxit Catholicam. Iuuenes nobiles etiam inferioris sortis in scholis sumptu proprio curabat educari. Eleemosynis occultis, & quas amabat nesciri, multorum subleuabat inopiam. Ædificiorum nitorem ac splendorem seruare, decori sibi ducebat. Arces *Seeburgen. Ressellien.* vetustate fatiscentes restaurauit, elegantiusque adornauit; Curiam ligneam *Bischdorffij* propè *Resselium* commodam satis ædificauit, horto etiam nouiter excitato plantatoque, *Heilsbergæ* Cameras inferiores, cum acriori morbo articulari correpto per gradus portari nimis esset incommodum, renouauit, quæ nunc Archiepiscopales vocantur Cameræ. Eccclesiam *Springbornensem* Beatissimæ Virgini Matri à *Nicolao Szyszkouio* Antecessore ex voto erectam, stillicidijs perpluentem reparauit. Altare *Antonio Paduano* Diuo, Miraculorum gloriâ celebri, in Ecclesia *Wartemburgensi* Sodalium *Sancti Francisci*, Obseruantiæ Regularis fabricari curauit. Gratam & prosperam in Episcopatu reli-

Mediatio Gallica pacem Oliuæ conclusit.

Mors Andreæ Leßczynij Archiepisc. Gnesnensis.

reliquit memoriam. Translatus ad Archiepiscopatum completo septennio 1666. primâ Aprilis. *Lyskouicijs* mortalis esse desijt, morbo articulari oppressus, cùm piè ac religiosè ad supremum hunc agonem suscipiendum se præparâsset. In Ecclesia Collegiata Louiciensi humatus, & in eodem depositus tumulo, cum *Fratre Patruele Andrea* suo antecedaneo, ante maius Altare. Ecclesiæ Varmien. suæ Sponsæ, tabulis ultimæ voluntatis, donauit aureum Calicem, Candelabra argentea. Anniuersarium pro anima, in Mille quingentis fundauit florenis. Acta in Archiepiscopatu alijs narranda & connotanda, quasi cursu lampada tradimus.

Ioannes Stephanus Wydzga Episcopus Varmiensis.XXIX

TRanslato ad Ecclesiam Metropolitanam Gnesnen. *Lesczynio*, *Ioannes Stephanus Wydzga* Episcopus Luceoriensis, *Rege Ioanne Casimiro* promouente, à Collegio Prælatorum & Canonicorum electus, in Sacello Arcis *Heilsbergensis* extra Ecclesiam Cathedralem, circa quam excubabat Electorale præsidium, Castrumq; vbi Ecclesia, retinebat ad executionem pactorum *Bidgostiensium* seu *Brombergensium*, prout infra dicetur. Natale solum tanti Antistitis, in tractu Roxolano & Palatinatu Russiæ terra Leopolien. vbi Magnorum Heroum domicilium. Quanquam domus *Wydzgarum*, à prima & vetusta origine, in Masouia nacta domicilium, inter Palatinatuûs Płocensis Equestres censebatur familias. Anni propè trecenti, in priuilegio pacis & concordiæ *Vladislai Jagellonidis*, Poloniæ, Hungariæ Regis, Brestæ Cuiauiæ initæ, cùm *Paulo* de *Rusdorff*, Supremo Crucigerorum in Prussia Magistro, Anno 1436. dum præsentium illi actui, Senatorii & equestris ordinis adscribitur Catalogus, aderat præsens *Andreas Wydzga* Płocensis Vexillifer. Mutauêre deinceps posteri Coloniam, in Palatinatum Sandomirien. & in Russiam transtulêre sedem, ibidemq; cum primariis Heroum familiis, affinitatis contraxêre nexus, opibus & fortunâ luculenter aucti. Ex hac stirpe, parens erat nostri Antistitis, *Ioannes Wydzga*, in bello Moschouitico, auspicijs *Sigismundi III.* feliciter gesto confectoq; *Herborthi Subcenturio.* Libet hic à magno calamo magnum apponere elogium, illud verò est *Stanislai Kobierzycki* Palatini Pomeraniæ, magnæ dignationis in Republica, & qui elegantioris styli, solidæ doctrinæ, sibi circumdedit famam in Historia *Vladislai* Principis, parentem & filium gratâ prosequitur memoriâ. Felix bellicâ laude gloriaq; Vir, sed longè illustrior feliciorq; *Stephano* filio Abbate Sieciechouien. *Vladislai Regis*, Magni nominis Ecclesiaste, cuius doctrina, prudentia, blandeq; in aures influens suada, non vnius Aulæ Polonæ, sed vniuersæ Christianitatis meretur Theatrum. Eius parentis filius *Ioannes Stephanus Wydzga*, ingenium acre, viuidum in Polonis primùm Gymnasijs, dein peregrinationibus per Europam excoluit. Louanij in illis Athenis Belgicis, *Erycium Puteanum*, *Nicolaum Vernuleum*, audiuit præceptores. Jus Canonicum, *Andreâ Valense* prælegente, didicit. Galliâ, Hispaniâ, Italiâ peragratâ, Romæ Theologicis eruditus disciplinis, redit in Poloniam. Canonicatu primùm *Leopolien.* pòst Præposïturâ in eadem Cathedrali obtentâ, Euangelium non erubescebat: frequentiùs ex sacris Rostris dicendo, admirabili facundiâ, rerum & sententiarum pondere, celebre in illa Urbe auditorium, trahebat in admirationem. *Alexander Trzebinius* Episcopus Præmysliensis Regni Cancellarius, *Wydzgæ* sui popularis, & sanguinis conjunctione affinis, præstans ingenium, & doctrinam solidam nouerat familiariùs. Ad aulam *Vladislai IV.* euocat

Wydz-

Wydzgam, Regi commendat Secretarium, ſibiq; adſciſcit familiarem. Abierat tum in Italiam *Ioannes Caſimirus* Poloniæ & Sueciæ Princeps, ab obitu *Vladislai*, electus & Coronatus Rex Poloniæ, ac ibidem, poſt aliquod tempus, Religioſo Societatis JESU Ordini ſe adſcripſerat, *Laureti*, ad ædem Beatiſſimæ Virginis Matris, miraculis per orbem Chriſtianum, totq; ſalutis noſtræ myſterijs celebratam; cumq; biennium Religioſi tyrocinij à Principe complendum fore ſperaretur, *Innocentius X.* qui recenter *Urbano VIII.* in Pontificatu ſucceſſerat, prohibuit Principem ad religioſa profitenda admitti vota. Porrò vt mutatio hæc ſtatûs, in glorioſum & perhonorificum abiret titulum, in Collegium S. R. E. Cardinalium, eundem Pontifex cooptauit. Cæterùm Nuntius hic mutati ſtatûs, & ad umbram ſeceſſus Religioſam, Rege fratre inſcio & inconſulto, vehementiùs eundem permouerat, imò cauſauerat offenſam, vt cum acerbioris animi ſenſu, etiam in Synodo Prouinciali Varſavienſi, quam in Anno 1643. ad diem Octauam Nouembris, indixerat, congregaueratq; eximiæ pietatis & probitatis Antiſtes, *Mathias Lubienius* Archiepiſcopus Gneſnen. contra Societatem, quæ clam Rege, Principem Religiosâ induerat veſte, fuerit conqueſtus. Sunt in promptu eius argumenti literæ *Vladislai IV.* ad *Alexandrum Trzebienium* Epiſcopum Præmyslien. dolenter ſcriptæ: etiam nomine Epiſcoporum ad Synodum congregatorum, alteræ *Cardinali Sauello*, Regni Poloniæ Protectori, minùs reflexum conſilium, in admittendo ad Societatem Principe, improbantes, néue votis obſtringatur Religioſis impenſiùs poſtulantes. Ferebat acerbiùs ſtatum Principis ex Regnatrice domo, cum vmbrâ Religioſa permutatum *Vladislaus Rex*, protinuſq; Societatis IESV Presbyteros ab Aulæ ſpirituali amouit ſeruitio. In locum *Stanislai Tomislauij* Societatis IESU, Eccleſiaſtem adlegit *Wydzgam*, oppidò diſertum eruditumq; ſacrum Oratorem, & qui eminentiſſimorum in Republica Virorum judicio, miraculum ingenij, Oraculum Ambonis, mellifluus audiebat *Widzga.* A *Rege Vladislao* magni æſtimabatur, qui veluti erat prudentia incomparabili, ita ſummo pollebat judicio, & exactâ ingeniorum cenſura: fatis ſublato *Stanislao Grochouio*, Archiepiſcopo Leopolien. vacantem Abbatiam Sieciechouien. reditûs amplioris eidem contulit. Majori etiam deſtinabat gradui, ni præter ſpem & vota omnium, in ancipiti Regni ſtatu, viuere & regnare deſiiſſet. Supra Octennium, tàm laborioſam adornauit ſpartam, etiam apud Succeſſorem *Vladislai Ioannem Caſimirum*, eandem collegit, continuauitque exiſtimationem. Imminente Anno Sancto Iubilei in Anno 1650. ab *Innocentio X.* publicato, Romam excurrit, ab his ſeuerioribus curis; totq; annorum labore, laxamentum & reſpirium nacturus. *Inde redux Reginæ Ludouicæ Mariæ* primùm Cancellarius, in breui Referendarius, Maior Secretarius. Et per hos gradus Regiâ nominatione, ad infulam peruenit Luceorienſem tum vacantem, ab obitu *Ioannis Baptiſtæ Zamoyski*, qui ex Præmyslien. Epiſcopatu ad Luceorienſem translatus, necdum apprehensâ poſſeſſione, in itinere mortalitatem expleuit *Bilgorati* Oppido municipij Belzenſis. Necdum poſſeſſionem illius injerat Epiſcopatûs; *Carolus Guſtauus* Sueciæ Rex, vt jam dictum, totam Poloniam fato quodam aduerſo, armorum potentiâ ita inundauerat, vt Rex & Regina, extra fines Regni in Sileſiam, ſecuritati conſulendo excedere coacti fuerint. Comitabatur Aulam *Wydzga*, vt Reginæ Cancellarius. Et poſt aliquod

Caſimirus Princeps Poloniæ ingreditur Religionem Soc. IESU.

quod tempus *Petro Gembicio* Episcopo Cracouiensi Brunæ in Morauia extincto, cùm ad illam Cathedram Rege promouente, euectus fuisset *Andreas Trzebicki* Episcopus Præmysliensis Regni Procancellarius; Annulo Regni, quem dimittebat *Trzebicius*, destinabatur: lenitas & mansuetudo oberat, quo minus hoc succederet. Tali verò Aula opus habebat Ministro, qui cum *Stephano Coricinio* Supremo Cancellario, aulæ meditatis & intentis obliquo, acriùs, vehementiùs exerceret æmulationem. Verùm & hic non diù superuixit, aulæq; cogitata non morabatur. Hæc qualiter maturuerint, & quanto aduersorum turbine Rempublicam permiscuerint, exhorrescit calamus; & nè videamur in alieno pedem ponere choro, ad nostra deflectimus. In Episcopatu Luceoriensi ministerium suum implebat, tametsi illius Episcopatûs, Moschorum, Cosacorum incursione bona Mensæ, in Palatinatu Podlachiæ, & circa Brestam Lithuanorum barbarâ immanitate fuerint deuastata. *Albertum Stanislaum Radziwilium*, S. R. Imperij, Olicæ, Nieswisij Principem, Supremum M. D. Lituaniæ Cancellarium, eximiè pium & doctum, qui in nostra Sarmatide, alterum refinxit Elzearium, libris spiritualibus asceticis, inter tot publica negotia scriptis, & publici juris factis, pietatem insigniter fouit, promouitq;. Olicensem Basilicam grandi erexit sumptu, Infulatum Præpositum, & Collegium Canonicorum fundauit, aureâ & argenteâ supellectili admirando comparatâ pretio, eandem adornauit Ecclesiam, parentali laudauit sermone. Supra quinquennium illi præfuit Cathedræ, & post translationem ad Metropolitanam Ecclesiam Venceslai *Lesczyny* in Varmien. eidem successit, Electus *Heilsbergæ* in Sacello arcis 1659. primùmq; venit ad Episcopatum 1660. in festo Epiphaniæ, quem lacerum rapinisque militaribus attritum, nec ab ijs immunem reperit. At grauiorum texebatur turba malorum, cùm colligatio seu militaris confœderatio in Anno 1661. conflata, lecto sibi ductore seu Marschalco, *Samuele Swiderski*, homine ex eorum genere, quibus anima pro *Sale*. Tantumq; ausa hæc militaris insolentia, vt palatium Kielcense Episcopi Cracouien: non minùs eleganter quàm sumptuosè à *Iacobo Zadzik* Episcopo ædificatum, deoccupauerit, ac ibidem, consilij & militarium circulorum, sedem constituerit, mansionemque aut hospitium pro Marschalci officio, & eidem Consiliarijs adjunctis designauerit. Ab hoc militari tumultu, non fuit immunis Episcopatus, supra triennium; Oppidani, agrestes, insolitis pressi exactionibus. Auxerat malorum sensum, contra totum Sacrum Ordinem, prægrauis quædam, & in Regno Catholico inaudita adinuentio. Modiperatores seu reuisores fuerunt designati, qui Census reditusque spiritualium librarent, & certo assignato demenso, potiorem prouentuum partem; ad ingluuiem militarem explendam transscriberent. Hæc sors mittebatur super Episcopatum, prudens tamen solersque Episcopus hosce censores distinuit, nè commissa exequerentur. Omninò hæc licentia militaris, in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ ita grassabatur, vt extremæ hostilitati par, imò supra videretur. At in Lithuania longè grauiùs, hæc militaris sæuities prælicenterq; insolescebat. Ausa immane facinus, quod omnem atrocitate superat barbariem. *Vincentium Coruinum Gąsienium*, Supremum M. D. Lithuaniæ Thesaurarium, Campestris militiæ Præfectum, recenter ex Moschouitica reducem captiuitate, Vilnæ ægritudine languentem, lecto affixum,
carâ

carâ consorte *Magdalena* de *Konopat*, frustra cum lacrymis vim deprecante, violenter abreptum, & propè oppidum Ostrynia deductum, innocentem ex aliquâ vanâ & futili suspicione, fistulis ferreis displosis interemerunt; ægrèque permissum maculas conscientiæ Societatis IESV Presbytero detegere. Hæc par erga dum insero, beneuolus Lector indulgebit. Interim hæc militaris seditio vt conquiesceret, omnem curam conatumq; Resp. intendit, ac tandem *Leopoli* in Anno 1663. *Rege*, & *Reginâ* præsentibus, *Venceslao Comite* de *Leszno* Archiepiscopo Gnesnensi allaborante, dissolutis stipendijs, quæ valorem rei monetariæ corruperunt, argentum & aurum mutârunt in scoriam, pede monetali penitùs euerso, tumultuans hæc militia, rediit ad obsequium Regis & Regni. Indultum aliquid oppidanis & agrestibus, tot rapinis exhaustis imò exossatis, quos in breui vix non similis afflixit pressura. Eodem Anno pro executione pactorum *Brombergensium* seu *Bidgostiensium*, satagente apud Aulam, Ablegato Electorali *Ioanne Howerbekio*, Commissio Regiomontana ab Aula expedita, pro Supremo dominio Ducalis Prussiæ, tradendo *Brandeburgico* Electori, demandatumq; negotium *Wydzgæ*, *Ioanni Comiti* de *Leszno* tum Regni Procancellario, Majoris Poloniæ Generali, vt præstito juramento Nobilitas & populus illius tractûs, Supremum Dominum Electorem *Brandeburgicum* recognosceret. Actus huius erat *Secretarius Ioannes Stanislaus Żabski* Gnesnensis, Varmiensis Canonicus, Decanus Louicensis, nunc Episcopus Præmysliensis, Præpositus Generalis Miechouiensis Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri. Hisce peractis *Frauenburgum*, *Brunsberga*, hucusq; à præsidio retentæ Electorali, eodem excedente, ad pristinum rediêre statum. Tantâ verò constantiâ Wydzga, eorum locorum vrgebat eliberationem, nullatenusque commissum exequi negotium volebat, ni priùs certa compertaq; superueniret notitia, ex memoratis locis Electorale excessisse præsidium, quâ acceptâ, actum completumq; negotium. *Frauenburga* liberata à præsidio Electorali, Canonici, qui sparsim in Episcopatu manserunt, circa Ecclesiam, reassumpserunt residentiam. Episcopus ad Ecclesiam venit modesto Comitatu, pro Dominica Palmarum, eum nomine Collegij salutauit Præclaus *Szemborowski* Decanus Varmiensis. Rex eo tempore pacatâ tumultuante militiâ, exauthoratis aliquibus cohortibus, imò & externæ militiæ legionibus, cum recenter conscripto Milite in Russiam remotiorem Leopoli profectus, & vltra Borysthenem, rebellionem Cosacicam edomare, & in obsequium flectere contendebat: hæc verò alij prolixiùs recensebunt. Coquebantur interim consilia oppressionis *Georgij Lubomirscij* Supremi Regni Marschalci, & Militiæ Campestris Præfecti, Herois ingentium in Regem & Rempub. meritorum, & qui, ad *Suecum*, & *Transyluanum Regni* inuasores exturbandos, Magnum se gessit præstititque Achillem. In Conuentu Generali 1664. quæsitissimis artibus formatum judicium, fabricata proscriptio, cui astra ipsa indignari visa, hyeme & in ortu veris, bino Comete excandescentia. Quæ aduersa Regno incubuerint, & concitatum bellum ciuile, pro partibus *Georgij Lubomirscij*, quo euentu conquieuerit, alij consignabunt. Episcopatus tametsi remotior ab illâ Pharsaliâ, sensit nihilominùs illius incommoda belli, cùm externæ Legiones Regiarum partium, hyemem acturæ in Episcopatum destinabantur. Quieuit tandem, hæc Ciuilium armorum procella Anno 1666.

Commissio Regiomontana.

Inter Commissarios Wydzga.

Supremum Dominium Electori recognoscitur.

Frauenburgum Brunsberga restituuntur Episcopo Varmiensi.

1666. & singularis cura conatusq; Wydzgæ, ab hac militaris exactionis pressurâ & statiuis, liberauit Episcopatum. Hic annus fatalis fuit *Venceslao Comiti Lesczynio* Gnesnensi Archiepiscopo, qui Calendis Aprilis morbo gentilitio articulari oppressus, migrauit è vitâ. A Rege designatus ei Successor *Nicolaus Prazmouius* Episcopus Luceoriensis Supremus Regni Cancellarius, & in Conuentu generali anni eiusdem, qui improspero solutus euentu, Magistratui renuntiauit. Non ambienti *Wydzgæ*, maius offerebatur sigillum, vtq; postposito *Ioanne Lesczynio*, Cancellario minori, illud capesseret, aula impensiùs suadebat, ille cum injuriâ *Lesczynij*, & priscæ consuetudinis interuersione, ad tantum gradum euectionem deprecatus, cùmq; nullatenùs flecti posset, non ambienti *Andreæ Olsouio* Episcopo Culmensi minus delatum Sigillum. In Annum sequentem incidit mors *Ludouicæ Mariæ Reginæ*, quæ in ortu veris IV. Idus Maji, viam vniuersæ carnis ingressa. Corpus exanime Cracouiam deportatum, ibidemq; in Basilica Cathedrali traditum sepulturæ. Sermonem parentalem dixit *Wydzga Latinum*, is tamen impressus non exstat. Ibat annus à Christo Nato supra Millesimum Sexcentesimum, Sexagesimus Octauus; cùm Rex *Ioannes Casimirus* Viduus, curarum publicarum pertæsus, & imminentia obtendens nouissima, quæ agitabat Coronæ & sceptri deferendi consilia, nouo & insolito in hoc regno exemplo, maturauit; Ordinibus Regni in Conuentu Generali, liberâ Successoris relictâ electione. Neq; diu in Polonia immorari illi placuit, abijt in Gallias, ibidemque inter viuos agere desijt. Electus in Anno 1669. *Michaël Dux Wisniowiecius*, filius *Hieremiæ Michaëlis* Terrarum Russiæ Palatini, herois ingentem per arma promeriti gloriam, Martis verè Poloni, meritòque cum curâ dicendi. Eius Electioni præsens *Wydzga* interfuit. Quadriennium & supra rebus præfuit Polonis, Leopoli cursum vitæ confecit, & in obitu ipsius Polonus & M. D. Lithuaniæ exercitus, Ductu auspicijs *Ioannis Sobieski* Supremi Regni Poloniæ Marschalci & Exercituum Generalis, Theseis cooperantibus *Michaële Pax* Vilnensi Palatino, Exercituum M. D. Lituaniæ Supremo Præfecto, Demetrio *Wisniowecij Zbarazij Duce*, Palatino Belzensi, Campestris militiæ Regni Præfecto (qui decessit Castellanus Cracouiensis, & Supremus Exercituum Generalis) *Michaële Casimiro Radziwil* Duce in Olika & Nieswiez, Procancellario M. D. Lituaniæ, & Campiductore, ad Chotimum die festo S. Martini Pontificis Turcarum 30000. memorabili obtriuit clade, actumq; fuisset de Cameneco, si tam vincere, quàm victoriâ licuisset vti. Electione vnanimi consensu Ordinum indictâ, *Ioannes Sobieski* per calcatas barbarorum ceruices, ad thronum peruenit, vnanimiq; consensu Electus Rex Poloniæ. Nominatus ab *Andrea Trzebicio* Episcopo Cracouiensi, nam sub tempus Electionis, obierat *Casimirus Florianus Dux* in *Klewan Czartoryski* Archiepiscopus Gnesnen: *Ioannes Gembicius* Episcopus Cujauiensis nouissimâ conflictabatur valetudine, & in breui supremùm vixit. Sublato è viuis Archiepiscopo, nominauit Electus *Ioannes III. Rex*, Successorem *Andream Olsouium* Culmensem Episcopum Procancellarium Regni, eiusdemq; ad Summum Pontificem *Clementem XI.* Nominationis literas scriptas, Sigillo Cameræ obsignatas, expediuit. Coronatio *Regis, & Reginæ*, quæ jure, & consuetudine priscâ ad Archiepiscopum spectat, veniebat in consilium & considerationem. Cæterùm Electo Rege in Prussiam remotio-

Mors Reginæ.

Sermonem funebrem Wydzga habuit.

Rex Regnum abdicat.

In Galliam pergit

Eligitur Michaël.

Moritur Michael Rex.

Victoria ad Chotimum ipso die ante tamen mortem.

Electionis die indictâ eligitur Rex Ioannes Sobieski.

motiorem, versùs Braclauiam, cum Exercitu mouente, ibidemq; hyemem sub pellibus agente, & ferè biennio, vel supra inter bellicas operationes exacto, Coronatio ad Annum Domini 1676. protracta. Interim *Clemens XI.* *Andream Olßouium* Gnesnensem confirmat Archiepiscopum, palliumq; Metropolitanæ potestatis mittit insigne. Ingressu Gnesnam peracto, anno vt supra dictum, diebus Februarij in *Basilicâ Cathedrali* Cracouiensi coronauit Regem *Ioannem III.* & *Mariam Casimiram Reginam.* In eodem Generali Coronationis Conuentu, *Olßouius* illi renuntiauit Magistratui. Non ambientem *Wydzgam* Rex ad tantum euehit ministerium, lege etiam ab Ordinibus Regni resolutâ, permittenteque, cum Varmien. Episcopatu Sigilli retentionem. Neque integro abeunte biennio, Conuentu Generali Varsauiæ finito, Rex profectus erat Gedanum, ad aliquas turbas & dissidia, Magistratûs cum plebe componenda, quorum incentor, oleum igni affundendo, audiebat *Ægidius Strauch*, in Synagoga Lutheranâ famosus Rabinus, eoque impotentiæ an dementiæ plebs Dantiscana progressa, vt numismata aurea, & argentea, huius Æoli signauerit effigie. Rege jam Gedani motus illos componente, *Olßouius* ibidem superuenerat, auram pestilentem, quæ circa Louicium serpebat declinando, vbi fatum & supremum sibi accersiuit diem; incautiùs purgatione super purgationem sumptâ, quod Princeps Medicorum improbat Hipocrates. Quo Gedani vitâ cedente, *Wydzga* etiam in Archiepiscopatu longè juniori *Olßouio* à Rege designatus, ex asse Sigilli & Archiepiscopatûs Successor. Ibidem Ioannes *Leßczynius* Supremus Regni Cancellarius, ætate ingrauescente Septuagenario major, eo Magistratu cessit, post aliquod tempus Palatinatum Cracouiensem morte *Alexandri Comitis* in *Wisnicz Lubomirski* vacantem, eidem Rex contulit. Sigillum majus pro veteri consuetudine Rex *Wydzgæ* Procancellario & Nominato Archiepiscopo Gnesnensi tradidit. Nullus *Marschalcorum* ad aulam tum erat præsens, *Ioannes Ignatius Bąkowski*, qui fatis cedente *Stanislao Dzialynio*, in Palatinatu Mariæburgensi successit, Regio nomine, *Wydzgam* Supremum Regni Cancellarium renuntiauit. Minus Sigillum à Wydzga dimissum, Rex detulit *Ioanni Comiti* in Pieskowa Skała Wielopolski Dapifero Regni, Capitaneo Generali Cracouiensi, natalium auito splendore, celebratâ integritate, ciuili prudentia, omnibusque bonis artibus tantùm promerito gradum. Neque diu eam Prouinciam Majoris Sigilli retinere poterat *Wydzga*; curis translationis ad Archiepiscopatum distractus. Rege Gedano discedente, ille rediit Heilsbergam, ibidemque Generalem conuentum Grodnæ indictum præstolabatur, ad quem in Anno 1678. veniens, negotijs illius vacabat Conuentûs. Necdum ab Vrbe translationis receperat diploma, Sigillique retentio protrahi sperabatur, ni Nuntiorum terrestium acrior obstitisset intercessio, quâ perculsus eo cessit Magistratu. Iuxta veterem consuetudinem Regem allocutus, publico elegantique sermone Sigillum dispositioni Regiæ consignando, cui sermoni à nemine, soloque silentio responsum nuntijs, qui cum Senatu consultabant, publicorum consiliorum cursum, continuantibus. Grodnâ ad Episcopatum venit, & in Anno 1680. receptis translationis Apostololicæ literis, ad Archidiœcesim viæ se accingebat, circa vltimos dies Octobris, Varsauiam, inde Squierniewicios abijt. Annis viginti Episcopatum gubernauit, seueritatis &

clementiæ temperamento. Curiam Episcopalem in Castro Ecclesiæ propinquam, à multis annis desertam & incultam, commoditati Successorum restaurauit, hac adiectâ, in tabula marmoreâ, inscriptione:

Domum hanc, cuius muri impensis Reuerendissimi olim *Mauritij* Episcopi surrexerant, vel injuriâ temporum, vel inuidiâ hominum, suis fermè in ruderibus sepultam, cubiculis distinxit, & habitabilem fecit *Ioannes Stephanus Wydzga* Episcopus Varmiensis & Sambiensis Anno 1666.

Gutstadij ad Ecclesiam Collegiatam, itidem Curiam Episcopalem, ruinosam desertamque reædificauit. *Heilsbergæ* cubicula ante pontem, cùm Superioris arcis Cameræ, ad quas per gradus ascenditur, vergenti in senium incommodæ viderentur, reconcinnauit in ijsque ad abitum mansit. Monasterium in *Springborn*, disjecto ligneo, Sodalibus de obseruantia, cocto latere ædificauit. Ecclesiæ Sponsæ suæ vestes Sacras coloris varij donauit. Episcoporum Varmiensium, suorum prædecessorum Stemmata, in diœta majori arcis *Heilsbergen.* depingi curauit, versibusque scriptis vitas compendiosè complexus. Addo tragicum & ferale facinus in Arce *Heilsbergensi* patratum anno 1670. die 2. Octobris. Erat in seruitio Arcis vnus ex Iudaismo conuersus & baptisatus, is braxatorij curabat rationes, quas cùm *Ioannes Baptista Nycz* Canonicus Varmiensis Oeconomus Episcopatûs diligentiùs examinaret, in iram & vindictam exardescens, cultro in abdomen immerso, crudeliter eundem obtruncauit. Captus condignum supplicium pro tanto luit scelere. At nos tristibus his intermixtis, adijciamus Colophonem. Erat is Episcopus in conuersatione jucundus, amœnus, omnibusque affabilis, eutrapeliâ vrbanitate excellebat, eruditione, doctrinâ præstans, & cui etiam sermones familiares, grauibus doctisq; sententijs condire fuit vsitatum. Acta in Archiepiscopatu alijs scribenda relinquamus.

Casus terribilis.

Æui delicium nostri, laus summa futuri,
Ingenij Phœnix, eloquijq; Stupor,
Cum gestis, meritis, virtutibus omnia vincas;
Lechia cum laudes non capiatq; Tuas;
De Te posteritas, vt Præsul maxime scribat;
Scriptorum calamus, par Tibi nullus erit.

Michaël Stephanus Radzieiowski Episcopus Varmiensis XXXI.

IN Palatinatu Rauensi, qui olim fuerat pars Masouiæ, antiquitus domicilium & nidus *Radzieiowiorum* familiæ, quæ superioribus sæculis, ac nostrâ ætate, Senatorijs eminebat honoribus. Ex hac domo *Michaël Stephanus Radzieiouius*, gente Iunossius, atauis editus heroibus. Auus Episcopi *Stanislaus Radziejowski*, Palatinus Lancicienſis *Sigismundo III. Vladislao IV.* per multorum annorum probata, continuataque obsequia, intimæ admissionis, gratiam & fauorem meruit Regum. Cum socia thori *Catharinâ Sobiescià Marci* Palatini Lublinensis filia. *Nicolaum & Hieronymum* progenuit. Major natu *Nicolaus Castellanus Lencicienſis* inito matrimonio, cum *Agnete Plichcianka, Valentini Plichta*, Castellani Rauensis filiâ, nullo relicto hærede è viuis abijt. *Hieronymus* Episcopi parens, *Mater Eufrosina Eulalia*, Comitissa de Tarnow, filia *Ioannis Grati*, Castellani Zarnouienſis; quæ primi voti fuerat consors *Constantini Ducis Wisniowiecij Camionacensis Capitanei.* Hic ille est *Hieronymi*

ronymus Radzieiouius, qui *Georgio Ossolinio*, Supremo Regni Cancellario, in procinctu itineris Romani, vitam finiente, cùm in Generali Regni conuentu 1651. maius Sigillum, *Andreæ* Comiti de *Leßno* Culmensi cessisset Episcopo, ab eodem minus dimissum, Rex contulerat *Hieronymo Radzieiouio* Lomzensi Camionacen. Capitaneo, quem necdum integro euoluto anno, indignatio Regia pressit, sequioribus fabricata delationibus, cum Vxore *Elisabetha Słuszczanka*, primùm *Adami Kazanouij*, Curiæ Regni Marschalci, deinde *Radzieiowÿ Consorte*, quæ fribusculum moliebantur rixæ (de his prolixiùs exactiùsq; Vespasianus Kochauius in suis annalibus Poloniæ, recenter Cracouiæ impressis) quæ tandem ad judicium deuenerunt Marschalcale, quod acriùs quàm justiùs, neque ex præscripto legum Patriarum instauratum, atrociori sententiâ, infamem damnauit *Radzieiouium*, tantoque priuatum Magistratu, solum vertere, patrijsque excedere coëgit finibus. Vberiùs, & exactiùs hæc, ipsemet *Radzieiouius*, in manifesto innocentiæ, publici juris facto. Neq; etiam scriptores rerum externarum, tantam ærumnam, in suis prætermiserunt consignare fastis. Adeò in procliui est, vt non nemo inquit: Cuiuis Principi in suo imperio, quemcunque etiam bonum & innocentem, non accusare solùm, sed etiam condemnare. Quod in hac Repub. libertate præcellenti, nostris temporibus, quæsitis factitatum, fabricatumque artibus, & clades hoc fonte deriuata, in patriam populumque fluxit. Nimirùm amissa libertas, erepta dignitas, altiùs animo insident, acerrimosque recuperandi perdita, aut vindicandi stimulos ingerunt. In anno tandem 1662. offensum Regem placauit, & per legem publicam, ferali sublato decreto, priuatus in Regno vixit, fauente, patrocinante *Mariâ Ludouicâ Reginâ*, quæ filios, & filiam, materno complexa sinu, educationem illorum impensiùs curabat. Non vanus in anno 1666. terror belli Turcici, cæso partimque disperso à Tartaris exercitu ad Brailowiam gliscebat. Eidem præerat Vicariâ potestate *Paulus Machouius*. Pro auertendo tam formidando belli fulmine, ad Portam Ottomanicam, cum titulo honoris Palatini Venden. legatus designatus ertraordinarius *Radzieiouius*, itineri longinquo, totque periculis obnoxio, alacrem se obtulit, ac eidem legationi dextrè nauiterq; conficiendæ incumbendo, exuit mortalitatem. His noster Episcopus ortus majoribus, domi forisq; exculto ingenio, Germaniâ, Galliâ, Italiâ peragrata, sanctiorem indutus togam, per minora sacerdotia, Gnesnen. Varsauien: Canonicatum, Præposituram *S. Michaëlis* in arce Cracouiensi ad infulam euasit Varmien. Adhæserat lateri parentis sui consobrini *Ioannis Sobiescij*, Supremi Regni Marschalci & exercituum Generalis, qui per calcatas Barbarorum ceruices, Regium conscendit thronum, & dum hæc connotamus, Viennam ingentibus Turcarum copijs pressam obsessamque, ab ancipiti liberauit discrimine, inauditâ, nec retroactæ ætatis annalibus visâ, lectâq; felicitate, sacrâ armorum initâ, cum Augustissimo Imperatore, Romaniq; Imperij Principibus, societate, potentissimam Turcarum, & Scytharum, colluuiem, memorabili obtriuit clade, etiam in vlteriorem Pannoniam, Ottomanorum tyrannide oppressam, cum victricibus properauit aquilis. Poliorceta maximus, belli fulmen, orbis gloriæ ornamentum, seruatæ, & liberatæ, ab immani Thracum rabie, rei Christianæ Clypeus. Huic vbique, etiam in Castris, continuus aderat *Radzie-*

Yy 2 *iouius*

jouius Comes, faustisque sub penetralibus, ad magna nutritam præparabat indolem. Gedani vt memorauimus *Andreæ Olßouio*, Gnesnensi Archiepiscopo decedenti, succedens *Ioannes Stephanus Wydzga*, ad Cathedram Varmiensem *Ioanne III. Rege* commendante, modo præmisso vacantem assumitur. A nominatione ad Archiepiscopatum, non nisi supra biennium, *Wydzga* Cathedræ Metropolitanæ inijt possessionem, Româ tradiùs sacra transmittente diplomata. Tandem vltimis Octobris diebus 1680. *Wydzga* in Poloniam abeunte, Capitularis electio more consueto peracta, quam Regius *Nuntius Nicolaus Swięcicius*, Decanus Posnaniensis Abbas Tremesnen. vrgebat requirebatque. In anno 1681. literæ Apostolicæ in forma breuis, ad capiendam Episcopatûs possessionem, ab Vrbe superuenerunt, Capituloque præsentatæ, actutum Cathedræ, totiusq; Episcopatus tradita, & consignata possessio. In conuentu Generali Regni Varsauiæ, qui seu ob priuatas quorundam simultates, seu veriùs, aliquo è tribunis externis compendijs mancipato, nimioq; plùs ijs ancillante, improspero cecidit euentu, Episcopalis consecrationis absoluit solennia, tantum implente ministerium *Ioanne Malachouio* Episcopo Cracouiensi Duce Seueriæ, in Basilica *S. Ioannis* Collegiatæ Varsauien. In Episcopatum venit eodem anno diebus Iulij, vltimis limitibus Episcopatûs appropinquantem, *Zacharias Ioannes Szoltz* Custos, *Ioannes Wolowski* Canonicus Varmiensis obuiàm profecti, vltra pagum Capitularem *Wutrynen* salutârunt, & prosperum gratulati aduentum *Vartenburgum*, *Seeburgum*, inde *Heilsbergam* deduxerunt. Ad Sponsam ingressum ordinauit designauitq; in diem festum *S. Michaëlis* Archangeli, sui Diui Tutelaris, quo imminente *Heilsbergâ Wormditum*, inde *Brunsbergam* profectus, à Ciuitate hac primariâ Episcopatûs, tùm à Collegio PP. Societatis IESV, eâ cultus obseruantiæ testificatione exceptus, quæ debetur Regij Sanguinis Principi. Nomine Collegij Ecclesiæ Cathedralis subsistentem *Brunsbergæ*, salutauit *Adamus Sigismundus Konarski* Præpositus Varmiensis Cantor Plocensis cum *Georgio Wolff* Canonico. Die ingressus ad Ecclesiam præfixo, circa decimam antemeridianam venit ad Ecclesiam. Actum ingresûs adornabant Prutheni Senatores *Michaël Dzialynski* Culmensis, *Vladislaus Comes à Dönhoff* Pomeraniæ (qui anno superiore in Hungaria, cum Turcis dimicando, vitam & sanguinem rei Christianæ impendit) *Ioannes Theodorus Comes à Schlüben* Liuoniæ Palatini, nomine Collegij peractâ salutatione, Missam celebrauit Pontificalem. Eâ finitâ Christianus Seet. I. V. D. & in Academia Regiomontana Professor, ad Ecclesiæ gremium nouiter accedens, ejurato Lutheranismo, in manibus Episcopi, fidei Catholicæ Romanæ fecit professionem. Quatriduo commoratus ad Ecclesiam, curis Pastoralibus, etiam juri dicendo vacauit. Vicarium in spiritualibus designauit, constituitque *Zachariam Ioannem Szoltz* Custodem Varmiensem tanto muneri parem. De ritu administrationis Sacramentorum, ab Ecclesiâ Romanâ dissono, factâ inquisitione, mandauit commisitque Vicario in Spiritualibus. Agenda seu Rituale ritui Romano, à *Paulo V. Pontifice Maximo* ordinato conforme, imprimi, & ad vsum Cleri Diœcesani, antiquato prisco Rituali, proferri & introduci. Demandato negotio nouiter, admouit manum memoratus D. Vicarius in Spiritualibus. Genuinus Ritus Romanus, pro administratione Sacramentorum, viget jam floretq; in hac Ecclesiâ & Diœcesi,

Consecratus Varsauiæ.

Eius ingressus ad Episcopatum.

Ab omnibus solenniter excipitur.

Eius ordinationes Diœcesana.

cesi, quæ à prima origine immediatam Sanctæ Sedis recognoscit subjectionem, non tamen absq; murmure & peruicacia aliquorum, qui improbabant, aut ogganniebant ritum Polonum introduci, quasi Polonæ Ecclesiæ, cum Romanâ dissentirent, nec ea seruare satagerent, quæ sancta Romana Vniuersalis præscribit Ecclesia. Adeò in procliui est nonnullis, ea quæ non intelligunt exagitare & carpere, quæ non capiunt. Anno 1682. pro festis Dominicæ Resurrectionis Sponsam inuisit, in cœna Domini sacros consecrauit liquores, pedes pauperum lauit, Sabbatho magno fecit ordinationes. Dominicâ Resurrectionis, missâ celebratâ Pontificali, postridie ac sequenti Martis die, Sacramento Confirmationis, multos Christi fideles signauit, turbam accurrentium, amplâ vix capiente Ecclesiâ. Adultâ æstate vocatus à Rege, *Iaworouiam* excurrit, inde in autumno ad Episcopatum rediit, Indixerat Rex generalem conuentum in Anno superiori Varsauiæ ad diem 27. Ianuarij, quem more consueto Prouinciales, & Palatinatuum præcedunt Conuentus. Terris Prussiæ eundem Rex designauit 31. Decembris Graudenti. Venerat pro die festo Natiuitatis Domini, ad Ecclesiam Cathedralem Episcopus, eoq; die, festo, missâ celebratâ Pontificali, die sequenti Graudentum versùs abijt, ibidemq; appropinquanti nuntiatur, Palatinatûs Culmensis Conuentum particularem in *Schönsee*, alias *Kowaleuia*, duos *Pruthenos* nobiles priuatis simultatibus, rixis discordes, illius conuentus, imò boni publici successum impediuisse. Venit nihilominùs Graudentum, in peruigilio Circumcisionis Domini, vbi cum Palatino Pomeraniæ inito consilio, hæc Regi significauit. Graudento *Elbingam* diuertit, Ecclesiam Parochialem, ibidem visitaturus, quod ante denuntiauerat, intimaueratque illius Ecclesiæ Curato, in vigilia Epiphaniæ Domini, venit *Elbingam*, ipso die missam Pontificalem in Ecclesia decantauit, perendie Sacramentum Confirmationis, præmissâ catechesi, multis Christi fidelibus impertijt. Rationes illius Ecclesiæ diligentiùs inspexit, eas ordinationes pro reformatione scribi mandauit, quæ fidei Catholicæ Romanæ, in illa Ciuitate Lutheri, Caluini, Menonistica, delirâ fascinatâ hæresi, multùm conferent amplificandæ, Conuentui Generali Varsauien: anni Superioris interfuit, in quo cum Sanctissimo Domino nostro *Innocentio XI.* Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifice, zeli pastoralis vigilantiæ incomparabilis, cum Augustissimo Romanorum Imperatore, tùm Romani Imperij Principibus inita approbata est, contra Orientem armorum societas, Regiq; nostro *Ioanni III.* Suprema militiæ colligatæ commissa potestas & præfectura, quâ felicitate, fortitudine, prudentiâ contra Ottomanos, extra Regni limites, offensiuè, non defensiuè gesta administrata, limatioris calami opus, quod præsens mirabitur, subsequens deprædicabit posteritas. Ab eo conuentu redux, Regiomontanæ Ecclesiæ Parochialis, visitationem indixit, Electorali *Brandeburgico Duci* in Prussia, se hoc velle aggredi significauit, quòd comiter satis excepit Elector. 2. Iulij *Heilsbergâ* Regiomontum profectus, postridie illuc peruenit, cui obuiàm misit *Ernestus Boguslaus Croiæ*, & *Arcsbotæ Dux* S. R. I. Princeps, Ducalis Prussiæ Gubernator, *Baronem Truchsesium Colonellum Electoralem*, cum rheda, & cohorte equestris militiæ, qui ad ipsam Ecclesiam, per ampla illius Ciuitatis pomeria, deduxit Episcopum, cujus aduentui applaudendo, bellica displosa tormenta, eaq; declarata hospitalitatis offici-

Acta Spiritualia.

Ad Comitia se disponit.

Cura in particularibus Comitijs.

Elbingæ Pontificaliter celebrat.

Cura fidei propugnandæ.


Cura boni Christianitatis.

cia, quæ Principi Electori conueniebant. Supra integram septimanam Regiomonti commorabatur, in Ecclesia die Dominico Missam decantauit Pontificalem, Confirmationis Sacramento, propè duo millia hominum signauit, gregem Catholicum sat numerosum, quasi lilium inter spinas, & hæresis senticeta, egregiè propagatum, cum magno internæ consolationis sensu, vidit, inspexit, & ea quæ visitationis requirit actus, impleuit. Missionem Societatis IESV ad eandem Ecclesiam fundatam, à suisque confirmatam antecessoribus, ingenti rei Catholicæ commodo, circa animarum lucra laborantem, approbauit, confirmauit, Electori *Brandeburgico, Duci Croiæ,* Catholicorum protectionem impensiùs recommendauit, hisq; peractis, ad conuentum generalem, vt vocant post comitialem abijt, vbi ea fecit, præstititq; quæ boni publici exigebant rationes. Festum diem *S. Casimiri* Regni Poloniæ & M. D. Lituaniæ Principis ac Diui Tutelaris, hucusque profestum celebrem ad forum, & populum per Diœcesim denuntiauit. Cæteris eius destinatis, & curis Episcopalibus, Princeps Pastorum benedicat, mittatq; ab alto auxilium, Ecclesiæ, Reipub. solatio longæuum, sospitemque præstet. Vouemus & apprecamur in eo tractu, quem circumquaq; heterodoxorum sepsere, obsedereq; zizania, mereatur illud, quod *S. Antistiti Ildephonso* sanctior adscripsit calamus Elogium ANCHORA FIDEI.

Pontificale caput, non tot tibi Varmia gemmis;
Nec tanto decorat fulgure, mitra duplex;
Præsule quot digna tibi sunt, & Principe dotes;
Regia dona animi, quot Tuus Agnus habet.
Hinc decuit, Regum trabeas qui sanguine tangis,
Vt Regio Regum, Pastor Ouile regas.



IN-



INDEX
Rerum & verborum in historiam Prussiæ.

A

Brandebur-

ejus

obsessa

Heluin-

Mathi-

Mulſi

Q.

R

Radi-

Stras-

Vlri-

FINIS.



